HISTORIA SACRA, PROPHANA, NEC NON POLITICA, TRIBUS TOMIS COMPREHENSA, ...

Jean Chapeauville

HISTORIA
SACRA, PROPHANA, NEC NON POLITICA, TRIBVS TOMIS COMPREHENSA,

In qua

Non solùm reperiuntur gesta Pontificum Tungrensium, Trajectensium, & Leodiensium; verùm etiã Pontificum Romanorum, atque Imperatorum, & Regum Franciæ vsque ad LVDOVICVM decimum tertium Galliæ, ac Nauarræ Regem Christianissimum.

Adjuncta est Historia Gubernatorum, qui tempore tumultuum Belgij, vsque ad Serenißimos Principes Albertum & Isabellam, totam illam Regionem rexêre, ac ab hostium telis propugnauêre.

Nunc primùm studio & industriâ Reuerendi D. Ioan. Chapeauilli Insignis Ecclesiæ Leodiensis Canonici, & Vicarij in lucem edita, ac annotationibus illustrata.

Acceßit Venerabilis P. Ægidij Bucheri è Societate IESV *Chronologia, in qua videre est quotquot ad hæc vsque tempora extiterunt Summi Pontifices, Imperatores, Galliarum Reges, Principes, ac Episcopi.*

TOMVS I.

Bibliothecæ Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

AVGVSTÆ EBVRONVM,
Apud GVILLELMVM LE SAGE è regione Curiæ Officialis,
Anno 1618.

Ioannes Chapeauille Vicarius Leodiensis. 11.

Leodij natus M.D.L.I. prid. Regum; defunctus 1617 Maij



Chronographicum obitus.

HIC ChapaVILLæIVs VIXIt.VIs qVI eLoqVar? aVdI.

SCrIpta VIrI VarIa, sed Magè gesta doCent.

Jo. valdor sculp

SERENISSIMO PRINCIPI FERDINANDO, DEI GRATIA ARchiepiscopo & Electori Coloniensi, Sacri Romani Imperij per Italiam Archicancellario, Principi & Episcopo Leodiensi, Hildesheimēsi, Monasteriensi, Coadiutori Padebornēsi, administratori Stabulensi & Berchtergadensi, Comiti Palatino Rheni, vtriusque Bauariæ, VVestphaliæ, Angariæ & Bullonij Duci, Marchioni Francimontano, Comiti Lossensi, Longiensi, Hornensi, &c.

Domino meo clementissimo.

CVm pridem veteres nōnullos codices de rebus Diœcesis vestræ Leodiensis manu-scriptos collegissem, Princeps Serenissime, non alio quidem animo, quā vt ego, qui à Serenissimo recolendæ semper memoriæ Ernesto Patruo, ac decessore vestro spiritualibus in ea gubernandis adhibebar, illius vsus ac iura ex eorum lectione ediscerē, frequenter miratus sum videre in eis præclara, quibus Deus Opt: Max: Ecclesiam illam decorare dignatus est, ornamenta, Fidem videlicet catholicam, Apostolicam, Romanam à Beato Materno, Sancti Petri Apostolorum principis discipulo, ad hæc nostra vsque tempora illibatè propagatam, Ecclesiasticarum personarum, Monasteriorum, ac sacrarum ædium frequentiam, Imperatorum, Regum, & aliorum summorum Principum erga illam obseruantiam, munificentiamque, deinde non Ecclesiasticam modò, sed & politicam ac ciuilem iurisdictionem à paruis initijs longè lateque sese protēdentem, res in eâ præclarè, ac fortiter gestas, casus domi, forisq; fœliciter superatos, adeoq; auctores, qui ea posteritati consecrarunt pro eo æuo ita illustres, disertos ac fi-

deles, de quibus Sigibertus, Trithemius, & alij præclaram suis in scriptis fecissent memoriam, quæ omnia magnum profecto Ecclesiæ, & patriæ nostræ Leodiensi, adeoque ipsi Christiano Imperio splendorem conferre possent, si palam publiceque innotescerent.

Cœpi idcircò diligentius per diœcesim vestram Leodiensem de autographis eiusmodi codicibus inquirere, quos omnes cum passim per bibliothecas contemptos, à tineis, blattisque corrodi imò ad thuris, piperisque cucullos accommodari, non sine dolore, ac indignatione aduerterem, delectum feci quorũdam, vt existimo, præcipuorum, quos viris eruditione pietateq; prẹstantibus mecùm legendos communicaui. Hi pariter dolentes, & indignati tot sanctissimorum huius patriæ Martyrum agones, tot pijssimos, simulque grauissimos Confessorum huius Ecclesiæ labores, tot eorum & aliorum maiorum nostrorum virtute & doctrinâ clarissimorum virorum vitas gestaq; & monumenta ignorari & deperire, instare non desierunt, vt antiquos illos probosq; scriptores, ab interitus periculis, quibus euidenter expositi essent, vindicarem, & in lucem ad communem omnium vsum educerem. Quibus haud difficulter, vel ideò maximè, morem gessi, quod hactenus nullos ferè hisce de rebus probatos auctores typis excusos viderimus. Nam quæ Placentius, Democares, Cratepolius, & alij nõnulli edidêre, ea tantum à veterum horum auctorum scriptis discrepãt, quantum turbidi à limpidissimis, amplissimisque fontibus longâ intercapedine decurrentes riuuli, è quibus historiæ huius studiosi, & honoris Ecclesiæ, patriæque suæ amatores, nec sitim historicæ veritatis, quâ flagrant, extinguere; nec pietatis, prudentiæque Christianæ fructus, quos ex huiusmodi lectione expectare imprimis oportet, colligere vllo modo possint. Siquidem vel cathalogorum more nimis angustis finibus circumscripti, nulla ferè integrè perfecteque scripserunt; vel ieiunè, & parũ solidè res grauissimas attigerunt; vel denique inconsultis veterum scriptis incerta pro certis tradiderunt, aut falso vera, aut maiora vero miscuerunt.

Quẹ verò Hubertus Thomæ Leodius gloriosus miles, de Tũgris & Eburonibus, alijsque inferioris Germaniæ populis in lucem

cem edidit, non historiã Ecclesiæ Leodiẽsis (cuius vt & Romanæ spurium fuisse se passim in illo suo cõmentariolo demonstrat) sed varias locorum, in quibus Tungri, & Eburones cum Iulio Cæsare pugnarũt, vbi victores, vbi victi fuerunt, nomenclaturas Grammaticorum more disquirit, vt non difficulter illum (prout de se scribit) per vniuersum penè orbem totis viginti annis peregrinatum, in diuersorijs dum cœna paratur, equi insternuntur, frænantur, famulus accingitur, huiusmodi pueriles Etimologias excogitasse credam. Alieniorem verò & iniquiorem ergà Ecclesiam Leodiensem animum gessisse vel ex eo satis clarũ est, quod Pontificibus Leodiensibus, contrà omnem antiquitatem, iurisdictionem adimit, & hæreticorum more, solam verbi Dei declamationem tribuit, atque suam vt impudẽtiam manifestiorem reddat, ne D. Hubertum, Aquitaniæ ducis filium, Leodiensem Pontificem, vrbis Leodinæ agnosceret fundatorem, vel Ambiorigem Tungrorũ Regem, cui cum Cæsare bellũ fuit, vel Leoden quendam Ithacensis Oenopis vlissem ad Troiam sequuti filium, Leodicensis vrbis cõditorem, ex nescio quibus vanissimis coniecturis erroneé, & impiè cõfingit; cum Leodium antè D. Huberti tempora, non vrbem, sed vicum ignobilem, & ferarum magis, quam hominum habitationi idoneum fuisse ex Godeschalci, & Nicolai canonicorum Leodiensium testimonijs, quorum ille ab octingentis, hic à quingentis & suprà annis scripsit, manifestum sit.

Animaduertebã verò multa in hisce nostris auctoribus quæ ad vitam, præsertim nostratum, componendam, momenti plurimũ adferrẽt. Nam cùm, teste Liuio, *hoc in omni historiâ salubre inprimis ac frugiferum sit, quod tanquam in illustri loco positâ, liceat in eâ intueri, vndè tibi, tuæque Reip: quod imitere capias, indè Fœdum inceptu, Fœdum exitu quod vites*, certé nusquam id promptius copiosiusque quam in maiorum historijs. Etenim cum eorũ seu laudis, seu ignominiæ, seu fœlicitatis, seu infortunij pars, in nos suo quodammodo redundet (*corona enim senum Filij Filiorum, & gloria Filiorum patres eorum*) sicut illorum Laudibus impensius delectamur; ita vituperatione ignominiâque acrius cõmouemur. Feriunt quoque nos, & afficiunt potentius quæ in natali solo, vrbibus, templis, domibus, dignitatibus muneribusque

Liuius in præm. lib. 1. decad.

Prouerb. 17.

 que

que nostris, quàm quæ remotis in locis, ac regionibus, officijsque incognitis gesta commemorantur. Nostratia vtpotè viciniora in oculos nostros suaptè incurrunt, nec sui memoriam deponi patiuntur; externa, & à conspectu longè posita, excidũt facilè, & à plerisque omnibus non tam ad imitationem, quam ad otiosam, & sterilem contemplationem, aut admirationem scripta reputantur. Sunt porrò innumera toto quindecim seculorum curriculo à Pontificibus & maioribus nostris edita morum documenta, quæ si à nobis, quo par est animo, perpenderẽtur, auidius fructuosiusque longè imitanda capesseremus, fugiendaque vitaremus; antiqua etiam dubio procul reflorescerct cleri huius nobilissimi disciplina, reuiuisceret equestris ordinis sedula ergà Antistites & Principes suos obseruantia, redirent, quæ procul exulare videntur, prisca simplicitas, mansuetudo, pax, iustitia, cæteræque christiano homine dignæ virtutes: Ambitio verò, luxus, liuor, ac inuidia, aliæque huiusmodi animarũ nostrarum, adeoque totius Reipublicæ huius pestes, exterminarentur.

Atque vt ad vitam moresque componendos, sic & ad veram fidem, auitamque religionem conseruandã, de quâ hodiè, proh dolor, tantoperè controuertitur, auctores illi segetem vbertim subministrant. Quod enim quæso præsentius contra hodiernas hæreses antidotum, quàm si defunctos à mille quingentis annis, qui nos Christo genuerũt Pontifices, testes vtique omni exceptione maiores, in mediũ adducamus, qui omnes vno ore profiteantur quã hodiè ecclesia Leodiẽsis amplectitur religionem, eam ipsam esse, quam illi à B. Materno, & ille à B. Petro Apostolorum Principe accepit? *beatus* siquidem *Maternus à sancto Petro catholici dogmatis institutionibus sufficiẽter edoctus, & christianâ religione roboratus* (inquit Harigerus) vt primũ in hæc loca appulit, confractis idolorũ simulachris, vni vero Deo & trino templa erexit, altaria cõstruxit, diuinum missæ sacrificiũ celebrauit, sanctæ Dei genitricis, & aliorum sanctorum in eis memoriam habuit, conuersos ad fidem baptizauit, verbo Dei ad studium bonorum operum prouocauit, sanctimoniâ vitæ, humilitate imprimis, ac mansuetudine eis præluxit, viaticum corporis Domini sumpsit, & ab alijs sumendum docuit, doctrinam suam miraculorum

Hariger. c. 5.

signis

signis confirmauit, pro his, alijsque infinitis bonorum operum meritis, per manus sanctorum Eucharij & Valerij sociorum suorum præmium immarcessibilem gloriæ coronam à Christo recepit. Hæc doctrina, hæc vita, nonne ea ipsa est credendi viuendique regula, quam ex eo tempore, & etiamnum singulari Dei beneficio tenet Leodiensis Ecclesia? Quod cùm ita esse per hæc Pontificum nostrorum gesta luce clarius appareat, quis non vel tenuissimi sensus lector aduertat, nequaquam apostolicas & veras religiones illas esse, quæ recens à Luthero, Caluino, & alijs eiusdem farinæ hominibus excogitatæ, templa, altaria, missæ sacrificium, virtutem sacramentorum, sanctorum cum Christo regnantium venerationem & inuocationem, bonorumque operum merita euertunt, & mortuâ quâdam fide contentæ, latissimam ad omnia scelera fenestram aperiunt?

Denique habent hoc veluti proprium scriptores nostri, quod lectores suos non vt plerique in solâ ferè & continuâ rerum caducarum contemplatione speciosis verbis retineant; sed eos sanctâ suâ & modestâ eloquentiâ, passim, vel ad cœlestia & æterna eleuant, vel in eorũ, si quandò opus est, narratione sic versantur, vt eos sæpiùs cùm Ecclesiaste exclamare cogant: *vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Et quamuis in eorum scriptis virtutes & ornamenta quibus plerique scripta sua vestire solẽt haud ita reperiantur, tamen inter ætatis illius quâ vixêre historicos, non mediocrem etiam ab eloquentiâ laudem mihi mereri videntur. Quanquam nec viros religiosos de sacrorum pontificum gestis scribentes, profanâ eloquentiâ diffluere, sed sacrâ, graui & solidâ sese continere decebat, quæ hic si non verborum lepôre, & lenocinijs aures, certè suauibus sanctæ, & venerandæ cuiusdam sapientiæ verbis, pectus animumque commouere potentius depræhendentur: vt vehementer fallar, nisi etiam qui legendis politioribus literis assueti sunt, si Christianâ modestiâ retenti, horum scriptorum lectionem non fuerint dedignati, idipsum reipsâ experiantur: accidatque illis, vt sicut libentius veriores quàm formosiores habent amicos, sic libentius veriores hoscè quàm disertiores legant auctores. De me certè ingenuè fatebor, quod in ijs legẽdis tantam sæpè voluptatem perceperim; vt plerumque post publica negotia, frequentes animi molestias, & fatigationes

Eccles. ca. 1.

De hoc genere eloquentiæ vide D. August. de Doctrinâ Christi lib. 4. cap. 6. & 7.

tigationes

tigationes, inter multorū liuorē & inuidentiā, inter probra maledictaq;, quibus iā totis tribus, supra triginta annis in odiosis Inquisitoris, Examinatoris & Vicarij generalis officijs exposit⁹ fui, nullū post sacras litteras præsentius solatiū, hocce senio meo repererim, quā ad horum scriptorū lectionem, meditationēq;, tanquàm ad suauissimum tranquillitatis animi portum recurrere.

Et hæc quidem, aliaque huiusmodi, Serenissime Princeps, impulère me, vt partem temporis, quod ab officijs publicis suffurari licuit, libenter auctoribus illis, qui *gesta Pontificum Leodiēsium* scripserūt ab interitu & obliuione vindicandis, impenderem. In quo non parum quidem laboris, & difficultatis reperi, eâ re iamdudum à multis multoties tentatâ deploratâque: sed molestiam vicit Ecclesiæ patriæque amor, vicit & ipsius argumenti delectatio, quin & optassem plus operæ in eorum elucidatione conferre, si ætas mea, publicæque occupationes permisissent.

Porrò sicut ante quingentos quinquaginta circiter annos Anselmus canonicus Leodiensis Harigeri & suum opus Annoni secundo tunc Archiepiscopo Coloniensi meritissimo, nomine Leodiensis Ecclesiæ filiæ suæ dedit dicauitque, ita & erat hoc ipsum opus, nouo nunc auctoque sub habitu luci publicę typis donatū Ser. Principi Ernesto Archiepiscopo Coloniensi eidēque Episcopo Leodiēsi dignissimo à me deuotum. Cui enim ecclesiastici scriptoris congruentius sudaret ingenium, quā illi, qui se murū pro Ecclesiâ Dei, cōtra oēs hæreticorū machinatiōes semper opposuit, qui rebus imperij in pace cōseruādis, inter Serenissimos Principes Electores, auctoritate, cōsilio, fidelitate, zelo, facilè primus, Imperatori catholico gratissim⁹ semper adstitit: qui impiorū conatus, insidias, fraudes, conuenticula sæpius detexit, & disturbauit: qui pro verâ, & priscâ religione in hac, & alijs diœcesibus conseruandâ promouendaq;, bellâ, acres contentiones, labores ingētes, continuas animi sollicitudines, & sumptus immensos, sæpiùs suscepit, sustinuit, perfecit; qui seditiones periculosas plerūq; sola vultus sui serenitate cōpressit: qui hoc periculosissimo & suspiciosissimo tēpore, vicinis prouincijs circūquaque inter se bellorum intestinorum incendijs conflagrantibus, rabieq; hæreseon agitatis & attritis nos in pace ac fide catholicâ admirabili dexteritate & fælicitate conseruauit, auxitque. Et vt de me pauca dicam, qui toto Episcopatus sui tempore, hoc est,

toto

toto vnius & triginta annorum ſpatio, me veluti filium ſuum, paterno ſinu fouit, dignitatibus immerentem ornauit, ſuum in ſpiritualibus vicarium generalem conſtituit, & liuidos actionũ mearum obtrectatores frequenter confudit.

Erat, inquam, Sereniſsime Princeps, hoc quicquid eſt operis illi paratum: verùm poſtquam ab hoc prauo ſæculo in beatum Altiſsimus eum nuper euocauit, & Serenitatem veſtram illius in locum ſurrogauit; cui potero *Geſta Pontificum Leodienſium* aptius, quam illi pontifici dedicare, à quo non Leodienſis tantum, ſed & vniuerſalis Eccleſia, ipſumque Imperium, non minora quam à Magno illo Erneſto eius patruo, amoris & officiorum expectant monumenta? Quid enim ſibi non promittant Catholicæ Eccleſiæ filij, qui genus veſtrum Imperiale Regaleque, cui nullum neque antiquitate, neque ſplendore facilè comparari poſsit, agnoſcunt? Quid ſibi non polliceantur, qui heroicam veſtram indolem, & optimam à teneris incunabulis, ad omnem virtutem & eruditionem, educationẽ pernoſcunt? Quid à Celſitudine veſtrâ non expectent, qui diuino nutu, raro exemplo, vident illam tot dignitatibus, & tiâris, tot ditionibus, ac prouincijs latiſsimis ſimul ac ditiſsimis cumulatam, vt poſt paſtorum paſtorem nulli in Eccleſiâ cedat? Nec immerito quidem ab eâ hæc ſibi pollicentur catholici omnes, & nos imprimis Leodienſis Eccleſiæ filij, vtpotè qui illam ſub initium pontificatus ſui Leodienſis, cum actionum ſuarum curſum videmus inſtituiſſe, ita omnia patriæ negotia ordinaſſe, vt facilè omnes intelligant, quid in reliquum tempus, ab ipſius prudentiâ & regendi dexteritate bonis omnibus ſit ſperandum, quid improbis pertimeſcendum.

Hunc ergo geſtorum Pontificum Leodienſium tomum primum, vt Sereniſsima Celſitudo veſtra gratulationis vice, ſub hiſce Leodienſis ſui pontificatus auſpicijs prodeuntem, pro ſpectato ſuo in ſponſam Eccleſiam Leodienſem illiuſque pontifices affectu ſuſcipere, ſuoque patrocinio protegere dignetur, rogo. Eſt in eo ſucceſsiuum à B. Materno primo Epiſcopo ad VVaſonem vſque quinquaginta duorum ſanctitate, & eruditione génereque illuſtrium (quos inter, nonnulli etiam familiæ veſtræ proceres eminent) examen pontificum, ordine, diſtincteque

 partim

partim ab Harigero abbate Lobiẽſi, partim ab Anſelmo canonico Leodienſi conſcriptum, additionibus Ægidij Aureæ vallis religioſi, & nouiſsimis meis annotationibus locupletatum. Sequetur porrò breui, Deo cooperante, ſecũdus, & tertius & ſi vita pauculos ad annos prorogata fuerit, accedet quartus, & vltimus, in quo Sereniſsimi Erneſti, ſuauiſsimæ recordationis, patrui veſtri pro Eccleſiâ Imperioque geſta grandiori, veraci tamen ſtylo deſcribentur. Intereà Deum Opt. Max: precabor, vt vota Ser^tis veſtræ, quæ ex illius ore & pectore didici tum eſſe ſanctiſsima, tum Eccleſiæ Dei vtiliſsima, ſingulari ſuâ clementiâ & bonitate proſperare dignetur. Datum Leodij prid. non. Maij 1612.

Ser^ma C. veſtræ

obſeruantiſſimus ſeruitor.

IOAN. CHAPEAVILLE.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

ANtequam ad lectionem Harigeri & Anselmi accingaris, amice lector, nonnulla sunt, quæ te scire, haud abs re fore existimaui. Ac quidem inter plurimos M. S. Codices qui gesta Pontificum Leodiensium *(sic enim à veteribus inscribuntur) continent, & multorum manibus circumferuntur, nos Harigerum & Anselmum typis euulgandos delegisse: quod alij plerique omnes anonimi sunt & ignoti, barbari etiam & multâ sæpè vanitate referti, & quicquid certi boniuè habent, propemodum de verbo ad verbum ex M. S. horum auctorum exemplaribus desumpserunt: vt haud difficulter indè appareat eos omnium primos, & præcipuos esse, qui eiusmodi gesta posteritati consecrarunt. Etsi enim non defuerunt docti pariter & fideles, qui antè eos, nunc vnius, nunc alterius Pontificis vitas scripserunt, prout de Godeschalco, & alijs suis locis notauimus, nihilominus qui ordinem, & seriem eorum continuarent antè Harigerum & Anselmum, non reperiuntur. Equidem floruit Harigerus sub annum Domini, 980. vir vtique non solum ecclesiasticâ dignitate præcellens, sed etiam literarum scientiâ clarus: quo, nec minus literarum monimentis celebris fuit Anselmus canonicus Leodiensis, ipsum Harigerum post quinquaginta annos circiter sequutus; vt ex subiectis infrà eorũ ex Sigeberto elogijs, manifestum est.*

Porrò in recognoscendis eorum scriptis, non paruæ nobis occurrerunt difficultates: ac primum quidem, quod inter vetera manuscripta Harigeri exemplaria vnum Ecclesiæ collegiatæ sancti Martini Leodiensis, non Harigeri abbatis Lobiensis, sed Notgeri Episcopi Leodiensis nomen pro auctore præferret, vndè nonnulli illius fortè exemplar sequuti sunt, & scrupulum de auctore non paucis mouerunt. Verum Harigerum genuinum illius auctorem esse ex eo satis liquet, quod omnes qui post eum gesta Pontificum Leodiensium scripserunt, vnanimi sententiâ illum auctorem faciant. Anselmus quidẽ Harigero 50. annis tantum, vti diximus, iunior, in epistolâ suâ dedicatoriâ ad Annonem Archiepiscopum Coloniensem, cui hæc eadem gesta Pontificum dedicat, dum inquit. Horum quidem pars prior ab Harigero Lobiensis Cœnobij abbate, absque capitulis est conscripta, cui nos Capitula prænotantes, nostram cum Capitulis Lucubratiunculam coaptare studuimus; *hæc enim prior pars, is ipse est liber de quo hic agimus, cui suam lucubratiunculam, hoc est, secundum librum suum, ipse Anselmus coaptauit. Aegidius quoque aureæ vallis, qui floruit anno Domini 1240. gesta Pontificum Leodiensium, vbi Anselmus desijt, prosequutus, in præfatione sui libri ad Mauritium Noui Monasterij propè Huyum abbatem, disertis verbis huius libri auctorem facit Harigerum. Idem faciunt seposito omni scrupulo, quotquot deinceps gesta Pontificum Leodiensium scripserunt; Ioannes Presbyter qui floruit circa annum Domini 1350. Ioannes vltramosanus circa annum 1390. Placentius circa annum 1520. Ioannes Brustthemius circa annum 1540. Adde quod Sigebertus vir in historiâ clarissimus vt tempore sic & loco Harigero Cœnobij Lobiensis abbati, & Anselmo Ecclesiæ sancti Lamberti canonico proximus (floruit enim in Gemblacensi Monasterio diœcesis tunc Leodiensis tempore Henrici Imperatoris tertij, regis quarti circa annum Domini 1110) describens nomina eorum, qui suis scriptis Ecclesiam illustrarunt, dicit Harigerum inter alia scripsisse gesta Pontificum Leodiensium nullam*

Notgeri Episcopi sui mentionem faciens. Sic & Trithemius abbas Spanhemensis, qui floruit circa annum Domini millesimum quadringentesimum octuagesimum, in libro de Illustribus Ecclesiæ scriptoribus nongentos & septuaginta scriptores congerens, quorū volumina, gradus, conditiones, dignitates, ac tempora potuit reperire, inter alios nomen, gradum, & tempus Harigeri reperit; & non potuit ipse Germanus Notgeri Sueui Episcopi Leodiensis celeberrimi, si gesta Pontificum Leodiensium scripsisset, reperire? Tot testimonijs & argumentis conuicti, procul omni dubitatione fateri cogimur Harigerum non Notgerum, huius primi libri esse auctorem.

Verum quid dicemus de exemplari illo, alijsque, si quæ sint nomen Notgeri præferentibus? suggerit quod respondeamus vetustus auctor Anonymus, qui circa annum Domini 1160. gesta Abbatum Lobiensium post Fulcuinum prosequens, dicit Harigerum Notgero Episcopo charum & familiarem fuisse, nihilque sine eius consilio & obsequio egisse, sic enim ille. Intantum prædicto venerabili Notgero Episcopo charus & familiaris fuit, vt non solum in domesticis vel ecclesiasticis rebus, sed in palatinis quoque negotijs, quorum tunc temporis præcipuus erat exequutor idem Episcopus, eum inter primos semper habuerit, nec in Lotharingiâ solum, sed & in Italiâ vbi Ottoni secundo adhuc puero, regnum præparabat, eius obsequijs & consilijs vsus fuerit. *Si in omnibus Harigeri consilijs & obsequijs vtebatur Notgerus, quid verosimilius dicere possemus, quam Notgerum Imperij negotijs districtum, non scripsisse quidem librum hunc, sed familiari suo Harigero, vt scriberet, mandasse, Harigerum verò librum suum sub Notgeri nomine edidisse, tum quod scriptionis illius ipsi auctor fuisset Notgerus, tum quod ita eum maioris futurum auctoritatis speraret Harigerus. Consonat huic ipsa epistola nuncupatoria ad VVerinfridum Abbatem Stabulensem, vbi Harigerus sub nomine Notgeri ipsum alloquens, inquit,* Simulque visus es ne dicam precari, potius exhortari, vt eam (*nimirum S. Remacli vitam*) non modò exampliari, verum aliquanto lepidius mandarem poliri: *mandauit ergo Notgerus Harigero, Harigerus obtemperauit, nec tantum hoc, sed verosimiliter etiam celebre Notgeri nomen operi suo præposuit, vnde nata huiusmodi exemplaria. Cæterum veritate postmodum detectâ, non amplius Notgero, sed Harigero liber adscriptus est.*

Occurrit & hoc, posse quibusdam videri librum Anselmi non esse integrum & genuinum illius fœtum, sed tantum epytomen & breuiarium, propter hæc præfationis ad illum verba. Deinceps quæ sequuntur ex alterius opusculi libello quem quidam S. Lamberti Canonicus Anselmi nomine composuit sunt annexa, *Verum Anselmi integrum & perfectum volumen esse, ex eo certum est, quod omnes qui Anselmum in scribendo gesta Pontificum Leodiensium sequuti sunt, puta Aegidius aureæ vallis, Ioannes Præsbyter, Ioannes Bruisthemius, & alij, inserunt suis scriptis eundem Anselmi textum quem hic proferimus, nisi quod aliquando, aliqua sua immisceant, quod sæpè facit Aegidius: vel subindè resecent, quod alij faciūt frequentius. Quin & Aegidius in præfatione sua ad Mauritium abbatem, expresse dicit Harigerum & Anselmum* vnum post alium vsque ad sua tempora, partes superiores *hoc est, primum & secundum librum quos iam edimus,* Fideliter, sed breuiter scripsisse & multa relatu digna, nescio quâ de causâ omisisse. *Non ergo magnū aliquem codicem scripsit Anselmus ex quo ista abbreuiata*

..unt, sed breuem & succinctum, qualem hic promulgamus. Adde auctorem huius libri in præfatione suâ testari se Breuiario quodam nomina singulorum Episcoporum cum paucis quorundam ipsorũ gestis perstrinxisse, nisi quod in vitâ Domini VVasonis paulò diutius immoratus sit, vt desiderio Dominæ Idæ satisfaceret. Vndè apparet hunc librum ab ipsomet Anselmo dici Breuiarium, quia scilicet breuis erat, deficiente materiâ & fortè Archiuis Ecclesiæ S. Lamberti Normannorum persequutione deperditis. Cum ergò ab ipsomet auctore Breuiarium vocetur, non est quod ab alio breuiatum existimemus. Quamorem verba in præfatione ad Anselmi librum superius allegata, nil aliud volunt, quam quod Anselmus (modestiæ gratiâ sub alterius nomine loquens) hæc gesta Pontificum desumpserit ex libro quem ipse de omnium Pontificum gestis vsque ad sua tempora scripserat, truncatis viginti septem primorum Episcoporum gestis & præfatione ad Idam, Harigerique libro, qui gesta viginti septem Episcoporum primorum iam ante scripta continebat, annexuerit.

Occurrit tertio in quibusdam M. S. Codicibus Harigeri & Anselmi aliquam reperiri styli diuersitatem: nam duo exemplaria Alnense & S. Martini Leodiensis fusiorẽ & ornatiorem quibusdam in locis dictionem habent, reliqua omnia exemplaria quæ videre licuit, iisdem in locis breuiorem & magis historiæ accommodatum sequuntur, seruatâ interim per omnia in omnibus exemplaribus earundem rerum gestarum conformitate: quod cum vnde proueniret certo videre non possemus & nobis aliquod exemplar sequendum esset, Aegidij Aureæ vallis sequi maluimus, tum quod Harigerum & Anselmum in scribendo proximè sequutus est, vndè & de genuino eius textu reliquis certius iudicare potuit, tum quod omnes qui deindè gesta Pontificum Leodiensium scripserunt, Ioannes Præsbyter, Bruisthemius & alij, exemplar Aegidij etiam sequuti videntur.

Sed nec in vero & genuino textu ipsius Aegidij conquirendo difficultas defuit, tum propter ipsius exemplariorum varietatem, tum propter infinitos ferè errores, quibus passim scatebant. Ab hac difficultate nos profectò ægrè admodum extricassemus, nisi in exemplar quod ipsius auctoris autographum esse existimamus, singulari Dei prouidentiâ nuper incidissemus. Cum enim in Monasterio S. Huberti in Arduennâ pro dirigendâ moderni abbatis electione essemus, & ad Priorem & Conuentum Monasterij Aureæ vallis (quod à diui Huberti monasterio octo tantum miliaribus distat) de vitâ & gestis Aegidij dum viueret eorum confratris sciscitantes, scripsissemus; nec quicquam horum apud eos reperiri ex pio & erudito patre Pontio Bonnay moderno loci eius priore accepissemus, ex senioribus verò Monasterij sancti Huberti inaudiremus religiosos aureæ vallis pretiosiora mobilia sua, vt Gallorum incendijs aut deprædationi eriperent solitos pridem ad suum monasterium deferre, statim incessit animus sancti Huberti bibliothecam diligenter perlustrandi, ac de codicibus manuscriptis, qui eo loco frequentes sunt inquirendi; quod dum facimus, incidimus in Codicem perantiquum pergameneum, coopertura pereleganti, literis initialibus auro exornatis, gesta Pontificum Tungrensium, Traiectensium, & Leodiensium continentem, in cuius initio & fine verba hæc ascripta erant. Liber sanctæ Mariæ aureæ vallis Cysterciensis ordinis, Treuirẽsis diœcesis; qui eum abstulerit anathema sit. Quæ omnia simul inspecta & considerata, mihi suspicionem iniecere illud ipsum exemplar autographum esse Aegidij, eoq; nomine tanto in precio ab ipsâ Aureâ valle

habitum

habitum. Suspicionem auxit, quod in illius lectione offendimus passim multas graues & doctas marginales annotationes, quas peruetustus illarum scriptor interiectis signis monet in textu reponendas; quin & deprahendimus in eodem exemplari vbi Aegidius post Anselmum prosequitur gesta Pontificum Leodiensium adiecta viginti septem capita, quæ in alijs nullis codicibus, quos saltem huc vsque videre licuit, reperiuntur; eaque suis locis ita ordine disposita, eâ characteris vetustate & manus vniformitate descripta, vt non ab alio, quam ab ipso Aegidio, vel eius amanuensi adscita fuisse facilè credas. Quocirca nec miraberis, amice lector, si collatâ ad exemplaria tua, hac nostrâ editione, plura in eâ quam in tuis, nonnulla etiam fortè immutata reperias, cum vel hinc facilè appareat Aegidium virum in historiâ Ecclesiæ Leodiensis compilandâ diligentissimum, codices suos quo ad vixit magis semper ac magis adornasse.

Postremò cum Aegidius multas ad Harigerum & Anselmum notas & additiones fecisset, ac promiscuè in contextu citra vllam distinctionem interseruisset, optaremus verò pro maiori fide & scriptorum dignitate suum cuique reddere: non parua fuit difficultas in additionibus huiusmodi à genuino textu distinguendis, sed & hanc quoque tandem adiutorio duorum codicum, vnius Alnensis Monasterij, alterius, Cruciferorum Leodiensium Harigeri & Anselmi scripta absque Aegidij additionibus continentium, fœliciter vt spero superauimus.

Omitto alias difficultates in conferendis omnibus huiusmodi exemplaribus, in quibus neque dyphtongi, neque accētus, neque commota, neque orationis distinctiones reperias; contra solecismos non paucos & confusionem contextus magnam promiscuè videas, quæ omnia quantum in nobis fuit, saluâ in omnibus textus de verbo ad verbum integritate, restituimus, subiecta (quanquam raro, ne te in minutioribus occuparemus) lectionum varietate, loca quoque sacrarum scripturarum, ac sanctorum Patrum, aliorumq; scriptorum in margine designauimus; insuper ad plurimorum capitum calcem annotationes subiecimus, quibus passim notos & probatos auctores eadem cum Harigero & Anselmo scribentes, ad maiorem eorum fidem designamus.

Laborem hunc boni consule lector, & alias, quæ occurrerint difficultates, tu ipse supera, nostros & auctorum defectus supple, nobis satis superque est, tibi pro modulo, quantum per occupationes licuit, viam ad meliora in difficilimis pulcherimisq; patriæ nostræ rebus, strauisse.

Interim ne ingrati simus, mecum gratias ages ijs, qui pro suo in patriam amore, nobis ad hanc editionem exemplaria subministrarunt, ac primum quidem Reuerendo in Christo Domino Nicolao de Fanson monasterij sancti Huberti in Arduennâ abbati, viro pietate, industriâ ac literaturâ conspicuo, ex cuius monasterio præstantissimum exemplar autographum Aegidij in membranis descriptum & ad multas difficultates, vti iam diximus superandas oportunissimum, mutuò accepimus.

Secundò gratiam habemus Reuerendo pariter in Christo Domino Henrico Velpen monasterij Alnensis abbati viro religione ac eruditione præstanti, à cuius quoq; monasterio pergameneum Codicem textum Harigeri & Anselmi absque Aegidij additionibus complectentem, non sine magno fructu, deprompsimus.

Tertiò prædicamus & habemus gratiam viro non minus pietate quam generis nobilitate perillustri Theodorico à Groesbeeck fœl. m. Episcopi Leodiensis Fratri, qui pro veteri suâ in me humanitate, Codicem quoque pargamenenm concessit, in quo nō solum Harigeri, Anselmi, & Aegidij, sed etiam eos proximè sequentis Ioannis Hoxemij

canonici

canonici & scholastici Leodiensis textus fideliter exaratus ad futurorum etiam tomorum editionem oportunus, continetur.

Quartò gratiam referimus integritate & candore peramabili viro Fratri Domino Gulhelmo Herkenroede Canonicorum regularium Tungrensium Priori meritissimo, qui nobis similiter M. S. exemplar Harigeri, Anselmi, Aegidij, ac iam dicti Hoxemij, necnon Radulphi de Riuo ecclesiæ Tugrēsis Decani eum subsequentis, ad futuros quoq; tomos perutile communicauit.

Quintò non minorem quoq; gratiam debemus & agimus pio ac erudito Fatri Domino Hermanno ab VVoestenraed Cruciferorum Conuentus Leodiensis Priori benè merito, qui M. S. pariter Codicem Harigeri & Anselmi absque Aegidij additionibus textui tamen eiusdem conformem, nobis magno cum laboris & molestiarum leuamine accommodauit.

Sextò gratiam pariter debemus & agimus Eruditissimo pientissimoq; & cordatissimo viro Fratri Chrisostomo Madogonio Conuentus Capucinorum Leodiensium Guardiano, qui & operi nostro M. S. exemplar verbotenus (omissâ tantum præfatione Anselmi ad Annonem Archiepiscopum) Codici aureæ vallis correspondens; contulit.

Septimò meritas agimus grates pietate ac doctrinâ historiarumq; nostrarum scientiâ commendabili viro, Domino Danieli Raymundi S. Materni in Ecclesiâ Cathedrali Leodiensi canonico, qui nobis fidele exemplar ex peruetusto membraneo Ecclesiæ Collegiatæ S. Martini Leodiensis Codice desumptum adiecit per omnia Codici Alnēsi simile, saluo quod (prout dictum est) Notgeri Episcopi nomen præfert.

Denique Reuerendo in Christo Domino Ogero Loncin Monasterij S. Laurentij abbati dignissimo, necnon Reuerendis pariter Dominis abbatibus S. Iacobi, Lobiensi, Gemblacensi, & Priori Stabulensi: magnifico insuper & honorabili viro Ioanni Curtio Domino tēporali de Oupie, Viuegnis, Hermal, &c. qui nō quidem Harigeri aut Anselmi, sed aliorum quorundā tum vetustorū, tum recentiū auctorū exemplaria ad historiam & notationes nostras oportuna (de quibus condignam suis temporibus & loco mentionem faciemus) nobis impertiti sunt: His inquam omnibus & singulis pro liberali promptoq; erga nos officio, speciales debemus & agimus gratias. Referet illis, quam non possumus Deus Opt: Max: mercedem, & Ecclesia patriaq; Leodiensis laudem immortalem.

Eccleſiaſtici cap. 44.

LAudemus viros glorioſos & parentes noſtros, in generatione ſuâ.

Ambroſius ſermone 77. in Natalem Tauricorum.

SPecialiter ij venerandi ſunt à nobis, quorum reliquias poſſidemus.

PERIOCHA VITÆ AVCTORIS FIDELITER post ipſius obitum contracta.

Ad Lectorem beneuolum.

IOANNES DE CHAPEAVILLE honoratis piiſque parentibus Guilhelmo de Chapeauille & Margareta de Meers ingenuis Ciuibus Leodienſibus natus eſt Leodij Non. Ianuarij, 1551. In paterno ſolo litteris humanioribus apprimè imbutus, parente illũ ad praxim forenſem, provt inſtituti ipſius erat, propellente, animum ad altiora ſtudia, ſtatumque Eccleſiaſticũ ſuapte ſponte adijciens, Philoſophiã cùm Coloniæ tum Louanij audiuit, eique ſtudium Theologicum ſeptennale ſumma ſedulitate vna cum Licentiæ Laurea, adiecit; ſacris interim magno pietatis ſenſu operatis. Indè ægrè (quod ei ſolitudine ſacrarumq; ſtudio literarum nihil eſſet antiquius) à parente, defuncta matre, pro ſenectutis ſolatio auulſus, Leodij in Synodalium Examinatorũ ordinem ab Ill.mo Prudent.moq; Cardinale Gerardo à Groiſbeeck recol. mem. Principe & Epiſcopo Leodieñ adſcitus 1578.

Anno inſequente ab eodem ad S. Michaëlis parochus, moxque ſimul ad D. Petri Canonicus iuſſus.

Subinde à Ser.mo Principe Erneſto fel. record. Bauariæ Duce Gerardi in Epiſcopatu ſucceſſore, hæreticæ prauitatis Inquiſitor conſtitutus 1582.

Et poſtmodũ à S.mo D. N. Sixto V. ad R.mi & Ill.mi Ioannis Franciſci Vercelleñ Epiſcopi id temporis Nuncij Apoſtolici, Erneſtique Principis, ac Illuſtriorum Eccleſiæ Leodieñ Canonicorum commendationem, Canonicatu Leodieñ auctus, primuſq; pœnitẽtiarius renunciatus 1587.

Ad hæc (vt erant ipſius incrementa virtutum) multis renitentem precibus, atque etiam lacrymis deprecantem Erneſtus Princeps ſuum in ſpiritualibus Vicariũ generalem 1598. & anno vertente Famennæ Archidiaconũ decernit. quo etiam tẽpore illum veteres ipſius ad diui Petri Collegæ Præpoſitum ſuum renunciant.

Paſtorem egit circiter decennium. factis primo ſtatim anno variis, iiſq; luculentis, ac pretioſis in Eccleſiam ſuam, vetuſtate, & incuriâ labaſcentẽ, inſtaurationibus; Cõcionibus feſtiuis pariter ac dominicis in eadẽ magno cum profectu habitis, Sacramentis etiam (funeſtiſſima tum graſſante peſte) populo non tantũ ſuo, ſed & alieno miſerè derelicto, prõpto alacriq; animo miniſtratis, defunctorũ funeribus, qui nihil haberent vnde vel ſepelirẽtur, vel ſuffragijs iuuarentur, ſingulari pietate curatis, ac ſæpenumerò propriis manibus clã noctu ad eos ſepulturæ mandandos admotis.

His, aliiſq; quã plurimis piis exercitiis licet incumberet: nihilominus ſacram Theologiã in celebrioribus vrbis monaſterijs, non ſine frequenti quoq; ſæculariũ auditorio, & inſigni illorum commodo eſt interpretatus.

Seminarium Clericorũ ab Erneſto Principe Leodij pro ſacræ paginæ ſtudioſis, ipſius potiſſimum conſilio plantatum, ipſe primus (quamuis canonicus ac Pœnitentiarius Leodieñ) ſuis ſacris eloquijs irrigauit; ſed & ceù proprium fœtum curauit; vt meritò de exurgente tum hoc Seminario, Auctoreq; noſtro ſic cecinerit Politus, Poëta Leodius:

Salue clara domus ſtudijs ſacrata Iuuentæ:
Salue iterùm veneràda domus, tuq; inclyta pubes,
Quã præſtãs Chapeauillus amat: tibi cãdidus ille,
Diuinas reſerabit opes: & ſenſa Tonantis
Strennuus incumbens plena ad ſubſellia pandet.

Vicarius

Vicarius constitutus (annuente ac plurimū ei tribuente sua Cel.ne) egregiā eiusdē Seminarij structuram pœnè nouā excitauit, Professores Theologiæ notæ præstātioris ibidem instituit, studiosorū numerū cumulatè auxit, non tamē nisi magno pietatis & eruditionis facto, instar cōcursus ad parochiales, delectu. ac (quod multis adeoq; Principi ipsi admirationē attulit) pulcherrimū aliud ab eodem dependens Seminariū Louanij pro iis studiosis, quos celebrioribus, aut difficilioribus diœcesis Prouinciis pręfici oporteret (adhibitis prius in deliberationē Leodij RR.PP. ac Dominis Ogero Lōchino S. Laurētij, & Leonardo Betten S. Trudonis Abbatibus, necnō Martino Diddenio Collegij S. Petri Decano: Louanij verò Ioāne Clario Theologiæ professore primicerio, Iusto Lipsio professore & Historiographo Regio, reiq; literarię perfecto columine, alijsq; quos sua Cel.do adhiberi voluit) ingenti Leodinæ diœcesis, & auitæ fidei emolumento suscitauit.

Promouendorum ad sacros ordines ipse ferè semper (assistentibus sibi, & ita deposcentibus alijs examinatoribus, viris alioqui doctissimis) pro innata humanitate facilitateque disquisitionem fecit.

Sed & examen futurorum Parochorum (quod per cōcursum vocāt) à promulgatione Concilij Tridentini iuxta illius formā, strenuè promouit, & obseruauit. noluit tamen vnquam solus, Episcopo quamuis absente, delectū de idoneis renunciatis facere: sed eodē ipso examinis instāti (sciscitatis Collegarū suffragijs) ita segessit, vt nō tam ipse, quam Examinatores magis idoneum renuntiasse censerentur.

Ser.mo Principi FERDINANDO à BAVARIO incōparabilis prudentiæ præsuli in Episcopatus administrationem per Ernesti Principis patrui sui obitum venienti, quo

Vicariatus onere leuaretur, ac tandem rude donaretur supplex factus, senium & alia causatus impedimenta, Responsum à sua Ser.^te retulit operã eius sibi & Ecclesiæ Leodieñ etiã necessariã. Quare ipsius reuerẽtia & auctoritate victus in officio perstitit, perseuerauitque dum innumeris propè laboribus ad Dei gloriam, & magnum Ecclesiæ ipsius incrementum cõfectis, & superatis, cepit ex quadam orificij stomachi exulceratione sic laborare, vt nec cibum, nec liquamen ferè admitteret. In quo etsi Medici corporis alioquin optimè constituti habitũ, & excelsi ipsius animi præsentiam, constantiamque conspicati, nullum illi vitæ periculum esse dictitarent; nihilominus ipse quasi mortis suæ præsagus non sibi desistendum putauit donec suis de rebus disposuisset, his aliquoties Apostoli verbis vsus *Cursum consummaui*. Tandem infirmitate ad duos circiter menses protracta, neque exteris, neque Domesticis onerosus, aut molestus fuit: non lecto aut veste præter morem vsus, sed tranquillis admodum integrisque ad mortem sensibus cæleste viaticũ è proprij Capellani Dñi, & M. Henrici Bechetij, extremam verò vnctionem è R.^mi Stephani Episcopi Dionisieñ Suffraganei Leodieñ manibus in sedili consueto residens, animoque erecto ceremonialia circa se cuncta disponens, & ad omnia suffragia respõdens magna deuotione suscepit, & tertia exinde die v. Id. Maij 1617, sole exoriẽte, iunctis sua ipsius sponte palmis, oculisque pluries in cælum eleuatis, & tandem modestissimè occlusis, suauissimis illis verbis IESVS MARIA bis terve prolatis, vultu sereno animam Domino reddidit.

Postquã scilicet amplissimæ Diœcesi Leodieñ in primariis, iisq; difficilioribus officiis spiritualibus Principibus Episcopis aliis tantisper impeditis, operã suã annis ferè 40. periculosissimis Ecclesiæ tẽporibus indefessus accõmodasset.

Et

Et qui viuens valensque munia inter publica solitudinis ac modestiæ, dictorumque Seminariorum fuerat amantissimus; ita mox ægritudine illum peruadente è domo sua claustrali in suam suburbanam, solitum quietis perfugium, deferri, in eaque mori, & apud humilem Ecclesiam S. Gertrudis, sacello tamen à se ad Deiparæ honorem piè ac perbellè apparato sepeliri voluit. eisdem Seminariis ad dictas domos, quæ tota illius propemodum Substantia fuit, (post obitus Gasp. & Ioan. à Rupe gemellorũ ex sorore nepotum, summæ, suo iudicio, spei Adolescentum, eorumque, si qui eis legitimè obtingerent, liberorũ) perpetuò vocatis.

Ceterum vt in ipsius vultu, totoque corpore eximia simul, ac modesta grauitas elucebat, licet alioqui ab ornatu & elegantiis esset alienissimus: Ita erat in rebus gerendis mirè serius, ac compositus, simulque expeditus, sibi parcus, in alios maximè studiosos impensè liberalis, castimoniæ amantissimus, à dignitatibus & beneficiis Ecclesiasticis, pecuniisque coaceruandis, quicquid obtrectatores dixerint, alienissimus.

Summa vir integerrimus, magis suo merito, quam fortunæ beneficio magnus, cui modica fuit in hominibus rebusvè temporalibus, sed mirabilis in omnibus cælestis præsidij fiducia: quæ nec eum fallebat, quippe de quo verè dici solitum sit, institutæ rei quem optasset exitum semper expediuisse.

Sed, vt est virtuti comes inuidia, multa & grauia à multis & magnis forti tamen & inuicto animo passus.

Porro, vt erat profundè doctus ac prudẽs: ita abs solerti eius ingenio multa eximia cùm breuitate, tùm perspicuitate ac doctrina vtiliter elaborata prodiere, nimirũ pro ratione officiorũ quæ gessit & tẽporis, quod, vt erat ei parcissimũ, ita fuit illius dispensator frugalissimus. ac quidẽ occasione

Sacramen-

Sacramentorum tempore peſtis ab eo miniſtratorum *Tractatus de Neceſſitate & modo miniſtrãdi Sacramenta tempore peſtis*, Occaſione profeſſionis Theologicæ, & examinis Ordinandorum, futurorumve paſtorum *Elucidatio Catechiſmi Romani*: & poſt illa eiuſdem *Catechiſmi Romani Summa* ſubiecta *ad Cathechiſtas hortatoria*: adhæc, occaſione officij Pœnitentiarij, *de Caſibus Epiſcopo reſeruatis*. Atq; hæc quidem ſcripta, & in ſcholis, & per famoſas vniuerſitates, & alibi paſſim recepta, probata, quin & nonnullis locis publicè lecta cõperiuntur. Tandẽ, ſenex quò magis matrẽ ſuam Leodieñ Eccleſiam illuſtraret, ac ſimul fidelem Orthodoxæ religionis his in locis antiquitatem omnibus teſtatam faceret, tribus ferè poſtremis ætatis ſuæ annis totidem Tomos *Geſta Pontificum Leodienſ.* à Beato Materno S. Petri Apoſtolorũ Principis Diſcipulo ad memoratũ vſq; FERDINANDVM antiſtitẽ modernũ complectentes, ac quaſi Eccleſiæ ſuæ annales, exemplo magni illius Baronij (cui plurimum in vita, morbo, ac morte ſimilis fuit) ſummo labore, ſummaque diligentia & ſynceritate compilauit, quæque ſuo ſæculo geſta fuerunt proprio ſtylo attexuit. denique alia edidit, & ſi ſuperuixiſſet, edere apparabat, magno Reip. bono ceſſura. Tu his fruere candide Lector, & Auctori benè appręcare.

De cætero, cum eo iam defuncto, eſſent adhuc in manibus impreſſoris pleraque omnia huius hiſtoriæ exemplaria viſum eſt ipſius effigiem, & periocham hãc illis pro maiori eorum complemento, & tua ſatisfactione adiicere; quæ proinde boni conſule.

Permiſſu Superiorum.

Typis CHRISTIANI OVWERX,
Typog. S. C. jurati.

EPISTOLA DEDI-
CATORIA.

Domino Annoni, venerabili Colonienſium Archipræſuli, præsbyterorum infimus Anſelmus, prædicare annum Domini acceptum, & ſuam Chriſti familiæ fideliter diſpenſare annonam.

GLoria omnipotenti Deo, qui noſtris ita nomen ſuum dignatus eſt glorificare temporibus, vt te qualem cognouimus, ſeruum ſuum ſanctæ Coloniæ ſponſum, Leodienſi Eccleſiæ præfecerit Archiepiſcopum: quarum altera, Leodienſis videlicet Eccleſia, matris ſuæ venerabilis Coloniæ oppido gaudet, tam fideliter te inuigilare prouectibus, & toto deſiderij affectu, in amplexus tuæ charitatis geſtiens, ſanctę tuę paternitatis exoptat adiuuari, pariter & confoueri adminiculis. Atque, vt hoc ſibi propenſiùs tua debeat beata benignitas, hæc ſuorum per me dirigit geſta Pontificum, vt qui per te ipſum ſtudioſè ſatis ad melioris vitæ arcem niteris, his profectò amplius ad virtutem accendaris.

Exemplis Sanctorum accendimur ad virtutem.

Horum quidem pars prior ab Harigero, Lobienſis cœnobij Abbate, abſque capitulis eſt conſcripta: cui nos capitula prænotantes, noſtram cum capitulis ſuis elucubratiunculam coaptare ſtuduimus. Et cùm illa ſuperior eorundem geſta Pontificum, à primo vſque ad viceſimum ſeptimũ, ſcilicet à ſancto Materno, vſque ad ſanctum Remaclum digeſſerit; nos quoque opus noſtrum, quod precatu Dominæ Idæ Abbatiſſæ cõſcripſeramus, decapitantes, ne eadem replicando faſtidium legenti faceremus, à beato Theodardo cœpimus, & ordinem Epiſcoporum, vſque ad Dominum VVazonem, quem quinquageſimũ ſecundum eſſe conſtat, proſequuti ſumus; nihil ponentes, niſi quod aut legimus, aut certa fidelium perſonarum relatione didicimus, aut certè ipſi præſẽtes vidimus & audiuimus. Enimuero matrẽ ſuã, ſanctam videlicet Coloniam, latere non decet, quot & quales habuerit Legia rectores; vt ſi quos eorum Deo placuiſſe cognouerit

Harigerus auctor eſt huius libri.

Anſelmus eſt auctor libri ſequentis.

Anſelmus fide dignus.

rit, vnde abundantiùs gaudeat, sedula mater inueniat. Matrum enim est, filiarum prouentus, suos existimare.

Cineres Ebregisi Episcopi Leodiensis ex Trumonia villa diœcesis Leodiensis translati sunt Coloniã per Brunonem Archiepiscopũ Colonien.

Quæ etiam præter candidatorum milia Martyrum, vnius ex patronis nostris, beati videlicet Ebregisi, nouerit se cineres seruare, quos in Trumonia, nostri Episcopij villa consepultos, vt hæc eadem testantur gesta, à Brunone Archiepiscopo, eodemque (vt aiunt) duce in monasterium sanctæ Ceciliæ, omnes eiusdem Trimoniæ indignæ perhibent esse translatos, vbi hodieque vacuum eius in maximo honore habetur sepulchrum.

Ebregisus alius est ab Euergislo.

At, quod vestrates eum Euergislum vocãt ex aliquo nominis huius Episcopo, cuius mausoleum forsitan ignoratur, ob nominis consonantiam, huic nostro Ebregiso hoc attributum esse arbitramur; licet nonnulli hunc eundem & Coloniensem & nostrum vno tempore fuisse contendant, eundemque cum B. Seuerino, Antecessore (vt aiunt) suo, vocum Angelicarum in transitu B. Martini psallentium auditorem asserant. Quod si ita esset, idem qui Coloniensibus quartus, nobis vicesimus quartus extitisset. Sed hoc impossibile esse, liquidò ex temporum ratione colligitur: in transitu enim B. Martini, secundus Archadij & Honorij annus erat, qui est à dominica incarnatione quadringentesimus primus, à quo ducenti quinquaginta duo, vsque da Dagobertum Regem computantur: circa cuius tempora, hic noster Ebregisus, Traiectensi Cathedræ præsedit. Restat igitur, vt dicant suum Euergislum, aut post transitum S. Martini, per eosdẽ ducentos quinquaginta duos annos, vsque ad Dagobertum vixisse, vt sic videatur credibile eundem vestrum & nostrum episcopum esse potuisse vno tempore, quod fidem excedit: aut nobiscum credant, eos omnimodò diuersos esse; tum quia à tempore diluuij nemo legatur ducentis annis vixisse, tum quia inter Beatum Seruatium, Episcopum nostrum, qui beato Seuerino contemporaneus fuit, & inter istum Ebregisum, tredecim episcopos legamus nobis præfuisse.

Modestia Anselmi.

In tuo igitur, Archipræsul domine, pendeat arbitrio, vtrum hæc quæ nostra sunt iubeas ignibus dari, necne; quanquam hãc materiam vtcunque dictatam, vti benè viuendi esse possit exemplum, saluam esse expediat.

ANNOTATIONES.

1. Epistola dedicatoria.] *Loco huius tituli, Codex aureæ vallis sic habet:* Incipit prologus ad sanctum Annonem Coloniensem Archiepiscopũ in gestis Pontificum Tungrensium, Traiectensium, & Leodiensium.

2. Domino Annoni Venerabili Coloniensium Archipræsuli.] *Hic fuit 34. Archiepiscopus, cuius vitam scripsit quidam canonicus illi coëuus, iussu Reginhardi Sigebergensis cœnobij abbatis libris tribus, quam habes apud Surium tomo sexto.*

3. Ad melioris vitæ arcem niteris.] *Inter innumera sanctitatis argumẽta, quæ in Annone relucebant, præclarum est illud quod Summus Pontifex illi defert his verbis:* Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, Annoni Archiepiscopo S. Coloniensis Ecclesiæ in Christo Iesu fratri charissimo. Quod à nobis, Deo dilecte frater, expetis, ex officio suscepto & auctoritate apostolica vniuersis debemus ecclesijs: at mihi tecum, in Deo dilecte frater, aliter agendum est; quippè apud virum religiosum, & reuera tàm operibus quàm nomine episcopum. *Vide quam de eo opinionem ipse summus Pontifex habuerit, vt non mireris ecclesiam Leodiensem illi gesta sanctißimorum episcoporum suorum dedicâsse. Vide illius vitæ auctorem li. 1. cap. 26 Mortuus est Coloniæ, sed in suo monasterio Sigebergensi sepultus: cuius mausoleo Reginhardus Sigebergensis abbas hoc epitaphium literis aureis insculpi curauit:*

Patribus egregijs ornata Colonia multis,
Ecclesiæ speculum misit ad hunc tumulum.
Emicuit mundo noua lux Annone secundo,
Qui per cuncta suo par erat officio.
Mensibus hoc denis, annis octoque vicenis,
Quarta Decembris eum lux tulit è medio.

4. Nos quoque opus nostrum, quod precatu Dominę Idæ Abbatissæ conscripseramus.] *Ida Abbatißa fuit monasterij S. Ceciliæ vrbis Coloniensis, Anselmi de sacro fonte spiritualis mater. Hæc rogauit Anselmum, vt scriberet illi gesta S. Ebregisi episcopi Leodiensis, cuius cineres in suo monasterio requiescebant, & VVazonis episcopi, de cuius viri sanctitate & doctrina, multa ab Anselmo, qui VVazoni familiaris erat, inaudiuerat. Huius precibus motus Anselmus non solum SS. Ebregisi & VVazonis, sed & reliquorum omnium episcoporum Leodiensium gesta vsque ad sua tempora descripsit, quorum priorem partem à S. Materno vsque ad sanctum Remaclum, quia vidit etiam ab Harigero paulo ante sua tempora satis diligenter descriptam, à suo libello detruncauit, & posteriorem partem à se compositam, à B. videlicet Theodardo vsque VVasonem, libello Harigeri coaptauit, & de vtraque vnum libellum effecit, quem hic Annoni Archiepiscopo Coloniensium dedicat.*

5. Quos Trumonia nostri episcopij villa.] *Est ergò Trumonia pagus Diœcesis Leodiensis: quod etiam disertis verbis asserunt Codices Alnensis & S. Mar-*

tini

tini lib. 2. c. 1. Requiescit (*inquiunt*) in eodem sacræ virginis monasterio, corpus B. Ebregisi, qui Tungrensi ecclesiæ præfuit vigesimus quartus, quod à Brunone Archiepiscopo, qui Dux fuisse fertur, à Trumonia, Leodiensis episcopij villa, vbi sepulchrum eius adhuc cernitur, illuc translatum esse affirmant. *Quod nota, tum vt benè intelligas quæstionem, quã hic mouet Anselmus, tum vt caueas ab errore Aegidij aureæ vallis infra cap. 35. vbi existimat Trumoniam esse pagum Diœcesis Coloniensis.*

6. A Brunone Archiepiscopo, eodem (vt aiunt) duce.] *Tritemius in lib. de viris Illustribus de hoc Brunone sic loquitur*: Rogerus scripsit vitam Brunonis Coloniensis Archiepiscopi, qui fuit Dux & frater Ottonis Imperatoris. *Habes gesta illius apud Surium tom. 5.*

7. At quod vestrates eum Euergislum vocant.] *De Ebregiso & Euergislo vide quæ fuse satis notauimus ad caput 36. Harigeri ab Aegidio additum, pagina 66.*

INDEX CAPITVM LIBRI ÆGIDII A LEODIO AVREÆ VALLIS RELIGIOSI.

Caput primum.

74. De

114 Dux

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI IOANNIS HOCSEMII CANONICI LEODIENSIS.

Caput primum.

INDEX CAPITVM LIBRI SECVNDI IOANNIS HOCSEMII CANONICI LEODIENSIS.

Caput primum.

22 De

INDEX

INDEX RERVM
IN SECVNDVM TOMVM GESTORVM PONTIFICVM LEODIENSIVM.

A

choro

INDEX RERVM IN PRIMVM TOMVM GESTORVM PONTIFICVM TVNGRENSIVM, TRAIECTENSIVM, ET LEOD.

a

D.

E.

Euphrates

F.

I.

L.

M.

Monaste-

O.

Q.

R.

S.

Taxan-

T.

V.

Valen-

Finis indicis rerum maximè memorabilium.

IN HISTORIAM PONTIFICVM LEODIENSIVM EX DIVERSIS AVTHORIBVS, PER ADMODVM R^dum. D. *Joan. Chapeauille Canon. & Vicarium generalem Leodiens. Famennæ Archidiaconũ collectã & illustratam, R. D. Nicolai Lampsonij Protonot. Apost. Eccl. Coll. S. Dionisij Leod. Decani & C.S. Consil.*

EPIGRAMMA.

MVlta Deus tribuit tibi, CHAPEAVILLE talenta,
Impendis patriæ quæ, Venerande, tuæ.
Hoc Virtus magnis testatur honoribus aucta,
Hoc extant alijs quæ tua scripta Libris.
Nec minus hic, tenebris Eburonum ab origine prima
Eruta Pontificum quo datur historia.
Iure igitur tanto iactat se Ciue patrono,
Iure amat vt patriæ Legia grata patrem.

IN EANDEM VENERABILIS DOMINI ÆGIDII AB ONEVZ S. THEOL. *Licentiati, & Concilij Christianitatis Vffeyensis Decani,*

VERSVS.

PRæsulis ERNESTI miserabile legia fatum
Viderat, & cladis conscia tabuerat.
Non tulit hoc, patriæ noua gloria FERDINANDVS:
Non tulit hoc, patriæ CHAPEAVILLVS honor.
Solantur, certantque, libro hic, virtutibus ille,
Centum ipsi pro vno reddere Pontifices.

IN EANDEM.

PAce tua verum sit fas, ERNESTE, fateri,
Quem nimis (heu!) magnum mors rapit ausa nefas.
Muneris in partem CHAPAVIL, curæque vocabas,
Præsulibus multis qui satis vnus erat.

Pluribus

Pluribus ille ſimul ſtudiumque operamque daturus,
Pluribus eſſe locis, ſi licuiſſet, erat.
Quod licuit, ſacros Eburonum ab origine Patres
Noluit ingenij parte carere ſui.
Euoluens cæcâ quos texit nube vetuſtas,
Ille vices Patrum geſſit, & ille tuas.

Io. San. *Societatis* IESV.

IN EANDEM SEBASTIANI HVSTINI S. Theologiæ licentiati, Eccleſiæ S. Mychaelis paſtoris & examinatoris Diœceſani,

Carmen, expoſtulationem Legiæ, & ordinatam eorundem Pontificum ſeriem, vſque ad VVazonem complectens.

NVlluſne tandem ſeries longas Patrum,
Quas obſtinato comprimit ſilentio
Latens vetuſtas, proferet? Nemo abdita,
Araneoſo quæ ſitu pridem latent,
Inclyta meorum geſta Præſulum eruet?
Miſſo pudore nunc age ô VICARIE,
Et orbe toto lucidam præfer facem.
Ceſſa dolore, LEGIA, emiſſo queri.
Vides vt alto ſplendidum cœlo caput
1·MATERNVS attollit, prior TVNGRENSIBVS 1
Qui Chriſtiani dogmatis normam dedit?
2· NAVITVS ecce Pontifex prodit: dein 2
3·MARCELLVS: hinc 4·METROPOLVS: tum proximè 3.4.
Adeſt 5·SEVERINVS: ſequens 6·FLORENTIVM 5.6.
7·MARTINVS agmen ſeptimum Hasbanus trahit: 7.
Tum 8·MAXIMINVS, cum 9·VALENTINO (heu dolor) 8.9.
Obliuioſa quos ferus caligine
Abdiderat Hunnus, & lues Normannica. 10
Reſpirat orbis: præſidet 10·SERVATIVS,
Et Arriano dogmati bellum mouens,
Profligat Euphratem Vbiorum Antiſtitem:
Inde imminentis præſcius cladis, ſolum
Tungrenſe mutat vrbe Traiecto, domos
Grandæuus annis cœlitûm tandem ſubit,
Vaſtator Hunnus, efferâ rurſus manu,
Velut furenti turbine irruens, nouâ

Cunctum per orbem clade grassatur: ruit
Octauiana funditus sedes, iacet
Æqualis astris quæ fuerat, & Præsule
Deserta luget, centies, bis septies
Donec voluto sole splenduit dies,
Qua destitutæ patriæ nouus parens,
11. His [11] AGRICOLAVS attulit modum malis.
12. En [12] VRSICINVS redditus luci nouæ,
Prodit triumphans: properat & læto gradu
13. 14. [13] SIGNATVS, ac [14] RENATVS, ac infulâ grauis
15. 16. 17. [15] SVPPLICIVS, ac [16] QVIRILLVS, ac [17] EVCHERIVS:
18. 19. Sublimis altum [18] FALCO petit: [19] EVCHARIVS
Hunc ponè sequitur, & parens Hoyensium.
20. [20] DOMITIANVS, & sacræ Seruatio
21. [21] MONVLPHVS ædis conditor: cui comes
22. [22] GONDVLPHVS, vrbem qui nouans Octauiam
Forti impeditur vindicis dei manu.
Ecce Dionanto redditur parens suo
23. 24. [23] PERPETVVS: [24] EBREGISVS in Trumonia
25. Villa resurgit: [25] AGNVS è Tyhonio
Episcopale culmen inuitus petit.
26. Post hunc [26] AMANDVS, Galliarum Apostolus,
Bauonis institutor, & Gandensium
Doctor, quieti dum studet suæ, libens
Cedit Remalo culmen, & curam gregis.
27. Subit [27] REMACLVS, sæculi at fastidio,
Stabula ferarum petit, & excolit nemus;
In Arduennæ partibus structâ domo.
28. Sede [28] THEODARDVS subleuatur: at bona
Adempta repetens, impiâ furum manu
Discerpitur, soloque confixus iacet.
Scelus! sed inter cæteros clarum iubar
29. [29] LAMBERTVS orbi fundit inuictus pugil,
Adulterantis Alpaïdis horret scelus,
Fœdos amores increpat, Dei graues
Minatur iras, nec prius silet, neci
Quàm destinatæ traditum innocens caput.
Misso dolore desine heu tandem queri

LEGIA

LEGIA Parentis caſtitate Florida,
LEGIA cruore purpurata Præſulis.
Sed ecquis alto promicans ſplendor nouus
Perſtringit oculos? en virum ſpectabilem
Circum fluentis alueum Moſæ locum
Vrbi parantem, mœnibuſque commoda
Dimetientem ſpatia, leges incolis,
Et iura dantem: video, nec me decipit
Fallax imago; nobilis ſtirpe & fide
[30]HVBERTVS ipſe eſt Præſul & parens tuus, 30.
Beata tanto conditore LEGIA.
Ergò dolori ſit modus tandem tuo,
Et Fronte læta conſequentes accipe.
En [31]FLORIBERTVS filius, non impari 31.
Virtute, patrem ſequitur: & [32]FVLCARIO 32.
Succedit [33]AGILFRIDVS: huicque nobiles 33.
[34]GERBALDVS, ac [35]VVALCANDVS: & paucis gregem 34. 35.
[36]PIRARDVS annis dirigens: [37]HIRCARIVS, 36. 37.
Et [38]Frãco, modulãs [39]STEPHANVS, ac [40]RICHARIVS 38. 39. 40.
Et [41]HVGO, [42]FARABERTVS: at [43]RATHERII 41. 42. 43.
Ter exulantis excipit ſedem prior
[44]BALDRICVS: hinc [45]ERACLIVS; quem dum vorax 44. 45.
Miro dolore lancinat lupus, tua,
Martine, vota reddiderunt ſoſpitem.
[46]NOTGERVS, vrbis lumen ac Eccleſiæ, 46.
Vrbem ampliatam mœnibus cingit nouis,
Ædeſque ſacras plurimis ſtruit locis.
[47]BALDRICVS alter proximè ſedet: dein 47.
[48]VVOLBODO, pauperum parens, miraculis 48.
Coruſcat: hinc [49]DVRANDVS è tugurio 49.
(Sed litterarum nobilis ſcientiâ)
Subuectus annis præſidet tribus: Deo
Inde [50]REGINARDVS pœnitens larga manu 50.
Laurentianam condit, & dotat domum:
Cathedram [51]NITHARDVS excipit eius nepos: 51.
Demum celebris orbe toto præſidet,
Solerte cura [52]VVAZO, commiſſo gregi, 52.
Et pace clarus, & potens armis, fide

Illustris, animo fortis, & æqui tenax,
Ocellus orbis, lucidum Theologicæ
Lumen palestræ prouidâ prudentiâ
Ioseph vt alter, tempore afflicto leuat
Vrbes egenas, Martioque pectore
Signa crucis infert hostium turmis, fugat,
Fundit phalanges, omnium firmat bona
Ecclesiarum, clarus & solo, & polo
Æternitati posteræ nomen sacrat.
Prognata tantis Patribus nunc porrige
Frontem, tenebris erigens mersum caput
LEGIA, per ora currens & doctas manus.
Adhibe querelis terminum tandem tuis.
At tu hos Parentes erutos caligine
Emitte, CHAPEAVILLE, cæterosque ex ordine
Delineatos subijce exculta manu.
Quam gratus alto dum vehit cœlo diem
Titan corusco lumine vmbrosæ fugans
Noctis tenebras, tam suauis omnibus
Erit libellus iste, CHAPPAVILL', tuus.

IN EANDEM.

Danielis Raymundi, ad S. Maternum, in æde Catedrali Can.

VERSICVLVS.

QVis, vir magne, nouus pietatis te ardor adurit
Vt tantæ exantles edere molis opus?
E tenebris profers, Scholioque ornas Eburonum
Annales; quos laus prisca, Fidesque probant.
Sic cunctis, Patrum patriæ quos fidus amoris
Feruor alit, fis tu dignus & ipse parens.
Dumque alijs partos cumulare laboris honores
Desudas; temet palma, decusque manent.
Perge igitur; nec te quæ instant grauiora fatigent
Maiorum ex gestis recta sequenda mone.
Longa Pontificum serie, quos LEGIA Tungris
Translatos, CHRISTO RELLIGIOSA, colit:
Quos neque doctrina Fidei variasse, recenses:
Extirpa hæreticos; dia trophæa rape.

CHARITAS OMNIA.

Gasparis à Rupe I. V. doctoris S. C. C.

ELEGIA.

EFfodiat qui vult æris ferrique metalla
 Vbere quæ tellus fert LEODINA sinu.
Aduehat externas longinqua per æquora merces
 Alter, & expositas littore iactet opes.
Componat nummos alius, cistisque repostis
 Incubet, argenti cæcus amore sui.
Non hæc te CHAPAVILL' nostras sat note per oras
 Cura tenet Genius non amat illa tuus.
Quos malus æternis liuor damnauerat vmbris
 Historiæ auctores, LEGIA SANCTA, tuæ.
Synceros, veteres, geminæ qui gesta Tiaræ,
 Et propriæ gentis fortia facta ferunt.
Eruis, atque croco, & fulgenti murice vestis
 Luceque iam luci das præeunte tua.
Sunt illa obscuro quæ puluere proruis æra.
 Quas Patriæ MERCES, inuehis ipse tuæ.
Quas diues componis opes, imoque recludis
 Pectoris: hæc animi sunt pia sensa tui.
Iam plus sexcentis ABBAS HARIGERVS ab annis
 Descripsit nostros (LEGIA) pontifices.
Discipulo à Petri MATERNO semina primus
 Qui fidei TVNGRIS iecerat orsus opus.
Bis denos supra septem res promouet vsque,
 Concludens gestis, DIVE REMACLE tuis.
Indè THEODARDVM in VVASONIS tempora MAGNI
 ANSELMVS SVMMÆ PRESBITER ÆDIS agit.
Hi pariter deni bis, supra quinque notantur
 Quos genuit virtus ardua Pontifices.
Tot pia fata senum, tantorum scripta virorum
 Tandem (quæ fuerant obliterata) patent.
I lege quisquis amans EBVRO pietatis auitæ
 Inuenies claros, quos imitêre patres.
Inuenies omni celebres virtute penates,
 Hæc tibi sacra domi, quæ venereris erunt.

Tu

Tu verò CHAPAVIL Patriam, nomenque, decuſque,
Ad reliquos pariter porrige Pontifices.
Sit labor alternus, tua munia publica Phœbus
(Quod facit) & chartas Heſperus excipiat.
Dum firmas aliena, ſimul ſtabilis tua: quanquam
Gloria ſcribendo iam tibi CERTA diu eſt.
Dij patrij caput hoc multùm ſeruate, vt ab illo
Laus vobis, patriæ commoda plura fluant.

EIVSDEM ANAGRAMMA
IOANNES CHAPEAVILLVS
ANNALES VOLVAS HIC PIE.

SÆpe querebatur Diuûm pia LEGIA Regi
Quod ſua tam paſſim vana forent chronica.
Rex motus, placidè Chapauillum monſtrat, & inquit:
ANNALES VOLVAS HIC PIE, amica, tuos.

SERIES ET NOMINA PONTIFICVM LEODIENSIVM, QVORVM GESTA hoc tomo deſcribuntur.

SIGIBERTVS DE ILLVSTRIBVS ECCLESIÆ SCRIPTORIBVS.

cap. 138.

HArigerus abbas Lobiẽſis literali ſcientiâ clarus, ſcripſit *Geſta Pontificum Leodienſium.* Scripſit metrico ſtylo laudabiliter vitam S. Vrſmari. Scripſit ad Hugonem epiſtolam de quibuſdam quæſtionibus. Scripſit ſub ſuâ & Adelboldi Epiſcopi perſona dialogum, de diſſonantiâ eccleſiæ, de aduentu Domini. Congeſſit etiam contra Ratbertum multa catholicorum patrum ſcripta de corpore & ſanguine Domini.

TRITHEMIVS ABBAS SPANHEMENSIS DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

HArigerus abbas Lobienſis cœnobij, ordinis. S. Benedicti, in diuinis ſcripturis erudititiſſimus, & in ſecularibus literis nobiliter doctus, carmine excellens & proſâ, cuius Berno abbas Augienſis meminit, in libro quodam ad Aribonem Moguntinum Archiepiſcopum, ſcripſit dialogum inſignem ſub perſonâ ſui & Adelboldi clerici & monachi tunc Romæ exiſtentis, poſtea Epiſcopi Traiectenſis prænotatum de diſſonantiâ eccleſiæ; ad Hugonem de quæſtionibus: Vitam S. Vrſmari metricè. *Geſta Epiſcoporum Leodienſium*: de diuinis officijs: de corpore & ſanguine Domini & alia plura. Claruit ſub Ottone Imperatore tertio, anno Domini 990.

APPROBATIO.

HAec geſta pontificum Leodienſium omnibus veræ fidei & pietatis cultoribus magno vſui futura eſſe iudico.

Datum Leodij quinta Maij 1612.

Carolus Oleanus eccleſiæ Leodienſis Canonicus Theologalis.

IN HISTORIÆ LEODIENSIS TOMVM SECVNDVM

REV. D. IOANNIS CHAPEAV-VILLE
Canonici, Vicarij, & Archidiaconi Leodiensis
operâ & studio prodeuntem,
Aegidij d'Oneux S. Theol. licentiati, & Decani
Christianitatis Concilij Vffeyensis,
Ad lectorem versus.

SI non molestum, LECTOR, exiguum precor,
Benignus aurem commoda.
Sicut animati corporis status, suas
Habet vicissitudines,
Varijsque vita transigitur ætatibus,
Sic regna, sic Res-publicæ
Nascuntur, augentur, cadunt; & sic suas
Similiter ætates habent.
LEODIENSIS primus HISTORIÆ Tomus
Recens in auras prodijt:
En modò secundus, quem tibi studio pari
Doctus parauit CHAPAVIL.
LEODIENSIS, quam stupes, ECCLESIÆ
Nascentis INCVNABVLA,
PVERITIAMQ; quin & ADOLESCENTIAM
Pars prima fusè texuit.
Fixerit vt altas nempe radices solo
Plantata MATERNI manu:
Vt cæterorum lacte sacro Præsulum
Nutrita, robur sumpserit:
Vt pullularit innocentis Martyris
Sacro rigata sanguine:
Vt pullulantem legibus sacer suis
HVBERTVS informauerit:
Vt inde celsis fulgidum intulerit polis,
Sedente NOTGERO, caput.
Parte at secundâ, quam modò manibus teris,
Eius IVVENTVS texitur,
Flos nempe vitæ: Quot ibi ALEXANDROS leges,
Quot ALBERONES, stemmatis

Quot clari ADOLPHOS, quotq; PETRAPONTIOS
Tot ASSAMONÆOS leges,
Qui pro salute, patriâ, atque Ecclesiæ
Manu tenendis Iuribus
Deprælantes, impiam Tyrannidem
Gressu feroce proterunt.
Anno 1130. Testis sub ipsis mœnibus Durachij
Prostrata Brabanti manus,
Anno 1140. Testis triumpho vendicatus nobili
Amissus ante BVLLIO:
Anno 1213. Testis ruina LEGIÆ, reciprocis
Tot vindicata cladibus.
Si sanctitatem quæris, illius quoque
Exemplar hic rarum tibi.
Testis stupenda in cælites fiducia
Non vllo inanis tempore:
Circa annũ 1240. Testis DOMINI CORPORIS festiuitas
Hîc instituta primitus,
Nullâque Sede (liuor hinc) vetustior,
Ne Sede ROMANA quidem,
His occupare docte LECTOR, dum tibi
Docti lucerna CHAPAVIL
Clarare pergens, cæteram partem interim
Docti voluminis coquit.
VIRILIS illic SEDIS istius vigor,
Magnique plena consilî
Legetur ÆTAS, atque prouidentia
Magnis probata casibus.
Legetur illic, Belgicis tumultibus
Vt Martis iras riserit:
Vt pulsa penè Belgio, hic sedem exilî
FIDES AVITA legerit.
Sed parce, nulla quod SENECTVTEM tibi
Pars huius historiæ dabit.
SEDES tam amico constituta sydere
Nullam Senectutem sciet.
Ita apprecare LECTOR, atque æterna stet
Amica cœlo LEGIA.

IN SECVNDVM TOMVM DE GESTIS EPISCOPORVM LEODIENSIVM OPERA R. D. Ioannis Chapeauille Vicarij Leod. in lucem editum, & illustratum, D. Sebastiani Hustini S. Theol. Licent. Past. S. Michaëlis Leodij.

Carmen Episcoporum seriem à VVazone Episcopo Leod. 52. vsq; ad Engelbertum à Marcka Episcopum 76. & totius historiæ argumentum complectens.

DEsideratum pluribus votis librum
Tuaque cultum, docte CHAPEAVIL manu
Quisquis legendo voluerit fructus feret
Non pœnitendos: Principibus aptam viris
Directionis optimæ normam dabit,
Variæque plebi seruiendi regulam.
Primo labore protulit se Ecclesiæ
Origo, & incrementa LEGIACÆ: hic, bona
Quo Marte tandem parta seruentur, docet.
Hinc bella tractat horrida, & ciuilia,
Exteraque, scelerum vindices plagas refert,
Vagosque fluctuantis æstus edocet
Populique motus: denique hæc vide, & sape,
LEGIA, saluti si voles cautum tuæ.
Tuam in salutem pangit hæc Vicarius,
Gratare tantis, quos subit, laboribus.
Ecce 53. THEODVINVS in Parentem Virginem *Episcopus*
Propensus affectu pio templum erigit *Leod. 53.*
Hoyense: diuis è Galetia redit
Robertus auctus pignoribus, ac obuiam
Effusa læto ciuitas prodit gradu.
Antistes ANNO diuidere, quos iunxerat
Cætus Remaclus, nititur, nec proficit.
Pace THEODVINVS prosperâ fruens obit.
A turbulentis diffidens tumultibus
Clerus quiescit Regis ad nutum, gregi
Præficitur 54. HENRICVS: dein superbia 54.

VVOLBODO tua concidit, & ignibus datum
Trudonis ardet oppidúm : vindex benè
Princeps iniquas lège comprimit neces.
55. [55] OBERTVS emptum possidet Bullonium,
Et Clarimontem, cum Couinio tenet :
Restaurat arces, ampliat fines suos,
Et templa Diuis erigit, ditat, dicat.
Benè prosperantem patriam fœlix regit,
Sed obligatum vinculis Ecclesiæ
Benigniore Cæsarem sinu fouet.
Dissecta partes LEGIA in varias iacet
Afflicta bellis : hinc ALEXANDER malè
Cæsaris iniquâ venditam Sedem manu
Conscendit, ac Huensis arcis occupat
56. Munitionem : [56] FREDERICVS æquior
Illinc CALIXTI Pontificis vnctus manu
Iure æquitatis competens Solium subit,
Et prosperante fortior Dei manu
Hostis furentem conterit superbiam;
Tamen remittit victor admissum scelus,
Iungitque dextras : æstuans intus furor
Sed impotentes impulit ferum in nefas,
Venena diris artibus parant, tegunt,
Nil suspicanti deferunt, funus vagum
Currit per artus, Præsul innocens cadit,
Sed æuiterno Martyrem potens Deus
Decore signis perfrui miris docet.
57. Cessant tumultus, [57] ALBERO pacem refert,
Iuges Tonanti tendit in cœlum manus
Largamque fundit pauperibus opem, locis
Varijs vocatos aggregat Præsul viros,
Quos institutis dirigunt sacri suis
NORBERTVS, AVGVSTINVS : his ædes struit,
Et templa CLEMENTI, ALDEGVNDI Virgini.
Extincta bella suscitat suo malo
Brabantus hostis, concidit, Durrachij
Cruore campi purpurantur hostium,

Lam-

LAMBERTVS acies dissipat Martyr, fugat.
Sed dura nimium sors [58] ALEXANDRO abstulit 58.
Et Bullionem, & insulam, & mortem tulit.
Vt his labantem patriam eripiat malis
Quascumque tentat [59] ALBERO iuris vias, 59.
Sed iura cessant: militem tandem legit,
Hostemque raptis finibus graui parat
Arcere bello, Bullionemque impetit,
Arx æqua cœlo quatitur insultu graui,
Pars vna flammas missiles fert, altera
Implere fossas tentat, & rescindere
Vallum: sed hostis aggere ex alto vigil
Haud segniore tela contorquet manu,
Et saxa voluit pondere infesto nimis.
Labore vano conterit Præsul dies,
Opesque, donec omnium tandem prece
Multâ expetitam patriæ ferens opem
LAMBERTVS hostes cladibus pressos malis
Possessione depulit fugæ datos.
LEGIA fauoris præstiti sed immemor
In omne crimen fusa reddidit malum.
Hinc flamma vindex irruit, cœlum tonat,
Totam per vrbem maximum furit malum.
Solerte cura subditum pascit gregem
[60] HENRICVS alter, pacis & concordiæ 60.
Dissentientes fœderat nexu nouo,
Hostesque cæsos Martyris ope præditus
(Andenna testis) finibus fugat suis.
CONRADVS illum Cæsar in sinu fouet,
Rebusque magnis sociat & iungit sibi:
Hinc vota primas omnium ad sedes vocãt,
Sed Præsul altum nil sapiens timet, fugit.
Donat abeuntem Cæsar ossibus sacris
Trium Magorum, mortuo alter eripit.
Hinc Frederici schisma [61] ALEXANDER sequens, 61.
Romamque tendens peste correptus cadit
[62] RADVLPHVS inde Legiæ nostræ grauem 62.

Infert

Infert ruinam, lucra dum quærit, sacra
Periculosis abdicat contractibus.
Irreptat vrbi latius serpens malum,
Et quisque licitum quod caput præstat, putat.
Vindex ab alto sed Deus flammis dedit
Aedem sacratam, Præsulis sedem, & domos
Scelerum officinas perdidit solo tenus.
Præsulque tandem pœnitens Solymam petit,
Verùm regressus toxico infectus perit.
Succedit illi Præsul à Louanio,
Finibus iniqué Cæsar expulsum fugat,
Vndique patentes exuli claudens vias.
Ignotus errat, exul attonito gradu
Euadit astus Cæsaris, Romam tenet:
Iustè creatum Præsulem pronuntiat
Stans sede celsa Pontifex, & Diaconum
Ritè sacratum purpuratis Patribus
Adscribit: auctus inclytis honoribus
63. 63. ALBERTVS oras in suas tandem redit.
Sed innocentem Cæsar impius fugat,
Et exulantem persequitur, atrâ nece
Germanus hostis enecat, cœlo Deus
Animum receptat, indolens clerus solo
Remensis artus tumulat & condit suo.
Pro Sede SIMON certat, & CVICKIVS,
Sed fata litem dissipant, Simon obit,
Pignoraque sacra deferens Laurentij
64. Tandem expetitam 64. CVICKIVS sedem subit:
Sed hos honores moribus fœdat malis.
Tumultuoso ventus impetu quatit
Et templa, & ædes, nubium caligine
Obductus æther noxiam famem tulit.
Dant saxa flammas, ignibus calet suis
LEGIA, supremum CVICKIVS claudit diem.
65. Electus 65. HVGO Valle Lamberti Patres
Cistercienses donat, & templum struit.
Lossense Castrum Comitis ex dono tenet,

Tenet

Tenet & Mohanum maximi fontem mali.
Heu dira fata! Legiam validâ manu
Brabantus hostis impetit, capit, sacras
Prædatur ædes, impiaque audet manu
Temerare sacra (prô scelus!) perfundere
Aras cruore: dum vocat Præsul sua
In vota Diuos, aduenit summi Parens
Inclyta Tonantis, emicat cœlestibus
Lambertus armis, impetu magno ruit,
Inimica fundit agmina & Ducem fugat.
Legia quotannis recolit, & festum diem
Agit triumphi proferens grates Deo.
Iure sibi Præsul oppidum Trudonium
Mutatione comparatum vendicat.
Hinc[66] APIANVS omnium votis Sedens
Et castitate clarus, & largâ manu 66.
Pellente nullo profugit cum Nuntio,
Sacraque vetantur dæmonis mali strophâ,
Tollente cessit ille Gregorio rigor.
Bellum mouetur Vallerano Principi,
Et iam APIANO subijcere collum parat,
Sed APIANO mors prius vitam rapit.
67. GVILHELMVS annũ vix VALENTINVS sedet, 67.
Et imminenti morte prostratus cadit.
Sequens decorem diligit domus Dei
68. ROBERTVS, ædem Dominicanam dedicat: 68.
Rituque festo Corporis Christi diem
Statuit colendum, Præsulisque Martyris.
Calore tellus feruet, at Christi Parens
Desideratum reddidit rorem polo.
69. HENRICVS armis, vinculisque Ecclesiæ 69.
Tumultuantes comprimit: ciues sibi
Statuunt Magistros, arma coniunctâ manu
Sed sorte dura conferunt, acti malis
Pacem reposcunt, Præsulis subeunt iugum.
Incestuosus, insolens Præsul, gregi
Offensionis scandalum ponens bona

Ecclesiarum prolibus donat suis:
Reumque frustra Summus Antistes monet,
Sed aggregatis Patribus ius dicitur,
70. Et[70] ANGIANO Præsuli Sedes datur.
At impotenti percitus pecuniæ
Amore Gelder, impiâ furens manu,
Mediâ innocentem nocte Præsulem necat.
Luget per annum Præsulis necem sui
71. Orbata Patre LEGIA, at[71] GVIDO gregi
Legum peritus attulit solatium.
Tumultuantes nobiles Præsul vigil
Pace renouatâ colligat Clero viros.
Fugat Brabantos arce Cornelî, noua
Synodo statuta condit, & leges nouat.
72. Pugnant Huenses, [72] HVGO CABILONIVS
His subuenire dum studet, sibi nocet.
LEGIA rebellis Præsulem accusat suum,
Vt criminosum Pontifex summus iubet
Migrare Sede, ac progredi Bysuntium.
73. Dum bella durant, subuenit [73] VVALDEGIVS
Dissentientes fœdere innectens nouo.
Sed plebs tumenti concitata turbine
Rursum insolescit, impetit proceres suos,
Inque sua vota cogit assensum dare,
Antistes vrbe fœnore expulso suâ
Æui quieto fine concludit dies,
Et ANGIANVS mortuo Comes datur.
74. Roma [74] THEOBALDVM Legiæ mittit Patrem,
Roma THEOBALDVM LEGIÆ necat Patrem
Extera secutum bella deserto grege.
Viduam parente Legiam tumultibus
Scissam potenti nobiles quassant manu,
Sed arma vulgus arripit, fugat sacram
Hostes in ædem, subditâ templum face
Incendit, & fumo reclusos enecat,
Totaque cædes vrbe committit furor:
75. [75] ADOLPHVS instat, comprimit motus feros
Populi

opuli furentis, impiè admissum scelus
acilis remittit, arma sed rursum rapit
ebs inquieta, Præsulem sibi nouum
ligit, Huenses fœdere adiungit sibi.
t Marka vires colligit, bellum parat
ostesque forti Marte contundit: mouent
terata bella Leodici ciues, manet
terata palma Præsuli propriâ manu
Deprœlianti, nec tamen prius silent,
Quam trita bellis Legia sui Præsulis
Superba tristi colla submisit iugo.
Sed marte victor, morte victus vix iacet,
Vix residet 76. ENGELBERTVS vt Princeps nouus, 776.
Plebs turbulenta commouet rursus malum,
Vicinaque petens præsidia vires parat.
Certatur armis, Præsul infelix suo
Succumbit hosti; bella repetit, & cadit.
Sed insequenti tempore inconstans vices
Bellona variat: Præsul in rebellium
Acies feroci Marte prosiliens refert
Lætus triumphum: supplices illi manus
Inerme vulgus tendit, & pacem petit.
Hinc disce tandem, Legia, assueto modum
Ponere furori, discite, ô ciues, datam
Seruare tandem Principibus æquis fidem,
Firmisque iungi nexibus concordiæ:
Sapere parentum casibus natos decet.

IN TOMVM ALTERVM
DE VITIS EPISCOP. LEOD. EDITVM,
ET NOTIS ILLVSTRATVM AB AMplissimo Domino D. Ioanne Chapeauuille.
Can. & Vicario generali Leod.
Famennæ Archidiacono.
Epigram.

Pontificum cineres, venerandaque busta suorum,
Læta colit varijs Legia sparsa locis:
Sed non sola colit: colit altera, & altera, quamuis
A terris, Eburo, terra remota tuis:
Sacra sepulcrali gremio tot membra, tot ossa,
Scilicet vnius non potuêre capi.
ALBERTVS testis, roseo qui sanguine Rhemos,
Imbuit, & Gallam, qua tegeretur, humum.
Pontificum cineres vnâ tot mente receptos,
Legia quot numerat, Chapeauillus habet:
Iusta facit: Functis supremum reddit honorem.
Elogia hi reddunt, & monumenta, libri.

I. S. Soc. I.

GASPARIS A RVPE I. V. DOCTORIS S. C. C. ET SCABINI LEODIENSIS ALLVSORIVM AD CARmen, & anagramma præcedenti Tomo inscriptum.

IOANNES CHAPEAVILLVS.

ANNALES VOLVAS HIC PI.

ANnales etiam pie ab isto volue libello
 LEGIA, progressus hinc habitura tuos.
Hic tuus insigni fœtus pietate coruscat
 ÆGIDIVS, quatuor quem prope secla colunt.
AVREA quem VALLIS sacro nutriuit amore,
 Cuius prisca graues cura reduxit auos.
Non fuit huic veterum satis illustrasse duorum
 Et decies quinûm fortia facta patrum,
Sed successorum latè monumenta reuoluit.
 In sua lustra alios sexque decemque trahens.
Ast quam te memorem sacri de gente Senatus
 HOCSEM: cui tribuit laurea serta THEMIS,
Quem Cereris natâ celebris submisit HVGARDVS
 Qui medium ÆGIDII prosequerêris iter.
Ille THEODVINO in GELDRENSEM fila relaxat,
 Cui vouet vt iuueni vix nisi fausta senex.
At tu GELDRENSEM repetens ab origine, septem
 Adijcis, & visu ritè notata refers.
Non equidem paribus numeris, sed forsitan arte
 Ingenioque prior, sic tua scripta docent.
O igitur rursum fœlix, tua si bona noris,
 LEGIA, reppertos ecce ter octo patres.
Pontifices vere magnos belloque togaque,
 Seu sacra iura domi, seu foris arma darent.
EBVROvis etiam hic sanctos reperire penates?
 Inclyta martyrij bella rubentis habes.
Vis procerum meritâ sublimes laude triumphos?
 Hic quales nunquam LEGIA vidit, habes.

Vis non audita, & primum sollemnia sacra?
Prima salutiferi festa CRVORIS habes.
Denique vis patriæ mores, atque vtraque iura
Nosse, cupis laribus nosse cauere tuis?
Huc propera ad proauûm res gestas. crede, redibis
Doctior. à senibus docta Minerua venit.
Liuor edax frustra hęc facta immortalia rodis.
Non occulta sagax fama latere sinet.
Est pius in patriam CHAPAVILL, hic doctus in æuum
Protrahet æternum per sua scripta patres.
Quod faustũ CHAPAVILLE tibi sit, & omnibus æquis,
Queis tuus iste labor commoda tanta feret.
Non tamen hoc satis est, reliqui quoque iusta reposcunt
Quos exinde tulit LEGIA Pontifices.
D'AERK, BAVARVS, VALERODA, HINSBERCH, BORBONIVS, HORNEI
A MARCKA, AVSTRIACVS, BERGVS vterq; rogãt.
Perge, tuo placidi GROESBEECK, ERNESTVS & ipse
Astabunt genio, laus sua ne pereat.
Laus sua ne pereat; populis sed nota futuris
Per te eat, illorum in te benefacta iubent.
Interea gratas gaudens ad sydera palmas
LEGIA tolle, nouus nunc tibi cessit honos.
Seu pietas, seu cana fides, seu fama, decusue
Certassent calamo nobiliore loqui,
Non proprior geminæ potuit tua gesta tiaræ
Scribere, non fidei candidioris amans.
Sed neque quod superest deerit, faueas modo, & vltra
ANNALES VOLVAS HIC PIE amica tuos.

EIVSDEM CHRONOGRAPHICVM: ALLVSORIVM AD IDEM ANAGRAMMA AD LECTOREM.

TE pIVs In patrIaM ChapaVILLVs Vt eXCItet VLtra:
ANNaLES VoLVas hIC pIE aVere IVbet.

PROSOPOPÆIA LEGIÆ.

AD AVCTOREM.

LEgia Pontificum ſoleo que geſta meorum
Scripta manu à tineis vndique roſa, queri,
Gaudeo iam illa typis cernens excuſa, nec vllo
(Tam potis eſt hæc ars) poſſe perire die.
Hæc oculis offert primus liber atque ſecundus;
Tertius inceptum mox (ſcio) claudet opus.
Æternum decus hoc, per te, patriæque, mihique:
Acceſſit Chapauill. præmia quæ referam?
Hiſtoriæ vindex noſtræ celebrabere gentis.
Hoc ſpernis? referet præmia digna Deus.

EIVSDEM LEGIÆ AD ZOILVM.

GAudeo, tu vero triſti vultuq; animoq; retortus
Ringeris; & fruſtra te ſine mente necas.
Grata ego dona fero quæ poſſum, exoptoq; digna
Auctori; ingratus tu maledicta dabis?

G. P. L.

SERIES ET NOMINA
PONTIFICVM LEODIENSIVM, QVORVM GESTA hoc 2. Tomo describuntur.

VITA AVCTORIS
EX EIVS SCRIPTIS.

ÆGIDIVS fuit natione Leodiensis, vt ex eius Epistola ad Mauritium Canonicum noui Monasterij Hoyēsis constat. Religionem professus est in Monasterio S. Mariæ Aureæ vallis Cisterciensis ordinis Treuirensis Diœcesis, quod 8. miliaribus à Monasterio S. Huberti in Arduenna Diœcesis Leodiensis, distat.

Is sacris literis eruditus, & pro ratione æui sui non ineloquens, Historiæ Ecclesiæ Leodiensis conscribendæ & exornandæ insignem nauauit operam. Harigeri quoque & Anselmi scripta, quos primos historiæ Leodiensis auctores agnoscit, diligenter legit, & additionibus non inutilibus plerisque in locis auxit.

Quam ob causam omnem Diœcesim Leodiensem illiusque veteres bibliothecas M. S. codicibus instructas S. Mariæ, Sanctique Lamberti, Malmundariensem, Stabulensem, Lobiensem, Gemblacensem, S. Huberti in Arduenna, S. Laurentij prope Leodium, S. Iacobi Leodiensis & alias ipse præsens excussit, & ex eis quæ ad propositū suum faciebant, summa diligentia parique fide totidem verbis desumpsit, vt ex scriptis eius nostrisque annotationibus clarum est.

Fuit Huy cum Ioannes de Apia Episcopus Leodiensis anno Domini 1230. leuaret de terra Reliquias Ioānis Agni 25. Episcopi Leodiensis, sic enim ille de se loquitur: *Huius* (videlicet Ioannis Agni) *tumbam vidimus nostris temporibus, quando Ioannes prædictus* (scilicet de Apia) *eum leuauit de terra.*

Familiaris quoque fuit Mauritio Canonico Regulari noui Monasterij Hoyensis viro pio & erudito, vt pote cui hanc historiam dedicat, & eius censuræ submittit.

Cumque circa hæc tempora prodijsset in lucem historia orientalis Illustriss. Cardinalis Iacobi de Vitriaco in qua multa præclare gesta Petri Eremitæ dicti Monasterij fundatoris recensentur, causa fuit, vt dicti Monasterij Abbas Herman-

nus,

nus, & Conuentus corpus dicti Eremitæ à loco extra Ecclesiam, vbi olim sepultus fuerat, transferretur in criptam dictæ Ecclesiæ tempore D. Roberti Episcopi Leodiensis anno Domini 1242. 17. calend. Nouemb. lapide Marmoreo desuper locato, qui & nunc adhuc visitur.

Desijt scribere suam historiam anno Domini 1251. vt ipse testatur cap. 137. his verbis. *De quo* (scilicet Henrico) *quid scribere debemus, certum nundum habemus, præter id quod satis memoria dignum duximus, videlicet quod vsq; in finem anni Domini 1251. quando calamo silentium imposuimus, Episcopatum rexit Adolescens & inconsecratus, Ecclesiæ Romanæ filius & fautor extiterit fidelissimus.*

An quædam alia scripserit ad notitiam nostram non peruenit.

Floruit anno Domini 1230.

Approbatio.

Hic tomus secundus historiæ Leodiensis propter varietatem rerum tum sacrarum tum prophanarum quas tractat, magnam animi voluptatem & prudentiæ pietatisq; fructum lectoribus adferet.

Datum Kalend. Iulij 1613.

Carolus Oleanus Ecclesiæ Leodiensis Canonicus Theologalis.

A

GESTA PONTIFICVM LEODIENSIVM;

A DOMINO THEODVINO, VVASONIS successore, vsque ad D. Henricum, huius nominis tertium.

B

EPISTOLA DEDICATORIA.

VNiuersis sanctæ Leodiensis Ecclesiæ filijs, & præcipue Mauritio Ecclesiæ noui monasterij Hoyēsis canonico, frater Ægidius diuina miseratiōe, Aureæ vallis, ordinis Cisterciēsis monachorum infimus, licet indignus, salutem mentis & corporis.

Frequenti ac deuota nonnullorum de vobis postulatione deuincti, & non minus charitatis mutuæ dilectione incitati, deuotioni vestræ compendiose scribere dignum duximus, cuius nationis, cuius conuersationis, quantique meriti fuerint apud Deum, dum adhuc essent in terris, nostræ nationis Pontifices Leodienses, insuper & quot annis vixerint, aut quibus imperantibus Ecclesiæ Leodiensi præfuerint, vel quoto anno Dominicæ incarnationis obierint, & in quibus Ecclesijs sepulti fuerint; imitati studium venerabilium patrum Harigeri Lobiensis Abbatis, & Anselmi viri religiosi, qui successiue, vnus post alium, vsque ad sua tempora partes superiores fideliter, sed breuiter, descripserunt. *Occasio scribendi.* *Intentio authoris.* *Author natione Leodiensis.*

C D

Et quia multa relatu digna, nescio qua de causa, omiserunt, auxilio Dei adiuti, qui facit mutos loqui, iuxta illud euangelicum: *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri,* non temeritatis præsumptione, sed dono pietatis & gratiæ, imo ne mores & gesta tantorum Principum ob negligentiam scriptorum cum sonitu traderentur in obliuionem, ea quæ à supradictis patribus omissa erant, de eisdem Pontificibus per diuersa volumina colligētes, priori & secundo libello, loco competenti annotare curauimus. *Math. 10.* *Additiones Aegidij Aureæ vallis ad Harigerum & Anselmum.*

Et inde, ab anno verbi incarnati millesimo quadragesimo octauo, in quo post venerabilē patrem VVazonem, Theoduinus de regio sanguine natus, ecclesiæ Leodiensi præficitur, & in episcopum consecratur, nostram dignum duximus initium habere portiunculam, finem vero in Henricum tertium huius nominis Episcopum, quem prǫfecit Ecclesiæ Leodiensi Petrus dictus Caputius diaconus, Cardinalis S. Georgij ad velum aureum, legatus S. Romanæ Ecclesiæ, anno dñi millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, sexto Calendas Octobris. A

Prosequitur gesta pontificū Leodiensium à Theoduino vsque ad Henricum eius nominis tertium.

Tibi igitur dilectissime frater Mauriti, hanc tertiam partem voluminis gestorum Pontificum Leodiensium transmittimus, humiliter & deuotè deprecantes, quatenus lima correctionis tuæ emendes, si quæ in his quæ scripsimus, aliter quam se veritas habet, repereris. B

Petit corrigi si quæ scripserit aliter quā se res habet.

Præterea omnes ad quos hic tertius liber gestorū Pontificum peruenerit, suppliciter deprecamur & monemus, vt pro nostris infirmitatibus mentis et corporis, apud supernum Iudicem, sæpius interuenire meminerint.

ANNOTATIONES. C

Mauritio ecclesiæ noui monasterij hoyensis canonico.] *Fuit ergo hic Mauritius non Abbas, vt quidam existimarunt, sed canonicus vir eruditione & vita venerabilis, vtpote cuius censura Aegidius auctor noster sua scripta submittit. Vixit tempore Roberti Episcopi Leodiensis circa annum 1240. is procurauit corpus Petri Eremitæ noui monasterij fundatoris à loco extra ecclesiam vbi sepultus antea fuerat, transferri in criptam ecclesiæ, sicut hodie adhuc videre est: vt inferius c. 17. annotabimus ex marginali notatione Aegidij, cui vt apparet, fuit familiaris.*

A

De Theoduino Episcopo, qui Ecclesiam sanctæ Mariæ in Hoyo reædificauit.

CAPVT PRIMVM.

POst decessum beatæ memoriæ viri Dñi Wazonis, committitur ab Henrico Rege Theoduinus Leodiensi ecclesiæ ordinandus episcopus, de nobiliori regum familia trahens originem. Fuit siquidem de Bauaria oriundus, iuxta illud quod legitur de eo in quodam libello quem ipse pręsul Ecclesię Hoyensi legauit.

B Præsul Theoduinus genuit quem Norica tellus.

Hic, inter cætera bona quæ strenuè gessit in episcopatu, ecclesiæ beatæ Mariæ in Hoyo, in qua venerabilis Bozo Archidiaconus, & Abbas sanctæ Mariæ quindecim Canonicos posuerat, alios quindecim addidit, & eandem ecclesiam à fundamentis vsque ad laquearia consummauit octauo Kalendas Septembris, indictione quarta, pręsidente apostolicæ Sedi Alexandro, imperante Henrico. Idem Præsul (qui in matrem Domini vnicè pius fuit) præsente Lyetberto Cameracensi episcopo, eandem ecclesiam dedicauit in honorem beatæ Mariæ semper virginis, & beati Domitiani Confessoris atque Pontificis, ita tamen vt Theoduinus statum inferiorem, Dominus vero Lyetbertus statum superiorem missarum solemnijs consecraret.

Theoduinus Bauarus perficit Ecclesiam B. Mariæ Hoyensis.

Est vnice pius in matrẽ Domini.

C

Ijdemque pontifices cum vniuersa multitudine Cleri & populi, in eandem ecclesiam corpus beati Domitiani Confessoris atq; Pontificis piè & deuote transtulerũt. Nam antea illic parua ecclesiola à beato Materno primo Tungrensium Episcopo constructa erat in honorem sanctæ Mariæ, sicut ipse narrat in priuilegio suo, ita dicens,

Ego Theoduinus Dei gratia Leodiensis Episcopus, notum esse volo tam præsentibus quam futuris, qualiter post libertatem Hoyensis ecclesiæ, quam Dñs Maternus beatæ memoriæ episcopus consecrando primitiauit, adiecerim libertatem etiam villæ. Præfatam siquidẽ ecclesiam à fundamentis ad laquearia, à laquearibus & vltra reædificaui, quam etiam in auro, & argento, & gemmis, & prædijs, pro modulo meo ditaui, & de Agar Saram esse feci.

B. Maternus primus dat libertatem ecclesiæ B. Mariæ Hoyensi.

D

Prænominata verò villa pro libertate sua ad sumptus ecclesiæ necessarios, omnia mobilia sua primo mihi tertiauit, qua libertate, vt amplius frueretur, postmodum dimidiauit.

Theoduinus libertati ecclesiæ adijcit libertatem villæ.

Prima libertas hæc est, quod defuncto in pace episcopo, vsque ad plenariam alterius institutionem, Burgenses villæ bona fide & bono consilio castrum Hoyense de redditibus villę conseruabunt. Post hæc sequuntur plurimæ libertates, quas distinguere per capitula fastidium generaret.

Acta sunt hæc tertio die dedicationis Hoyensis Ecclesiæ, præsente Domino Lyetberto Cameracensi Episcopo, anno Domini 1066. indictione quarta, pontificatus nostri anno 18. regni verò Henrici II. A

Composuit etiam eo tempore Franco scholasticus Leodiensis sciẽtia literarum & morum probitate clarus, ad Hermãnum Archiepiscopum, librum de quadratura circuli, de qua re Aristoteles ait: Circuli quadratura si est scibile, scientia quidem nondum est, illud verò scibile est. Quem librum apud nos haberi non est dubium.

ANNOTATIONES.

1. [Theoduinus.] *Video quosdam vetustiores Codices legere Deodvvinus; Hic ab omnibus nostris scriptoribus Aegidio & alijs hoc elogio celebratur, quod in matrem Domini vnice pius fuit.* B

2. Et eandem Ecclesiam à fundamentis:] *adstipulantur gesta abbatum S. Laurentij, sic enim ibi habes*: Post Wasonem Theoduinus successit placidum Leodiensis Ecclesiæ sydus, qui basilicam Sanctæ Dei genitricis Mariæ vt magna deuotione sic magna operositate in Hoyo extruxit, in qua & sepultus quiescit ante altare quod ibi B. Maternus extruxit. *Idem asserit magnum Chronicon Belgicum.*

3. Quas distinguere per capitula fastidium generaret.] *Brusthemius priuilegium istud paulò explicatius refert: Post hæc ergo quæ prænotauimus sic ait.* Quia in eis fit mentio de seruis, de debitoribus, de illis qui debent facere sacramentum, vel qui non, & de diuersis huiusmodi generibus hominum, prædictis adiectum est, quod Hoyenses armatam militiam nullatenus sequãtur, nisi Leodienses à præfixo die belli vsque in octauam eos præcesserint. *Et paulo post.* Si verò nos vel aliquis successorum nostrorum, præscriptam libertatẽ, vel aliqua iura eorum, (quod absit) infringere tentauerit, concedimus & statuimus, vt dux Lotharingiæ, & alij tam clerici, quam laici subnotati ad conseruandam libertatem & iura eorum, admonitione tamen præmissa, eis efficaciter assistere nõ omittant. Die tertio dedicationis Hoyẽsis Ecclesiæ, hæc omnia supradicta à meipso corroborata sunt, & cõfirmata sub anathematis vinculo, & compare meo & cooperatore Lyetberto Cameracensi Episcopo, & ab omnibus Sacerdotibus inibi astantibus. Et ne in posterum prece vel pretio ista possent immutari, impressione sigilli nostri, prædicta voluimus communiri, sub assensu & testimonio tam clericorum quam laicorum: Clericos in capite posuimus Archidiaconus Hermannus, Præpositus Godeschalcus, Wolbertus Decanus, Aistulphus cantor, Franco scholasticus, Bono canonicus, Emo & VVolbodo. Laici verò, Dux Lotharingiæ, Godefridus Barbatus, Comes Namurcensis Albertus, Comes Lucẽburgensis Henricus, Comes Cono de mõte acuto, Walterus aduocatus eiusdem villæ, Godeschalcus de Cennano, Godefridus & Arnulphus de Florines, Godefridus de Floressia & eius frater Christianus. Acta sunt anno ab incarnatione Dñi millesimo sexagesimo

A gesimo sexto, indictione quinta, pôtificatus nostri anno 19. regni vero Henrici 3.

4. Præsente Dño Lyetberto Cameracensi Episcopo.] *Hic postmodum relatus est in SS. numerū. De eo sic habes in martyrologio Molani ad 23. Iunij.* Cameraci obijt anno millesimo septuagesimo sexto in monasterio S. Sepulchri Dominus Lyetbertus Episcopus Cameracensis. *Causam quæ eum aliquanto tempore retinuerit Leodij indicat Meyerus in annalibus Flandriæ his verbis.* Cameraci grauiter tumultuatum: permiserat Henricus Augustus eius ciuitatis regimen Lyetberto Episcopo recens electo, quā rem ægerrimo ferens animo Ioānes Atrebas, qui se eius ciuitatis, aduocatum dictitabat, excluso vrbe pontifice, principatum in ea arripuit.

B 5. Composuit etiam eo tempore Franco scholasticus Leodiensis.] *De hoc sic scribit Tritemius.* Franco scholasticus Leodiensis, natione teutonicus vir in diuinis scripturis magnifice doctus, & in sæcularium literarū disciplina eruditissimus, philosophus, astronomus, & cōputista insignis, & nō minus religione quam scientia venerabilis. Fertur in sacris scripturis nonnullos cōposuisse tractatus, qui ad notitiam meam adhuc non venerunt: scripsit ad Archiepiscopum Coloniensem Hermānum secundum, subtile opus & egregium De quadratura Circuli lib. 1. De computu ecclesiastico lib. 1. & alia plura: claruit sub Henrico Imperatore tertio anno Domini 1060.

6. Eodem quoq; tempore Synodus *Moguntiæ celebratur præsentibus Leone* C *Papa 9. & Henrico Imperatore, qui quæstionem proposuit coram S. Synodo de legenda S. Seruatij Leodiensis Episcopi de gestis eius, ac supputatione annorum, quæ omnia facta diligenti discußione, vt pie credenda synodali sunt robore confirmata. Ioannes præsbiter. Chron. gemb. Bruistem, & alij.*

7. Circa idem tempus inquit Sigebertus Græcis in hæreses plures declinantibus auctore Michaele patriarcha Constantinopolitano, Leo Papa per epistolam ad Imperatorem. Cōstantium scriptam animum eius sibi cōcilians, apocrisarios suos, Hubertum videlicet Cardinalem Episcopum Silicę candidę, Petrum Amalfitanorum Archiepiscopum, Fredericū quoq; Leodiensis Ecclesiæ canonicum, postea septimum leuitam & Cancellarium dirigit Cōstantinopolum ad hę-D reses illas confutandas, qui vt Symoniaci donū Dei vendebant; Vt Valesij, hospites suos castratos etiam ad episcopatum promouebant: Vt Arriani, rebaptisabāt latinos, baptisatos in nomine S. Trinitatis: Vt Donatistæ, in sola Græcia orthodoxam esse ecclesiam iactabant: Vt Nicolaitę, nuptias sacerdotibus concedebant: Vt Seueriani, maledictam dicebāt legem Moysi: Vt Pneumotomagi, processionem Spiritus sancti à Symbolo abscindebant: Vt Nazareni, iudaismum obseruabant, paruulos morientes ante octauum à natiuitate diem baptisari, mulieres in partu vel menstruo periclitātes cōmunicari, vel si paganæ essent baptizari prohibebant, Latinos azymitas vocabant, eosq; minis persequentes eorum Ecclesias claudebant, de fermētato

sacrificabant, Romanam ecclesiam Anathematisabant, eiq; ecclesiã Constantinopolitanam præponebant. Ab Imperatore ergo benignè habiti, Nicetam monachum ante eum vicerũt, adeo vt librum quem cõtra Romanos scripserat anathematisaret & incenderet. *Hactenus Sigebert. Quod forte diligentius annotauimus, vt lector intelligat nouatores nostros nil aliud agere quam antiquas, & à pontificibus damnatas hæreses resuscitare, quod & superiore tomo ostendimus, & sequentibus paßim videbit clarißime.* A

8. *Reperio in margine Codicis Aureæ vallis has tres annotationes.* Anno Domini 1048. Bellum apud Riuoniam vbi occiditur Albertus Namurcẽsis à Godefrido duce. Anno Domini 1061. Contentio inter Theoduinũ Episcopum Leodiẽsem & Albertum comitem. Nostra ecclesia S. Albani Namurcensis partem suæ libertatis amisit, partem, id est inuestituram retinuit. Anno Dñi 1063. Hoyum concrematur à Godefrido duce. B

9. *Anno 1060. inquit Sigebertus,* Egebertus clericus Leodiensis scripsit metrico stylo de ænigmatibus rusticanis librũ primo breuẽ, sed ampliato oratiõis tenore, scripsit de eadẽ re metricè, alterũ librũ maiusculum.

De insigni miraculo quod ad Feretra SS. Lamberti & Remacli Leodij tempore D. Theoduini accidit.

CAPVT II. C

ANno Domini 1071. septimo Idus Maij, sexto autem dissentionis Malmundariẽsis & Stabulensis cœnobiorũ, hora qua vergit sol ad meridiem, cœli religiosis Stabulensibus misericordiã distillauerunt desiderabilem. Morantibus siquidem illis Leodij in ecclesia S. Lamberti, factus est de cœlo sonus tanquã vehemẽtis spiritus, qui humanos replens auditus, templum pariter repleuit, quo multi conuenerant ex diuersis partibus. Facta igitur concussione nõ modica, vbi translata S. Remacli ossa quiescebãt sacratissima, visum palam moueri scrinium ac subleuari in aëra, quasi vno cubito, nec minor factus est sonitus subitus eodem momento in cripta, vbi pretiosi martyris Lamberti quiescit sacratissimum corpus.

Cæteris fugientibus Lyetbertus Episcopus Cameracensis diuinum quid intelligens manet.

In extasi videt SS. Remaclũ & Lambertũ colloquentes.

Illic ea hora intentus erat psalmodiæ cum suis Clericis Lyetbertus Cameracensis Episcopus, qui ex eo quod acciderat, aliquantulum pauore perterritus, fugientibus alijs, vt vir Deo plenus, & altioris ingenij, diuinum quoddam intelligens, restitit, nosse desiderans quis esset rei exitus quæ tam prodigaliter insonuit. Nam, vt ipse testatus est, densa nebula primitus locum illum obfuscatum reddidit: qua statim disparente, subsecuta lux sole clarior resplenduit. In medio illius splendoris, velut in excessu mentis effectus antistes, conspicatur duos apparuisse mira claritate fulgentes, Remaclum videlicet, ac Lambertum, sanctissimos æque Pontifices, quos audiuit arcano quodam D

A dam murmure, de his quæ super dissensione & discissione Stabulensium & Malmundariensium acciderant, inter se loquentes.

Annotationes.

1. Sexto autem dissensionis Malmundariensis & Stabulensis cœnobiorum.] *Quæ fuerit origo tam diuturnæ, & pertinacis dissensionis inter Malmundarienses & Stabulenses, & quo pacto S. Remaclus monasterium Malmundariense ab Henrico quarto Imperatore, & Annone Archiepiscopo vsurpatum, vi & multitudine miraculorum, cum magno triumpho restitui coegerit, vtcumque perspiciet lector ex vetusto diplomate Frederici Dei gratia sanctæ Coloniensis ecclesiæ Archiepiscopi, quod sic habet.*

B *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.*

Fredericus Dei gratia Sanctæ Coloniensis ecclesię Archiepiscopus fratribus in Stabulensi cœnobio commanentibus æternam in Dño salutē. Memores scripturæ dicentis, Beati pedes pacem portantes, sicut nos in ecclesijs nostris bonum pacis & concordiæ conseruare studemus, ita in eis & ab eis scādalorū & dissidij occasionē pręcindere curamus, & sicut nostra in suo statu permanere cupimus, sic aliorū iuste habita cōuellere formidamus. Ea propter materiā dissensionis & discissionis resecare volētes, subministrāte nobis fratre Wibaldo Stabulensis Ecclesiæ Magistro, atque portario supradictorum locorum fundationem, & Stabulensis Ecclesiæ priuilegia diligenter relegimus, in quibus inuentum est Beatum Remaclum vtriusque loci ædificatorem, post constructum à se Malmundarium, suæ & successorum suorum habitationis & sepulturæ principalem locum apud Stabulaus elegisse, & pro eo quod idem locus in Leodiensi parochia est, omnes per successionem vtriusque loci abbates ab Episcopo Leodiensi consecrari debere. Ad hoc etiam accedit, quod omnia priuilegia tâm banni, longæ, quam electionis Abbatū & quæ de iure aduocati agunt, quæ ab Imperatoribus & Regibus eisdem locis multa collata sunt, & eadem ab Apostolicis Gregorio 5. & Leone octauo apostolica auctoritate roborata, quibus ius suū vtraque ecclesia tuetur, apud Stabulaus recondita sunt, in quibus illa Stabulensis Ecclesię præeminet dignitas, vt pace Malmundariēsium, primam vocem in eligendo abbate Stabulenses obtineant, & de se ipsis idoneam personam, sine Malmundariensium calumnia, assumant. His ita se habentibus perspicuum est, quod Ecclesia Stabulensis principatum obtineat, Malmundarium verò, subiectionē ei & obedientiam debeat. Quod Malmundariēses eo vsque hactenus infirmare conati sunt, vt tempore diuæ memoriæ Ottonis secūdi, dissidio facto, Abbatem per se habere vellent, quod in Englehem, iudicio viginti Episcoporum, vt in priuilegio supradicti Imperatoris, quod super eadem re habetur, legi potest, cassatum est. Tempore quoque Domini Henrici Imperatoris huius nominis quarti, per Dñm Archiepiscopum Annonē rursus

rursus facto diuortio, Abbas quidam Malmundarij ordinatus est, sed per Beatum Remaclum in Curia Regis miraculis inestimabilibus corus̄cantem, conuictis omnibus qui aduersę partis aderant, receptum est Stabulensibus Malmundarium. Nos verò, vt iam dictum est, omnem materiam dissensionis & scandali, secundum tenorem veritatis & rationis, à præfatis locis auferre cupientes, constituimus, & præsenti priuilegio in perpetuum firmamus, vt vtrique loco vnus semper præficiatur Abbas, electus secūdum quod in priuilegijs supradictis habetur & vt Malmundarium eo subiectionis iure Stabulensi Ecclesiæ obediat, quo iure omnes cellæ, vel præpositura suis cœnobijs subesse videntur. Benedictionem monachicam, & professionū suarum chirographam, non vt præsenti anno fecerunt, sed potius in Stabulensi Ecclesia, excepta mortis necessitate, faciant & reddant; nec eis ad exemplum opitulari debet hoc aut potest, quod iam moto præfato dissidio Abbas Theodericus quosdam ex Malmundariensibus Malmundarij benedixit, & profiteri fecit, vt scilicet per hoc fideliores & subiectiores sibi faceret (Quod eum non effecisse finis rerum indicauit) Neque verò vllus successorū nostrorū Colonień. Archiepiscoporum Abbatem Stabulēsem de subiectione sibi facienda, & cura Malmundariensis loci suscipienda, vt nostris temporibus temptatum est, vnquam fatiget, sed in consecratione sua curam vtriusque Ecclesię suscipiat. Porrò quid de ordinibus, & consecrationibus Malmundariensis loci ad nostram parochiam attinet, si Abbati placuerit ordinatos fratres Malmundarium mittere, hoc ei, quod vbique inter huiusmodi loca apud monachos fit, non negamus, aut si sub titulo eiusdem loci voluerit nobis ordinandos præsentare, eis quoque manum imponemus. Atque vt omnem scandalorum prauitatem præcidamus, hoc quoque statuimus, vt si aliqua grauis caussa, vel culpa Malmundarij cōtigerit, nullo modo absque Stabulensium deliberatione & consensu terminari liceat vel emendari. Sitque Abbati libera potestas commutādorum, nutriendorum, recipiendorū, prout sibi videbitur, fratrum suorum, quæ oĩa vt stabili & incōuulsa firmitate permaneant, sub anathematis interpositione decernimus, & testes qui in donatione huius priuilegij affuerunt subter notari fecimus. Arnoldus Præpositus sancti Petri, Hugo decanus, Bruno Præpositus S. Gereonis, Arnoldus Præpositus sanctæ Mariæ ad gradus, Rupertus Abbas Tuiscij, Gerardus abbas sancti Pantaleonis, Comes Adolphus de Sabzēbergh, Item Adolphus Comes de Bergh, Theodericus de Gladebach, & alij multi vtriusque ordinis probatissimi. Actum est hoc Coloniæ Anno ab incarnatione Domini millesimo Centesimo, Vicesimo Octauo, indictione Sexta, Regnante Domino Rege Luthario tertio *Excerptum est hoc diploma ex vetusto Codice M. S. monasterij Stabulensis, in quo habes duos libros discissionis & dissensionis monasteriorum Stabulensis & Malmundariensis, ex quo proculdubio Codice Aegidius noster hoc secundū caput excerpsit. Gesta Abbatum monasteriorū Stabulensis & Malmundariensis*

A *mundariensis de hac eadem re sic habent.* Theodoricus, ad preces Popponis Abbatis Imperatori directas, Poppone eodem tunc temporis lecto morte decumbente constituitur à præfato Imperatore in Abbatem Stabulensem, qui postmodum à fratribus monasteriorũ Stabulensis & Malmundariensis defuncto Poppone Canonice eligitur in Abbatem Stabulensem, qui diebus dignitatis suæ multis tribulationũ procellis exagitatus fuit, quæ cum breui stylo comprehẽdi non possunt. Sciendum tamen (plurimis omissis) est, quod tempore præsidentiæ huius Theodorici diuortio inter Stabulenses & Malmundarienses facto, ordinatur atq; intruditur procurãtibus fratribus Malmũdariensibus, Cooperante quoque Annone Archiepiscopo Coloniensi Tegeno Abbas de Bruwilke in Abbatem Malmundariensem, Henrico
B quarto Imperatore hoc approbante. Vnde materia scandalorum & dissensionum, sexennio in peius semper progressum habente & durante, suscitata fuit, vti libri dissensionum clarissime declarãt. Ob inestimabilia vero miracula quibus protector, omnium Deus Beatũ Remaclum, Leodij præsertim, præfato Imperatore illic curiam tenente & præsente, glorificare dignatus fuit. Idem Imperator ad cor rediens Malmundarium iniuste ablatum cooperante populo innumerabili in templo Diui Lamberti, restituit; ac ita Stabulensibus triũphantibus, reducto corpore Diui Remacli à Leodio, Malmundarium cum gaudio receptum est, Tegenone Abbate adulterino ac supposititio turpiter effugato.

C 2. *Qui volet pleniorem admirabilis huius triumphi notitiam habere, legat ea de re duos libellos à quodã religioso Stabulensi, qui præsens interfuit, conscriptos. Est certe historia lectu dignissima, quam idcirco, Deo adiuuante typis excudi & ad Dei & S. Remacli maiorem gloriam & posteritatis memoriã, ad calcem huius 2. Tomi adijci curabimus.*

Quomodo Theoduinus Haynoniam acquisiuit.

CAPVT III.

D POst digressionem veniendum est ad Comitissam Richildim, quę castrum Bellimontis, turri, & alijs munitionibus construxit, & capellam ibidem in honore S. Venãtij instituit, quam bonis fatis competentibus dotauit. *Richildis comitissa construxit Castrum Bellimontis.*

Fuit autem ista Richildis Comitissa Hannoniæ, filia Raineri Comitis, filij Comitis Raineri longi colli. Hanc, quia vnica erat hæres comitatus Hannoniæ, duxit in vxorem Comes Flandriæ Balduinus, cognomento bonus, filius Balduini insulati, cognomento pij. *Parentela Richildis nobilissima.*

Huic Balduino pio nobilissima Adeladis filia Roberti Francorum Regis pepererat supradictum Balduinum Bonum, Robertum Frisonem, & Mathildem vxorem Willermi Bastardi, postmodum Regis Angliæ: Et quia timens ne post mortem suam, vt sæpe fieri solet, seditio nasceretur inter filios suos Balduinum & Robertũ, totam ter-

ram suam in vita Balduino Bono dederat, & homines suos & optimates homagium ei & fidelitatem promittere fecerat. Sed & idem Robertus frater suus publicè iurauerat quod nec ipsi Balduino nec hæredibus suis de terra Flandriæ in aliquo noceret. A

Filium suum Balduinum bonum instituit Hæredem.

Et hoc facto, Robertus secessit in Frisiam, ibique accepit filiam Bernardi Ducis Saxonum viduam comitis Florentij Frisonum, Gertrudem nomine, quæ habebat filiam ex marito suo Florentio, quam Philippus Rex Frãcorum accepit vxorem. Genuitque Robertus Friso de prædicta vxore Gertrude duos filios Philippum & Robertum posteà Comitem nobilissimum Flandriæ.

Præfato autem Balduino cognomento Bono diu ea patria gubernari fælix non meruit, defunctus siquidem & apud Hannoniam sepultus in pace quiescit. Venerabilis autem Comitissa Richildis tanto marito viduata cum filijs suis Arnulpho & Balduino comitatum tenuit. B

Balduinus Bonus moritur.

Robertus verò in Frisia degens, cognita morte Fratris sui Balduini Boni cum magno exercitu vsque ad Gandauum venit. Richildis autem cum filio suo Arnulpho innumerabilem collegit exercitum, & Robertum a Flandria exire compulerunt.

Robertus venit cum exercitu Gandauũ.

Post non multum temporis instinctu Bernardi soceri sui iterum Flandrias repetẽs, maiorem trahens secum copiam armatorum exercitu Richildis deuicto, & filio eius Arnulpho occiso, ipsa carceri mancipatur. Arnulphus verò apud sanctum Audomarum sepelitur. Tandem Richildis à carcere liberatur, & cum altero filio suo Balduino Comitatum Haynoniensem repetiuit. C

Arnulphus filius Richildis occiditur, illa carceri mancipatur.

Liberatur.

Hæc etiam Comitissa in Curia sua cum Balduino filio suo officia hæreditaria instituit, dapiferorum scilicet & pincernarum, panetariorum & coquorum, Camerariorum & ostiariorum. Et cum in illis officijs Haynonienses institueret cum eis quosdam Flandrenses, qui relictis bonis suis in Flandria cum Domina sua Richilde & Balduino filio eius quasi exule in Haynoniam venerant, instituit. Alij quoque quam plures homines nobiles & seruilis conditionis relicta Flandria dolentes super Domini sui exhæreditatione cum sæpedicta Comitissa & filio eius Balduino Haynoniam inhabitauerunt: quos ipsa Comitissa & filij eius honestis ditauerunt beneficijs. D

Richildis equidem Comitissa super morte filij sui Arnulphi plurimum dolens, exhæreditationemque filij Balduini superstitis grauiter ferens, allodia sua omnia in Haynonia sita Episcopo Leodiensi Theoduino Principi potenti, sibiq; satis vicino danda obtulit, vt ab eo in vindictam contra sępedictum Robertum auxilium haberet, & accepta ab eo pecunia stipendiarios proinde contra eundem Robertum conduceret.

Grauiter fert exheredationẽ filij sui Balduini.

Allodia sua offert Theoduino Episcopo potenti.

Theoduinus autẽ Episcopus habito Leodiensis Ecclesiæ suorumq; fidelium nobilium & misterialium consilio, tanta allodia, tanto honore insignita gratanter suscepit, quæ quidem ipsi Richildi & eius filio

A lio Balduino in feudo ligio tenenda concessit, maximamque pecuniã proinde eis tribuit: quæ quidem côemptio conuentuales Ecclesias Leodiensis Episcopatus in thesauris suis auri & argenti grauiter afflixit. Nam de maiori Ecclesia centum libras auri, consilio Dñi Hermãni Præpositi, Walteri Decani, cæterorumque fidelium suorum accepit, de thesauro præfatæ Ecclesiæ calicem magnũ aureũ, cũ patena, crucem etiam aureã, in qua erat lignũ Domini, monile aureũ, cristã auream, duas armillas aureas, calices argenteos cum patenis, vrceos, cãdelabra, tabulã argenteã, cum argento alio circiter marchar. 175.

Numerat illis ingentem pecuniam.

Vnde illa pecunia est conflata.

Hæc quidem omnia fossis sub testimonio Ducis Godefridi Bullionis, & Alberti Comitis Namurcensis, & Comitis Louaniensis, & Comitis Chimacensis, & Comitis montis acuti in Ardenna, & aliorum B Leodiensis Ecclesiæ quam plurium fidelium nobilium & seruilis cõditionis virorum, ordinata fuerunt.

Ad hęc ipse Dñs Theoduinus Leodiensis Episcopus vir prudens & potẽs qui apud Dñm Romanũ Imperatorem tempore illo gratia & familiaritate poterat plurimum, apud eundem seruitio & donis mediantibus tantum effecit, vt ipse Imperator Leodiensi Ecclesię contulerit de consensu & laudamento prædictorum scilicet Richildis & Balduini filij eius, omnia Feuda, quæ Comes Haynoniensis ab eo tenebat, videlicet abbatiam & aduocatiam Montensis Ecclesiæ, & iustitiam Comitatus Haynoniensis, ita quod sæpedicta Richildis & eius filius Balduin⁹ sub vna manu, vno hominio vniuersa allodia sua C & familias & feuda ab Episcopo Leodiensi receperunt. Quod etiam successores eorũ eodem modo prosecuti sunt, saluis tamen in omnibus beatæ Waldetrudis allodijs proprijs.

Valet gratia apud Imperatorem.

Imperator cõfert Theoduino omnia feuda quæ Comes Hannoniensis ab eo tenebat.

In tot & tantorum allodiorum & feudorum prædictorum assignatione Leodiensi Ecclesiæ facta, & tanti viri, scilicet Comitis Haynoniensis hominio ligio, constitutum fuit, quod Comes Haynoniẽsis Domino suo Episcopo Leodiensi seruitium & auxilium ad omnia & contra vniuersos homines, cum omnibus viribus hominum suorum, tam equitum quam peditum debet, & hoc in proprijs expensis Episcopi, postquam ipse Comes à Comitatu Haynoniensi exierit.

Comes Hannoniẽ, quæ seruitia & obsequia debeat Episcopo Leodiensi.

Restant & alia plura in chartis maioris Ecclesiæ Leodiensis conscripta super hoc, quæ hic ob fastidium legentium prætermittimus, D quæ à Henrico Imperatore confirmata sunt in hæc verba.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.

Ego Henricus Dei fauente Clementia Rex.

Si Ecclesijs Dei deferamus honorem, easq; ab oppressoribus suis liberare curemus, certam habemus fidem ex his rebus stabilitatẽ regno, nobisque salutem prouenire, tam in hac vita, quam etiam in futura.

Vnde vulgatum, & publicum esse volumus in toto regno nostro, quod fecimus ad honorem Dei, sanctæq; Dei Genitricis Mariæ, sanctiq;

ctiq; Lamberti Ecclesiæ Leodiensi. Cum enim castella Mont & Belmont Episcopatum illum diu multumq; sæpe vexassent, adijt venerabiliter Maiestatem nostram Theoduinus Episcopus eiusdem Ecclesiæ, interuentu scilicet piæ Coniugis nostræ bertæ, Annonis Coloniensis Archiepiscopi, Willermi Episcopi Vltraiectensis, Episcopi Virdunensis Theodorici, Babergensis Episcopi Hermanni, Episcopi Cameracensis Lyeberti, Episcopi Vercellensis Gregorij, Episcopi Sedunensis Ermenfridi, Ducis quoque Lotharingiorum, Godefridi Ducis Alemanię, Rodulphi Ducis Baioariæ, Welfonis, aliorumque Principum & fidelium nostrorum, vt eadem castella daremus sanctæ Mariæ sanctoque Lamberto ob perpetuam tranquillitatem & pacem: quod libenter annuimus, memores quoque seruitij quod deuote tam mihi quam & patri meo frequenter impendit, præcipué autem fidei & fidelitatis, quam omni tempore stabilem experti sumus in eo, erga nos & regnum nostrum. A B

Dedimus ergo illi & Ecclesiæ suæ Mont & Belmont & Marcham Valentianas, Abbatias quoque sanctam Waldetrudem, sanctam Aldegondem cum Præposituris suis: Abbatiam sancti Gillani, Abbatiã Oltmontem, præposituram S. Vincentij, præposituram sancti Saluij, præposituram Condatensem, præposituram S. Petri in Lodousa, præposituram sancti Landelini, præposituram S. Ioannis.

Igitur præsente & annuente ipsa Comitissa Richilde cum filio suo Balduino, dedimus omnia hæc cum comitatibus, beneficijs, aduocatijs, telonijs, monetis, forestibus, & omnibus appenditijs eorũ quod factum, vt etiam posteris in notitiã veniret, literis mandari iussimus, easque manu propria roboratas sigilli nostri munimine firmari. Adelbero Cãcellarius vice Sigefridi Archicãcellarij recognouit. Data 5. Idus Maij anno Dominicæ incarnationis 1071. indictione nona, anno autem ordinationis dñi Henrici quarti 17. regni vero 15. Actũ Leodij fœliciter, Amen. C

ANNOTATIONES.

1. *Codex Aureæ vallis incipit 4. caput his verbis:* In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, *nos distinctionis melioris causa, incipimus vt textus refert.*

2. Exhæredationemque filij Balduini superstitis grauiter ferens.] *Quare Richildis parum auxilij ab Hannoniensibus, quorum Comitissa erat, nec plus à Flandris, quorum Balduinus cognomento bonus, maritus eius Comes erat, acceperit, sed ad Theoduinum Episcopum Leodiensem recurrere & illi comitatum suum vendere debuerit, Meyerus multis verbis prosequitur, taxans illius auaritiam, superbiam, & durum in subditos imperium: tandem anno 1072. de ea sic loquitur.* D


Richildis montensis animosa mulier ob rem male gestam amissumque filium magno affecta dolore, delere dedecus, & filium ad paternum perducere regnum ardebat animo, sed postquam nullam vltra inueniret opem in Francis, conuersa est ad Episcopum Leodiensem Theoduinum, supremum illi in Hannoniam iudicium, dignitatemque assensu Henrici Cæsaris attribuit, seque Ecclesiæ Leodiensis professa

A professa beneficiariam, Hãnoniam illi in perpetuum subiecit. Hæc grandi ab Theoduino impetratâ pecunia Gothofredum Bulionensem Eustathij Comitis Boloniæ filium, Albertum Namurcensem, Henricum Louaniensem, Comitesque pręterea Alti montis, & Montis acuti in Arduenna cum alijs multis in societatem armorum sibi adiungit, reparatoque bello incursus aliquot in Flandriam facit. At Frisius nihil timens fœminę iam victæ conatus, profectus raptim in Hannoniam ad Brochoriam vicum, hostes adeo cæcîdit, vt à mortuorum multitudine, dumus mortis loco manserit nomen, fluuioque Heyena: dehinc ad Thuram transmisso exercitu, regionem omnem depopulatur, reditque præter valentianas, atque Vorechiacum ad ripam Scaldis emunit, vbi relicta parte copiarum, quæ crebris incur-B sibus propinqua infestant loca, ipse in flandriam reuertitur. Cuius de discessu certior factus Balduinus Montensis Haynonios Leodiensesque Vorechiacum duxit, locumque partim occisis partim captis Flandris expugnauit; reliquum omne tempus in Hãnonia se continuit. *Hactenus Meyerus quem vide, si penitius historiam intelligere volueris. Eandem quoque clare prosequitur Lambertus Schafnaburgensis ad annum 1071.*

3. Munimine firmari.] *Hucusq; respondet de verbo ad verbum priuilegium hoc, cum eo quod in libris chartarum Ecclesiæ Leodiensis habetur, subijcitur ex eis ipsum Imperatoris sigillum ab Aegidio omissum sub hac forma.*

C

Sigillum Domini 4. Henrici Regis inuictissimi.



Adelbero Cancellarius vice Sigieridi Archicancellarij recognoui. Data est 7. Ca-
D *lendas Iulij anno Dominicæ incarnationis millesimo septuagesimo, indictione nona, anno autem ordinationis Domini quarti Henrici regis decimo sexto, regni vero decimo quarto. Actum Aquisgrani in Dei nomine fœliciter, Amen. Quæ cum codice Aureæ vallis non concordant.*


4. *Reperio in chartis Ecclesiæ Leodiensis & aliud diploma quo hic Imperator Henricus 4. confirmat & ratas habet donationes prædecessorum suorum regum Ecclesiæ Leodiensi factas. Diploma sic habet.*

IN *nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.*
Henricus, diuina fauente clementia Rex.

Omnibus Christi nostrique fidelibus notum esse volumus, tam futuris quam præsentibus, quia vir venerabilis Dietwinus Tungrensis Ecclesiæ Episcopus, quædam præcepta nostris obtulit obtu-

tibus,quæ erant secundi Ottonis Imperatoris,& tertij,& Henrici,& A
Aui nostri Chuonardi, & patris nostri piæ memoriæ Henrici manu firmata,& sigillo signata:in quibus dicebatur, quod non solum ipsi, sed & Antecessores eorum,Reges scilicet Francorum,Pipinus, Carolus,Ludovvicus,Lotharius,& item Carolus, cæterique Reges antecessores & successores eorum eidem Ecclesiæ S. Mariæ & S. Lamberti,cui præstante Deo idem Episcopus præest, per auctoritatis suæ præcepta contulerant, vt & ipsa & suæ appenditiæ quæ sunt Lobijs,& in loco qui dicitur ad S. Hubertum,Bronio,Gembluos,fossis & Malonia,Namuco,Dyonant,Scimaco, Cella,Tungris,Hoyo, Traiecto, Maslinas,Florinas,Aionis curte,Schendermala, Viseit, Tectis, Hunborc,Herivvardes,Pānardes,Berchez,Bocheim,Magidera,Turmines, vel in cæteris locis cum oībus rebus vel hominibus ad se per- B
tinentibus,liberè per se consisterent, & ab omni inquietudine iudiciariæ potestatis defensæ & securæ manerent. Huius securitatis auctoritatem ab antecessoribus nostris promulgatam, vt ob amorem Dei & reuerentiam eiusdem Ecclesiæ,assensus nostri adiectione firmaremus,petijt prædictus Episcopus: cuius iustæ & rationabili petitioni aurem libenter accommodauimus, eandemque S. Ecclesiæ dignitatem cōseruantes,Abbatias,Comitatus Forestes,villas,telones, monetas,seu cætera quæ memoratus Episcopus obtinet,S. Dei genitricis Mariæ, sanctique Lamberti Ecclesiæ libere possidenda concedimus. Sed & castrum quod dicitur Argentel, sicut genitor noster C
eidem Ecclesię concessit,& nos concedimus, cum omni intrandi & exeundi libertate.Illud verò Castrum quod est in Dyonant, concedimus iudiciario iure & legali deliberatione construere,vel potius reconstruere,eò quòd antiquitus fuerit constructum ad regni negotiū præsertim cum huius rei sit inditium & pars muri & trium solidorū census. Concedimus & ibidem monetam, teloneum, mercatum,vt hæc libere teneat Episcopus:& Comitatum de Lustin,præsertim cū hæc iudicio fidelium nostrorum, in nostras manus peruenerint, & legitimè fieri possit. Insuper de foreste Aquisgrani palatio Regio,ligna,materiem,seu quæcumque ibi necessaria videntur,ob remedium animæ genitoris nostri bonæ recordationis,& nostræ semper possidēda,Regali edicto pręcipimus,& hoc nostræ auctoritatis præceptū erga ipsam Ecclesiā tuitionis gratiâ pro diuini cultûs amore fieri de- D
creuimus, per quod firmissimè iubemus, vt deinceps nullus Comes, nullus Iudex,nisi cui Episcopus cōmiserit,in prædicta loca,vel in eorū territoria quę in quibuslibet pagis infra regni nostri ditionem,vel nunc habentur,vel in futuro habenda sunt:ad causas audiendas, vel ad banna,aut tributa, aut de statione nauium, vel de qualibet alia re telonea exigenda:aut ad aliqua districtionis negotia super homines tam ingenuos quàm seruos in eis manentes exercenda,nostris & futuris temporibus ingredi audeat,vel quicumque in eis contra volūtatem Episcopi, successorūq; eius attentare præsumat, sed ipsi præ-

A suli, successoribusq; suis & nũc & semper liceat res prædictæ Ecclesiæ & illi subditarũ sub tuitionis atque immunitatis nostrę defensione, remota totius iudiciariæ potestatis inquietudine, quietas possidere. Huius præcepti auctoritate, vt à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris diligentius conseruetur, & manu propria firmauimus, & sigilli nostri impressione insigniri iussimus.



B *Sigillum Domini 4. Henrici Regis inuictissimi.*

Adelbero Cancellarius vice Sigieridi Archicancellarij recognoui. Data est septimo Calendas Iulij anno Dominicæ incarnationis millesimo septuagesimo, indictiõe 9. anno autem ordinationis Domini quarti Henrici Regis decimo sexto, Regni verò decimo quarto. Actum Aquisgrani in Dei nomine fœliciter. Amen.

C

Quomodo Ecclesiam sancti Euermari Rutis dedicauit & de miraculo ad eiusdem sancti sepulchrum facto.

CAPVT IIII.

THeoduinus Episcopus præfatus, beatæ Dei genitricis vnicus amator erat, & Ecclesiam eius Tungris sitam sæpius visitabat. Qua occasione, cum semel ipse in natiuitate B. Mariæ Tungros aduenisset & post missarum solemnia ad prãdium consedisset, D mentio facta est à Goberto Archidiacono de consecranda Ecclesia recenter ædificata à Wederico Abbate de Borceto in villa quæ Rutis dicitur, non longe a dirutis vrbis Tungrorũ męnibus in honore beati Euermari martyris Christi, qui ab Eraclio Leodiẽsi Episcopo angelo reuelante de terra leuatus in eadem Ecclesia quiescebat multis miraculis glorificatus. Audientes hæc qui aderant, alij sanctissimum fuisse certissimis indicijs dicebant approbari, alij populum fantasticis seductionibus affirmabant dementari, sicut de Saluatore legitur, *alij dicebant, quia bonus est, alij autem dicebant, non, sed seducit turbas.*

Theoduinus rogatur consecrare Ecclesiam B. Euermaro martyri.

Quidam dubitans de sanctitate & miraculis B. Euermari,

Accumbebat tunc coram Episcopo quidam languidus Arnulphus nomine, à parte inferiori vsu membrorum per paralysim destitutus *Ioan. 7.*

cui ex

Arnulphus mendicus paralyticus astat mēsæ Episcopi.

cui ex occasione infirmitatis, paratior erat cibus, & præ oculis ipsius Episcopi, obtentu & interuentu ægritudinis, qualiter alter iacebat Lazarus. A

Theoduinus in exploranda Sanctitate Euermari tentat Deum.

Cumque suggereretur Episcopo vt voluntatem suam voluntati Dei coaptaret, & domum sancti domum orationis faceret, ille hac conditione consensum suum suspēdit, vt si in hoc paralityco suo se sanctum, & vt dicebatur, se martyrem esse Euermarus ostenderet, protinus eius domum in venerabile commutaret sanctuarium. Præcederet testis sanctitatis eius, infirmi huius curatio, sequeretur profecto testis credulitatis suæ domus illius benedictio.

Mittitur protinus illuc infirmus, ipse etiam virtutis illius incredulus, sic considerans se in infirmitate sua ex longo tempore inueterasse, vt diffideret nisi per solum Deum se posse conualescere. B

Arnulphus insultat S. Euermaro.

Assistens ergo sancto corpori, cœpit insultando plus prouocare indignationem Sancti, quam supplicando implorare sibi misericorditer suffragari. Euermare, Euermare (inquit) diceris virtutibus pollere, sanctitatis nomen tibi arrogare, meritūque martyris assumpsisse. Sed præteriti sæculi fuit hoc homines percepisse, moderni autē temporis non est ad hanc gratiam aliquem aspirare. Vnde miramur si possit tibi hoc meritum attribui, vt martyr sanctus, patrator virtutum, ignotus & regionis nostræ inquilinus, partem terræ cum nostris sanctis meritò possidere credaris. Ecce adsum cōtractus & paralyticus: expone quicquid habes virtutis, effūde quicquid nosti medicinæ, fac me experiri vtrum alios infirmos veraciter curasti, an fallaciter decepisti. Ecce, inquam, adsum, aut propere confirmare per me in vsurpata tibi virtute sanctitatis, & nomine martyris, aut ab hac domo discede, cuius benedictionem postposuit Episcopus curationi meæ, sic facta ab ipso Episcopo conditione vt sanitas à te mihi reddita impetret benedictionem domus tuæ. Nunc ergo si potens es miraculis, apparebit: nunc si potens es, aut nullus in curādis infirmis, perspicuum erit. C

S. Euermarus sanat Arnulphum paralyticum sibi insultantem.

Mox sanctus non impulsus, imo persuasus insultatione eius ostēdit quid posset, non super contumeliosum, sed super infirmum. Nam mox neruos eius extendit, & compages genuum eius connexas dissoluit, crura sub pedibus subrigit & erectum hominem in proceram staturam sustollit. In extensione neruorum stridor, strepitus, fragorque insonuit, sanguis etiam abunde profluxit per quæ omnia patuit infirmum esse redditum sanitati. D

Arnulphus sanatus querulis vocibus in S. Euermarum inuehitur.

Inter hæc infirmus incredulus & contumeliosus hac ingrata & dolenda sanatione, vt putabat, plus sauciatus, quam curatus, his querulis vocibus in sanctum Euermarum inuehitur. Quid agis Euermare? Quid tantopere sæuis in me? Sanas me & crucias. Obsecro te nec sanes nec crucies. Oro cessa sanare pariter & cruciare. Quæso desiste curare pariter & torquere. Supplico desine viuificare pariter & occidere, concedo tibi Euermare sis sanctus martyr, miraculis polle.

Quid

A Quid in me probas virtutes tuas? Nolo beneficia tua, quæ mihi sunt dura tormenta. Væ mihi, vt quid me curandum tibi obtuli? Nec reuera volui curari, sed diffidens te mihi potuisse mederi, veni tibi insultare, & hinc non sanatus rediens, me omnibus in testimonium monstrare te verè fallacem & seductorem esse. Parce mihi precor ab hac sanatione, perquam iam nec sanus nec infirmus, sed pene appareo mortuus.

Hæc dicens baculo pro scabellis subnixus, pedetentim domo egreditur, & vectore asinulo suo ad Episcopum reuertitur, & se ab Euermaro non tantum sanatum, quantum excruciatum conqueritur. Et licet doleret & ingemisceret, monstrauit tamen in se pariter cum dolore sanationem redisse, prædicans in sanatione sua Euermarum B se sensisse medicum potentem, in dolore vero tortorem inclementem.

Arnulphus sanatus baculo subnixus regreditur ad Theoduinum Episcopum.

Quo viso Episcopus pœnituit, se tam obstinatè contra virum sanctum obfirmasse, & ad vltimum in hunc offensionis reatum decidisse, vt tentauerit eum proposita conditione, quod sanato infirmo suo & sua credulitas & Ecclesiæ eius consecratio sequeretur.

Theoduinus Episcopus agnoscit peccatū & agit pœnitentiam.

Quapropter valde compunctus, & in fauorem sancti martyris affectuosissimè adductus, obtulit se in consecratione Ecclesiæ eius. Officialem ministrum, & oportunum huic rei designauit diem 8. Kalēdas Augusti, in quo etiam ipsam Ecclesiam consecrauit, & ipsum sanC ctum martyrem vicinis gentibus patronum & intercessorem delegauit, & cum Ecclesia sua, annuatim frequentabilem & festiuum instituit, vt omnes aduenientes, à Deo per illum iustificari, & in domo eius benedicta, mereantur æternaliter benedici.

Theoduinus consecrat Ecclesiam in Ruthis ad honorem S. Euermari extructam 8. kalend. Augusti.

ANNOTATIONES.

In honore, Beati Euermari martyris:] *Hic S. Euermarus, vt in eius Ecclesiastico officio legitur, fuit nobilis Friso, qui succrescentibus cum ætate virtutibus ad sancta loca peregrinabatur. Cumq́; Traiectum iret ad sanctum Seruatium, diuertit in territorium Tungrorum, apud Hacconem quendam in silua Harsclapia, cum septem suis comitibus. Qui, vt erat tyrānus, beatū virū cum dictis comitibus interfecit.* D *Honoratur vero inter Dei martyres à Ruthensi Ecclesia, & à vicina Tungrensi, ad quam singulis annis sacrum corpus defertur. Ossa eleuauit circa annum nongentesimū sexagesimum octauum Heraclius Episcopus Leodiensis, quam eleuationem tot subsecuta sunt miracula, quot descripta ingens volumen conficerent. Certe hoc quod in præsentia Theoduini, sui Archidiaconi, & plurimorū aliorum accidisse hic auctor noster refert, lectu dignissimum est. De hoc sancto sic in Martyrologio Vsuardi legimus.* In territorio Tungrensi villa, quæ Ruthis dicitur, Natalis S. Euermari, qui ab iniustis innocēter interfectus est. Huius mors pretiosa crebris miraculis illustratur.

Quomodo temporibus ipsius reliquiæ B. Iacobi Apostoli de galetia Leodium delatæ sunt.

CAPVT V.

Brachium S. Iacobi & reliquiæ SS. Bartholomei Apostoli, Sebastiani martyris, & Pãcratij à Galetia Leodium transferuntur.

QValiter verò brachium beati Iacobi Apostoli fratris B. Ioannis Euãgelistæ de Galetia cum reliquijs SS. Bartholomęi Apostoli, & Sebastiani martyris sanctique Pãcratij, temporibus ipsius Theoduini in Ciuitatem Leodiensem translatum, & in cœnobio sancti Iacobi in insula præfatæ vrbis honorifice sit recõditum, sicut in B quodam libro præfatæ Ecclesiæ legimus, ad honorem Dei & totius patriæ huic operi dignum duximus annectendum.

Eâ tempestate qua Balduinus Comes Flandriæ ex consuetudine & insolentia maiorum suorum deciscens à sacramentis, in Romanæ Reipublicæ militiam olim iuratis, contra Dominum Henricum Secundum huius nominis Imperatorem iniusta arma corripuerat, iam tum Leodij de S. Iacobo Apostolo rumor celebris inclaruerat.

Illius tempore vulgatur rumor celebris de S. Iacobo apostolo in Galetia.

Eundem verò rumorem primi illustrarunt profugæ quidam religiosi de clientela scilicet Ioannis de Oste hominis haud obscuro loconati, studijsque partium prædicti Comitis aduersi. Nam & omnibus, quę ex illo respectu militię obtinebat, fortiter repudiatis, rebusque suis honorem præferendo Imperatoriæ fidelitatis, idem Ioan- C nes infensi sibi subterfugiebat iram tyrãni. Quare iussu demum Imperatoris, annuente Theoduino Episcopo, commigrauerat Leodiũ, vt ei suisque locus illic esset præsidij.

Sanctiores igitur ex eius familia cernentes quosdam nostrates, alios ad vrbem gloriosam passione & ligno Domini, alios ad quælibet celeberrima Sanctorum loca summâ trahi deuotione, Galetiam ipsi deuouerunt adire.

Hac fama plures impulsi, in eorum societatem breui sunt asciti. Superior in eorum collegio fuit Hermannus egregius Cõsul de Gres vir sane omni dote virtutum apprime venerabilis. Cuius postmodũ D nominis magnitudine & auctoritate comperta Rex Garsęę (pars regni eius appẽdicia regio erat Galetia) gauisus est nõ mediocriter, quod reliquijs beati Iacobi Apostoli posset eum honorare.

Anselmus Decanus S. Lamberti impetrat ab Abbate S. Iacobi mitti Robertum cũ alijs in Galetiã.

Fuêre etiã quidã inter eos amicissimi Ecclesiæ S. Iacobi consiliũ & operã suã polliciti, si quem fratrũ suorũ vellent dirigere pro mysterio prędicti officij. Ad quod D. Anselmus Decanus S. Lamberti plurimum anniti, tantam censens oportunitatem nequaquam negligẽdam: vnumque è Fratribus Robertum nomine huic destinandum itineri qui pro vitæ suæ reuerentia, quartus Ecclesiæ S. Iacobi Abbas postmodum meruit institui. Mittendum, ait, charissimi, Fratrem Robertum ad domum sanctissimam, in qua beati Iacobi apostoli ossa decu-

A decubant, censeo. Neque enim profectum, & Ecclesiæ vestræ honorem defuturū exinde diffido. Regularis ob eā rem disciplina non turbatur, imo obediētię sanctæ egregia virtus inde maximè adornatur. Nouimus complures boni testimonij monachos remotos ac difficiles terrarū tractus benedictione Abbatis sui plerumque superasse, eosque multiplicem laboris sui fructū Ecclesiæ suæ fœliciter regressos comportasse. Vita proculdubio commendat fratrem istum, vt ex eo rectè speremus omne quod est Sanctorum. Cum vestris orationibus, opitulante beato Apostolo non aberit illi superna miseratio.

Multi religiosi magno cum fructu ad sacra loca aliquando peregrinati sunt.

Itaque venerabilis memoriæ Dominus Albertus Abbas secundus Ecclesiæ S. Iacobi & Maiores huiuscemodi verbis Domini Anselmi in spem adducti, obedientiam itineris huius exequendi prædicto fratri imposuêre, & cum alijs Deum timentibus præstantissimis viris B sua illum benedictione & oratione fulcientes Galeciam direxêre.

Albertus Abbas S. Iacobi secundus mittit Robertum monachum in Galetiam.

Iamq; illi longo terrarum tractu, diuersarumq; cœlo regionum transito infra inculta quædam loca, Tesqua, vulgus illa nominat, pariter habuere diuersorium.

Ecce autem Richardus Canonicus S. Petri in Leodio, inter prima regni negotia, summus amicorum & Capellanus familiarissimus Regis Garseæ, illic suum à finibus Galeciæ veniens, nostris acceptissimum obtulit aduentum. Complexi deosculatique suæ gentis hominem, Regis & populi eius naturam sciscitati sunt, & morem. Ille vbi vera paucis absoluit, Robertus supradictus quosdam consilij sui partcipes, iusuper Hermannum Consulem ad maiorem sermonis acC cersit auctoritatem, eum & Richardum, secretius sibi addixit. Negotium quo fungebatur eis præsentibus illi aperit, & si qua spes ad impetrandum sit, quia conuersatus cum eodem Rege fuerat, morēq; eius nouerat, diligenter ab eo inquirit

Richardus canonicus S. Petri Leodiensis familiaris regis Garseæ occurrit nostris peregrinis.

Omnia ille refert in hoc voto secunda: sperare indubiè potestis, siquidem ipso in tempore oportune aduenistis. Vt enim clementiam & liberalitatem Domini mei taceam, tum etiam illius circa cultum Dei & seruos illius probitatem & industriam, vbi intelliget Lotharienses esse, dignabitur enixius vos in suam ascire amicitiam. Namque ille inter occidentales tyrannos, diuitis regni clarissimus opulentia, connubio sororis Romani Imperatoris, potentiæ suæ magD nitudinem ambit exaltare, idque vt assequatur, apud eundem Imperatorem me dirigit perorare: Quid vero nunc illi deferri possit acceptius, quam Domini Hermanni aduentus, vbi de Imperatorijs illum rescierit esse primoribus. Nonne ad conficiendum matrimonij sui speciale negotium, quasi hunc sibi cælitus missum iactabit, qui causam suam prudens mediator cum Imperatore tractabit? Tanto etiam viro quid non optabit vltro deferre, vt eum sibi arctius deuinciat gratia & fide? Ad hæc, proximum pascha ad sedem apostolicæ Reuerentiæ debet celebrare, vbi vobis erit locus illum oportune accedere. Post hæc Deo & sancto eius Apostolo eos commen-

Richardus iubet eos bene sperare.

Causam spei concipiendæ aperit.

Instruit Hermannum de mente regis Garseæ.

Et de oportunitate temporis accedendi illum.

dans prædictus Richardus, ad legationem suam exequendam protinus est conuersus. A

At illi ocyus properantes, quasi cœlitus audito oraculo, nec mora, geminato rursus gauisi sunt solatio: Nocte enim sancta, quæ dicitur in palmis, Barcinoensem conuenerunt præsulem, tum Apostolicam sedem, tum Regis Curiam adeuntem. Die illucescente, ad solẽnitatem pertinens officium, pariter peregêre. Denique qui essent, quo ire intenderent, mutua obtigit inquisitio, & vtrimque ab his & illis accepta est responsio. Archidiaconus Episcopi Reimundus nomine, vbi nostros ex Lothariensi regno & vrbe accepit esse Legia, mox loqui adorsus: optime (inquit) ego noui nobilissimum Lothariense regnum, & inclitam vrbem Legiam, religione & studijs literarũ præ alijs, quas noui vrbes, luculentissime decoratam. Qui etiam prædicto fratre Roberto indicante, votiuâ nostrorum causâ percognitâ, hanc (subdit) causam Dominus meus magna promouere valet industria, penes cuius prudentiã, plurima sunt Regis consilia. Cooperante igitur Reimundo Archidiacono benigne excepti sunt à venerabili Episcopo qui pios illorum collaudãs affectus, suam promptam ad omnia operam illis est pollicitus. B

Conuenerunt Barcinoensem Episcopum.

Ineunt gratiã Reimundi Archidiaconi Barcinoensis Episcopi.

Aperiunt illi suam mentem.

Episcopus Barcinoensis offert suam operam apud regẽ

Cum hoc demum sanctissimo duce, quarta feria maioris hebdomadæ prædictum compostellæ vicum ingressi, ad illud sacratũ peruenire meruerunt sacrarium, vbi quiescunt pretiosa ossa beati Apostoli: Preces illi apud eundẽ Apostolum egêre, vt aliquam de suo sanctissimo corpore donationem dignaretur eis facere. C

Appellunt cõpostellam.

Velox ilico in aula regia percrebuit fama peregrinos aduenisse viros, ex Romani Imperatoris Curia, magna suffultos honoris reuerentia. Mox cum Hermanno nobilissimo consule coram venire, & qui sint, quid veniant Barcinoense Episcopo preorante iussi sunt perorare.

Fama in aula regis de aduẽtu nostrorum peregrinorum.

Patria, aiunt optime Regum nostra est Lothariense regnum, prudentiæ vestrę haud incognitum: Vnde pro remedio peccatorum nostrorum, ad suffragia beati Apostoli venimus adoraturi; Vrbs eiusdem regni est quædam, Leodium, Episcopum habens nomine Theoduinum qui, cum suo Clero & populo, mandat vobis salutem, vitam & pacem, regni decorem, & statum incolumem. Ad genua vestræ prouoluitur pietatis, vt ad illuminationem & gloriam cuiusdam sui cœnobij, in honorem beati Apostoli Iacobi fundati, de corpore eiusdem S. reliquias dirigatis. Beneficia non præcesserunt aliqua, familiaritas nulla, vt à vobis tanta merito audeat sperare munera, sed petitioni eius magnam præstat fiduciam Clementiæ vestræ dignatio, vbiuis gentium notissima. Maiestatem gloriæ suæ angustis limitibus beatus Apostolus non vult includi, quam in diebus nostris magnificè dignatur omni propagare nationi. Sicubi salutaria apostolatus eius pullulant dona, gloriosior profecto vestra semper inde erit Galecia, locus illi charissimus, & sedes electa. D

Iubentur venire ad regem.

Bene precantur regi nomine Theoduini Episcopi Leodiensis.

Humiliter petunt aliquid de corpore beati Iacobi Apostoli.

Verba

A Verba eorum melius quam essent rati, Rex benignius accepit: Vnde & die sancta resurrectionis post stationem missæ habitam in Apostolica sede, tam pro hoc negotio, quam pro modulanda Sequentia in chorum eiusdem Ecclesiæ se recepit. Qua Sequentia, præcentore ipso Rege, post peractam missam, secundum morem suæ Ecclesiæ exaltata, & nobilissimè decantata, erat autem, *Fulget præclara*, postquam assedit, Episcopis suis & Optimatibus regni, insinuat, quid postulent peregrini illustres ex Romani Imperatoris aula: Vna omnibus sententia fuit viros tanti nominis nullatenus debere repelli. *Rex illos supra spem benigne audit. Significat Episcopis & optimatibus quid ab eo petant peregrini. Omnes ãnuũt eos non esse repellẽdos.*

Sed Antistes loci, Cresconius nomine, vehementer obniti precatoria nostrorum verba impugnare, eosque vanitatis redarguere; Legatorum (inquit) nomen est sanctum, si puræ legationis suæ transigunt mysterium; At isti, absque signo & literis Episcopi sui, nos adeunt, rem tantam à nobis minus inconsultè exigunt. Iure igitur denegabitur illis quod sine lege exigunt rationis. *Cresconius loci antistes eis se opponit.*

B

Rex autem longe aliter animo suo tractare, atque secundum supradictã Richardi Canonici sententiam, propter connubij sui spem adornandam, omnem viris Romani Imperij beneuolentiam cõmodare. Iuste (ait) & honeste hæc obijciẽda illis esset refragatio, nisi sanctitatis suæ reuerentia magis se tuerentur, quam aliquo literarum & signaculi patrocinio. Nam adeo euidens eminet in ipsis dignatio religionis, vt de eis nulla nos turbet nebula dubitationis. Fas est certè omnem his viris præstare beneuolentiam, vt sicut regni nostri decet Coronam, Sedem Apostolicæ sublimitatis adeũdi alijs qui sunt in regione eorum faciamus copiam. Si amicos, beneficio quod cupiũt, illos nobis parabimus, præsidium etiam ingens, & gloriam, per eos in domo Cæsaris, adquirimus. *Rex stat pro nostris & quare.*

C

Statim igitur, medium chori pauimẽtum, eo præcipiente, duobus pallijs est stratũ. Huc, super eadẽ pallia allatæ sunt capsæ vnæ atq; aliæ, ad nutũ illius oẽs sunt patefactæ. Sed omnibus patefactis, nihil inuentũ est in illis, de pretiosis B. Apostoli reliquijs: Particulã vero quandã de corpore beati Bartholomæi Apostoli, qui hæc sancta tractabãt dicto Roberto tradiderũt conseruandã. Tunc Rex, vt in oculis nostrorũ, affectuosum suæ liberalitatis ostentaret studium, huc etiã deferatur (ait) quod in capella nostra habetur scrinium, præcipui sanctuarij nostri repositorium; Attendant illustres peregrini, quanti faciamus pietatem illorum desiderij. Ad eis satisfaciendum nihil volo in gazis nostri sacrarij relinqui inuestigatum, donec inueniamus, quem nos postulant, desiderabilem thesaurum. Allato scrinio & patefacto, inter alia sanctorum pignora, acceptissima refulsit quædam de corpore beati Iacobi haud inexímia portio. *Rex iubet adferri capsas in quibus SS. reliquiæ erant reconditæ. Particula de corpore sancti Bartholomei datur nostris peregrinis conseruanda. Adfertur scrinium ex capella regis in quo non ineximia portio de corpore B. Iacobi inerat.*

D

Ad eam igitur decentissime dirigendam, Rex alacris, secundum datam à Deo sibi cogitans prudentiam, non est æquum (ait)

Rex donat illam peregrinis cum reliquijs SS. Sebastiani & Pãcratij ad Theoduinum deferendam.

Dominum & patronum nostrum, sub cuius tutela viuimus vt extera regna sine Comite singularem transire sinamus. Quare beatus Sebastianus & Pancratius incliti martyres fiant illi in hoc itinere gloriosi laterales. Tunc conuersus ad Hermannũ consulem, inde ad omnem quæ in collegio eius erat beatissimam societatem, accipite (inquit) viri venerabiles hæc preciosiora regni nostri munera Episcopo vestro deferenda ad illuminatricem gratiam Ecclesiæ, quæ est, sicut dicitis in Lotharingia in honore beati Apostoli Iacobi fundata. A

Episcopi & primores aulæ regis iuramentum à peregrinis exigunt quod reliquias acceptas condigne tractabunt.

Censebant nonnulli assidentes illic Episcopi, & primores, sanciẽdum esse à nostris iuramẽto, nil se perperam acturos in tantę sanctitatis dono. Ad sacramentum cunctis vltro porrigentibus dextras, primus ante alios Hermannus comes emicat, vt rei veritatem constanter astruat: Imo, ait, super sanctissimam aram, cui corpus apostolicę subiacet reuerentiæ, datæ nobis deferãtur reliquiæ illic super eius aram & corpus sanctissimũ, & datas nobis reliquias, iurabimus omnes sincerè munus quod vestra largiente clementia meruimus accipere, ad opus prædicti cęnobij nos fideliter & deuotè perlaturos esse. B

Rex studet placere peregrinis

Loqui Rex adiecit, vt tantam eis inesse magnanimitatem vidit, facescat, ô viri, contra vos, omnis controuersia; clara enim nobis præstatis indicia, sine commento & dolo vestra esse suffragia. Sacramentum enim propter honorem beato Apostolo deferendum, quis exigat à vobis purè se manifestante constantia vestræ dilectionis, quantam scilicet erga eundem sanctum habeatis sedulitatem deuotionis. Quis dubitet quod vestra dębeat prudentia, ista pignora sancta decenter collocare, in augustissima Ecclesia diuinis incessanter laudibus frequentata? C

Numeri quaternarij sacramentum.

Etiam de corpore S. Bartholomei portiones secum deferunt peregrini.

Rex in suis donis sanctæ Trinitatis gratiam prudenter adornauerat, sed eodem ignorante, ille, qui saluatrici Apostolorum potentiæ, orbem quadrifridum subdidit, quaternarium, qui est primus par in numerorum serie in eis sacrauerat. Nam in comitatu beati Apostoli Iacobi, S. quoque Bartholomæi gloriosa iuncta sunt pignora, diuina nimirum id ordinante prouidentia, vt sui nominis Ecclesiam duæ pariter oliuæ & duo intrarent candelabra ante Dominum semper lucentia. Quæ scilicet gloriosa beati Bartholomei pignora prædicto Fratri Roberto primum tradita, cum nemo postea exigeret ipse ea D alijs reuerentissime reposuit.

Redeunt peregrin.

Tandem appellunt Hoyũ vbi residebat Theoduinus.

Explicant Theoduino peregrinationem suam & illius fructum.

Ita demum nostri alacriter Galecia relicta repatriantes, cum optimis donarijs, infra suæ regionis orã, fælicibus breui accipiũtur compendijs. Mansio eorum penultima vicus fuit Hoyensis, vbi opportunè diebus illius aderat Theoduinus Præsul venerabilis; illius se accelerantes præsentiæ offerre, viam suam secundum clementiã Dñi commodè directam omnem ei pandunt ex ordine.

Gauisus Præsul magno prouectu gratię cęlitus suæ indultæ Ecclesiæ, benedictus (ait) sit Dominus, qui in diebus nostris suæ in nobis dilatauit

A dilatauit benedictionem misericordiæ. Beata mater Legia inter insignia tuæ nobilitatis præconia, ecce meruisti ante Deum nouæ placationis suffragia. Ite ergo, præstrenuè imperat hoc suis, dicite sanctæ vrbi, ex nostro nomine, reuerendissimo Clero, & deuotissimo populo, vt in occursum Sanctorũ procedat cum iocunditate & gaudio, inducat illos in locum paratæ eis mansionis, cum hymnis & solemni officio. Inde nostri digressi cum benedictione Episcopi in territorio pernoctauêre Calcaniensi in domo villici Ecclesiæ sancti Iacobi.

Theoduinus gratias agit Deo.

Mandat reliquias cum reuerentia & solemnitate recipi.

Ipse postea villicus referre solitus fuit domum suam, multo tempore ab inde, apostolicæ virtutis maximam esse expertam benedictionem.

B Nec minorem dicebant peregrini montem, qui publicus dicitur, per quem illi sequenti die descensuri erant expertum fuisse. Quanto enim turbine & tempestate agitabatur asperrimus ille mons, continuis fere annis ante illa tempora? nonne vrbi subiacenti fere paria intentabat pericula, quæ dicta Vulcani olla Siciliæ interdum minatur Aethna? Quam miserè tota cõcutiebatur, terrifico tonitrui magni fragore, igniumque cælestium furente iaculo & splendore: nec non ventorum pluuiarumque & grandinis pariter maligna ruente procella: Attoniti ciues frequenter se & sua omnia pauebant subito esse interitura.

C Per locũ igitur tã tristi damnatũ calamitate descendentes illi beati Sanctorum pedes, pacem & salutem portantes, suo benigno transitu, incumbentes illic superioribus annis vehemẽtissimas compresserunt tempestates, illæ etenim extinctæ, nullo prorsus rediuiuo vsque ad hoc tempus, respirauerunt murmure. Sed & sterilitas magna quæ illis diebus erat in regiõe nostra his triumphatoribus & amicis Dei, tota omnino est propulsata.

Dies autem illa, beati Seruatij solemnitate sancta, cum rogationũ obseruantia erat clarissima. Pulchram scilicet ad honorem & gloriam Sanctorum suorum hanc ita Deus præstare diem disposuit, qui *fecit in cœlo & in terra omnia quæcumq; voluit.* Morem quippe antiquum obtinet Ciuitas, ad Ecclesiam sancti Iacobi prima rogationum die ad agendas procedere litanias: fratres de S. Iacobo & de sancto Laurentio, vestimentis sacris induti, cum crucibus & vexillis, omnique decore domus Domini fere vsque ad medium prædicti montis cliuum procedũt primi. Parua ibi se planities explicat, in qua fratrũ chorea, sanctis Dei obuiat, & inter sonora harmoniæ sanctæ gaudia, deuotissime eos prostrata adorat.

Psal. 113.

D

Mos antiquus prima die rogationum procedere ad Ecclesiam S. Iacobi.

Et quia populus precari, suæque deferre oblationis ardebat munera; ad eorum sustentanda pignora in eodem loco quædam tabula est erecta: protinus omnes vrbani nouarum rerum cupidi, ad eundẽ adoraturi conuolassent locum nisi Leodiensis Clerus, cum crucibus item & vexillis, eosdem operiens sanctos, ante sanctum Paulum, ad

Excipiuntur reliquiæ magno concursu ciuium.

suum

suum venerabilem, exinde illos euocarent concentum.

Quare, ex eodem loco, mota Sanctorum castra ad vrbem sunt conuersa. Ingens illic lætitia, simul & gloria, qualis si dicere liceat, quando descendens montem Olìueti superna Maiestas, cum ramis palmarum Iherosolymis venerabiliter est excepta. In laude enim beati Iacobi Apostoli, magna voce cœperunt exultare, acclamantes illi, *Benedictus qui venit in nomine Domini.* A

Matth.21.

Nec minore externorum ex adiacentibus pagis concurrentium.

Sed & adiacentes villæ exeuntes, Sanctos prosequutæ, ad honorē & gloriam eorum, innumerabilem cuneū fecêre. Pons ducens ad vrbem ferre eorū confertissimā non sustinēs pressuram, ter prætereūtibus ruinam intentabat, ter Werefridus Canonicus S. Pauli litaniā præcinens, *à periculo pontis libera nos Domine*, recantabat. Incogitabilis ô Domine Iesu, tuæ semper est gratia pietatis, occulta vere via consilij tui, & inuestigabilis. Nonne propterea id accidere passus es, vt tuos exinde Sanctos gloriosiores faceres? Quomodo enim minor & inualida manus confusè & tumultuariè dēsata non esset partim protrita, partim demersa, nisi gubernatoria Sanctorum dextera suos secum incolumes præterueheret comites? B

Excipiuntur reliquiæ à clero Leodiensi cum magna solemnitate.

Pulsantur vndique campanæ, Cantatur à Clero responsorium: Ciues Apostolorum.

Transmeantibus ergo per eorum auxilia singulis illæsis, obtulit se Sanctis venerabilis chorus Leodiensis. Hic ad responsorium, *Ciues Apostolorum & domestici Dei*, exultationis & salutis vocibus exaltatis, concrepantibus vndique Ecclesiarum signis, Clerus & populus, alacribus animis, deducunt in tabernacula sua magnificos primates orbis. Iteratis ibi precibus & donis, pium erat cernere cuiusque studium circa Apostolicam sanctitatem feruentissimum. Pars eorum gloriam dare in altissimis Deo, plures lachrymari præ gaudio, omnibus denique summa est deuotio. C

Nulla dies iucundior vrbi Leodiensi affulsit.

Testati nobis sunt sæpenumero Maiores nostri, quòd ætate sua nulla prorsus iucondior dies vrbi aliquando affulserit Leodiensi. Nos quoque cùm postea decursa cōsideramus tempora, licet diebus nostris, ipsam vrbem toties viderimus esse decoratam, vel Maiestate Regia, seu qualibet summa persona glorioso occursu reuerendissime suscepta, necdum tamen pari triumphantem vidimus lætitia.

D

ANNOTATIONES.

1. *Codex Aureæ vallis incipit caput quintum ab his verbis:* Ea tempestate qua Balduinus, *nos paulò altius repetendo incipimus ab illis:* Qualiter verò brachium B. Iacobi Apostoli. *Congruentius vt ex lectione historiæ quilibet videre potest.*

2. Ea tempestate qua Balduinus Comes Flandriæ:] *De insolentia huius Balduini, & rebellione contra Henricum secundum Imperatorem, vide Meyerū lib. 3. annalium Flandriæ, ad annum Domini 1053.*

3. *Hoc caput de reliquijs beati Iacobi ex Galetia Leodium allatis, hausit auctor noster ex vetusto codice Ecclesiæ monasterij S. Iacobi Leodiensis scripto, vt suspicor, per D. Lambertum Paruum, de quo ante mentionem fecimus, hic enim non multò post*

hac

A *hac tempora cœpit chronica sua scribere, deducens illa vsque ad annum millesimum centesimum nonagesimum quartum. Eiusdem historia & reliquiarum è Galetia allatarum mentionem faciunt pleraque omnia Chronica, Gemblacense, Tungrense, Carmelitarum &c. Et gesta Abbatum sancti Laurentij his verbis.* Theoduini tempore, Ecclesia sancti Iacobi Leodiensis brachio sancti Iacobi maioris, cum reliquijs sancti Bartholomæi Apostoli, Sebastiani, & Pancratij martyrum meruit ditari, misso ad Galetiam fratre Roberto eiusdem monasterij monacho.

4. *Cùm hæc scripsissem, recepi à Reuerendo Domino Abbate sancti Iacobi Aegidio Lambrecht peruetustum codicem, quo historia reliquiarum è Galetia allatarum plurimum confirmatur, sic enim in eo libro ipse Albertus secundus Abbas mo-*
B *nasterij sancti Iacobi, de hisce reliquijs à se in quodam altari repositis loquitur:* Quæ propitia Diuinitate huic loco contigerunt suffragia prouisionis meæ tempore; ego Albertus Abbas indignus huic indidi scedulæ: vt si forte mutatum fuerit altare, qualiter hæc pignora Sanctorum recondita sint, neminem queat latere. Anno Dominicæ incarnationis millesimo quinquagesimo sexto, indictione nona, imperante Henrico tertio, præsidente huic Leodicensi Ecclesiæ Tietwino Pontifice, quidam è nostris fratribus nomine Rotbertus cum aliquibus Deum timentibus, nostra, & omnium fratrum licentia & benedictione, Galetiam causa orationis adijt, gloriosissimi Iacobi Apostoli reliquias huic loco transmitti à Rege & Pon-
C tifice petijt, & Dei gratia impetrauit. Directæ sunt Sanctorum Apostolorum Iacobi, Bartholomæi, Sanctorumque Martyrum Pancratij, & Sebastiani de corporibus particulæ, ac iussu Episcopi totius vrbis exultatione ac veneratione templo isti præsentatæ, *Hactenus Codex sancti Iacobi.*

Miraculum de eadem re.

D

CAPVT VI.

Haud absurdum est etiam cõmemorare, quid ad gloriam Apostolicæ Sanctitatis obtigerit de sacculo in quo sunt sanctæ allatæ reliquiæ.

Ille, mercatoris cuiusdam mariani fuit, quem domũ rediens (nam de pallio erat) reposcit, recepit, secum detulit, & domi aliquo tempore habuit. Non placuit sanctis, vt res corporum suorum perfuncta sacramentis, vsibus vltra deputaretur humanis: Impedita sunt ergo euidẽtibus indicijs omnia prædicti negotia mercatoris. Offensus damnis, agnouit demum quare sæuiret in eum ira vindicis dis-

Res contacta corporum Sanctorũ sacratæ non volunt vltra vsibus humanis deputari.

D criminis

criminis. Ad patrocinium Apostolicæ pietatis suffugiens, protinus A
init', sacculum retulit, fatetur, quid propter eum passus sit, & longe à se faciens, in monasterio reliquit. Vnde duo vexilla facta ad honorem Apostolicæ dignitatis vsque hodie habentur in Ecclesia sancti Iacobi.

Duo vexilla in Ecclesia sancti Iacobi vnde confecta.

Mercatori protinus fœlicitatis suæ prior redijt copia, namque in arca sua magnum collegit aceruum redundante pecunia.

ANNOTATIONES.

Excerptum est hoc totum caput ex codice sancti Iacobi, de quo ante.

De particula Dominicæ Crucis, per Stephanum Papam Leodium missa.

CAPVT VII.

QVo denique commemorabimus ore illud iteratum misericordiæ Donum, quo Leodiensibus benedixit post hæc verus consolator & pater misericordiarum? Anno enim eodem nundum euoluto, die, qui est celebertimus sanctæ crucis inuentione, sanctos suos adductos in præparatione manus suæ, per idem lignum victoriosissimũ dignatus est visitare. Siquidem Stephanus Papa, qui C
est dictus Fredericus, viuificum Leodiensi vrbi contulit beneficium, In Ecclesia namque sanctæ Mariæ sanctique Lamberti æducatus à puero, cum piæ nutriculæ immensas actitaret gratias referre, non inueniens in quo illam magnificentius posset honorare, sanxit hanc gloriosam portionem prædicti ligni, per Godefridum sancti Petri Præpositum, dirigere.

Stephanus Papa per Godefridum S. Petri Præpositũ, mittit Ecclesiæ Leodiensi portionem ligni S. Crucis.

Cumque prædictus Præpositus Bullionem diuertisset ad castrum Ducis Godefridi Fratris eiusdem Papæ, fraternis admodum ille gauisus donarijs, dignum duxit cum eodem Præposito illa Leodium perferre. Quæ cum primum Hoy, Theoduinus Episcopus excepisset, honorificentissimè iussu eius ad cœnobium sancti Iacobi per Mosam D
Nauigio delatæ, totius Cleri expectatione atque reuerendissima exceptione, cum diuinis laudibus sunt inductæ. Vbi antiphona, *O Crux splendidior*, solemniter decantata, & salutatis nouis eiusdem Ecclesiæ accolis sanctis, ad domum gloriosæ perferuntur Ecclesiæ maioris, scilicet, sancti Lamberti.

Offeruntur Theoduino Episcopo. Cum Hymnis & laudibus à Clero & populo excipiũtur.

CAPVT

A

De reliquijs S. Laurentij temporibus Theoduini Leodium translatis.

CAPVT VIII.

QValiter deinde Leodiensis Ecclesia sub præfato Theoduino de reliquijs beati Laurentij honorari meruerit, hic enarrare curabimus.

Eo tempore quidam Religiosus Clericus Leodiensis vrbis, nobilis familiæ, diuitis census, nomine Godefridus, consuetudinem fecerat
B quotannis sanctum adire Petrum, eiusque misericordiam pro suorum enormitate deprecari facinorum.

In diebus ergo sanctæ quadragesimæ, assumpta pera, sustentatus baculo, sequẽtibus comitibus, pedes adijt caput regnorum Romam, Apostolorum Principis intrauit Ecclesiam, ibique contriti cordis & humiliati spiritus, immolauit hostiam. Inde exiens non vt repatriaret, sed vt mansionem acciperet, disponente Domino, diuertit in cellam Abbatis Huberti consanguinei sui, quæ sita erat secus basilicam prætiosi leuitæ Laurentij, cuius custodia penes eundem Abbatem erat.

Godefridus clericus Leod. diues & nobilis quotannis peregrinatur ad vrbem, pro remissione peccatorum impetranda.

Non est autem hæc, quam dico, basilica ipsa, in qua sacratissimum
C corpus eius tumulatum est.

Nec illa, quæ in palatio Lateranensi basilica est ipsius martyris, quę dicitur, *sancta sanctorum*, propter excellentiam scilicet reliquiarum, quæ illic habentur tam de sancto sanctorum, id est, de Domino nostro Iesu Christo, quam de alijs compluribus sanctis, cum sint etiam ibi capita & artheriæ sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ac plurimum de carbonibus & sagina beati Laurentij. Cuius etiam illic altare tanto excellit priuilegio, vt nemini præter Apostolicum concedatur super illud sacra celebrare missarum solemnia. Illic etiam videre est reuerendam quoque imaginem Christi, quam dum sanctus Lucas Euangelista effigiare cępisset, vt dicitur, mire in crastinum reperit consummatam, ab illo nimirum opifice, cuius sunt *manus tornatiles
D aureæ, plenæ hiacinctinis*. Loco igitur tam illustri, persona præfigitur, probatæ fidei ac religionis, videlicet primus subdiaconorum Apostolicæ Sedis, cuius est priuilegium, mitra, & annulo atque consecrato recens summo Pontifici, tradere claues summæ domus, hoc est Lateranensis palatij.

Plures sũt Basilicæ S. Laurentij in vrbe. Vna in qua eius corpus tumulatum est.

Quædam in palatio Lateranensi, quæ dicitur sancta sanctorum.

Quæ in ea reliquiæ.

Cant. 5.

Qui illius habeat custodiã.

Sed neque ea Ecclesia est quæ vocatur *ad craticulam*.

Nec ipsa est basilica, quæ *Damasus* nuncupatur. Hanc enim Damasus Papa construxit, nec non reliquijs eiusdem martyris insigniuit, locumque ex suo nomine Damasum nominauit.

Neque est ipsa basilica quæ *Lucina* appellatur, eo quod Lucina Ro-

Basil. S. Laur. ad craticulam dicta.

Basil. S. Laur. Damasus nuncupata.

Basilica sancti Laurentij Lucina appellata. *Quæ in ea reliquiæ continentur.*

manorum clarissima celebri sumptu extructam, in honore illius Ecclesiam conquisitis pignoribus celebriorem fecit, cathena, scilicet, A qua idem martyr vinctus, & craticula super quam assatus, & vno ex forcipibus ferreis, quibus desuper fuit coarctatus, & parte carbonum, & sanguine à sacris artubus à Iustino & Hippolito expresso, linteo denique illo, vt fertur, de quo in catasta cruentati membra viderit Romanus angelum extersisse, qui extra muros sub maiori basilicæ altari cum prothomartyre Stephano conditus esse dicitur, quod videlicet altare talis est priuilegij, vt exceptis sex Cardinalibus, qui ad hoc deputati sunt, nemini super illud diuina concedatur celebrare mysteria. Tot quippe Romæ in eius honore templa habentur. B

Basilica sancti Laurētij cuius custodiā habet dictus Hubertus Abbas.

Hæc vero Basilica cuius custodiam dictus Hubertus Abbas habebat paruo quidem opere, sed non vili pretio condita est, vtpote quæ cameris ornatur lapideis, & rutilat tota diuersis metallis, & marmoreo paui mento. In qua quidem structura, nec paries ligneus, nec trabes, nec aliud huiusmodi habetur. Timentes enim Romani ignis crebros fragores nullam ibidem ei materiam concessêre.

Habet ampullam in qua est liquor de corpore S. Laurentij expressus.

Hæc igitur Ecclesia omni populo Romano frequentatissima est & venerabilis, quoniam ibidem in ampulla cristallina liquor ille habetur, qui desuper craticula ab Hippolito & Iustino de eius corpore expressus est. Hoc thesauro nihil charius putat diues Roma, cui etiā custodes deputantur per succedentia tempora, tales scilicet, quorum magna probetur auctoritas. C

Hubertus Abbas fidit dicto Godefrido propinquo reliquias S. Laurentij

Per id tēporis iam dicto Abbati Huberto huiusmodi excubiæ traditæ erant: ad quem cum diuertisset supradictus Godefridus, aliquot diebus ab eo retentus, cœpit ingredi Basilicam & egredi, & scrutari singula quæ ibi haberentur Sanctorum pignora.

Ille nihil suspicatus aperit de cūctis, & meritū & famā declarat loci. Nouus hospes gratanter ea amplexatur, & propinquū vt fideliter tantum thesaurum asseruet precatur, ne suis (quod absit) temporibus annihilentur.

Godefridus proponit furari reliquias

Seorsim autem æstuare cœpit, quomodo de ipsis reliquijs furaretur, & cœnobio S. Laurentij Leodij sito impertiretur, quoniam idem clericus eiusdem cœnobij monachis familiarissimus, & quasi vnus D erat ex eis.

Nobilem parat fraudem, & quæ illa.

Captata igitur Abbatis Huberti absentia, qui ab vrbe ad quædam discesserat necessaria, fraudem nobilem parat, vnū de familiaribus secum assumit, Ecclesiam noctu, quasi matutinas dicturus intrat, cū nemo eū prohiberet, quia nec suspicio de eo esse poterat, accedit ad altare, ampullam cristallinam deponit, vt in suam quam parauerat, liquorem sanctum transfundat. Sed liquor crassus & coagulatus fluere non poterat, & necesse erat aliquo adminiculo eundem secerni ab altero. Cum autem neque in tota basilica parum quid ligni haberetur, vnde secerneretur, neq; foras ad quærendum exire

auderet

A auderet. Facta difficultate, cœpit mœrere, insuper & sancti martyris meritum implorare. Cumque genu flexo pectus tunderet, reducto paululum visu conspicatur in pauimento mundo, quasi eadem hora paratum paruissimum lignũ huic operi satis congruum. Hoc assumẽs quasi cælitus missum, ex vase illo cristallino trãsposuit in vas suũ liquorẽ sanctissimũ. Mirabile dictu, statim sequitur odor suauissimus vltra omnia fragrãs balsama: Etenim ipsius verba sunt: *Ego me obtuli sacrificium Deo in odorem suauitatis*. Quæ tamen res male virũ habebat timentem ne bonus odor ille sibi esset ad mortem, si id vsquæquaque Romani persentiscerent.

Liquor sacer odorem reddit suauissimum.

Parato igitur regressu, non pedes, vt venerat, sed eques regredi disB posuit, & hospitem fallens, imo occasionem nactus morarũ ipsius, de media nocte Roma egreditur, etiam etiamq; retrospiciens, cum ipse odor nullo modo cessaret, neq; securũ egredi sineret. Quid plura? Leodium prospero cursu perueniens, Episcopo loci Theoduino rem omnem aperit. Super quo lætabatur Pontifex, cui tantũ thesaurum suæ diœcesi per suum seruum Dominus destinasset. Igitur cum eius benedictione, transferre ad præfatum familiare sibi cœnobium pignora sanctissima pergit.

Theoduino Episcopo rem totam aperit.

Cum Episcopi benedictione transfert ad monasterium S. Laurentij.

Erat ipso in tempore tanta pluuiarum inundatio, tamque valida imbrium effusio, vt pene alterum diluuium crederetur. Iam vero cum quanta alacritate populus innumerabilis processerit, quam religiose omnis Clerus & populus cum hymnis & laudibus pretiosas C reliquias ad cœnobium vsque perduxerit, nisi qui præsens vidit, vix credere potest. Pro serenitate aëris, pro tranquillitate pacis voces leuabantur ad aures vt creditur peruenientes Dei omnipotentis.

Maxima pluuiarum inundatio sedatur in aduentu reliquiarum S. Laurentij.

Quanta populi deuotione & reuerentia recipiuntur sacræ reliquiæ

Difficulter credetur quod dicturus sum, sed quoquo modo credatur, ego Deum testem inuocans, non aliud & dicam & scribã, quam quæ ex eorũ scriptis qui ea viderũt accepi. Post exceptionem sacrarum reliquiarum, vbi vsque ad cornu altaris perlatæ sunt, & chorus litaniam exorsus est *Kyrie eleison*, Domine miserere, sol qui fuerat in nubilo pene per vnum mensem, ita hora eadem radiorum suorum lucem profudit, vt ambabus manibus populus plauderet, & præ D magnitudine lætitiæ lachrymas abunde funderet. Nec fortuita fuit illa serenitas, sed continua, perseuerans, quæ omni mundo spem reddidit & salutem. Acta fuerunt hæc Leodij, pridie nonas Iunij, anno pontificatus Theoduini vicesimo sexto.

Admiranda serenitas.

ANNOTATIONES.

I. *Gesta Abbatum S. Laurentij de his reliquijs sic loquuntur.* Qui scilicet S. Laurentius cum sæpe ciuitati Leodiẽsi subuenerit, ea præcipue die iucundã vultus Dei hilaritatẽ tristis obtinuit, qua Godefridus Canonicus S. Lãberti pignore eiusdẽ S. martyris (sicut apud nos scriptũ habetur) ab vrbe Roma detulit. Sol quippe toto mensis vnius spatio nascẽtes, tũc fruges nullo iuuerat caloris beneficio, nimiaq; pluuiarũ iniuria,

ſpem omnẽ totius anni tam in agris quam in vineis penè conſump- A
ſerat: Nec exaudiebantur quærentes miſerationem à Domino, qui ſibi opposuerat nubem ne tranſiret oratio,ſed ea die congregatus in hac Eccleſia clerus & populus, cum pro ſerenitate miſſas celebraſſent,mox vt clamatum eſt, *Kyrie eleyſon*, ſciſſis eodem momento nubibus, ſol ſerenus effulſit, terramque deinceps diutino ac ſufficienti calore refecit.

Et paulo poſt in Geſtis Stephani primi Abbatis ſancti Laurentij qui tempore Theoduini Epiſcopi floruit,ſic loquitur: Eius etiam Theoduini tempore Eccleſia noſtra glorioſiſſimi patroni noſtri beatiſſimi Laurentij reliquijs meruit honorari per Godefridum maioris Eccleſiæ Præpoſitum.

2. *Poſtmodum anno Domini milleſimo nonageſimo ſexto, vt in ijſdem Geſtis Abbatum legitur Berengerus Abbas, harum reliquiarum annuam feſtiuitatem inſti-* B
tuit, & à ſuis religioſis ſeruari mandauit, ſic enim ibi legimus: In nomine Domini, Amen. Berengerus Abbas totuſque conuentus beati Laurentij in Leodio, omnibus Chriſti fidelibus in perpetuum. Nouerint omnes huius Eccleſiæ filij, & iuniores noſtri iunioribus ſuis, & poſteri eorum poſteris ſuis annuncient, quod exceptis reliquijs, quæ tempore cõſecrationis poſitæ ſunt in altari beati patroni noſtri Laurentij,duæ ampullæ, vna chriſtallina plena, & altera vitrea media de pinguedine, id eſt ſagina corporis ipſius beati martyris,à nobis reconditæ ſunt in inferiori parte eiuſdem altaris, cum reliquijs Sanctorum infra ſcriptorum, & aliorum multorum nullo ſcripto C
vel titulo deſignatorum. Quæ ſcilicet beati Laurentij reliquiæ tempore Domini Stephani primi Abbatis huius loci,à quodam religioſo canonico S. Lamberti nomine Godefrido, poſtmodum Leodienſi præpoſito,ab vrbe Roma ſunt delatæ, & in hac Eccleſia quarto idus Iunij honorificè ſuſceptæ, deinceps ab illo tempore ipſam diem fecerunt nobis feſtiuam & celebrem. Quam etiam omni tempore dum ſubſiſtet locus iſte conuenit condigno cultu celebrare, & beatum patronum noſtrum Laurentium oportet credere pro hac parte corporis ſui totum meritis nobiſcum eſſe. Quem & ſi oculis non videmus, beneficijs tamen & defenſione loci pręſentem eſſe clariſſimè ſcimus. Si quis autem percunctetur quare in interiori altaris ſinu illatæ ſint, merito id actum credat,quia eo tempore quo omnium oculis patebant, & pene omnium manibus erant expoſitæ, occulte D
& palam cœperunt ſubripi & imminui.Quarum maiorem in futuro pręcauentes direptionem;eas occultiore altaris clauſura abdidimus, ne perditis illis,ſalutis noſtræ præſidium perderemus: ſed cum ſaluatione illarum, noſtram & omnium futurorum huius Eccleſiæ filiorũ ſaluationem lucremur. Præcipue hoc monemus,vt celebritas diei qua ſuſceptæ ſunt, non prætermittatur quin ſit feſtiua, & ſuſceptionis earum annatim iucundiſſima lætitia innouetur. Acta ſunt hæc anno Dominicæ incarnationis milleſimo nonageſimo ſexto.

3. Quomodo de ipſis reliquijs furaretur.] *Summiſtæ diſputant vtrum*
liceat

A *liceat reliquias furtiuè subſtrahere, & trāſferre vt alibi honorabilius collocentur, & concludunt non licere, imo huiuſmodi ſubſtractorem ſacrilegium committere 17. 44 Quiſquis. Quod verum eſſe aiunt etiamſi ex deuotione fiat ſecundum Raden. & Hug. Alterius ſententia videtur fuiſſe noſter Aegidius, & forſan Theoduinus Epiſcopus. Nam Aegidius furtum Godefridi vocat* nobilem fraudem, *& Theoduinus re hac omni cognita dicitur* multum lætatus fuiſſe, *& forſan communis fuit illius tēporis error, qui vtinam & hodie apud homines alioquin etiam religioſos non vigeret.*

De Theoduini obitu.

CAPVT IX.

B

POrrò Theoduinus floruit ſub ſeptem Apoſtolicis viris, Leone nono, Victore ſecundo, Stephano nono, Alexandro ſecundo, & Gregorio ſeptimo, obijt autem anno Domini 1075. nono Kalend. Iulij Pontificatus ſui anno fere 27. tertio anno Gregorij, qui & Hillebrandus primo dictus eſt, vt ex his verſibus videre eſt.

Anno milleno quinto cum ſeptuageno,
Migrauit Dominus de corpore Theoduinus.
Communis paſtor reliquis, pater vnice nobis,
Cui nouies ternos præſul ne clauderet annos,
Inuidit numerum triginta quinque dierum.
C Iunius ad Iulias nona ſub luce calendas.

Sepultuſque eſt Hoy cum maximo honore in Eccleſia beatæ Mariæ, ante altare eiuſdem Mariæ ſemper virginis, quod beatus Maternus primus Tungrorum Epiſcopus in honorem ipſius virginis conſecrauerat, temporibus Clementis primi Romanorum Pontificis & Traiani Imperatoris.

Facta quoque eſt ſuper eum tumba decentiſſima in hunc modum. Erat namque lapis niger, qui adhuc apparet ſuper pauimentum eminens, iuxta quem in circuitu erāt collocatæ per ordinem ſex columnæ æneæ deauratæ, ſuper quas locatus fuerat lapis marmoreus, *Tumba Theoduini Epiſcopi* D albo rubicondoq; colore mixtus, habens in circuitu lignum, ſuper quod erant affixæ laminæ muſiuo opere mirabiliter decoratæ, continentes hos verſus.

Cœpit, compleuit, ditauit, & ipſe dotauit
Gemmis, argento, picturis, veſtibus, auro
Hoc Theoduinus opus.

Et cum cæteris verſibus. Erat circa ea quæ ſuperius dicta ſunt, ciſta ferrea mirabili opere conſtructa, floribuſque ferreis deſignata per circuitum, omnia ſupradicta in ſe continens.

ANNOTATIONES.

Sub ſeptem Apoſtolicis.] *Sub ſeptem iſtis Pontificibus Roomanis, quorum tempore Theoduinus hic floruiſſe vere ſcribitur, mirabiliter Eccleſia catholica*

lica afflicta fuit ab Henrico quarto Imperatore, super iure eligendi Pontificem & Episcopos, id enim ius à centum quinquaginta circiter annis vsurpauerant sibi Imperatores, & valde pertinaciter Henricus sibi retinere volebat. Hic Leo Germanus natione, cum ab ipso Henrico Imperatore, renunciatus esset Romanus Pontifex, sciret vero Imperatores non habere potestatē creandi Pontifices, sed ad Clerum populumque Romanum pertinere, tanquam priuatus Romam venit, remq; omnem ad Clerum Romanum retulit, qui eum tanto libentius in pontificem elegit. Ab hoc ergo pontifice vsque ad Gregorium 7. cuius anno tertio mortuus est Theoduinus, controuersia continua fuit in Ecclesia super hoc iure, tandemq; ipso Henrico excommunicato & ab Imperio deposito per Gregorium iam dictum omnino sopita fuit. Cum vero postmodum hic Henricus Leodium perfugisset, & ibidem vinculo excommunicationis innodatus, mortuus & in loco sacro sepultus esset, Ecclesia Leodiensis apud Ecclesiam Romanam male audiuit, vt suo loco dicemus. A B

Sub iisdem pontificibus acta fuerunt diuersa concilia contra Symoniacos hoc est institutos in beneficiis per laicos, & contra vxoratos sacerdotes. Sigebertus, Herm. Contractus & alij.

De electione Henrici primi.

CAPVT X.

POst decessum Dñi Theoduini exorta est contentio inter potentes agendę electionis, sed dum plures fieri vellent Episcopi, nulli eorũ vt Episcopus esset, contigit. Nam Dux Bullonij Godefridus, cum persensisset Theoduinum Episcopum obiisse, precibus suis obtinuit apud Regem nemini concedendum donum Episcopij, nisi quem ipse præsentaret ei. Moxque misit ad Henricum cognatum suum Virdunensem Archidiaconum, virum vita & genere nobilissimum, filium scilicet Frederici Comitis Tullensis, & ei, vt remota omni dilatione ad se veniret, mandauit. Festinauit ille Duci occurrere incertus omnino quid vellet. Leodienses vero propter contentionem præfatam nulla adhuc electione firmata, ne videretur iniuriosum Regi baculum Pontificalem paulo morosius referri, vt eum referret iniunxerunt Theoderico Abbati. Quidam autem de Clericis anticipans alter alterum Curiam irrepserant, sperans quisque se vel Episcopium obtenturum, vel alterius gratiam suo suffragio promeriturum. Interea suggessit Dux Henricum adesse, cui Episcopium donandum destinasset, dignaretur Rex, vt mos est eius donationis agendæ, pro tribunali sedere, & vocatis Leodiensibus Episcopum illis constituere. Leodienses euocati, licet morderentur latenter nemini eorum quod sperauerāt prouenisse, ne tamen voluntati Regiæ, quæ in negotio præponderabat, viderentur deesse, Theoderico Abbati ex consilio referendam imposuerunt Domini Henrici electionem. Qui cum cæteris assistens Regi, vt erat vir vrbanæ elegan- C D

Contentiosa electio noui Episcopi.

Godefridus dux Bullonij impetrat à rege Episcopatū.

A elegantiæ, promptuſque latialis eloquentiæ, eligat (inquit) eum Deus, & ab eo prælectum nos quoque voluntarie eligendum decreuimus.

ANNOTATIONES.

Theoderico Abbati:] *hic Theodericus ad preces S. Popponis Imperatori Henrico directas, Poppone Abbate Stabulenſi tunc temporis lecto mortis decumbente, conſtituitur à præfato Imperatore Abbas Stabulenſis. Qui etiam poſtmodum à fratribus monaſteriorum Stabulenſium & Malmundarienſium defuncto Poppone canonice eligitur in Abbatem Stabulenſem. Hic plurima paſſus fuit tempore diſſentionis monaſteriorum Stabulenſium & Malmundarienſiũ. Vide Geſta Abbatum Stabulen. & Mal.*

B

De eius ordinatione & obitu S. Annonis.

CAPVT XI.

HIc Dominus Hẽricus Epiſcopio donatus, & obſequente Duce in vrbem fauorabiliter receptus, non multo poſt à Domino Annone Colonienſi Pontifice ſolemniter eſt conſecratus, à quo etiam adiuratus eſt ſub teſtimonio collatæ ſibi benedictionis, vt eius quoque vtamur verbis, *per benedictionem* (inquit) *Patris tui Annonis obteſtor te, vt deſtruas ſuperbiam & inſolentiam VVolbodonis.* *Henricus conſecratur Epiſc. ab Annone Colonienſi Pont.*

Fuerat autem Wolbodo Abbas Eccleſiæ B. Laurentij, qui nimium C confiſus gloriæ ſuæ & nobilitati, quia venerabilium Epiſcoporum ſancti Wolbodonis & Reginardi proximus erat & affinis, illum referens patris patruum, iſtum referens matris ſuæ fuiſſe auunculũ, illiuſque ergo ſe nimis extollens, longe ſe habebat aliter quam conueniret monachicæ profeſſioni. *Superbia VVolbodonis Abbatis S. Laur.*

Nec diu moratus Epiſcopus priuatis illum admonitionibus corrigere, cum videret ſe in hoc non ſolum non proficere, ſed illum magis ad deteriora ex indignatione deficere, conſtituit diem ad diſcuſſionẽ eius publicã. Conueniẽtibus Abbatibus & Archidiaconis, cum ſe Wolbodo nõ poſſet purgare à criminibus obiectis, decreta omnimoda res eius in poteſtate & diſpoſitione Epiſcopi. Epiſcopus, ne accelerando iuſtitiã, videretur euacuaſſe miſericordiã, obtulit ei locũ D & tempus agendæ pœnitentiæ, decreuitque vt Virdunum apud S. Aggericum aliquamdiu priuatus ſecederet, & inter religioſos viros ibi nouiter aggregatos ſatiſfactionem ſuam dignam miſericordia comprobaret. Conceſſit ille primum iudicio ſapientium Epiſcopali decreto ſe cõſenſurum, ſed ad horam locutus quibuſdam ſuis, quod prius promiſerat, exequi poſt, publica cõtradictione recuſauit. Epiſcopo exigente, vt daretur ſententia huic reſultationi & inobediẽtiæ decretum eſt ab omni Conuentu, vt de ipſa Abbatia liberè ad placitum ſuum diſponeret, cuius Abbas conuictus de criminibus nollet illi ad emendationem obedire. *Admonetur ſæpius ab Epiſcopo, & fruſtra.* *Mittitur ab Epiſc. Virdunũ.*

E Nec

Nec moratus VVolbodo ad Regem Henricum abijt eiusque violentia aduersus Episcopum conatus est se tueri. Qui dum Ecclesiasticam iustitiam sæculari audientiæ prostituit, secundum sacros canones, omnem sibi aditum recuperationis obstruxit. Nam nec precibus Regijs nimijs, potuit Episcopus attrahi vt eum restitueret, obtestatus se malle Episcopium ad tempus intermittere, quam eiusmodi insolentiam pati sine congrua satisfactione. Sic Wolbodo desperatus Hungariam concessit, indeque ad Regem in expeditione Italica positum reuersus, ad mortem vsque Domini Henrici Episcopi moratus est apud eum. A

Episcopus non mouetur Regis precibus.

His actis circa Leodiensem Synodum, quæ agitur in festo Apostolorum Symonis & Iudæ, idem VVolbodo damnatur, & in locum eius Berengerus prior Ecclesiæ S. Huberti subrogatur. B

VVolbodo Abbas deponitur.

In sequenti aduentu Dominus Anno religiosus Pontifex Coloniæ vita decessit cũ maximo damno totius illius prouinciæ, sepultusque est in cœnobio Sibergensi, quod ipse proprijs sumptibus construxerat,

Eodem tempore percussit Dominus, sensuque alienauit Abbatem sancti Trudonis Adelardum huius nominis secundum in Hasbania, quia religio sub ipso cœpit tepescere, & monachalis disciplina annullari: qui ductus est Leodium ad Ecclesiam sancti Laurentij, tactusque multis diebus fræneticorum more in cripta ad sepulchrum beati Wolbodonis Episcopi, tandem curatus est. C

Adelardus Abbas, sanatur ad sepulchrũ VVolbodonis.

Hic ædificauerat magnam Ecclesiam sancti Trudonis, & Ecclesiã sanctæ Mariæ in foro, & duodecim alias in diuersis locis & villis proprietatis suæ Ecclesiæ.

Anno Domini 108.7. Idus Martij igne resolutum est illud nobile & sumptuosum opus Ecclesiæ sancti Trudonis, columnæ etiã cum monasterio corruerunt.

Defuncto Abbate Adelardo, duo eliguntur, Lanzo Abbas S. Vincentij Metensis, & Lupo monachus S. Trudonis. Episcopus vero Leodiensis Henricus consentit in Lanzonem, qui postquam introductus est in Abbatiam, à Lupone expellitur; pro qua re anno Domini 1087. obsessum est diu oppidum sancti Trudonis ab Henrico Episcopo Leodiensi: Lupo autem turrim Ecclesiæ, quæ de incendio remanserat, munijt, & in eandem se recepit. Tandem redditum est oppidum Henrico Episcopo, ab oppidanis, saluis suis corporibus & bonis. Cumque ingrederetur exercitus Episcopi, Brustemienses, qui ab antiquo aduersabantur Trudonensibus, & eos semper habuerant exosos, cum alijs ingrediuntur, & totum oppidum cum Ecclesia parochiali beatæ Mariæ ab ipsis callidè concrematur. D

Episcopus confirmat Lanzonem electum.

Obsidet oppidum.

Brustemienses ab antiquo aduersarij Trudonensibus.

ANNOTATIONES.

1. Per benedictionem Patris tui Annonis obtestor.] *Adstipulantur Gesta Abbatum S. Laurentij, ex quibus auctorem nostrum historiam depositi VVolbodonis*

A *donis hausisse verisimile est. Consentit quoq; magnum Chronicon Belgicum, sic enim inquit.* Ille Henricus Abbatem superbum S. Laurentij nomine Wolbodonem deposuit, & Berengerum priorem S. Huberti eius loco substituit.

2. In sequenti aduentu Dominus Anno.] *De hoc Annone Archiepiscopo quędam pręcedenti Tomo diximus ad calcem epistolę dedicatorię Anselmi ad hunc Annonem scriptę. Migrasse illum ex hac vita anno Domini 1075. in aduentu, testatur Lambertus Schafnaburg. Sic enim ille:* Annum hunc 1075. multis cladibus insignem, potissimum lugubrem fecit obitus Annonis Coloniensis Archiepiscopi, qui post longam ægrotationem, quâ Dominus vas electionis suæ in camino tribulationis transitoriæ, purius auro, purgatius mundo obriso decoxerat, pridie nonas Decembris beato fine B perfunctus, ad angelos ex hominibus, ad immortalia ex mortalibus transmigrauit. Testantur hoc signa & prodigia, quæ quotidie circa sepulchrum eius Dominus ostendere dignatur, ad confutandam impudentiam eorum, qui paulò ante eius vitam sanctissimam, atque ab omni huius mundi labe, quantum ad hominem, integerrimam, liuido dente carpebant, & preciosam margaritam iam olim cælestis Regis diademati destinatam, falsis rumoribus obfuscare conabantur. *Hactenus Lambertus, qui pergit ab exordio eius institutum vitę valdè laudabilis, ac plane Apostolicę recensere. Ceterum res ab eo prąclare gestas monachus Sigebergensis cœnobij & ipse eiusdem sęculi sincerus scriptor tribus libris est prosequutus, qui extant integri apud Surium Tom. 6. die 4. decemb.*

C 3. Percussit Dominus sensúque alienauit:] *Tota hęc historia clarè explicatur in Gestis Abbatum S. Laurentij, sic enim ibi habes,* His diebus tempore Adelardi secundi huius nominis Abbatis Sepulchrum sancti Trudonis frequentissimis quotidie coruscabat miraculis, in tantum vt multitudinem peregrinorum non solum templi ambitus, sed etiam totius oppidi locus ferre non posset. Oratorium, chorus, claustrum, nocte dieque, nollent, vellent monachi, non inueniebatur à multitudine vacuum. Quod magnæ fuit molestiæ senioribus monachis solitis & volentibus Deo seruire in silentio; sed iuniores quibus tædio fuit religio, & disciplina odio, gratulabantur talem se occasionē habere, & cœperunt cuncta ex libito agere. De oblationibus autem altaris, quæ aliquando in hebdomada centum marcis æstimabātur D quid dicam? Exhaustus enim denariorum aceruus, plurimos in custodiendo custodes fatigabat, plura enim audax fraus substrahebat: nam non vno tantū anno vel duobus, sed per totū tempus vitę dicti Abbatis Adelardi, viginti septem scilicet annis perdurauit. De quibus pecunijs ipse Abbas ædificauit Ecclesiam magnam sancti Trudonis, & Ecclesiam S. Mariæ in foro, & alias 12. in diuersis locis & villis proprietatis Ecclesiæ suæ. Sed quoniam quicquid à discipulis delinquitur ad Abbatem respicere beatus Benedictus testatur, percussit eum Dominus, eo quod nimis remisse ageret circa animarum tantum periculum & sensu alienatus fræneticus est effectus. Et cum

tanta miracula Dominus quotidie per sanctum Trudonem operaretur, ipse tamen ibidem non potuit curari: Ductus est itaque Leodiũ ad hoc præsens nostrum sancti Laurentij monasterium, factusq; nõ paucis diebus more fræneticorũ, in cripta beatæ Mariæ semper virginis curari tandẽ meruit ad sepulchrũ S. Episcopi Wolbodonis quod illis diebus frequentibus coruscabat miraculis, atq; in sobrietate sensus vsq; ad finẽ vitæ suæ incolumis permansit. Obijt anno Domini 1082. octauo idus Decembris, & in Martio sequenti igne resolutum est illud nobile & sumptuosum opus S. Trudonis, columnæque cum monasterio corruerunt. A

4. Anno Dñi 1082. 7. Idus Martij igne resolutum est:] *Incendium Monasterij S. Trudonis graphicè depingit Bruistemius his verbis* Anno iam dicto corruit mirificum illud & pulcherrimum opus, monasterium S. Trudonis, quod incomparabilibus his in terris columnis & tectura irrecuperabili penè consummauerat pia sollicitudo Adelardi Abbatis secundi. Tantumq; fuit non dicam infortunium, sed occultum Dei iudicium, vt de vna domuncula longè quidem posita in toto oppido hoc solum combureretur Monasteriũ. Globus namq; ardentis straminis altissimè se attollens ab incendio flammiuomẽtis domunculę super nidum Ciconię in vnam duarum turrium visus est corruisse. Et oppidanis ad clausum Monasterij ostium concurrentibus, sed fratribus caussam nesciẽtibus, tam diu protelatus est introitus, donec via ignea inexpugnabile sibi præoccupasset totius domus imperiũ. Occidit tandẽ igitur illud Monasteriũ, cuius simile amplius non erit, illæ enim mirabiles colũnæ, super quibus labor, expensæ, opus, studiũ pulchritudo, magnitudo vix referri potest, ita funditus igne resolutæ corruerũt, vt de 12. non possit vna reformari præteritarũ similis. B C

Hoc eodem anno, *secundum Sigebertum,* Gualterus ex clero sancti Lamberti in Anglia Episcopus, Anglorũ odijs innocẽs impetitur, & in celebrãdo missam ab eis quasi alter Stephanus Papa martyrisatur.

5. Pro qua re Anno Dñi 1087. obsessum est diu oppidum S. Trudonis:] *De hac obsidione, & deditione, & subsequuta per Bruistemienses concrematione, spoliatione, cædibus, & totius tandem oppidi vastatione, audi Bruistemiũ de Bruistemiensibus patriotis suis loquentem:* Igitur, *inquit*, nono Iulij feria secũda obsessũ est ab Episcopo oppidũ S. Trudonis, ipseq; Episcopus resedit ante portã qua itur Sarchiniũ. Erat tũc totũ oppidũ vallo firmissimo munitũ, atq; desuper postib⁹ fortissimis, magnisq; tabulis coronatũ. Super singulas portas turres lignee eminẽtius ædificatæ strataq; per mediũ, & vestitæ ꝑ circuitũ trabibus firmissimis. Pręterea turris Monasterij firmissima quasi arx excelsa in medio oppidi eminebat. His itaq; freti munitiõibus cum multitudine maxima bellicosorũ, magnæq; audaciæ virorum, potuissent non multum timere obsidionem illam, nisi propter iniustam illorum causam. Orta est itaque inter ciues seditio, alijs de deditione murmurantibus, alijs de repugnatione reclamantibus. Inuitis igitur his qui turrim occupauerant, alij D

quos

A quos iam pœnitebat cœptæ obsidionis sese Episcopo tradunt, vt saluis rebus suis & corporum sibi incolumitate concessa, Episcopus cederet ab oppidi obsidione. Erat tunc temporis inter Bruistemienses & Trudonenses grauissimum & antiquum dissidium, quo alterutros nunc lancea, nūc sagitta, plerumq; & gladius vsq; ad quāplurimos adhuc de potioribus viris vexauerat. Itaq; Bruistemiēses audito rumore de pace inter Episcopum & oppidū sæpedictū facienda, grauissimè ferunt, & quicquid illud sit moliri audēt ad excidium Trudonensiū. Post posita igitur fide qua Episcopus obsides susceperat, eadē hora, per quosdā vltra vallū accessus oppidū transiliūt Trudonensibus nihil minus suspicantibus, quā pro pace datis obsidibus laudāda. Prius ergo silenter igne iniecto deinde pedestri populo B clamoribus in id ipsum excitato, demum in igne & ferro totum inuadit exercitus oppidū. Dolendum erat & lachrimosum videre cum victrix flamma Ecclesiam B. Mariæ virginis absumeret. In fori etiam medio grauissimo commisso certamine, armorum collisione, ac singultuosa humani sanguinis effusione, tetra, & lugubris erat illius diei facies, horribilis quoq; & cruenta tota fori planities. Præualet tandem Bruistemiensium multitudo, & Trudonenses in aceruum retrogrado coēgit vestigio. Heu quātus sanguis ibidē effusus fuit priusquam possent oppidani compelli intra portas Monasterij. Noctis tādem superueniente beneficio, hostes vtrinq; cessauēre. In toto oppido nec minima domuncula die illa superfuit incendio. Acta sunt hęc C 8. Idus Iulij anno Domini millesimo octuagesimo quinto. *Idem referunt Gesta Abbatum sancti Laurentij.*

Quomodo pacem instituit teneri infra Episcopatum, & de eius obitu.

CAPVT. XII.

POst hæc Henricus pius cogitans illud Sapientis dictum *vbi non est gubernator, populus corruet*, & quam verè hoc dictum sit prospiciēs dum vsque ad tempus sui Episcopatus tot animę in sua diœcesi perierunt, vt ille insatiabilis *infernus* tot capere nō posset, nisi *dilataret os suum*: Nam repleta fuerat hæc terra sanguine occisorum; terra absque gubernatore, terra indisciplinata, vnde timendū ne forte maledicta, Scriptū est enim: *Maledicta domus indisciplinata.* Quia vero disciplinæ fræno caruerant non modo tot hominum cædes, sed incendia quoque & prædas continuas atque rapinas palā fecerunt, & ex magnis diuitijs multos ad inopiam & vsque ad mendicitatem redegerūt. Denique quicumque veniebant in captionem inimicorum suorum tam crudeli morte torquebātur, vt mors eis melior esset quam vita. Nam & humanius etiā tractarentur à paganis. Hęc autē rabies natali Dñi, siue quadragesima appropinquante plurimum desæuiebat.

Prouerb. 11.

D *Esaiæ 5.*

Tempore Henrici primi, & homicidia, incendia, & rapinæ grassabantur per patriā.

Vnde maximo dolore commotus Henricus Episcopus, sæpe conuenit & multum institit vt Principes terræ legem aliquam ponerent, cuius timore cessarent tot illa homicidia, & cætera mala intolerabilia. Hi autem sunt Principes: Comes Namurcensis, & frater eius Henricus, Comes Palatinus Marchio, Comes Conrardus, Comes Henricus de Lemburch, Comes Henricus de Lache, Comes Arnulphus de Los, Comes de Louiniaco, Comes Cono de Horr. A

Lex contra homicidia.

Horum omnium petitione, consilio, & voluntate decretum est, vt à primo die aduentus Domini vsque ad exactum diem Epiphaniæ, & ab intrante septuagesima vsque ad octauas Penthecostes, infra Episcopatum Leodiensem nemo arma ferat, nisi fortè inde exiens ad alia loca, aut aliunde domum reuertens. Incendia, prædas, assultus nemo faciat, nemo fuste aut gladio, aut aliquo armorum genere vsque ad collisionem membrorum aut internetionem in quempiam desæuiat. Quod si hoc fecerit homo liber, hæreditatem perdat, beneficio priuetur, ab Episcopatu pellatur. Seruus autem amittat omne quod habet, & dexteram perdat. Quod si culpati fuerint contra pactionem hanc, liber, iuretur cum duodecim: Qui vero liber non est, iudicio se purget, si tamen signa fuerint manifesta, alioquin cum septem se immunem esse probet. B

Incipiet autem obseruatio huius pacis sexta feria statim illucescēte aurora, & durabit vsque ad exordium diei, qui vulgariter appellatur dies lunæ, & obseruabitur per omnes festiuitates, quæ propriè in hoc Episcopatu celebres habentur, & similiter per omnes illas, quas vbique vniuersalis celebrat Ecclesia, & maximè in festiuitate S. Lamberti, & in dedicatione, & duobus diebus ante & duobus post in vtraque festiuitate, propter aduentum & reditum cæteraque impedimenta. Deniqúe etiam in ieiunijs quatuor temporum, & in vigilijs prædictarum festiuitatum eadem lex & pactio tenebitur, excepto quod in illis arma licebit ferre, ea tamen conditione ne alicui noceatur. Hanc pactionem si quis violauerit, nouerit se excommunicationi subiacere. C

Hæc omnia venerabilis Henricus Episcopus omnium consensu, & collaudante omni populo, infra Leodiensem Episcopatum teneri instituit anno 1071. sexto Calendas Aprilis.

Multa Henrici Episcopi pietatis opera.

Moritur anno Domini 1091.

Sunt autem & alia multa eius pietatis opera quę in Episcopatu gessit quæ ne lectoribus fastidium generent, hic omittimus. Nam vitæ suæ cursu in bonis operibus consummato, pridie Kalend. Iunij defunctus est anno Dominicæ incarnationis 1091. ordinationis vero suæ anno 18. sepultusque est Hoy in Ecclesia B. Mariæ iuxta chorum, ante altare beati Ioannis Baptistæ. D

Ecclesia B. Mathæi in Flones

Sub isto Henrico Episcopo fundata est, & ab ipso dedicata Ecclesia beati Mathæi Euangelistæ in Flones anno Domini 1080. 11. Kalend. Octobris, factumque est hospitale inter rupem & ripam Mosæ à Rodulpho & Lamberto fratribus, atque eorum consanguineo

A Fulcuino militibus sub regula beatissimi patris Agustini, sub prioratu religiosi Sacerdotis Euerardi, cui successit vir deuotus & honestus in regimine Dominus Walterus Abbas primus. *Hospitale inter rupem & ripam mosæ.*

Huius temporibus facta est inundatio magna aquarum vsque ad valuas Ecclesiæ sancti Iacobi in Ciuitate Leodij.

Floruit idem Henricus Episcopus sub Apostolicis Gregorio septimo qui & Hildebrandus, & Clemente, qui & primo Wibertus dictus est.

ANNOTATIONES.

1. Vt legem aliquam ponerent:] *De hac lege & pace sic loquitur magnum Chronicon Belgicum:* Cum nimiæ fierent strages hominum, & incendia B multa, & prædæ, & rapinæ, eousque vt idcirco multi ad inopiam deuenirent, Henricus Episcopus dolens, consilio Alberti comitis Namurcensis, de consensu omnium Primatum, Baronum, qui Ducatus Marchias, Comitatus, Feuda, Indicialia tenent in Leodiensi diœcesi ab Imperio descendentia, pacem cum prædicto composuit, omnibus pauperibus, & diuitibus, nobilibus & ignobilibus in dicto Episcopatu perpetuo profuturam. Vnde per eos ordinatum est, vt in festis & sacro tempore in Leodiensi Episcopatu nemo arma ferat, nemo prædas vel incendia faciat; quod si fecerit, homo liber hæreditatem perdat & ab Episcopatu pellatur: seruus autem amittat omne quod habet, cum dextera, & excommunicetur; quæ pax anno Pon- C tificatus Henrici decimi quarti in expeditione Romana per Henricum Regem quartum, & Principes confirmata, & Episcopo Henrico datæ literæ: sed Comes se & suam terram exemit ex hac pace: & ideo hic Episcopus deinceps pacificus vocatus est.

2. Pridie Kalend. Iunij defunctus est:] *liber Ecclesiæ Leodiensis ex quo leguntur commemorationes confratrum & aliorum fidelium defunctorum ad primam, sub pretiosa, ponit commemorationem Henrici primi Episcopi 4. nonas Nouembris. Sic enim ibi legitur.* Quarto nonas Nouembris commemoratio Domini Henrici nostri Episcopi primi, pro quo habemus 5, stz,

3. Sub Apostolicis Gregorio 7. qui & Hildebrandus.] *Hic est qui Hẽ- D ricum quartum Imperatorem pertinaciter ius eligendi Pontifices ad se pertinere dicentem excõmunicauit, nec absoluit, donec deposito regio ornatu, nudis pedibus, quamuis asperrima esset hyems, & gelu cuncta rigescerent, ad se veniret petens veniam & emendationem; quem etiam postea in eundem errorem & pertinaciam relapsum ab Imperio deposuit, & illius occasione, Ecclesia Leodiensis tanquam schismatica male audiuit. Lambertus Schafnab. Otthofrising lib. sexto, cap. 32. Tritem. Nauclerus gen. 37.*

CAPVT

A

De Oberto Episcopo, qui Bullonium acquisiuit.

CAPVT XIII.

ERat tunc temporis Obertus Canonicus in Ecclesia sancti Lamberti & Præpositus Ecclesiæ S. Crucis, qui acceptâ licentia eundi Romam, cum inuenisset Regem in Italia, apud eum in Curia cum cæteris Capellanis mansit, cuius familiaritate tam benignè vsus est, vt rex cum de obitu Leodiensis Episcopi Henrici nuntium accepisset, donum Episcopatus habentem Obertum remiserit.

Rex Obertum donat munere Episcopatus.

B Huius tempore anno scilicet incarnationis Dominicæ 1096. regnante Henrico tertio huius nominis Romanorum Imperatore, anno regni illius 40. factus est concursus innumerabilium Occidentaliũ populorum nobilium & ignobilium, diuitum & pauperum ex omni professione hominum ad Ciuitatem Hierosolymorum, quæ à filijs alienis & prophanis, videlicet Paganis possessa, in opprobrium Christianæ religionis, eorum sacrilegis ritibus contaminabatur.

Profectio ad ciuitatem Hierosolymorum.

C Erat ea tempestate Dux Lotharingiæ Godefridus Godefridi Gibbosi ex sorore nepos, vir magnæ potentiæ, & famosi nominis, ea intentione qua cæteri, sed maiori deuotione, quam plures alij, qui zelum piæ actionis iam mente conceperat, in tantum, vt Hierosolymã peregrinaturus possessiones suas venderet, & earum pretium secum deferret. Itaq; patrimonij sui, quod ei satis magnũ remãserat pretiũ *faneratus est Domino, dum miseretur pauperum*, & pro temporaliũ impẽdijs, æternorum lucratus est stipendia meritorum.

Godefridus Dux Bullonensis vendit patrimonium.

Prouerb. 19.

Huic inter cætera possessionis suæ prædia, erat castrum Bullio nomine, naturæ opere valde munitum, inter confinia duorum regnorum positum, Francorum scilicet & Lotharingiorum, adiacentibus vtriusque regni prouincijs. Hæc Marchia, Leodiensi nimium vicina Episcopio, illud assiduè cædibus, rapinis pupillorũ & viduarum omni genere vastabat, dissipabat, & maxima ex parte suis reditibus & iustitijs mutilabat.

Bullio castrum natura munitũ

D Hac inductus necessitate Obertus vir sagax vtiliumque prouisor, in negotijs diuinis & humanis apprime eruditus, dum venalis hæc possessio proponeretur, expertus quid per eam mali passus fuisset, videbat omnino si eam posset adipisci, quod non solum sibi, sed duorum quoque regnorum paci consuleret. Distulit tamẽ se huic negotio ingerere, donec diuina donante clementia hæredum successio ab hoc placito desisteret, & memoratus Dux cessantibus carnis hæredibus, accepto beneficio, Ecclesiam B. Lamberti huiuscemodi conscriberet possessionis hæredem.

Obertus meditatur emere Bullionem.

Adfuit diuina misericordia, permouit Ducem, vt offerret beatæ

Virgini

A Virgini, & pio martyri prædictum castrum ob memoriam animarũ prædecessorum suorum, conditione interposita, vt si infra tempus præfinitum à se, vel à suis successoribus tribus, quos ipse præscripserat, non redimeretur, deinceps possessio sicut disposuerat cum castello perpetuo Ecclesiæ assignaretur.

Episcopus itaque miserijs pauperum compatiens, pie violentus, memoriam beati martyris, loculum scilicet in quo iacebant sacratissimæ eius reliquiæ auro coopertum excrustauit, & ex maiori Ecclesia & omnibus totius Episcopij Ecclesijs, aurum, gemmas & cætera quæ decoro ambitu, altaria, pulpita, & textus Ecclesiarum venustabant, detraxit, & mille trecentis argenti purissimi et tribus auri marcis vndecũq; corrasis prædictũ castrũ emit et hac pecuniæ summa Duci tradita, multorum direptiones, captiuitates, mendicitates, pericula, mortesque redemit. *Numerat trecentas marcas argenti purissimi, & tres auri.*

B

Dux quidem et fratres sui Hierusalem adiuerunt, ibi strenuè rem vitamque consummauerunt, hæredes subscripti diem obierunt, & possessionem Bullonij sine omni reclamatione, legitimis successoribus de medio factis, Ecclesiæ reliquerunt. Sic absque omni iniuria, Dei dispositione, Oberti prouidentia, possessio Bullonij in ius ditionemque Leodiensis cessit Episcopij. Episcopus hanc vt seruaret sollicitus inuigilauit, animos accolarum magnis frequentibusque donarijs, vtpote vir animo vigens, sibi conciliauit, & quod acquisierat, quo labore tueretur, Sedis suæ Successoribus experiendum reliquit. *Moritur Dux cum successoribus sine reclamatione castri.*

C

Hic idem Obertus corpus S. Odæ virginis, quæ illuminata fuit ad sepulchrum B. Lamberti de terra eleuauit, & in Ecclesia Rhodẽsi decenter collocauit. Fuit vero hæc virgo filia Regis Sociæ, vt in vita eius legitur. *Obertus corpus S. Odæ leuat à terra.*

ANNOTATIONES.

1. In curia cum cæteris capellanis:] *Inter istos capellanos Imperatoris erat VVolbodo Abbas sancti Laurentij nuper ab Henrico Episcopo depositus. Hic cum maximi apud Imperatorem fieret propter generis nobilitatem, audita Henrici Episcopi morte, impetrauit Episcopatum Oberto, ea lege, vt inauguratus Episcopatui, amoto Berengero Abbate pristinæ dignitati ipsum restitueret, quod & fecit, dißimulantibus pluribus religiosis, qui tandem experti secundo prodigalitatem VVolbodonis, interueniente Godefrido Duce Bullonensi, Berengerum reuocarunt, deposito iterum VVolbodone. Sic asserunt Gesta Abbatum sancti Laurentij, quæ satis fuse hystoriam hanc explicant.*

D

2. Factus est concursus innumerabilium occidentalium populorum:] *Quia hoc capite fit mentio de expeditione Hierosolymitana, de Petro Eremita, qui in hac expeditione pro Christo Domino nostro legatione functus est ad Vrbanum 4. Pontificem, Godefrido etiam nostrate huius expeditionis duce, qui Bullonium castrum Oberto & Ecclesiæ Leodiensi vendidit, & de fælici dicti Petri reditu, qui Monasterium prope Huyum ædificauit & in eo requiescit, non absre fore videtur si de ijs aliqua ex probatis auctoribus hic annotemus.*

De Petro eremita totius expeditionis origine sic loquitur Iacobus de Vitriaco in oriētali historia cap. 16. Afflictionem orientalis Ecclesiæ Dominus respiciens cuidam pauperi & religioso homini de regno Franciæ in Ambianensi Episcopatu vitam eremiticam agenti, qui & Petrus eremita dicebatur, inspirauit, quatenus sepulchrum Dominicum, & loca religiosa & reuerenda visitaturus, cum multo labore & periculo Hierosolymam adiret. Cum igitur ad portam ciuitatis peruenisset, dato nummo aureo pro ingressu ianitoribus, qui à peregrinis recipiebant tributum, videns loca sancta ab impijs irreuerenter tractari, virum etiam venerabilem Symeonem ciuitatis patriarcham, vna cum subditis suis, tanquam vile mancipium cum omni abiectione innumeris oppressionibus affligi, sicut erat vir sanctus & valde compatiens, & super afflictos pia gestans viscera, cœpit dolere & vehementer contristari, & varijs modis secum anxius cogitare, si quomodo afflictis posset subuenire. Cum autem quadam nocte in Ecclesia Dominicę resurrectionis in orationibus Domino supplicans pernoctaret, longo labore vigiliarum fatigatus, supra pauimentum Ecclesiæ sumno humanitus irruente cœpit paululum dormitare: Dominus autem Iesus Christus apparuit ei in somnis iniungens ei legationem ad dominum Papam, & ad alios principes occidentales, pro liberatione terræ sanctæ. Ipse vero diuina reuelatione confortatus, & zelo charitatis succensus, cum litteris prædicti patriarchæ Symeonis, & aliorum fidelium Hierosolymis commorantium, primo Dominum Papam Vrbanum petijt, à quo benigne receptus Italiā transcurrens, & alpes transiens, tam principes occidentales, quam inferiorem populum sollicitus admonendo & varijs exhortationibus, sicut erat vir prudens & potens in opere & sermone, modico tempore multorum animos ad suscipiendum peregrinationis Hierosolymitanæ laborem inclinauit, Domino cooperante & legati sui sermonibus copiosam gratiam largiente.

Hac de Petro eremita, & origine expeditionis Hierosolymitanæ satis.

Qui verò fuerunt huius expeditionis auctores tradit Sigebertus his verbis: Eminebant in hoc Dei hostico Dux Lotharingiæ Godefridus, & fratres eius Eustachius & Balduinus, Anselmus de ribodimonte, Balduinus Comes Montēsis, Robertus Comes Flandrensis, Stephanus Comes Blesensis, Hugo magnus frater Philippi Regis Francorum, Robertus Comes Normannorum, Raymundus Comes sancti Ægidij, Baiamundus Dux Apuliæ, & Tancredus nepos eius. Horum omnium curam Apostolicæ auctoritate suscepit vir eximius Hamarus Podiensis Episcopus, eisque consilio & doctrina vsque ad captam Antiochiam plurimum proficuus fuit. Huius etiam viæ incitator Petrus quidam eremita fuit, qui vsque ad captam Hierusalem, multis vtilis cum exercitu Dei perseuerauit. *Hactenus de auctoribus & Ducibus.*

De ipsa expeditione & illius fructu sic paulo post idem loquitur. Exercitus Dei aggres-

A sus terminos paganorum viriliter agit, primumque eius fuit bellum ad pontem Pharphar fluminis, nono Kalendas Martij, vbi multi Turcarum occisi sunt. Secundum eis bellum fuit apud Niceam, tertio nonas Martij, in quo etiam pagani victi sunt. Capta ergo Nicea, capta Laodicea, cum essent plusquam trecenta milia armatorum in exercitu christianorum, tanta ei omnium rerum suppetebat copia, vt aries vno nummo, bos vix duodecim nummis venderetur. *Et paulo post idem Sigebertus sic prosequitur.*

Obsessa Antiochia, in tantum attenuati sunt christiani propter omnium rerum penuriam, vt in tanto exercitu vix centum boni equi inuenirentur, & tamen quamuis ex desperatione rerum multi se substraxerint, multi etiam repatriauerint, nono obsidionis mense
B capta Antiochia, christiani à paganis versa vice obsessi, tanta fame afflicti sunt, vt vix aliqui ab humanis carnibus abstinerent; sed confortati à Deo per inuentam eius lanceam à tempore Apostolorum non visam, ipsa lancea eos præcedente, obsessi cum obsessoribus concurrerunt 4. calendas Iulij, & hoc tertio bello victoriam adepti sunt. Quartum bellum eis fuit in Romania Calendis Iulij, & ibi Turcæ victi sunt. Commissa Antiochia duci Baiamundo, christiani propter vitandum tędium, & famem, & maxime propter discordias principum, proficiscuntur in Syriam, & expugnatis Marra & Barra vrbibus Saracenorum, & multis regionum castellis, tanta ibi rursum fame affecti sunt, vt corpora Saracenorum iam fœtentia come-
C dere compulsi sint. *Et paucis interiectis prosequitur idem Sigebertus.*

Exercitus autem dei diuino monitu in interiora profectus, larga dei manu refocillatus est, quia ciues & castellani illius regionis, legatos cum multis donarijs ad eos præmittebant: parati etiam oppida, vel vrbes eis tradere: à quibus christiani securitate accepta & indicto vrbibus tributo, interim etiam multis eorum qui se substraxerunt, ad eos apud Tyrum recurrentibus, tandem peruenerunt Hierusalem. Eaque obsessa, cum laborarent præ victus, & maxime præ aquæ penuria, omnes ex communi decreto nudis pedibus quotidie orando circuibant vrbem. Octauo ergo talis humiliationis die, obsidionis autem trigesimo nono, capta est Hierusalem
D Idibus Iulij, in sexta feria: & in templo Salomonis, & in porticu eius christiani cum paganis, quinto bello confecto, tanta in eos cæde debacchati sunt, vt in sanguine occisorum equitarent vsque ad genua equorum. Cumque ordinatum esset qui Hierusalem deberent retinere, iam principibus de repatriando agentibus: Ecce rex Saracenorum ad debellandos eos venit Ascaloniam cum centum millibus equitum, & quadringentis millibus peditum. Quibus cum occurrisset exercitus Domini, in quo non plus quam quinque millia equitum, & quindecim millia peditum erant, Deo pro seruis suis ad se reclamantibus pugnante, & nube eos ab æstu solis defendente, Sarraceni solo christianorum impetu territi, omnes pro-

iectis armis fugerunt. Et in hoc sexto bello, quarto Calendas Augusti facto, cæsa sunt centum millia Saracenorum: In porta verò Ascaloniæ suffocati sunt ad duo millia. Eorum qui in mari perierunt & qui inter spineta syluarum consumpti sunt numerus nescitur. Duce autem Godefrido electo ad principandum remanentibus in Hierusalem, cæteri principes repatriant. A

Quod Hierosolymis Christiani nominis reges fuerint, & quæ gesserint vide Iacobum de Vitriaco Orientalis historiæ cap. 95. Quæ vero causa fuerit quod nostri Hierosolymam, & Orientem deserere coacti fuerint, vide eundem à cap. 99. vsque ad finem.

3. Hic idem Episcopus sanctæ Odæ virginis:] *De hac Oda, & eiusdem per Obertum eleuatione, sic loquitur Molanus in Natalitijs SS. Belgij ad 27. Nouembris:* Hæc cum cæcitate esset correpta, fama signorum & prodigiorum euocata est Leodium ad reliquias S. Lamberti martyris, vbi lumen oculorū recepit, & castitatem suam Christo subarrauit. Cum vero pater vellet eam sæcularis vitæ vsibus informare, & Matrimonium contrahere, ipsa diuino vsa consilio, peregrina in Taxandriam deuenit, suaq; sanctitate Rhodense territorium sublimauit: in quo obijt circa annū septingentesimū decimū tertium. Domina autem quædam nobilis, propter miracula quæ Deo auctore ad tumulū sanctæ fiebant, præsignatum Rhodense territoriū Ecclesiæ sanctæ Odæ hæreditarie obtulit. Eleuata est è tellure per Obertum Episcopum Leodiensem anno millesimo centesimo tertio. B C

De contentione inter Obertum Episcopum & Godefridum Comitem.

CAPVT XIIII.

Magnitudo Comitatus de Brunengeruz.

His diebus facta est contentio magna inter Obertum Leodiensem Episcopum & Comitem Louaniēsem de comitatu de Brunengeruz quem tenet Comes Namurcensis ab Episcopo Leodiensi: qui Comitatus incipit à Pollo mortis & inter duas villas Hercines vsque ad canitiū pontē. Ab hinc vadit inter Iusanā villā & Scitrud, ad Mallū, ad Brunēgeruz, ad Rupē quæ vocatur Sotaelfouarge, ad puteū longæ villæ, totā vallem Hachewadat, ad S. Bauonis quercum iuxta Kalmont, ad Kalmontem aquam ipsam sequendo vsq; ad Sanctum Quintinum sicut currit tylus. De Sancto Quintino vadit vsq; ad Roberti vadum, sequendo aquam. ad Corbeth. De hinc vadit vsq; ad Louuil, ad villam Chisechim, ad villam Bechechim, ad villam Glabeche, & ad Pipini vadum, & de Pipini vado, vsque ad transitum Grimene, & inde vsque ad pontem Aldeuort, per gyrum redit ad priorem terminum Pollo mortis. D

De

A De hoc comitatu, vt supra diximus, fuit contentio inter Obertũ Episcopum & Godefridum Comitẽ Louaniensem. Et quia Comes Louaniensis magnum beneficium tenet de Ecclesia beati Lamberti, Episcopus Obertus, collectis fidelibus Ecclesiæ de hoc interpellauit, & Comes Louaniensis sub ipso articulo datis obsidibus, sex liberos homines circummanentes ex sua parte elegit, & Episcopus sex ex sua parte, qui facto iuramento litem terminarent, & ius sancti Lamberti de hoc Comitatu ostenderent.

Comitatus de Brunengeruz adiudicatur Oberto Episcopo.

Factoq; iuramẽto conuictus Comes Louaniensis Godefridus Comitatum istum de Brunengeruz coram liberis hominibus & beneficiatis & fidelibus Ecclesiæ Leodiensis exfestucauit, & Episcopus Obertus in præsentia omnium Alberto Comiti Namurcẽsi Comitatũ B istum recognouit in beneficium.

Actum est hoc anno ab incarnatione Domini 1099. indictione septima, imperante Henrico quarto.

ANNOTATIONES.

De Comitatu de Brunengeruz:] *adstipulatur Chronicum Gemblacense, sic enim ait:* Obertus Comitatum de Brunẽgeruz, quem Comes Louaniensis conuictus in iudicio coram Henrico Imperatore exfestucauit, Comiti Namurcensi in beneficium feudi resignauit.

C

De his quæ tempore eius intra Episcopatum acciderunt.

CAPVT XV.

TEmpore Episcopi Oberti floruit apud S. Iacobum in Leodio Abbas Stephanus vir magnæ scientiæ & honestatis, in musica valde peritus, qui cantum nouum de S. Benedicto, *florem mundi*, & de S. Iacobo fratre S. Ioannis Euangelistæ, aliaque præclara & multa, quæ in Ecclesia cantantur, mirifice composuit

Floret apud S. Iacobum Abbas Stephanus Musicus.

D Eodem tempore Imperatore Henrico morante Leodij, filius eius Henricus Aquisgranum venit, & volens venire Leodiũ contra patrẽ suum quinta feria Dominicæ Cœnæ, præmisit suos præoccupare pontem Visetum, ne quis sibi venienti obstaret. Hoc videns Episcopus Obertus, multorum corda ad auxilium patris contra filium sollicitauit, & cum Leodiensibus semper ei pro posse adhæsit. Nam militibus patris concurrentibus ad occupandum pontem, milites filij à ponte repelluntur, alijs eorum captis, alijs in Mosam demersis alijs occisis, inter quos etiam Bruno Comes occisus est.

Hẽricus filius Imperatoris contra patrem armatur.

Filius Imperatoris repellitur.

Sic filius contra patrem veniens, redijt inglorius, Coloniensibus & Leodiensibus fidem Imperatori seruantibus, de quibus postea idẽ

Imperator in epistola quam misit ad Philippum Regem Franciæ testatur, nunquam viros fideles se inuenisse, nisi tantum in Coloniensibus & Leodiensibus. A

Henricus Imperator moritur.

Sepelitur in Ecclesia S. Lāberti, sed quod sæpius fuit à Pōtificibus excommunicatus inde eijcitur.

Post hæc Imp. Hēricus Leodij moritur, anno Dñi 1106. anno regni sui 50. Imperij vigesimo tertio, & in Ecclesia sancti Lamberti, ante altare beatæ Mariæ tumulatur. Sed quia à Pontificibus Romanis sæpe excommunicatus sub anathemate obijt, præcipiente Papa inde est eiectus, & extra Ciuitatem Leodiensem, in loco qui mons Cornelij dicitur, tumulatus, vbi erat quædam domus Religiosorum, nunc verò est Abbatia Præmonstratiensis ordinis. Vbi aliquanto tempore iacuit, sed postea inde delatum corpus eius per licentiam Papæ Spiræ reconditum est. B

ANNOTATIONES.

1. Filius eius Henricus Aquisgranum venit.] *Adstipulatur Sigebertus.* Henricus (*inquit*) Imperatoris filius contra ius naturæ & fas legum in patrem insurgens, quam indignè eum tractauerit, declarat epistola ex ore ipsius patris scripta ad Philippum Regem Francorum. *Et paulo post*: Imperatore Henrico morante Leodij, filius eius Aquisgranum venit, & volens venire Leodium contra patrem suum, quinta feria Dominicæ cœnæ præmisit suos præoccupare pōtem apud Visetum, ne quis venienti sibi obstaret. Sed militibus patris concurrentibus ad occupandum pontem, milites filij à ponte expelluntur, C alijs eorum captis, alijs in mosam demersis, alijs occisis, inter quos etiam Bruno Comes occisus est. Sicque filius contra patrem veniens redijt inglorius. *Aduerte Sigebertum plus æquo Henrico Imperatori scismatico adhæsisse.*

2. Hoc videns Episcopus Obertus multorum corda ad auxilium patris.] *Nimius fuit Oberti, & aliorum vicinorum Episcoporū erga Imperatorem scismaticum, & iam Imperiali dignitate exutū affectus, propterea reperio Cameracenses & alios Henrico adhærentes scismaticos à Paschali Pontifice reputatos fuisse, quod & Baronius annotauit his verbis.*

Hoc eodem quoque anno 1102. cùm Robertus Flandriæ Comes iam ante biennium reuersus ab expeditione Hierosolymitana, arma D conuertisset aduersus scismaticos adhærētes Henrico Imperatori, contra Romanam Ecclesiam, & Cameracenses (*vt Sigebertus affirmat*) exagitasset: vt aduersus Leodienses eadem insania laborantes vires conuerteret, exhortatus est eundem Paschalis Papa: *Quid vero sequutū sit, vtcumq; intelliges ex Meyero, sic enim ille*: Finita nondum discordia inter Robertum Comitem & Cæsarem Henricum quartum, Robertus Cameracum, aspera licet Hyeme, obsidere adoritur, agrumque circumiectum depopulatur, Cæsar magnis viribus Cameracensibus venit auxilio, Castellumque Bulzai & Sclusan, vt tradunt quidam de Roberto, cepit, sed cùm tempus bello gerendo minime esset idoneum, statim coactus est exercitum reducere. Anno sequenti in conuentu

A conuentu Leodiensi, pax inter Cæsarem ac Robertum conuenit. Iurat Robertus in eius verba. Composita item quædam controuersia inter Robertum & Balduinum Montensem de Doaco, Robertusque Doacum retinuit.

3. Est Abbatia Præmonstratensis ordinis.] *Hodie Carthusianorum.*

De Petro Eremita, qui nouum monasterium Hoyense construxit.

CAPVT XVI.

B HIs etiam diebus Dominus Petrus Eremita, qui cum Godefrido Duce Hierosolymam profectus fuerat, acceptis reliquijs à Domino Arnulpho Hierosolymitano Patriarcha, de sepulchro scilicet Domini, & de reliquijs beati Ioannis Baptistæ, cum priuilegio Cruce signatorũ, Domino Oberto Leodiensium Episcopo transmisso, ad partes Leodiẽses reuertitur: vbi fundauit Ecclesiam Hoy noui Monasterij in honore S. Sepulchri, & beati Ioannis Baptistæ in qua vir vitæ venerabilis, assumptis aliquantis viris religiosis, plantauit regulam sanctissimi patris Augustini.

Reliquiæ de S. sepulchro & B. Ioanne Baptista, missæ Oberto ab Arnulpho Hierosolymitano patriarcha.

Consummato autem vitæ suæ curriculo, in bona senectute diem clausit extremum 8. Idus Iulij, cuius corpusculum digne mandatur C sepulturæ à toto Clero & populo Hoyensi in latere Ecclesiæ.

Petrus Eremita fundator noui Monasterij Moritur 8. Idus Iulij.

De isto Petro Eremita, qualiter vixerit, quantaque per eum Dominus operari dignatus est, si quis nosse desiderat, gesta eius præclara & relatu digna, in historia Hierosolymitana relegat. *Et de his ista modo sufficiunt.*

ANNOTATIONES.

1. Cum priuilegio Cruce signatorum:] *De hoc priuilegio nouo Monasterio Hoyensi concesso sic loquitur Aegidius in annotatione marginali:* In hoc priuilegio teste Alexandro primo Leodiensium Episcopo, qui vidit & D tenuit ipsum, continebantur hæc inter cætera: Si qui autem de vobis orationis gratia sepulchrum Domini adire vouerint, & penuria, vel tarditate, siue qualibet alia corporis molestia præpediti perficere non potuerint, ex concessione piæ memoriæ Domini Arnulphi patriarchæ Hierosolymitani & canonicorum sepulchri Domini, sicut eorum literis Domino Oberto Episcopo prædecessori nostro missis accepimus, concedimus ipsis pro pænitentia, vt ad prædictam in honore S. Sepulchri Ecclesiam suum votũ expleant, quatenus omnium beneficiorum, quæ hic & ibi aguntur participes facti cooperante Spiritus sancti gratia brauium vitæ æternæ percipiant.

2. Fundauit Ecclesiam Hoy.] *Fundationem hanc clericus exprimit mag-*

num

unum Chronicon Belgicum, his verbis. Anno Domini 1092. Oberti decimo tertij, incepit fundari nouum monasterium in suburbio Hoyensi: Nam Cono de Mõte acuto Comes, & Lambertus eius filius Comes de Claremonte cum multis viris nobilibus dum redirent ab expeditione Hierusalem, cum Petro venerabili Eremita, & quibusdam burgensibus Hoyensibus, in mari in maximo discrimine vouerant construere Ecclesiam, in Leodiensi Diœcesi, si liberarentur à periculo, statimque sequuta est tranquillitas. Per manus ergo dicti Petri votum impleuerunt, fundantes hoc monasterium in honorem Sepulchri Domini & sancti Ioãnis Baptistæ, assumptis eo viris religiosis secundum regulam B. Augustini, & ibi prædictus Petrus sepulturam accepit. A

3. Corpusculum dignæ mandatur sepulturæ in latere Ecclesiæ:] *Sed postmodum in honoratiorem locum trãslatas eius reliquias docet Aegidius in sua marginali annotatione, his verbis.* In sequenti tempore cùm liber quidam æditus à Magistro Iacobo Aconensi Episcopo deuenisset in manus nostras, in quo multa & in alijs libris legissemus, de eo scilicet Petro Eremita, deliberauimus communi assensu Abbatis & Capituli, trãsferre solẽniter ipsum à loco extra Ecclesiam, vbi olim sepultus fuerat in criptam prætactæ Ecclesiæ, Abbate Hermanno & conuentu diuina ibidem celebrantibus. Ibique eum reponentes, cum maximo gaudio in locello lapideo . . . . in quo honorifice reconditæ sunt eius reliquiæ, tempore Domini Roberti Episcopi, Mauritio eiusdem Ecclesię Canonico omnia supradicta procurante. Acta sunt hæc 17. Kalend. Nouemb. anno gratiæ 1242. lapide marmoreo desuper locato, ante altare duodecim Apostolorum habente imaginem ipsius cum huiusmodi titulo. B C

Inclita per merita clarus iacet hic eremita
Petrus, qui vita vere fuit Israëlita.
Hac modo Petre petra premeris, quamuis super æthra
Viuere cum petra Christo credaris in æthra.

Item de eodem Magister Goduinus sic versificatus est.

Nasceris Ambianis Petre mundi spretor inanis,
Ac ibi degis ita quod diceris hinc Eremita, D
Præsbyter efficeris, mare transis, flens reuereris
Templa Dei, flentem recreat vox cœlita mentem.
Inde Crucis Christi deuotus præco fuisti,
Tecum castra Ducis Godefridi transmare ducis,
Te duce terra datur sacra nostris, gensque fugatur,
Victor Petre redis, prior huius & auctor es ædis.

CAPVT

A

Quod eius tempore Ecclesia S. Lamberti Fulmine tacta & magna ex parte rupta fuerit.

CAPVT XVII.

EIusdem Oberti tempore, anno Domini 1116. Ciuitas Leodium multis plagis attrita est. *Ciuitas Leodij multis plagis atteritur.*

Mense Maijo nocte inuentionis S. Crucis, quæ tunc erat vigilia ascensionis, dum in maiori Ecclesia vesperas celebrant, & illum psalmi versiculum, *Quis sicut Dominus Deus noster*, cantãt, subito tonitru cum terræ motu omnes ad terram strauit, & fulmen à læua templi ingressum, non modicas crustas de muro hac illac deiecit. Deinde turrim ingrediẽs multas trabiũ partes diffidit. Subsequutus est fœtor intolerabilis, adeo, vt multo aromatum odore vix potuerit expelli. *Psalm. 112.* B *Tonitru omnes ad terram sternuntur. Sequitur fœtor intolerabilis.*

Item Iunio mense, septimo idus ipsius mensis circa horam nonã, nubes pluuiæ subito rupta, à monte qui dicitur Roberti subiectã sibi partẽ Ciuitatis penitus oppressam pessumdedit, adeo vt multas domos dirueret, & immensam annonam perderet, & matrẽ duos infantes altrinsecus in brachijs amplexã necaret, & alios octo homines in diuersis locis opprimeret. *Mira vis pluuiæ.*

Pulsantibus vesperis sabbatho quodam, fæmina caput dum lauat puero, manus rubent sanguine fluido. C *Fæminæ lauãtis caput pueri manus rubent sanguine.*

Calend. etiam Iulij circa horam sextam turbo nimis vehemens & obscurus Ciuitatẽ operuit, & nubes ex abrupto scissa ita omne tectũ maioris Ecclesiæ deiecit, vt & imbribus pateret, & totum pauimentum perfunderet. Ilico fulmen à parte Aquilonari ingrediẽs, quendã Clericũ retro altare sanctorum Cosmæ & Damiani in pulpito legẽtem, & alterũ ante Crucifixũ orantem, tertiũ de scriptorio Ecclesiæ proximè egredientem in ipso Ecclesiæ ingressu extinxit. Ante fores quoq; Ecclesiæ, domum Episcopi versus, quendam laicum enecauit. *Tectum maioris Ecclesiæ turbine deijcitur. Fulmẽ multos occidit in Ecclesia Leodiẽsi.*

Sexto Idus Iulij ab hora tertia vsq; ad nonam, quatuor turbines à quatuor plagis cœli vrbem circulauerũt. Ventus etiã cum magna vi insonuit, & vrbem multo imbre alluit. *Vrbs tota quatuor turbinibus cõcutitur.*

D Tertio nonas Augusti primo noctis conticinio cum tonitru quaq; terrarũ audiretur, & fulgura sæpius micarent, & iterum atq; tertio id fieret vsq; mane, in vrbe Leodio amplius ipse turbo desæuit, ita vt homines à stratis exilientes Templa & Ecclesias tristi cætu complerent, & tota nocte supplicationibus intenderent. Summo vero auroræ diluculo à parte orientis, ignis cum ingenti flamma Ciuitatem circulauit tantus, vt omnes diuinitus cremari extimuerint. *Ciuitas igne mirabiliter exterretur.*

Post hoc magnus turbo erumpens ab Occidente ipsum ignem visus est aliquantulum obscurâsse. Iterum autem quasi victor ignis cũ flamma recaluit, & iterum turbine reuertente paululum delituit.

Tertio autem ipſe ignis recaluit, & tertio nihilominus turbine victus cecidit. Hoc ſpectaculũ ſummo mane vſque ad horam tertiam Ciuitatem vehementer terruit. A

ANNOTATIONES.

1. Ciuitas Leodium multis plagis attrita eſt:] *Has plagas profecto admirabiles refert quoq; Robertus de monte in appendice ad Sigeberti Chronicum totidem propemodum verbis, dicitq; ibi idem Robertus eodem tempore Moſam fluuium, iuxta Abbatiam quæ dicitur Suſtula, quaſi penderet in aëre, fundum ſuum deſeruiſſe.*

B

De Helini Abbatis pietate, miſericordia, & iuſtitia.

CAPVT XVIII.

HIs quoque diebus floruit vir nobilis Helinus Abbas S. Mariæ, qui in eadem Eccleſia

Fontes fecit opere fuſili,
Arte vix comparabili,
Duodecim qui fontes ſuſtinent
Boues, typum gratiæ continent.
Materia eſt de myſterio, C
Quod tractatur in Baptiſterio:
Hic baptizat Ioannes Dominum,
Hic gentilem Petrus Cornelium,
Baptizatur Craton Philoſophus,
Ad Ioannem confluit populus.
Hoc quod fontes deſuper operit,
Apoſtolos & Prophetas exerit.

Fecit & hoſpitale iuxta Eccleſiam ſancti Lamberti, in quo miſſam quotidie celebrari inſtituit, & omnia neceſſaria in eodem loco adminiſtrauit.

Hic dum quadam die ex feneſtris ſuæ domus proſpiceret, vidit funus cuiuſdam pauperis ſacerdotis nudum & ſine tegmine ad tumbam deferri, quare compaſſione ductus fraternitatem ſacerdotum, quæ huic rei & ſimilibus prouideret in ciuitate, quæ hactenus obſeruatur, inſtituit. D

Hic etiam quia ſynodalis lex, & iudicia non fiebant in vrbe Legia, Romam iuit, & pro iuſtitia annum fere in curia conſumpſit, & necdum peracto negocio, correptus febri, vitam in deſiderio bono finiuit, cuius obitus agitur die beati Willebrordi Epiſcopi.

Succeſſorem Helini ſtrenuum
Plebs acclamat, & bene meritum

A Seifridum, quem Deus præsulem
Præsulatu bis fecit exulem.
Hic est quem tribulatio
Ceu fornacis coxit incendio,
Quem gens duræ ceruicis respuit,
Cui Legia sinum aperuit.
Vir viduæ, pupillo genitor,
Trux vt leo, & agno mitior,
Modum habet, quo & indomitis
Ora frenet, & parcat subditis.

Isto tempore porca enixa est porcellum faciem hominis habentem. Gallina quoque pullum quadrupedem visa est habuisse. B Acies etiam in cœlo apparuit. His omissis ad historiam reuertamur.

ANNOTATIONES.

1. Floruit vir nobilis Helinus.] *Chronicum Tungrense* anno, *inquit*, 1113. Helinus Abbas S. Mariæ fontes fecit in eadem Ecclesia opere fusili, & hospitale iuxta Ecclesiam S. Lamberti in honorem S. Mathæi. *Hoc nostro tempore studio proborum & prudentium virorum, auctoritate tum ordinaria, tum Apostolica, maximo Leodiensis Ecclesiæ bono in Seminarium Clericorum, seu pastorum diœcesis Leodiensis conuersum est.*

2. Isto etiā in tēpore porca enixa est porcellū faciē hoīs habentē:] *Multa paßim hoc tēpore acciderūt prodigia, inquit Chronicon Hirsang.* horrēdus C terræ motus per totum pene orbem terrarū factus est, quo ciuitates, castella, villæ, cum hominibus absorpta sunt, mōtes scissi, flumina deglutiente terra exsiccata. Padus vnus de quatuor Europæ maioribus fluuijs è terra eleuatus in modum fornicis, vt inter terram & aquam via pateret transeuntibus, vnde extare extremus dies credebatur. *Hactenus Chron. Hirsang. Iis quæ dicit de porca auctor noster assentit Sigebertus his verbis.* In parochia Legiensi porca enixa est porcellum habētem faciem hominis. *Iis quoq; quæ dicit de gallina, sic enim scribit.* Natus est pullus gallinæ quadrupes. *Præter dicta prodigia*: biceps infantulus sexu duplex natus est Namurci. Innumeræ aues aperto cœlo dimicantes, exanimes in terram deciderunt; & terra per 40. dies tremuit, sic D vt villa quædam vehementiori motu in alium locum translata fuerit. Multi sacro igne accendebantur, membris instar carbonum nigrescentibus *Guilhelm. Nangiar.*

De bonis quæ Obertus Ecclesiæ acquisiuit, & eius obitu.

CAPVT XIX.

Isdem diebus idem Obertus Episcopus castrum de Mierewaut refirmauit, & Bononem de Wahar Castellanum fecit. *Obertus confirmat castrum de Mirewaut.*

Acquirit castellū Clarimōtis. Item Clarimontis castellum beato Lamberto multo pretio acquisiuit. A

Ecclesiæ dat noua ornamēta. Tabulam altaris, quam prius excrustauerat, feretrumque ipsius Martyris auro vestiuit, lapidibusque prætiosis; & alia multa vtilia fecit, resque publica in manu eius diu prosperata floruit.

In Ecclesia etiam S. Lāberti dedit decem dorsalia opere pulcherrima, quibus vnus in dextro paries decoratur, & Templi facies. Et sicut in quadam prosa de laude ipsius composita dicitur,

Cant. 5. Prosa composita ad laudem Oberti Episc.

Manus eius quasi tornatiles,
Ad sacra fuerunt habiles,
Pastorali sciuit de ordine, B
Plusquam dici possit de homine.
Matris Dei purificatio,
Ab illius anniuersario
Celebratur in die crastina.
Hoc meruit seruus de Domina,
Huius semper fuit deuotio,
Honorare matrem cum filio,
Domus Dei decorem diligens,
Ecclesiæ ruinas erigens.
Emptis enim tot appenditijs
Castellorum tot necessarijs,
Quod in bono consumpsit opere, C
Curiosus fuit restruere.

Obertus moritur annō Domini 1118. pridie Calend. Februarij. Et non multò post, scilicet anno pontificatus sui octauo decimo, pridie Calendas Februarij vitam finiuit, anno Dominicæ incarnationis 1118. sepultusque est in Ecclesia S. Lamberti in choro inferiori, scilicet S. Dei genitricis Mariæ.

Floruit sub Apostolicis desiderio Abbate Cassinentium, qui & Clemens, Ottone Hostiensium Episcopo, qui dictus est Vrbanus secundus, Maginolpho Archipræsbitero, qui appellatus est Siluester quartus, & Raynero Abbate S. Laurentij & Cardinali, qui dictus est Pascalis secundus, & Ioanne eius Cancellario, qui dictus est Gelasius secundus. Sub Regibus Henrico quarto, & eius filijs Conrardo & D Henrico quinto.

ANNOTATIONES.

1. Et alia multa vtilia fecit, Resque publica in manu eius diu prosperata floruit.] *Et primum quidem Castrum de Couino quinquaginta auri marcis emit, vt ex subiecto diplomate ex libris chartarum Ecclesiæ Leodiensis desumpto, constat, quod sic habet.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.

Omnibus tam futuris quàm præsentibus notum fieri volumus, quod ego Obertus gratia Dei Leodiensis Episcopus, honori Ecclesię con-

A consulens & vtilitati, emi à Comite Balduino de Mont Castellum de Couino cum appenditijs eius, consilio & suasu fidelium tam clericorum quam laicorum, propter pacem & tranquillitatem perpetuò habendam; quia malefactores ibidem commorantes, rapinis & prædis, alijsq; molestijs miserabiliter vexabant Episcopatum.

Itaque afflictione pauperum commotus, & consultu sapientium persuasus, conueni cum prædicto Comite, quatenus illud castrum traderet S. Mariæ, sanctoque Lamberto tali conditione, vt duas præbendas darem duobus filijs suis in Ecclesia S. Lamberti: & maiori eorum darem alias præbendas in omnibus alijs monasterijs. Insuper & custodiam post decessum Domini Wazonis custodis, tali videlicet tenore, quod si ipse maior frater moriatur; alter honorem B ipsum & præbendas reposcat & obtineat.

Præterea ipsi Comiti dedi in proprios vsus pondo auri, marchas quinquaginta. Quod pactum ideo libentius & benignius Ecclesiæ Dei propter salutem animæ suæ concessit, quia gratia diuina inspirante, animo conceperat cum alijs deuotis Christianis Hierosolymam proficisci.

Tradidit igitur coram idoneis testibus ad altare S. Mariæ sanctiq; Lamberti per manus Raineri aduocati, præsente & annuente vxore ipsius Ida cum filijs suis Balduino, Arnulpho, Lodevvico, Henrico, castellum supradictum, cum omnibus ad illud pertinentibus in C Ecclesijs, mancipijs, villis, campis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, cultis & incultis, vijs & inuijs, exitibus ac reditibus, & omnibus quæcumque iustè possunt & debent nominari ad honorem illum respicientibus à fluuio Mosa vsq; Cinacum, & vsq; Leisiam, & Belmont, & Ruminiacũ, & cætera loca, quousq; termini ipsius loci longè lateq; extenduntur.

Huius rei testes affuerunt clerici isti; Fredericus Præpositus de S. Lamberto, Balduinus Archidiaconus, Andreas Archidiaconus, Godeschalcus, Renizo, wazo, Elbertus, Adelardus, Aper, Stepelinus, Hezelinus, Godeschalcus, Hillinus, Steppo, Lambertus, Stephanus, Otto, Bruno Præpositus de S. Ioanne: item Decani de alijs Mona- D nasterijs, Oddo, Balduinus, Lambertus, Franco: laici nobiles isti, Rainerus aduocatus, qui recepit ipsius allodij traditionem: Comes Warnerus de Greis, Wedericus de Walecorth, Wigerus de Tudin, Ioannes Louierual, Godefridus de Ham, Walterus de Bacunvvetz, & filius eius Mainerus: Walterus de Trueneis, Reinbaldus filius Reinbaldi de Gesselin, Lambertus de Calmont, Arnulphus de Rone: de familia Ecclesiæ, Lambertus de Hoyo, Theodericus de Ponte, Warnerus Pincerna, & frater eius Obertus, Lãbertus Dapifer, Adelardus, & Fredericus frater eius: Albertus de Offei: Bouo de Bauechen, Ioannes dapifer cum alijs quampluribus viris egregijs & honestis.

Actum est publicè Leodij decimo octauo Kalend. Iulij, anno ab incar-

incarnatione Domini millesimo nonagesimo sexto, indictione tertia, imperante nobilissimo Henrico tertio Romanorum Augusto,& præsidente Leodiensi Cathedræ Domino & venerabili Oberto, anno ordinationis suæ in Episcopatu quinto. A

2. *Deinde antiquissima Cleri Leodiensis priuilegia ab Henrico Imperatore confirmari procurauit, vt ex subiecto quoq; diplomate constat, quod sic habet.*

I*N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.*

Henricus Dei gratiâ quintus Romanorum Rex. Notum sit vniuersis Ecclesiæ Catholicæ filijs, quoniam rediens de expeditione in Robertum Comitem Flandriæ facta, Leodium veni: vbi decenter & honorificè Ecclesiæ occursu exceptus, & in conuentu fratrum frater ipse effectus, has subscriptas leges paternas, antiquissima inquam priuilegia in medium producta recepi, inspexi, postmodum Oberto eiusdem Ecclesiæ Episcopo præsente, & ipso cooperante, legitimè renouanda & perpetuo corroboranda decreui. Sunt autem hæc. B

Si quis rusticus aliquam Angariam nostram nobis de villa prosequutus fuerit, nullum forense iudicium sustinebit; sed etiam si reus fuerit, in illo cuiuscumque Canonici obsequio, eundo vel redeundo, ipse cum suis omnibus liber erit.

Item si alicuius Canonici seruiens qui in conuictu suo sit, aliquid in Ciuitate patrauerit, nullum forense iudicium sustinebit, nisi publicus mercator fuerit, sed in refectorio sancti Lamberti forensi potestati vel cuicumque reus fuerit, Domini sui conductu, cuius cliens est, iudicio parium suorum claustralium seruientium satisfaciet: nullum verò teloneum soluet. C

Item si quis de conuictu alicuius Canonici non fuerit, sed beneficium ab eo habuerit, & homo eius fuerit, Domini sui conductu ante ipsum Episcopum veniet, & iudicio parium suorum qui ab ipso Episcopo, vel à quolibet Canonico beneficia obtinent, satisfacient.

Item si non cliens vel beneficiatus suus, sed aliquid tantum legationis vel visitationis gratiâ ad Canonicum venerit, eundo & redeundo à iure ciuili liber erit. Villicus & omnes officiales ministri de villis eius liberi erunt, vel Domini sui conductu in refectorio sancti Lamberti satisfacient, nullum verò teloneum persoluent. D

Item in domibus ad claustrales sedes pertinentibus, forensis potestas ius nullum spoliandi, aut ostium obserandi, vel vigiles, vel ostiatim denarios exigendi habebit, sed tantum inibi manens, si extra domum deprehendi potuerit, forense iudicium subibit. De censu autem ipsarum domorum, & de lite aliqua, quam inter se de finibus suis habuerint inibi manentes, ante ipsius terræ Dominum, iudicio parium suorum satisfacient. Si autem non claustralis sedis, sed mansionariæ terræ domus fuerint, ipsas domos spoliandi, obserandi, habitatores capiendi, ius erit forensi potestati; exceptâ Sabulonariâ, in qua forensis potestas nullum ius nisi in latronibus, in falsis men-

A mensuris, in sæditionibus quas vulgo *fluer* & *burimue* dicimus, indicandis. De censu autem domorum & lite finium terræ, Canonicus cuius ea fuerit indicabit. Quod si hæreditas aliquibus adiudicata fuerit, & eam per violentiam obtinere voluerint, querimonia de rebellione fiet Episcopo, & ipse inde pacem faciet. Quod si aliquis vel emptione vel hæreditate, aliquid de terra claustrali vel mansionaria obtinuerit, quando inuestituram requisierit Domino ipsius terræ quantum census, tantum redemptionis dabit.


Item si quis suburbanus clericus domum hæreditariam habuerit vel emerit, & in eadem manserit, liberam ab omni iure ciuili obtinebit.

B Item si quis seruientem nostrũ vulnerauerit vel occiderit; ipse & omnia sua Episcopali potestati adiudicari debent, & pacatio quæ congruat personæ vel culpæ, ipsi seruienti persolui. De ipsis autem Canonicis vulneratis vel verberatis, sinodali censura iudicabitur. Quod si quis negare huiusmodi reatum voluerit, non iureiurando sed Dei iudicio se expurgabit, quoniam huiusmodi contra clericos iniuria, emunitatis legem obtinebit.

Huius igitur rei testamentum, vt ratum maneat & inconuulsum, sancitum est & adstipulatum tot tantorum auctoritate virorum, scilicet Frederici Coloniensis Archiepiscopi, scilicet Arlongi Werzeburgensis Episcopi, scilicet Brunonis Spirensis Episcopi. Testes Fredericus Præpositus, Henricus Decanus, Theodericus, Andreas, Hen-

C ricus, Alexander, Almannus Archidiaconi: Warnerus Comes, Hermannus, Wibertus, Berengarius, Arnulphus, Lambertus, & Wilhelmus.

Sigillum Domini Henrici quinti Regis inuictissimi.



D

Ego Albertus Cancellarius vice Rothardi Archicancellarij recognoui anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo septimo, indictione decima quinta anno autem Domini Henrici quinti Romanorum Regis secundo. Datum Kalend. Ianuarij. Actum Leodij fœliciter in nomine Domini.

3. *Duas quoq; Ecclesias parochiales S. Huberti Leodij anno Domini 1110. & sanctæ Fidis in suburbio Leodiensi ædificauit. Chron. Carmelitarum, Tungrensiũ, magnum Chronicon Belgicum.*

4. *Huius*

A Porro Alexander ponè subsequentibus duabus congregationibus ac Duce Louaniensium, cum maximo militum, & totius factionis eiusdem comitatu, vbi Ecclesiam ingressus est, signum de more pulsaturus arripuit, sed rupto fune frustra attentauit, quod pro sinistro omine multi acceperunt.

Anachoreta Franconi multa de Alexādro & duobus eius successoribus prædicit.

Cum ecce subintrans anachoreta quidam duabus caprarum pellibus à tergo & ante amictus, crine longo, barba prolixa, pilosus vndique & hispidus, astantem conuenit Franconem, salue inquiens, frater. Siluit ille stupore, quisnam esset ignarus. Cui homo: Scio (inquit) quoniam me ignoras, mihi tamen notus es tu. Itaque audi verbum Domini: Missus sum à Deo futura nunciare tibi, vt per te cæteris innotescant. Iste qui pro Episcopo se B habens nunc ingreditur, noueris quia non prosperabitur, neque stabilietur. Elegit sibi Dominus alium, qui pauco quidem tempore Episcopus erit, sed multas tribulationes passurus est in eo pro fide & religione Ecclesiastica. Verum post obitum eius mira per eum Dominus operabitur, vt patenter appareat omnibus, coronatum esse in cœlis, qui fidem veritatis inuiolabilem tenuit in terris. Succedet in Pontificatu ei vir summæ nobilitatis, summæque potestatis. Ab initio prosperabitur, formidabiturque, sed sensim deficiet, in fine vilipendetur. Tertius mundialem legem perdoctus ordinabitur, Episcopus tamen non morietur. His blande dictis maturius sese subripiens abscessit, nec cunctatus ille ad C Præpositum rediјt, quod viderat, quodue audierat referens. Misit continuo ille, vt quæreretur Eremita: Sed frustra laboratum est, inueniri non potuit verum de verbis prophetiæ illius nihil cecidit in terram. Nunc ad superiora redeamus.

ANNOTATIONES.

1. Orta est magnæ, dissensionis procella:] *Initium, progressus, & finis huius dissensionis sic se habent: Mortuo Oberto Episcopo, inuito capitulo Leodiensi Alexander Thesaurarius, duarum secundariarũ Ecclesiarum præpositus, consilio & sapientia clarus, sed ambitione obscurus Henricum quintum Imperatorem à Sũmo Pontifice excommunicatum adit, septem (vt fertur) millia librarum argenti illi numerat,* D *ille Episcopatum ei confert, & per baculum & annulum eum inuestit; inuestitus Leodium regreditur; & à duabus Ecclesiis dictis, cæteris renitentibus, tanquam Episcopus suscipitur. Interea res defertur ad Fredericum Archiepiscopum Coloniensem, qui auctoritate Apostolica & sua interdicit Leodiensibus ne eum recipiant, citatq; Alexandrum & alios capitulares Coloniam ad tractandum super huiusmodi electione; tertio vocatus Alexander cum suis non comparet, quare Coloniæ eligitur in Episcopum Fredericus; & cum illo tempore Romanus Pontifex Calixtus Rhemis Synodum haberet, ad eam profectus Fredericus ab ipsomet Summo Pontifice in Episcopum Leodiensem consecratur. Quibus per Alexandrum auditis magna exoritur dissensio inter*

A

De confirmatione electionis Frederici, illius consecratione per Calixtum Papam, & Bello contra Alexandrum.

CAPVT XXI.

ARchiepiſcopus Coloniæ Fredericus cognita prædicti Alexandri promotione, mandat Leodij ne ſuſciperetur, Apoſtolica ſuaque auctoritate. Iubet præterea primos Eccleſiarum dominica in palmis corã adeſſe, vt rem certius poſſet diſcutere. Quid B multis? Iterum eſt res canonicè ventilata. Alexander bis terque vocatus eſt. Leodienſes vero in propria Sede electionem faciendi licẽtiam petunt; ſi proſperè cederet gratias acturi; ſi ſecus, nono Kalendas Maij Coloniam ingreſſuri, nam in hoc tempore conceſſa eſt à Henrico Rege, S. Romanæ Eccleſiæ, cæteriſq; ſibi ſubditis electio & datio libera annuli.

Archiepiſcopus Colonienſis auctoritate Apoſtolica & ſua mandat Leodienſibus ne Alexandrum recipiant.

Reditur, Synodus renouatur, conſulitur ſuper his. Factionem Ducis Rex impedit, Agrippinam recuſat. Eo loci de Spiritu S. miſſa peracta, affuit inter eos ſpiritus conſilij. Nam Dominũ Fredericũ mira fidelium vnanimitate elegerũt, fælicem fore dicentes tali Eccleſiam paſtore.

Fredericus in Synodo Colonienſi mira fideliũ cõcordia eligitur.

C Collecta ſubinde Remis Synodo Apoſtolicæ Sedis Pontifex Calixtus adfuit, electumque Dominum benedixit. Ita conſecratus Dominus Fredericus Epiſcopus Leodienſis 56. Leodium nudis pedibus repatriauit: Proceſſitque obuiam totius Cleri populique multitudo, & facta eſt lætitia magna in populo.

Confirmatur Remis à Calixto Pontifice maximo.

Fautores interea Alexandri tabeſcentes in ſe malitia recrudeſcũt nullam quam ei inferre poſſunt moleſtiam prætermittunt. Alexander ipſe in caſtello Hoyenſi erat, Ducis Comitiſque Lamberti ſibi promiſſum operiens aduentum.

Alexander tuetur ſe in caſtro Hoyenſi.

At Dominus Fredericus Epiſcopus, & frater eius Comes Namurci Godefridus *Princeps militiæ exercitus Domini, videntes quia multiplicata ſunt* D *mala in terris, dederũt ſe murum pro domo Domini*, periculis ſeſe obijcientes. Nam diſpoſitis neceſſarijs Hoyum petunt. Incolæ vero vltro fores aperientes obuiam pergunt, ſe ſuaque omnia dedẽtes. At illi ingreſſi, caſtellum expugnare ſunt aggreſſi, cum interea Dux magno cum exercitu nunciatur aduentare. Cui vt obſtrueretur tranſitus, concurrentes quidam ad pontem, in ſecuri & aſcia deiecerunt eum. Ita Ducis fruſtratus eſt aduentus. At parte ex alia Lambertus Comes per anguſtam ſemitam fluuium Moſam & aſperrimam rupem, amotis equis propter difficultatem loci cum ingenti ſuorum multitudine adueniebat.

Ezech. 13.

Comes Godefridus Namurcenſis caſtrum expugnare nititur.

Dux Louanienſis & Lambertus Comes, Alexandro opem ferunt.

Eodem die Godefridus Louanienſis Comitatum Hoy ſuccendit,

pars suorum nostros sequentes pontem transijt, sed Comite viriliter A
resistente, plures submersi fuerunt, reliqui vero cum suo Duce mō-
Godefridus viriliter resistit. tem turpiter statim reliquerunt. Cui frater Episcopi occurrens vbi audiri ab eo potuit: ergone (ait) contra me in arma venis cui hominium ex iusta causa fecisti? At ille frendens omne (inquit) hominiū ab hodierna die exfestuco. Tunc frater Episcopi. Et ego te, ait, vt perfidum hac hasta per medium fallacis oris transfigo. Dixit; iactoque telo fauces eius traiecit. Hoc ille oppido sauciatus iactu ruit, tenetur, vinculis mancipatur.

Dux Louaniēsis omnia Episcopi municipia vastat. Interea Dux cum graui ira inefficax rediens, omnia municipia Episcopij & Comitatus Namurcensis vastabat, omnesque fortes suos copulans agmini, Leodium in manu graui accessit. Reuersus & ipse B Episcopus vna cum fratre suo crebos & maximos eius æquipollenter expugnauit assultus, gratia Dei per omnia victor existens.

ANNOTATIONES.

1. Nam in hoc tempore concessa est à Henrico Rege:] *Non concessit Henricus Ecclesiæ, sed cum prædecessores Imperatores & Reges sacerdotiorum, & Abbatiarum collationem à centum plus minus annis vsurpassent, Ecclesia in Remensi Synodo, de qua statim, excommunicationis fulmine Henricum adegit, vt omne ius inuestiendi Episcopos & Abbates ipsi restitueret, confectis ea de re litteris. Litteræ Imperatoris sic incipiunt in Chron. Hirsang.*

IN nomine sanctæ Trinitatis & indiuiduæ. C

Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei & S. Romanæ Ecclesiæ, & Domini Papæ Calixti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo, & SS. Apostolis Petro & Paulo, Sanctæque Ecclesiæ catholicæ omnem inuestituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Ecclesijs canonicam fieri electionem, & liberam consecrationem &c. *Vide quoq; de his Abbatem Vsperg. in vita Henrici 5. Tyr. de bello sacro lib. 1. c. 13. Otth. Frising. lib. 7. cap. 16. Pundulphum Pisanum in vita huius Calixti.*

2. Nullam ei quam inferre possunt, molestiam prætermittunt:] *Veneni ei porrecti non meminit auctor noster, sicut nec Renerus S. Laurentij monachus, qui tamen statim post Frederici tempora vixit: meminit illius Molanus in natalibus SS. Belgij ad 27. Maij ex vetere M. C. codice Alnensi cuius exemplar habemus. Sic propemodum metu, vel violentia Alexandrinorum (sic enim tunc vocabantur qui partes Alexandri defendebant) gloriosum S. Frederici Leodiensis Episcopi martyrium obscuratum fuit. Lambertus Paruus de persequutionibus quas passus est Fredericus, sic loquitur*: Fredericus Episcopus Leodiensis multas & intolerabiles persequutiōes pro Symoniacæ hæreseos damnatione, & catholicæ fidei defensione ab Ecclesiæ persequutoribus & maxime Godefrido Duce Louaniensi passus V. Calend. Iunij anno Domini 1121. migrauit ad Dominum, eiusque meritum multis & inauditis miraculis vbique terrarum declaratur. *Codex Alnensis, de quo paulo* D

A *ante, sic habet*: Completa est iniquitas eorum, *scilicet Alexandrinorum*, muneribus siquidem, nescio quo Pincernarum eius corrupto, venenum poculo eius clam miscuit. Ipse autem vt erat honestæ simplicitatis, inconsulto quid nam esset, bibit, infirmatus est, languor supercreuit, decidit in lectum, suntque operarij iniquitatis confortati, iterauêre calicem mortis. Bibit secundo Sacerdos, dolor inualuit, virus singula membra pererrauit, vnum oculorum eius excussit, alterum extinxit. Cerneres omnibus venis inflatam cutem, & & vtris instar extensa vitalia. *Auctor noster conuenit cum Lamberto paruo in anno mortis Frederici, sed non in die, Liber commemorationis fidelium defunctorum qui legitur in Ecclesia Leodiensi sub* Pretiosa, *sic habet*. Sexto Calend. Iunij cõmemoratio Domini Frederici Episcopi nostri. *Eundem diem notat*
B *codex Alnensis*.

De Frederici obitu, & miraculis ad sepulchrum eius sequutis.

CAPVT XXII.

SEd cum iam pacata essent omnia, *abstulit Dominus validum & fortem à populo suo*: nam anno secundo suæ ordinationis 2. Kalend. Iulij migrauit ad Dominum, anno ab incarnatione Domini 1121. se- *Esaiæ 3.* *Sepelitur in Ecclesia S. Lamberti.*
C pultusque est in Ecclesia S. Lamberti.

Quam sancte quam laudabiliter, quam piè, quam sobriè expectauit *beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri* in Episcopatu, quam irreprehensibiliter sicut docet Apostolus vixerit, omnibus non multo post patuit. *Tit. 2.*

Siquidem ad sepulchrum eius diuinæ virtutis efficacia sese monstrauit: Nam ibi alij visum, alij auditum, alij gressum recipiebant Paralitici sanabantur, muti loquebantur, ægri præterea omnes conualescebant.

Interea Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli natalitius aduenerat dies, fidelisq; Leodiensium populus, ne tanti viri sepulchrũ lumi-
D nis honore diu careret, consilium inijt. Maiores natu fraternitatem initiandam sanxerunt, cæteris consentientibus ad hoc ipsum. Maturat interea quisque pro posse donationem, sed dispositione Domini, qui sanctum suum volebat mirificare, in subsequentem dominicam placuit differre, (neq; enim bonorum vota dilatione minuũtur) assunt die statuto. Sed virtutem semper sequitur inuidia. Nonnulli Clericorum aduenerunt, nihil religionis esse in hoc facto asserentes, debere potius ex præsenti donatione pauimentum reparari super Põtificis sepulchrũ hoc plurimũ placere Deo & beato martyri Lamberto. Hac itaq; stropha religionis, arcere nitebãtur populũ, ne terra ex qua miracula fiebãt raperetur. Sed *reprobauit Dominus consilium* *Maiores Ecclesiæ honorare student sepulchrum Frederici, accensis ad tumulum luminaribus.* *Quidam ex inuidia se opponunt.*

Sanctitas Frederici pluribus confirmatur miraculis. *vanitatis, votaq; humilium sibi placere* ostendit.

Nam puellam adultam nimia renum collisione natibus sese trahentem, infra nonam, ad tumulum sancti erexit sanam. A

Præterea puerum à natiuitate cæcum eadem, qua Euangelium, illuminauit virtute, sine luto & aqua sylöe, *O stulti & tardi corde ad credendum.* Parentes, affines, & amici, præterea omnes qui aderant, magno clamore in laudem Dei sanctique Pontificis Ecclesiam repleuerant super illuminatione adolescentis præfati, tamen Clerici pertinaci animo resistentes, nequaquam se credituros esse dicebant, nisi eos, quos domi stipe sua pascebant, infirmos sanari viderent.

Ioann. 9. *Luc. 24.* *Clerici insultãt S. Frederico dicẽtes se sanctitatẽ eius nõ credituros, nisi sanaret quos domi alebant ægrotos.*

Dominicus tunc erat dies. Instare ergo cum magna irrisione operientes euentum rei, si quis eorum sanaretur, instar Iudaicæ perfidiæ quæ crucifixo Domino illudebat dicens: *Si filius Dei est, descendat de cruce, & credimus ei.* Sed neque tunc Redemptor noster de cruce descendit, qui tertia postmodum die resurrexit; neq; modo Christi seruus Fredericus hostium irrisioni paruit. B

Math. 27:

Tamen quarta feria, hora diei sexta mulierculam in ipsa ægritudine decrepitam virtus vere diuina sospitati reddidit. Hæc illorum sustentabatur agape.

Mulier cæca illuminatur.

Alia quoque puella diuturna cœcitate mulctata, ibidem iacebat, precabaturque obnixius, vt quam audierat tam mirificè curatã, videre mereretur, quatenus & subsidij & laudis esset socia: nec est fraudata desiderio suo; siquidem infra nonam visum recepit. C

Alia mulier ægra sanatur.

Quædam etiam anicula, cuius pedes natibus & costis hæserant lateri, vergente iam ad occasum sole, sospes exiluit eadem die, laudans & glorificans Deum & sanctum eius Fredericum: Neque tantummodo sanari meruit, verum etiam vt iuuencula renouari. Ita virtus Trinitatis tribus miraculis *sanctum suum* die illa *mirificauit.*

Psalm. 4.

Duæ mulieres contractæ sanãtur.

Dies quoque illuxit altera, nihilominus miraculis illustrata: duæ siquidem mulieres contractæ ibidem pristinæ sanitati sunt redditæ.

Vir quoque cõtractus.

Vir quoq; ex eadem, id loci, conualuit infirmitate: percrebuit interea vndiq; eius tantorum opinio gestorum.

Mulier delata ad sepulchrum S. Frederici, sanatur.

Quapropter ægra quædam mulier nunquam biennio de cubiculo egressa, spe recuperandæ sanitatis eodem sese ferri postulauit: Ergo super cathedram, (manus enim se tangentium pati nequibat) delata est, intransque Basilicam S. Lamberti qua potuit voce ferentibus se ait: Iuxta sepulchrum S. Frederici me locate. Sane cuius pietatis fuerit iste homo non ignoro, miserebitur mihi, nisi, quod absit, ante Deum caritatis viscera mutauerit; scio enim quãtæ bonitatis fuerit. Quis enim infirmus illum ignorauit? Quis egens eius ope non visus est. Hæc ea muliebri quæstu dicente, haud procul à tumulo posita est. Creuit dolor tum magis & desiderium salutis. Noctem ibidem cum duxisset insomnem, alterius diei primo mane *exaudiente Domino desiderium pauperis*, surrexit incolumis. D

Psalm. 10.

A Eo ipso momẽto stupore rei attonitis omnibus aliud apparuit miraculum: Mulier quædam eatenus dextrum perdiderat brachium, vt plus ei esset oneri quam subsidij, obstupuerat enim complicatum ac retortum: hæc, ad sepulchrum sancti venerandum cum venisset, optatæ saluti restituta est. Plurima similia similibus adderem, nisi occurreret menti præsens hoc miraculum. *Et alia mulier sanitati restituitur.*

Morabatur in suburbio haud longè ab oratorio S. Bartholomæi muliercula triennio ægritudinem passa, baculi potius quam pedum officio vsa, & idcirco contra fas à suo coniuge relicta, quæ vicinorum eleemosinis in obscuro vitam agens, virtutum opinione sancti illecta eo deuenit. Cumque inter multos qui ibi iacebant infirmos magis grauaretur, ad altare secessit sanctæ Gertrudis, vbi ab omni semota tumultu, patrem misericordiarum òrabat attentius, ne loci remotio esset sibi sanitatis dilatio. Sextę tunc feriæ matutinũ perorabatur à Canonicis. Ecce autem plus minus, ante òrtum auroræ cuidam assistenti sibi, iam, inquit, àccipe hunc baculum mihi hactenus pernecessarium, ego verò sanitatis meæ grates repẽdere vadam. Cui eunti occurrêre laudibus finitis Canonici, rogantibusque illis, retulit circuitus sui historiam. Fit repente gaudium omnibus, gloriam in excelsis Deo decantant. *Sanatur & alia.*

B

Succedunt magnis maiora. Tertia erat feria, cùm ibidem deportata est quatuordecim annorum ægra; quæ pene desperata iuramento se addicit nihil victus se esse sumpturam, nisi mereretur medelam, Res miranda: quid ageret, quo se verteret ignorabat. Post clamores & dolores iacebat pene exanimis, altera iam fluxerat dies, pernox etiam in id miseriarum secundas exegit tenebras: Sed orto die, sanata est à Domino per merita sancti Frederici Episcopi ab ægritudine. *Rursus & alia annorum 14.*

C

Altera die quædam Hoyensis puella Leodium venerat ad emporium emere sibi necessaria, vbi auditis quæ id loci fiebant miraculis, ob infirmitatem renum suorum rogata eo declinauit, stansque & infirmos artus baculo regente sustentans in medio Ecclesiæ, (accessum enim vicinum multitudo clauserat) tolle, ait hunc baculum Domine, sanctique Confessoris tui Frederici Episcopi meritis sanitatem mihi restitue. Vas autem ibidem positum stabat, in quo de terra sepulchri eius aqua permixta erat: ad quod illa plus sanitatem sitiens quam aquam, accessit & bibit. Mira velocitas: mox sanata conualuit, gratias egit. *Iterum & alia Hoyensis.*

D

Ad huius quoq; sancti memoriam mulier graui laborans infortunio iacebat: Enimuero manui eius superexcreuerat morbus, qui eam ab omni opere faciebat cessare. Hac igitur toto in oratione exacto die, inclinata iam vespera, inuisibiliter manum vehementi correptione affici persensit. Veruntamen id diuinitus fieri perpendens, sustinuit patienter, cum ecce collatam sibi sanitatem mirata est. *Rursus & alia.*

Restant & alia multa quæ de virtutibus huius S. Præsulis dixissem,

sed

sed à quodam Clerico conscripta esse inueni. Sed & vitam ipsius luculento sermone scripsit Dominus Renerus monachus S. Laurentij Leodiensis, vir magnæ scientiæ, qui multa alia opuscula composuit. Sufficiat nostro hæc operi inseruisse, ad confirmandam prædicti serui Dei prophetiam, qui multis eum miraculis post obitū illustrandū prædixit. Circa eius sepulchrum ante concremationem Ecclesiæ, literis deauratis hoc exaratum erat Epitaphium. A

Renerus monachus S. Laurētij inter alia opuscula scripsit vitam S. Frederici Episcopi

Clauditur hac tumba simplex sine felle columba,
Quæ nobis viuam referebat pacis oliuam.
Cor sublime gerens, scripturæ totus inhærens,
In se spernebat quod nobilitate vigebat,
Plus fuit horroris quam nominis huius honoris.
Plebis Catholicæ te Pontificem, Frederice, B
Elegit Christus, sacrauit Papa Calixtus.
Inde furens Symonia, ruens in ius alienum
Bella tuis dedit, arma suis, tibi sancte venenum,
Hæc tuleras nec victus eras in agone bienni:
Sed frueris modo cum superis mercede perenni.
Iulius aut Iulias nonas sub luce Calendas
Gloria virtutum doceat te glorificatum.
Percipe te dignam Præsul martyrque coronam.

Iste namque beatus Fredericus Episcopus multas & intolerabiles persequutiones pro symoniacæ hæreseos damnatione, & catholicæ fidei defensiōe ab Ecclesiæ persequutoribus, & maximè Duce Louaniensi Godefrido passus est. Floruit sub Papa Calixto 2. & sub Imperatore Henrico 5. C

Defuncto Domino Frederico prædictus Alexander, reducitur in vrbem à suis, & cum suis.

Defuncto Frederico, Alexāder à suis reducitur Leodium

ANNOTATIONES.

1. Miracula quæ hic refert auctor noster, hausit ex codice Reneri S. Laurentij, refert eadem & Codex M. S. Monasterij alnensis anonimi auctoris illius temporis qui liberiori ore historiam prosequutus est, & plura illius miracula refert.

2. Defuncto Dño Frederico, prædictus Alexander reducitur in Vrbem à suis, & cum suis.] *Quomodo hic Alexander iam secundo aspirauerit ad Episcopatum, & quomodo, & quare repulsam passus fuerit, præ cæteris clarius & fusius prosequitur Brustemius, sic enim habet.* Defuncto Domino Frederico prædictus Alexander ad Ciuitatem à suis reducitur cum adhuc excommunicati essent. Nam Pontifex ipsum solum absoluerat, neque tamen suorum communionem in aliquo deuitabat, videtur nāque tam ei, quam suis, quod omnis contradictio, quæ eos hactenus impugnauerat, mortuo Frederico Episcopo sublata esset & semota. Vocatus ergo ab eodem Alexandro Dux Godefridus, tametsi ad huc excommunicatus, Leodium venit, clerum & populum in ple- D

A no conuentu Capituli, de electione facienda, sibi pacificè conciliauit. Qui autē de Frederici defuncti parte fuerant, silentio magis, quā corde, aut ore aspiciebant. Dominus Andreas maior Præpositus, qui postea Traiecti inferioris fuit Episcopus, & cum eo de Ecclesia maiores, qui Alexandri communionem vitabant, erant in Eyseto castello. Porro Coloniensis Archiepiscopus Fredericus conuocatis tunc Ecclesiæ Leodiensis maioribus, nunciante Domino Roberto Abbate sancti Cornelij, vbi diem statuerat, vt partes audiret, aduenit. Duobus diebus longa concertatio fuit & disputatio de canonibus. Alexander se absolutum dicebat, è contra Archiepiscopus non solum Alexandrum & suos, sed & omnes qui erant capita Ecclesiæ pro excommunicatis se habere asserebat, exceptis his, qui de obe-
B dientia & cōmunione Frederici Episcopi fuerant. Interrogantibus quare, respondit, quia defuncto & sepulto Episcopo Frederico, Ducem Louaniensem Godefridum, in capitulum vestrum, & in Ecclesiam introduxistis, & cum eo, imo per eum, & propter eum, electionem fecistis, cum tamen ab Apostolico, & meipso, & ab Episcopo vestro Frederico fuisset excommunicatus, & necdum absolutus, & omnes cum eo, qui Ecclesiā sub Frederico Episcopo persequuti fuerant. Hoc autem totum agebat Archiepiscopus, vt cum ex hoc conuicti satisfacerent, cassa esset eorum electio, quam cum excommunicatis, & per excōmunicatos fecissent de Alexandro. Erant autē de illa contaminatione notabiles viri, Archidiaconus Almanus, Ar-
C chidiaconus Henricus, Lefridus Decanus, Reppo Archidiaconus, & multi alij maiores & minores. Cum Archiepiscopo erant de Ecclesia Leodiensi Andreas maior Præpositus, Emmo Archidiaconus, Scholasticus Stephanus, vir vitæ venerabilis, Zembaldus præpositus S. Ioannis, & nonnulli testimonij boni in Ecclesia, cum Abbatibus scilicet Rodolpho S. Trudonis, & Heribrando S. Laurentij Leodiensis. Quid multa? tandem procidunt omnes coram Archiepiscopo, petitamque impetrant absolutionem. Alexander interrogatus ab Archiepiscopo, obedientiam promittit, posita manu eius in manu Pontificis. Archiepiscopus illi per virtutem sanctæ obediētiæ mandat, vt amplius se de Episcopatu non intromittat. Et ille quidem annuit, sicque die illo solutus est ille cōuentus. Elapsis annis duobus,
D post obitum Domini Frederici, causa Henrici quinti Imperatoris cum Apostolico, ad pacem & concordiam redijt, vt idem Imperator cū suis ab excōmunicatiōis vinculo absolueretur. Fluctuabat adhuc tamen Ecclesia Leodiensis, nec certam spem designati rectoris habebat. Frater Ducis Louanij Godefridi Albero primicerius Ecclesiæ Metensis, tunc per multorum ora ferebatur, rumorque de ipso in dies & opinio magis magisque crescebat. Fit tandem de Alberone Leodij assensus, Imperatori præsentatur, dono Episcopij à manu eius inuestitur, Coloniam consecrandus deducitur. Itaque Dominus Albero consecratus est in Leodiensem Episcopum à suo Metropo-

litano Domino Frederico Coloniensi Archiepiscopo. Qui consecratus secum reduxit Dominum Rudolphum Abbatem sancti Trudonis, expulsum ab Ecclesia sua ab Alexandro præfato, & ab amicis eius, eo quod fauerat Episcopo Frederico, quem Leodij paululum detinuit, ac deinde reductus est in suam Abbatiam seu cœnobium per Henricum Archidiaconum. Interea Alexander priuatus & quietus viuebat, sub Alberone Episcopo, honoribus contentus, quos antea possederat. Incidit autem Alexandro præfato in mentem, vt Romam pergeret, & de perturbationibus quas in Ecclesia suscitauerat, vltra communem absolutionem quam acceperat, singularem sibi à summi pontificis gratia reportaret. Honorius quidem tunc post Calixtum Romanæ sedi præsidebat. Assumpsit itaque secum Dominum Abbatem sancti Trudonis Rodulphum, qui pridem ad inuicem fuerant reconciliati. Illi peregrinationem suam per sanctũ Ægidium in prouincia sunt aggressi. Itaque Romam peruenientes ad sanctorum Apostolorum limina, aliorumque multorum Sanctorum suffragia deuotè se contulerunt, satisfacientes votis suis, precibus & lachrymis, prout erat quisque sibi cõscius. Tandem accepta benedictione Apostolica per exitialia montis Iouis pericula, recepit eos vrbs Basilea. Alexander inde remeauit eques per Basileam, Abbas vero Rudolphus naufragoso Rheni nauigio venit per Coloniã.

His subscribunt Gesta Abbatum sancti Laurentij.

De Alberone huius nominis primo.

CAPVT XXIII.

Albero succedit S. Frederico.

SVccessit Domino Frederico Dominus Albero, primicerius ex Clero sancti Stephani Metensis, frater Ducis Louaniensis Godefridi, vir summæ auctoritatis & innocentiæ, qui columbina simplicitate canonicè electus, substitutus est Præsul Leodiensis Ecclesiæ 57.

Est omnibus terrori vt Leo Pax redit Ecclesiæ.

Ad cuius ingressum quanta pax Ecclesiæ sanctæ redierit, quomodo prædonum incursus cessarint; ipsi quoque Principes timore perculsi, tanquam præsente Leone cætera animalia conquieuerint, videre iucundum fuit.

Moritur Anno Domini 1128. Sepelitur in Eccl. S. Aegidij in publico monte, in qua Canonicos regulares posuerat.

Hic rebus Ecclesiæ in pace relocatis, obijt in Circoncisione Domini, anno Domini 1128. sepultusque est in Ecclesia S. Ægidij in publico monte iuxta Leodium ante maius altare, in qua Ecclesia Canonicos regulares posuerat, qui vsque in hodiernum diem ibi Dño seruiunt, quibus idem Episcopus multa bona tribuit.

Floruit sub Apostolicis Calixto, & Honorio: sub Imperatoribus Henrico quinto, & Lothario tertio.

ANNO-

A ANNOTATIONES.

1. Vir summæ auctoritatis & innocentiæ:] *Nonnulla præclare gesta per hunc Alberonem in Chronicis nostris reperio;*

Inprimis auctor noster in marginali annotatione sic habet. Albero posuit canonicos regulares in Ecclesiâ sancti Ægidij in publico monte. Quibus præfuit in humilitate cordis & paupertate maximâ, vir discretus & religiosus Dominus Petrus primus prior, quondam canonicus & Decanus Ecclesiæ sancti Petri Leodiensis; obijtque quarto idus Februarij, & sepultus est ante crucifixum, in capitulo. Post quem D. Azo primus Abbas vir literatus & honestus 6. Idus Febr. sepultus B ante altare sancti Dionysij, 4. Calend. aprilis. Goderanus primus fundator Ecclesiæ sancti Ægidij, in ea ante altare SS. Dionysij & Lamberti sepultus est: iuxta cuius tumbam, posita fuit venerabilis mulier & Deo dilecta soror Iudila primitiua reclusa eiusdem loci 4. nonas Decemb.

2. *Magnum Chronicon Belgicum, Ioannes presbiter, Bruistemius, & alij multa de frequentibus huius Alberonis ad Deum precibus, & misericordia recitant. Chronicon Belgicum de ijs, sic scribit.* Albero de nocte dicitur orare solitus pro grege sibi commisso ante fores diuersarum Ecclesiarum. Vbi semel audiuit mulierem flentem mortem mariti sui, & præsertim propter mortuum maritum culcitram suam auferri ab Episcopo: Episco- C pus anno Pontificatus sui tertio, primus omnium, iuri suo vel seruituti, quæ dicitur *mortua manus*, quæ adhuc in quibusdam partibus Dominis temporalibus à suis subditis exhibetur, ex superaffluentiâ misericordiæ sibi innatæ, in tota terra Episcopatus Leodiensis renunciauit, & hanc abusionem sustulit. Quæ quidem seruitus conditioni humanæ, quam liberam in exordio Deus condidit, penitus aduersatur. In eo vero consistebat ius, vt quandocumque aliquis pater familias, qui hanc debebat seruitutem, moreretur, in signum seruitutis præteritæ, optimum pignus, vel iocale quod in ipsius domo reperiri cõtingeret, à Dominis exigeretur: sin autem nihil esset, vt tum defuncti dextera manus abscissa Dominis offer- D retur. *Hactenus magnum Chronicon Belgicum.*

3. *Iste Albero præter prouentus annuos quos Ecclesiæ S. Aegidij in monte publico contulit,* ædificauit (*inquit idem Chronicon*) Monasterium in castello Cornelij montis ordinis Præmonstratensis. Ecclesiam etiam construxit in Cæmiterio S. Dionysij, in honorem sanctæ Aldegundis virginis, & in claustro sancti Petri, Ecclesiam Sanctorum Clementis & Trudonis.

4. Hoc tempore (*inquit Robertus de monte in appendice ad Sigebertum*) ordo Canonicus præmonstratensis, & monasticus Cisterciensis quasi duæ oliuæ in conspectu Domini pietatis lumen & deuotionis pinguedinem mundo ministrabant, & quasi vites fructiferæ religionis pal-

mites circunquaque propagabāt, & per omnes fere Christiani orbis A terminos, bonæ opinionis paulatim odore diffusi nouas Abbatias, vbi antea dei cultus non fuerat, construebant. Eratq; circa hæc tempora pulchra ac decora facies Ecclesiæ diuersorum ordinum ac professionum circundata varietate, dum hinc Præmonstratenses, hinc Cistercienses, inde Cluniacenses monachi, tum & diuersi habitus & professionis sanctimoniales & mulieres Deo deuotæ, in continentia & paupertate sub obedientiæ iugo regulariter viuentes, feruore religionis inuicem prouocarent, & noua certatim diuersis in locis monasteria fundarent. Cum his etiam monachi Carthusienses & ipsi paulatim pullulabant, qui præ ceteris continentes, pesti auaritiæ, qua plurimos sub religionis habitu laborare videmus, terminos B posuerunt, dum certum numerum hominum, animalium, possessionum, quem eis prætergredi nullo modo liceat, statuerunt, & ipsi singulas singuli cellulas habentes, ac raro, vel ob Dei cultum, vel ob mutuum in charitate solatium, conuenientes, perfectius mori mundo & cæteris tanto diligentius, quanto secretius viuere Deo elegerunt. Ad hæc etiam milites templi Hierosolymitani, fratres quoque de Hospitali sub religioso habitu continenter viuentes, vbique se multiplicando diffundebant, & quæ poterant colligere vel de laboribus proprijs, vel de fidelium eleemosinis, ad opus Deo militantium in infirmorum quorumcunque ac pauperum necessitates Hierosolymam mittebant; sed & Præsules Ecclesiarum ac Principes C seculi promptissime annuebant, vel etiam sponte offerebant terras, prata, nemora, & cætera quæ monasterijs ædificandis necessaria erant. *Hactenus Robertus. Quæ hic annotare placuit, vt ex calculo temporis videat lector promptum studium & feruorem Episcoporum nostrorum in aduocandis, primo quoque tempore, viris religiosis ad diœcesim suam, quos ad honorem Dei & bonum Ecclesiæ promouendum existimabant vtiles, videbit enim in consequentibus singulos ferè Episcopos singula singulorum ordinum monasteria quodammodo certatim per hanc diœcesim ædificasse.*

5. Obijt in circuncisione, anno Domini 1128.] *Adstipulatur liber Ecclesiæ Leodiensis, ex quo commemorationes confratrum & fidelium defunctorum ad* D *primam sub* Pretiosa, *legi solent.*

CAPVT

A

De Alexandro Episcopo & triumpho eius apud Durachium.

CAPVT XXIIII.

QVinquagesimus octauus Leodiensis Episcopus Dominus Alexander supra memoratus Archidiaconus ex Clero S.Lamberti, canonice *per ostium in ouile ouium* ingressus est: communi siquidem omnium consensu electus, & dono regali 15. Kalend. Aprilis confirmatus, Episcopatum obtinuit. *Ioann. 10.*

B Fuit vir magnæ prudentiæ, sagacis facundiæ, in humilitate præcipuus, in oratione deuotus, in eleemosinis pauperum nulli suo tempore secundus. *Alexandri Episcopi virtutes.*

Eo tempore, turbato rerum statu in toto fere orbe Romano sub Duobus Apostolicis Innocentio & Anacleto, duobus Regibus Lothario & Conrardo, duobus Ducibus Godefrido Louaniensi, & pagano de Lemburch, cum omnia dissensionum nutarent motibus, & in iudicijs causarum iustitia, plurimorum periclitaretur impunitate scelerum, multi aduersus Ecclesiam, calcaneum erexerunt, cędibus, quoque, & rapinis, incendijs Episcopium Leodiense attriuerunt, illi maxime qui si incumberent hostiles acies, illud defendere & tueri C debuissent, completa sententia quæ dicit, *inimici hominis domestici eius.* *Eius tempore totius orbis Romani statu turbatus. Illi aduersus Ecclesiam maxime insurgũt, qui deberent eam defendere Mich. 7.*

Non defuerunt tamen periclitanti Ecclesiæ sanctæ patrocinia B. Martyris Lamberti. Nam Alexander Episcopus contra Louaniensem Ducem pugnaturus, orationum munitus clypeis, triduano indicto ieiunio, in congressu impar, innumerabilem sub mœnibus Durachij fugauit & protriuit exercitum, prostrata ibi nostris inaudita diebus multitudine aduersariorum, captoque Ducis vexillo, dicto gallice *Standart* opere plumario, à Regina Angliæ ei misso, quod fastu superbiæ quadriga boum ferebat. *Adest S. Lambertus periclitanti Ecclesiæ Leodiensi. Alexander Epus oratiõ clypeo munitus Ducem Louan. bello vincit.*

In cuius victoriæ memoriã dictũ vexillũ per multos annos postea per Leodiũ in rogationibus ab Ecclesia B. Lãberti deportatũ fuit.

D Summa autem eorum, qui ibi mortui sunt, fuit peditum vtrimque nongentorum & viginti quatuor, exceptis his qui fugientes in segetibus vel in syluis vulnerati perierunt, & qui in aquis suffocati sunt, quique, ad sua regressi, incertis horis & diebus sunt mortui quorum summa non potuit colligi Actum 7. Idus Augusti, anno. *Summa cæsorum.*

Milleno centeno partus virginis aluo,
Bis deno simul & nono regnante Lotharo,
Cum pater augustus septem numeratur in idus,
Louaniensis Dux vix campo cessit Godefridus,
Præsul Alexander lætatur honore triumphi,
Consonat in laude Legia vero Dei.

Willeris est villa, res est hæc gesta sub illa, A
Miles nulla luit, vulgus inerme ruit.

Cantandus est Domino, hymnusque ei dicendus in his, quæ mirificè fecit, ne si fortè reticendo, minus laudes eius annunciauerimus, silentij nostri pœnas luamus, vtpote eius ingrati beneficijs. Etsi enim
Tob. 12. *secretum Regis celare bonum est, opera Dei annunciare*, nihilominus, *honorificum est*. In hoc ergo benignior erga nos apparet gratia nostri prouisoris, qui *confringens capita inimicorum, verticem capilli perambulantium in delictis* humiliat, & quos aliquando castigando percutit, ad se postmodum conuersos, vt filios fouet & enutrit.
Psalm. 67.

ANNOTATIONES. B

1. Alexander contra Louaniensem Ducem pugnaturus:] *Qua causa belli huius fuerit particularius explicat Bruistemius his verbis:* Illo siquidem tempore, *anno scilicet Domini 1130.* Gislebertus de Durachio, Aduocatus S. Trudonis, qui cum Duce Brabantiæ Godefrido Barbato ante 24. annos oppidum sancti Trudonis spoliauerat, incenderat, & depredatus fuerat, adhuc Trudonensibus aduersabatur. Tandem commonitus est humiliter ab Abbate Rodulpho, vt ab huiusmodi tantis malis quiesceret, increpatus etiam frequenter à Duce Lymburgensi Gualerano, à quo dictam tenebat Aduocatiam, proclamante deniq; super eum Domino Stephano Metensi Episcopo dicti oppidi Dño, C pro pertinacis animi contumacia tãdem abiudicata est eidẽ Comiti Gisberto iudicio legitimo dicta Aduocatia. Et quia homo erat obstinatæ mentis, nec multi consilij, contigit ei sub eisdem diebus culpis suis exigentibus, vt tam Comitatus quam reliqua beneficia, quæ de Leodiensi Episcopatu tenebat, proclamante Alexandro Episcopo ei abiudicarentur: Quid ageret nesciebat, vires non habebat quibus prædictis Dominis resisteret, animositas eum quiescere non sinebat: Seditionem mouit in regno, scandalum in populo. Contulit igitur se ad Ducem Louaniensem Godefridum, tunc regni & Imperij hostem, propter Ducatum Lotharingiæ, qui etiam de nouo illi abiudicatus fuerat, & redditus Gualerano de Lymburh supremo sancti Trudonis Aduocato. Et quia sine omni munitione ipsum oppidum S. Trudonis erat, dictus Comes Gisbertus, ac Dux Godefridus vires suas in ipsum introducere, & oppidanos hospitij dissipatione grauatos, postremo captiuos abducere disponebant. Sed Abbatis Rodulphi prouidentia malignitatem eius prudẽti impediuit consilio. Egit namque apud Dominum suum Metensem Episcopum Dominum Stephanum, vt Alexander Episcopus Abbatiã & oppidũ S. Trudonis sub suo susciperet patrocinio, iurauerũtq; sibi inuicem fidem, consilium, & auxilium Episcopales & oppidani S. Trudonis. Qua fiducia renouare cœperunt Trudonenses fossati vetustatem, eamque quam in plano dicta terra habuit firmauerũt munitionem.

Quam-

A Quamobrem crescebat vehementissime in peius dissensio, dissipatis monachorum & clericorum substantijs, tam in villis quam Ecclesijs, & tam Dux quam Comes nemini parcebãt, sed omnem sexum, omnem ætatem, omnemque ordinem captiuantes diris vsque ad mortem cruciatibus pro redemptione exanimabant. Pro his alijsq; culpis exigentibus tam Dux quam Comes excommunicantur. Obsidetur etiam Durachium castrum ab Episcopo Leodiensi Alexandro, & Duce Limburgensi Gualerano, ad quod liberandum mouit exercitum Louaniẽsis Dux Godefridus, & cum eo Flandrensis Comes Theodoricus. Pugnatum est acriter, victique fuêre Louanienses cum Flandrensibus, vnde & in ipso prælio ceciderunt plus quam B quadringenti ex hostibus. Post commissum prælium redijt circa castellum obsidio, sed diu teneri non potuit propter instantẽ messem in Augusto. Dux pluries exercitum suum ad Leodiensem mouit ciuitatem, vt eam vastaret, sed nihil profecit. Nouissimè statuerunt hi rebelles filij Episcopo Alexandro locum & diem certaminis in cãpis iuxta villam Wilre, in cuius parochia situm est castrũ Durachij. Nec defuerunt Ecclesiæ sanctæ periclitanti patrocinia beati Martyris Lamberti. Cum suis tunc Episcopus Alexander contra Ducem Louaniensem pugnaturus orationum munitus clypeis, triduano indicto ieiunio, in congressu innumerabilem sub mœnibus Durachij fugauit & protriuit exercitum. In principio conflictus terga vertebat exercitus Episcopi ad fugam compulsus, vno tantum cuneo in C quo Hoyenses erant & pauci admodum milites cum Comite Arnulpho Lossensi remanente, à quo postea exercitus Louaniensis in maxima parte cæsus est, & tandem fugatus. Detentum est ibidem vexillum Ducis, quod gallicè *Standar* dicitur, opere plumario, acu nobiliter elaboratum, quod eidem Duci miserat Regina Angliæ, quodque superbiæ fastu ex præcepto eius quadriga bôum ferebat ambientibus illud custodibus, qui omnes comprehẽsi trucidati sunt, dictum verò vexillum post annos plurimos inde deportabatur per Leodiensem Ciuitatem in rogationibus ab Ecclesia S. Lamberti. Nominatur autem campus ille ab incolis *Standar*, in quo captum fuit, vsD que in hodiernũ diem. Summa verò eorum qui ibidem mortui sunt fuit, peditum & equitum 942. exceptis his qui fugientes in segetibus vel in syluis vulnerati perierunt, ac his qui in stagno phanij aquis præfocati sunt, & his quoq; qui ad sua regressi suis diebus & horis mortui sunt, horum summa colligi non potuit. Actum VII. idus Augusti anno Dñi 1130. Cantandus est Dño hymnusque ei dicendus in omnibus quæ magnificè fecit. *Eandem causam refert quoq; magnũ Chronicon Belgicum. Hausit vero auctor noster totum hoc caput, ex triumpho sancti Lamberti cap. 2.*

CAPVT.

De Bullonio per Raynaldum Comitem proditorie capto.

CAPVT XXV.

ALexander itaque dum quasi domesticis intendit hostibus, ab eorum incursione fines suæ Diœcesis vix conseruans, dumq; tum suis, tum regni insistit negotijs, diuisus ad multa minus sufficiebat cogitare de singulis.

Raynaldus Comes Barrensis, Bullonium castrum proditione capit.

Vnde nactus oportunitatem Comes quidam Barrensis Raynaldus nomine, homo singularis perfidiæ, proditionumque famosissimus signifer, castrum Bullonium, corruptis pecunia custodibus, probrose & cum ignominia nocturno furto, funibus, vt dicitur, in illud à proditoribus attractus, intrauit, & beatum martyrem domo, quàm magno ære comparauerat, spoliauit. B

ANNOTATIONES.

Hausit auctor hoc caput ex triumpho S. Lamberti cap. 2. sub finem.

De perfectione Ecclesiæ noui monasterij Hoyensis per Alexandrum & eius oblatione. C

CAPVT XXVI.

Hic Alexander perfecit Ecclesiam Noui monasterij prope Hoyum.

Oblatio Alexandri Episcopi in die consecrationis dictæ Ecclesiæ.

INterea Alexander Ecclesiam Noui monasterij iuxta Hoyum sub tutelam suam suscepit, & eam ad perfectum opus quasi pater proprius perduxit, & 11. Calend. Octobris, indictione 8. in honore S. Sepulchri Dñi, & S. Ioannis Baptistæ, præsidente Apostolicæ Sedi Innocentio secundo, Lothario Romanorum Imperatore & semper augusto dedicauit, ipsaque die consecrationis super altare optimas historias vtriusque testamenti obtulit cum calice argenteo: præsentibus Abbatibus Wascelino S. Laurentij, & Azone de publico monte, Richardo de Floreffia, Rasone Decano S. Lamberti, cum alijs pluribus. D

Priuilegium Alexandri.

Verbis ipsius Episcopi vtar, quæ continentur in priuilegio prædictæ Ecclesiæ.

F*Eci*, inquit, *eam liberam, cum toto claustro & situ, tam in decimatione, quam in cæteris exactionibus. Remota omni occasione controuersiæ, concordiæ & mutuæ inuicem dilectionis gratia, decreui vt Ecclesia beatæ Mariæ mater esset, ista filia: ita videlicet, vt idem*

A *idem ius & priuilegium sub ipsa matre haberet in suo ordine, quod Ecclesiæ quæ sunt Leodij sub sua matre retinent. De hinc coram omnibus qui aderant dotaui eam de quatuor mansis in Hangiensi fundo, & de cursu aquæ mosæ à prima parte superioris insulæ, quæ est contra sanctum Georgium vsq; ad vltimam partem inferioris, quæ est contra plumborum montem, & de variscapio vtriusq; ripæ.*

Vt autem hoc firmum & ratum foret, sigilli mei impreßione signari feci, & nomina plurimorum, tam Clericorum quam laicorum, qui interfuerunt, subnotari. Archidiaconi, Vodo, Alexander: Ab- B *bates, VVascelinus de S. Laurentio, Azo de publico monte, Richardus de Floreffia: Decanus sancti Lamberti Razo, Abbas de Amanio Henricus. Hoyensis Ecclesiæ Canonici, Theodoricus Præpositus, Franco Decanus, Goscelinus scholasticus, Lambertus Cantor. Lambertus, Hubertus, Gitlebertus liberi homines. VValterus eiusdem Ecclesiæ Aduocatus, quibus præsentibus cuncta hæc superius memorata, terminata sunt.*

Fuerunt etiam cum istis quamplurimi curiales, quorum nomina longum est enumerare. Ministeriales Episcopi Lambertus Hoyensis & frater eius Arnulphus, Auelinus Dapifer, Theodoricus tunc tēporis C *Villicus Hoyensis. Scabini, Hubertus, Leuthorus, Robertus, Reinuoldus. Facta est hæc determinatio Hoy anno ab Incarnatione Dominica 1130. indictione octaua, regnante Lothario. 3. Alexandro administrāte Pontificatum fæliciter.*

ANNOTATIONES.

1. *Magnum Chronicon Belgicum de perfectione Ecclesiæ noui monasterij, dotatione, & consecratione sic loquitur:*] Episcopus Ecclesiam Noui manasterij Hoyensis perfecit, dotauit & anno Domini 1130. vndecimo Calend. Octob. consecrauit in honorem S. Sepulchri Domini & B. Ioannis Baptistæ.

D 2. Interea Alexander Ecclesiam noui Monasterij: Iste quoq; cum Godefrido comite Namurcensi exordia iecit Abbatiæ Floreffiensis ordinis Præmonstratensis anno Domini 1130. Cuius primus Abbas Richardus Nominatus fuit. *Chronic. Gemblacense.* Eiusdem quoq; Auctoritate Monasteriū de Gerolsarto dedicatū fuit. *Chroni. Tungr.* Huius quoque tempore, vt dicitur, fundatum est Leodij iuxta Ecclesiā S. Christophori hospitale Fratrum Kokinorum ordinis S. Augustini, positum sub ordinatione ac visitatione Domini Ottonis Abbatis S. Laurentij, suorumque successorum. *Chron. Carmel.* Confirmauit quo-

que, *vt refert Bru:stemus*, fundationem monasterij Auerbodiensis fundati per Arnulphum tertium Comitē Lossensem anno Domini 1135. A
Cuius fundationis tenor talis est.

Ego Arnoldus Dei gratia dictus Comes de Loss. cum Ludouico filio meo Ecclesiam S. Mariæ, sanctique Ioannis Baptistæ in Auerbodio nostro allodio fundauimus,& in ea Canonicos Præmonstratēsis ordinis, sub regula B. Augustini degentes,collocauimus,quibus omnem terram cum nemoribus, à terminis Endelberghe vsq; ad terminū,qui dicitur Wliepach,concessimus, Ecclesiam ipsam deThessenderloe cum decimis & appenditijs largiti sumus. Hanc etiam donationem nostram à patre nostro vniuersalis Ecclesiæ Pontifice, Beatæ memoriæ Innocentio secundo firmari fecimus. Acta sunt hęc B
anno incarnatiōis Dominicæ millesimo centesimo trigesimo quinto

Sequitur tenor confirmationis.

INnocentius Episcopus seruus seruorum Dei, &c. Ecclesiam beatæ Mariæ sitam in Auerbodio, quam nobilis vir Arnulphus Comes eiusque participes, piæ donationis intuitu, fundauerunt,sub protectione sancti Petri suscipimus, & præsentis priuilegij pagina communimus. Datum Laterani, anno Dominicæ incarnationis 1139. Pontificatus nostri anno decimo.

Tenor literæ Alexandri Episcopi Leodiensis. C

EGo Alexander Dominici gregis in Episcopio Leodiensi humilis custos, notum facio,&c. Arnulphus Comes de Loss. assensu aliorum nobilium participum suorum, scilicet Arnulphi de Aereschot, Arnulphi de Diest,Cunonis de Repe,& Rudolphi Abbatis monasterij S.Trudonis, allodium quod nominatur Auerbodiū, ad honorem Christi dedit pro salute animæ suæ, &c. Hoc autem in diebus nostris stabilitum est, me teste, me præsente, temporibus quoque Lotharij Imperatoris, Brunonis Archiepiscopi Coloniensis, pagani Ducis Lymburgensis, Godefridi Comitis Namurcensis.

Tenor literæ Domini Stephani Metensis Episcopi.

STephanus diuina miseratione Metensis Episcopus, &c.Terram, D
quæ Auerbodium vocatur vsque ad hæc tempora solis latronum & prædonum spurcitijs,rapinis,ac homicidijs vacantem,in qua cum alijs viris nobilibus portionem aliquam Ecclesia S.Trudonis habuit, cōsensu Radulphi eiusdem Ecclesiæ Abbatis, Ecclesiæ S.Ioānis Baptistæ,quæ inibi fundata est,liberè possidendā cōtradidimus.Huic nostræ traditioni assensum præbuerunt Aduocati Ecclesiæ S.Trudonis, Waleranus Dux & Marchio Lotharingię,& Gisbertus de Durachio. Testes adhibiti Bruno Coloniēsis Archiepiscopus,Albero Episcopus Leodiēsis, Comes Godefridus de Namurco,Arnoldus de Loss. Lambertus

bertus de monte acuto. Actum anno incarnationis verbi 1136.
A

Sequitur tenor literæ Archiepiscopi Coloniensis.

PHilippus Dei gratia Coloniensis Archiepiscopus, dilectis in Christo Fratribus Stipponi Abbati & toti couentui in Auerbodio &c. Domum vestram, in Auerbodio, quam licet possessione tenuem, deuotione tamen inuenimus locupletem, in protectione nostra suscipimus. Nominatim autē ius patronatus Ecclesiæ de Thessenderloe à Comite de Loss. vobis collatæ. Similiter ius Ecclesiæ de Thestolt, &c. Item quicquid pertinet ad curiam vestram de Cheiserbuch. Itē beneficium quod contulit vobis Gerardus Comes de Loss. in Thessenderloe præsentis scripto patrocinio confirmamus. Datum in
B Auerbodio pontificatus nostri anno 18.

De aduentu Innocentij Papæ, & depositione obituq́ Alexandri.

CAPVT XXVII.

ANno Domini 1131. Gregorius qui Innocentius dictus est secundus, multo comitatu Episcoporum & Abbatum à Francia in Lotharingiam transit, & Dominica 4. quadragesimæ, quę *Innocentius Papa venit Leodium.*
C est 11. Calend. Aprilis, Leodium venit.

Ibi à Lothario Rege Alemanniæ, & à Domino Alexandro Leodiensi Episcopo, & alijs multis Episcopis & Abbatibus tam Lotharingis quam transrhenensibus, muneribus honoratur, tota Ciuitas in obsequio feruet, & Dominica in medio quadragesimæ, ab Ecclesia sancti Martini in publico monte, vsque ad Ecclesiam S. Lamberti publicam & solemnem exhibuit processionem. Missam celebrauit, ibi Regem & Reginā coronauit. Æstimati sunt à quibusdam 32. Episcopi & Abbates affuisse, inter quos fuit vnus sanctus Abbas Bernardus Claræuallis. Rediens Papa à Leodio claram vallem diuertit. *S. Bernardus venit Leodiū.*

Post quinquennium autem prædictus Alexander Pontifex inuidis
D contra se machinantibus ab Innocentio Papa depositus fuit, cumque videret se iniuria depressum, præ nimio dolore ægritudinem incurrens, statim post depositionem suam, defunctus est, pridie nonas Iulij, anno Pontificatus sui sexto, ab incarnatione Domini 1135. sepultusque est in Ecclesia S. Ægidij in publico monte. *Alexander depositus mærore moritur.*

ANNOTATIONES.

1. Æstimati sunt à quibusdam 32. Episcopi:] *Præter istos exteros & aduenas miranda dicuntur de nobilitate canonicorū hoc tempore residentiū, de qua te andi Bruistemium loquentem.* Eo tempore, *inquit, anno scilicet Domini 1131.* pulchra erat & decora facies insignis Ecclesiæ Leodiensis vt de ea dice-

retur. Gloriosa dict[illegible]e te ciuitas Dei, celebri namque fertur A memoria, fuisse canonicos Ecclesiæ sancti Lamberti nouem regum filios: Ducum 14. Comitum 29. Baronum 7. quorum nomina ad gloriam eiusdem Ecclesiæ hic subnotare non indignum duximus.

Filij regum Lotharius & Anselmus supradicti Lotharij Regis Alemannorum filij, quorum prior Præpositus S. Lamberti, alter Archidiaconus fuit Condrosij; Philippus Filius Ludouici grossi Regis Frãciæ, Archidiaconus Hannoniæ. Theobaldus filius Regis Hungariæ, Archidiaconus Ardennæ: Otgerus & Godefridus filij Regis Daciæ, quorũ prior Archidiaconus Famenæ, alter Archidiaconus fuit Brabantiæ, Guido filius Regis Bohemiæ, Archidiaconus Hasbaniæ, Philippus & Guido filij Regis Nauarræ, quorum prior Archidiaconus B fuit Campiniæ.

Filij Ducum, Bertrandus, & Haymo filij Ducis Bauariæ, quorum prior Abbas Thudinensis, alter Abbas Messieñ. Guilhelmus Filius Ducis Saxoniæ Cantor Leodiensis. Conrardus Filius Ducis Sueuiæ, Præpositus Huyensis. Guido filius Ducis Ardennæ Decanus Leodiensis doctissimus. Doycking filius Ducis Normaniæ Abbas Eykeñ. Carolus & Guido Filij Ducis Lotharingiæ prior Custos Leodiensis, alter Scolasticus fuit Leodiensis. Franco Filius Ducis Austriæ, Præpositus Mechliniensis. Carolus, Petrus, & Hugo, Filij Ducis Burgundiæ & legum doctores, prior Præpositus sancti Dionysij, secundus Præpositus sancti Petri, tertius Præpositus sancti Bartholomæi. C Ludouicus & Baretus filij Ducis Viturię, prior Abbas Amanieñ. alter Abbas Celleñ.

Filij Comitum, Godefridus Filius Comitis Louaniensis, Segninus Filius Comitis Monhaulti. Symon & Balduinus filij Comitis Hannoniæ, prior Abbas Cennaceñ. Rainaldus Filius Gerardi Comitis Lossensis, Præpositus fossensis. Guido Filius Comitis Sabaudiæ, Abbas Namurcẽsis. Adalbertus Filius Comitis Gelriæ Præpositus sancti Martini. Notgerus Filius Comitis Flandriæ, Præpositus sancti Ioannis. Petrus & Ogerus filij Comitis de Zeyne, prior Præpositus sancti Pauli alter Præpositus sanctæ Crucis. Rogerius filius Comitis Bianensis in Ardenna. Arnoldus & Henricus Filij Comitis Clarimõtis, D prior Abbas Dyonensis. Walo & Falco Filij Comitis Montis acuti, prior Abbas Tungrensis, alter Abbas sanctæ Mariæ Traiectensis. Henricus filius Comitis Lutzemburgensis, postea Episcopus Leodiensis. Ioannes, Arnoldus, & Erardus filij Comitis Rupefortensis in Arduenna. Ogerus, ferritus, & Rolandus filij Comitis Mõtensis. Laurentius, Paulus, & Ioannes filij Comitis de Treſle. Petrus filius Comitis Boloniensis, decretorum Doctor. Guido & Henricus filij Comitis Prouinciæ. Albertus & Henricus filij Comitis Namurcensis.

Filij Baronum, Boynus de Wahania. Sebastianus de Harstallio egregius Doctor. Rodolphus & Godefridus filij Domini de Pratis. The-

A Theodoricus filius Domini de Morialme. Ingherandus filius Domini de Fleron. Reinaldus de Falcomonte scholaris.

De eadem re Zansleit sic loquitur: Quam nobiles Canonici in Ecclesia sancti Lamberti, pro tunc residentiam fecerunt personalem, sicut fama est vsque hodie, omitto describere. Nam ab ignaris & incredulis fabulosum putaretur.

2. Ab Innocentio Papa depositus:] *Gesta Abbatum S. Laurentij depositionem hanc sic referunt.* Anno Domini 1135. Alexander Leodiensis Episcopus apud Innocētium Pontificem de Symonia accusatus, & ab ipso semel & secundo ac tertio vocatus, cum venire tardaret, in Cōcilio Pisano deponitur. Quo duro nuncio percepto, in tantam amaritudinem incidit, vt quasi vix confessione facta, communioneq́; B percepta, & regulari vita ad sanctum Ægidium promissa spiritum exhalauerit.

Caussam depositionis explicatius & particularius refert magnum Chronicum Belgicum ex lib. 13. Chronicorum Domini Rodulphi Abbatis S. Trudonis his verbis. Leodij in Ecclesia B. Martini magister scholarium decesserat, post cuius decessum Alexander Episcopus iuuenem quendam nomine Theodericum, per pecuniam in eodem officio substituerat, sciolum quidem satis de scholari eruditione, sed necdum vel signatum habitu, vel tonsura clericalis disciplinæ, & quod prius nunquam in more habuerat, vel in illa, vel alia Ciuitatis Ecclesia, posuit eum sine canonia, hoc est præbenda. De quare cum reprehenderetur, & e- C mendare debuisset, deterius egit, & canonicum eum similiter per pecuniam fecit. Quam caussam cum obstinate defenderet, & eam ipsam Ecclesiā grauiter inde scandalisasset, inter reprehensores suos in vnum eiusdem Ecclesiæ Canonicum nomine Nicolaum vehemētius inuectus est, adeò vt Innocentij Papæ audientiā eum appellare compelleret. Ad quam per eum ipsum de symonia accusatus, & à Papa semel & secundo vocatus, viam arripuit, quasi iturus, sed remorante eum in Francia culpæ suæ conscientia, cum præmissis ad Papam venerabilibus nuntijs liberari ne ad audientiam veniret nullo modo posset, tertiam vocationem accepit. Verum eam ipsam sicut alias postponens, depositionis suæ sententiam incurrit in concilio D Pisæ, Papa Innocentio præsidente, anno Domini millesimo centesimo trigesimo sexto que duro nuncio accepto, in tantam amaritudinem animi incidit, vt eam statim sequeretur sine vlla dilatione ægrotatio corporis, atque adeo, vt appetitu cibi perdito, ad extrema productus sit vixque confessione facta, & communione accepta, & regularium Canonicorum vita in mōte publico iuxta Leodium promissa, extremum tandem sic spiritum efflauerit, & in eodem loco sepulturam sine Episcopalibus exequijs acceperit.

CAPVT

A

De electione Alberonis secundi, & eius vigilantia in recuperandis rebus Ecclesiæ deperditis.

CAPVT XXVIII.

Psalm. 43.

Albero 2. iuuenis ætate, mente canus.

HIs diebus cùm *in derisum & subsannationem* venisset Ciuitas Leodiensis *his qui erant in circuitu suo* per turpem Alexandri depositionem, communibus votis, pari assensu, Clerus & populus subrogauit Sedi Leodiensi Alberonem huius nominis secundum, B primicerium Metensis Ecclesiæ, iuuenem quidem ætate, sed in signum maturæ mentis canum capillo, eique laborantis Ecclesiæ pondus & æstus portare commisit.

Potentißimis & nobilißimis ortus parētib.

Elegerunt eum sane columnæ Ecclesiæ, hac spe maximè, quod esset de prosapia Namurcensi, prosapia à mari vsque ad mare palmites suos protendente, & sororis suæ filius esset Dux Louanij Godefridus filius prædicti Godefridi Ducis. Qui duo Principes genere, possessione, potentia, multitudine illi præessent regioni, & per eos bella sedari, pax firmari, ablata restitui, & restituta seruari possent.

Nititur laceras Episcopij partes recolligere.

Magnis expensis frequentat Curiam.

Albero itaque quinquagesimus nonus Episcopus, beato Materno renunciatus, cœpit tota vigilantia laceras Episcopij sui partes recol- C ligere, impignoratas redimere, ab alijs ereptas, arte qua poterat, & modis omnibus recuperare. In quibus autem per se non sufficiebat, Regiam auctoritatem precabatur, magnis & grauibus expensis eius frequentans curiam, omniumque potentium exorans clementiam.

Conqueritur de tyrānide & iniustitia quorundā, maxime de proditione Raynaldi.

De iniustitia & tyrannide quorundam violentorum in conspectu eorum conquerebatur, maximè tamen super Bullonij amissione, & ignominiosa Raynaldi detestabiliq; proditione.

Raynaldus proditor timet Alberonem.

Psalm. 90.

Ille autem, quia metuebat eum, per parentes, cognatos, & amicos ei aduersabatur. Sed Deus *misit Angelum suum & custodiuit eum per viam, qua ibat,* faciens à timore liberum, & in periculis securum. D

Albero proficiscitur Romā cōtra Raynaldum.

Romam quoque adijt supremum refugium miserorum, querelam suam in auribus beati Petri, eiusq; Vicarij deposuit, petens & flagitans vt iustitia non negaretur, & anathematis sententiam in obstinatum rebellemq; tyrannum iacularetur.

Raynaldus præuenerat & in gratiā Curiæ falsis narrationibus venerat mediante Cancellario.

Hoc pridem sibi cauerat, versutus ille & callidus, Romã adierat, Apstolicum salutauerat, & in gratiam Curiæ receptus erat, Haimerico Cancellario mediante. Vbi etiam mendaciter fictam narrauerat Apostolico fabulã, hæreditaria successione Mathildis Marchisæ hãc sibi prouenire Marchiam, fingens se Ecclesiæ velle reddere, quam præstiterat, mille trecẽtarumq; marcharum pecuniam. Conciliatis ergo sibi potentiorum animis, hanc ab eis, vt dicitur, acceperat sibi confir-

A confirmatam atteſtationem, quod quamdiu viueret, nunquam pro hac re ei intentarent excommunicationem.

Quapropter Epiſcopus ſecundo redijt inefficax, neq; apud Regem iuſtitiam, nec apud Vicarium beati Petri vllam conſequutus eſt miſericordiam. *Epiſcopus Romæ nihil proficit.*

ANNOTATIONES.

Maximè autem ſuper Bullonij amiſſione] *Quæ Aegidius auctor noſter habet de Bullonij caſtri emptione per Obertum Epiſcopum, de eius proditoria amiſſione ſub Alexandro Epiſcopo, de eius recuperatione per merita glorioſi martyris Lamberti, ſub Alberone ſecundo, hauſit ferè verbotenus ex triumpho B. Lamberti martyris ſcripto, vt maximè probabile eſt per Nicolaum Canonicum Leodienſem, auctorem vitæ S. Lamberti.* B *Nam auctor triumphi de capto Bullonio ſcribit ſe vidiſſe Namurci cœcum, à natiuitate ætate ſeptennē, ad feretrum S. Lamberti viſum recipere, cùm corpus S. Lamberti à Bullonio Leodium referretur, c. vltimo dicti triumphi, quo tempore in Eccleſia Leodienſi florebat dictus Nicolaus. Deinde codices M. S. vetuſtiores vtrumq; opus, & vitam S. Lamberti, & triumphum eiuſdem Martyris ſimul iungunt, vnius Nicolai nomine præpoſito, reſpondet etiam ſtylus, idem planè pro illo ſæculo valde elegans. Fuit ergo Nicolaus Canonicus S. Lamberti auctor triumphi de Caſtro Bullonico, ex quo ſua hauſit Aegidius. Quem ad maiorem Dei & patroni noſtri S. Lamberti gloriam, vt triumphus integer habeatur, ſub finem huius ſecundi tomi, Deo volente, imprimi curabimus. Quæ hoc loco habet Aegidius, hauſit ex cap. tertio dicti triumphi.*

C

Quod Romanam Curiam & Regiam tertio pro Caſtro Bullonio requiſiuit.

CAPVT XXIX.

IN tribus denique Regalibus Curijs, Conrardo videlicet ſecundo regnante Romanis, cenſuram ſuper hoc tam Regis, quam procerum interpellauit. Verum nihil adeo profecit, vt aper idem vaſtatorius cum alio quodam Dominicæ vineæ impio Vindemiatore, acriori rabie ſpirans, illuſtre oppidum Foſſis, ſancti Foliani martyris & corpore & memoria venerandū, dolo ſimiliter furtimq; aggreſſus, iret populatum, nulloq; obſiſtente euerteret per incendium. Nam Ciues re inopinata attoniti, quaqua verſum diffugerant, quocirca vis flammarum non ſolum domos ac turres, quin & ſacram Martyris ædem, officinaſq; corripuit & abſumpſit. Epiſcopalem quoq; domum, ſeptaq; muralia, hoſtilis manus peſſumdedit. Alia etiam paſſim Epiſcopio damna intulit. D *Recurrit ad tres regales curias ſed nihil proficit.* *Raynaldus proficit in peius & oppidū Foſſenſe vaſtat.*

Quapropter Epiſcopus Romam adijt, iam tertio Apoſtolicum attentauit patrocinium, ſuper tanta ſcelerum immanitate exorauit *Albero tertio Romam adit & ſine fructu redit.*

eius

cius iudicium vel sententiam. Sed cum hoc parum perpendisset pro- A
Statuit per se & suos experiri negotium. desse, reuersus in sua, per se tandem ac per suos experiri negotium intendit. Itaque conciliata primatum suorum fidelitate, communicato assensu, & auxilij sponsione, Bullonium obsidere statuit. Verum quia facto anticipasse famam, rebus nonnunquam profuit, omnia secreto agitãs, quod moliebatur aduersarios latere studebat, quo præuenti cautius, concludi possent facilius.

ANNOTATIONES.

1. Illustre oppidum Fossis sancti Foillani martyris & corpore & memoria venerandum:] *De sancto Foillano agit Beda lib. 3. historiæ Anglorum cap. 19.* Martyrium eius, *inquit Molanus ad Martyrologium Vsuardi,* habetur carmine ad S. Foillanum extra Rhodium. Cuius auctor se Hil- B
linum vocari tali initio indicat.

His ita literulis licet insinuare notatis
Veraci specie, quo nomine censear ipse
Si primos apices ex partibus octo retractes.

Ibidem in nocturnis legũtur Gesta miraculorum sancti Foillani, quæ idem Hillinus scripsit ad magistrum Sigebertum, passionem carmine scriptam, alius postmodum in prosam vertit.

2. Euerteret per incendium:] *De incendio fossensis oppidi vide triumphũ S. Lamberti cap. 4.*

3. Per se tandem ac per suos experiri negotium intendit:] *De consilio capto pro obsidione Castri Bullonensis agit Triumphus B. Lamberti cap. 5.* C

De obsidione castri Bullonici.

CAPVT XXX.

Obsidet Bullonium.

Hugo & Raynaldus filij Raynaldi cõpelluntur cessare à prædatione & recurrere Bulloniũ.

ANno igitur sui Episcopatus quinto 16. Calend. Septembris, cum quibusdam è Principibus & electis equitibus in obsidionem processit. Egressi tũc fuerãt duo filij Raynaldi, Hugo, qui & natu maior, & Raynaldus iunior excursionem in Episcopio facere ac prædari, multaque cum illis militum manus in armis expeditorũ; quibus milites Episcopi occurrentes congressi sunt, illosque in ca- D
strum abactos constanter obsedere ferro ignique grassantes.

Obsessi loci fortitudine confisi deridẽt nostros

Quanquam vero Castrenses ampliori essent numero, tamen rati plures quam viderent hostes in insidijs delitescere, nec enim tam arduum opus tam paucam multitudinem aliter præsumsisse, dum libere possent egredi aut ingredi, sola tenebantur formidine inclusi, loci tamen fortitudine confisi, eousque vilipendebant obsidentes, vt totam noctem epulis consumentes cythara pueros & puellas agere choros in eorum irrisionem præciperẽt, maximè cum illos qui prærupta montis iam occuparant abegissent, & quosdam peremissent.

At

A At Episcopus & qui cum illo erant, stationem castris præscribere, tentoriorum instituere diuersoria, tum noctu & interdiu excubias & custodias agitare, parati semper esse, nequando aut obsessi erumperent, aut Comes Raynaldus, quod sæpe fama minabatur, repente cum exercitu incurreret. Abundabant vero rerum commeatu necessariarum, lætaque ministrabāt equis pabula circumiacentes agri, necdum demessis segetibus vbere gleba præditi.

Episcopus cũ suis excubias contra hostiũ incursiones agit.

Hostium seruiebat vsibus molendini officina penes fluuiũ Symois instituta, quæ ad victum dum esset accommoda, spe ad resistendum illos armabat non minima. Cuius quidem rotas vt leuior incitaret motus, aquæ artificioso contextu sæpium retentæ collectiores atq; rapidiores super influebant. Quin & ipsi officinæ suum erat præsidiũ B quo ab hoste defenderetur.

Officina molẽdini hostiũ vsibus commoda.

Intendit ergo hanc interrumpere Hẽricus Comes Namurcensis, hortatusq; socios, primus fluuiũ irrumpit, quatenus diruptis aquarum retinaculis in propriũ eas alueũ reflectat. Quem tres balistarij appetentes iaculis, vnus anteriores armos equi super quem sedebat, alius crus ipsius, tertius nihilominus eiusdem equi transfigunt ilia: quo ruente sessor in fluuium vna decidit. Vtrimque oritur ingens spectantium clamor, efferuntur hostes gaudio. Comiti, nec mora, socij subueniunt, ab vndis protrahitur.

Henricus Comes illã conatur disrũpere.

Sed iniuria, iræ, indignationisue stimulus est. Ne diu itaque hostes lætarentur, Comes alligato vulnere, ad cœptum opus acrior redijt, C nec abstitit, donec deiectis obstaculis, aquas liberum ad cursum reuocasset. Sic obsessorum graui dispendio, eidem officinæ molendi exemit officium.

Alligato vulnere acrior redit ad cœptum opus.

Interea cum ob difficultatem & suspectas locorum angustias nullus adire castra, vel importare quippiam auderet, necessariæ obsidẽtibus deficere res cęperũt. Proinde Episcopus missis quoquo versum nuntijs, de toto equites ac pedites Episcopio conuenire edixit, affatimque victualia conduci aliaq; necessaria in expeditionẽ. Tunc certatim confluentibus copijs assultus plurimi agebãtur. Oppugnabãt hi, repugnabant illi, vulnera mortesq; hinc & inde. Neq; autem quicquã ab obsessoribus omittebatur, quod fore in rem contra obsessos crederetur.

Vtrimq; acriter pugnatur.

D Dum firmitas vero loci, difficultasque omnia despiceret, solum illud in spem adduxerat obsidentes, vti profligarentur fame, quos humana fortitudo, vel ingenium minus valerent subigere. Obsessis igitur omnes egrediendi seu ingrediendi vias præcludere moliebantur.

Obsidentium spes in fame obsessorum.

Ea dum agerentur, nutu Dei omnia suauiter disponentis, Episcopo & maioribus Ecclesiæ visum est, vt venerabile beati Lamberti corpus de suæ pausationis loco motum ad castra deportaretur, quatenus præsentia vel munimine tanti patroni amplior accresceret animus exercitui, atque vbi virtus cessisset humana, diuina

Vbi virtus cessat humana solet diuina succurrere potentia.

per suum martyrem dignaretur, operari omnipotentia. Nam Principes, exercitusque omnis, populus denique Ciuitatis, qui edicto erat Episcopali processurus, id summopere efflagitabant. Quocirca licet multa hæsitatione, multo deliberationum tractatu, postremo tamen complacitum est tantæ necessitati satisfieri. Quod etiam approbasse martyrem tum successu rerum, tum & reuelationibus, & indicijs est quibusdam satis compertum, asseuerantibus loci custodibus, quod tantis plerumque motibus circa dies illos feretrum, quo fælicia claudebantur pignora, concussum sit, tantus terror intercesserit diuinus, vt non auderent illis præsertim noctibus accedere aut ingredi. Nam obstupescunt carnalia dum emicant spiritualia. Ad cumulum profecto tuæ glorificationis hoc agebatur, ô martyr, O decus & gloriæ corona Leodiensis, quod à loco transferebaris pristinę quietis, quatenus per te tua reciperes, qui iam cohæres Christo factus in regno, nullius, nisi propter tuos, egens factus esses.

Concluditur deferendum in castra feretrum D. Lamberti martyris

Concutitur Feretrum è Lamberti.

A

B

ANNOTATIONES.

Anno igitur sui Episcopatus quinto:] *De castri Bullonienſis obsidione, de Hugone & Raynaldo filijs Raynaldi fugatis, de Henrici Comitis virtute & animi fortitudine, deq; consilio ferendi in castra feretrum reliquiarum corporis S. Lamberti agit Triumphus eiusdem martyris cap. 28.*

C

Quod, Albero corpus beati Lamberti Bullonium ferri mandauit, & de miraculis in via Gestis.

CAPVT XXXI.

IGitur sexto Calendas Septemb. conuenientibus tam monachis, quam clericis, atque numerosa diuersi sexus & ætatis frequentia, Abbates viríque religiosi subeuntes in secretarium criptæ, quod tantum asseruabat thesaurum, debita sacrum feretrum reuerentia extulerunt, laudesque Deo in voce exultationis & confessionis personantes in medio Ecclesiæ locauerunt.

Multa ibi vota, multæ preces, ac lachrymæ fusæ, sancti quoq; virtus profulsit mirificè.

Quædam mulier obsurduerat dolore, cum occurrisset ad feretrũ, opemque fideli affectione pio lachrymatu implorasset, subito in verticem graue quoddam pondus superne sensit decidisse, & quasi duos ferri duri siclos vtriq; auri penetrabiliter infixos. Ex quo terrę consternata, dum ita cælesti medicamine sensum audiendi plenè recuperasset, Deo & martyri gratias reddidit.

Delatio corporis S. Lamberti martyris in Bullonium approbatur à Deo, miraculis.

Mulier surda recipit auditũ.

D

Puella quædam, passionis trino genere miserabiliter agebatur: modo etenim febre, modo paralysi, interdum epylentiaco quassabatur.

batur incommodo, super qua nimium parentes affecti, votum Martyri vouerunt, illius ad martyrium cuiuslibet speciei oblationem, infirmamque equis libratam deferre. Piæ supplicum deuotion pia sanctæ Trinitatis operatio adfuit, quæ actutum puellam eisdem ad integrum passionibus liberauit.

A *Puella tribus morbi generibus detenta liberatur.*

Puer quoque erronei sensus ac turbidæ mentis, in sobrium rationis statum compositus est.

Puer motu mentis integer restituitur.

Alia etiam prouenisse sanitatum ferebãtur remedia: sed miracula fiunt pro augenda deuotione credentium, fit enim ad deuotionem prouectior, qui est ad credulitatem inclinatior.

Tunc primi atque saniores prouido solliciti metu, ne quid forte tristius super Martyris corpore accideret, si delatum in castra foret, B nam bellorum incertos euentus esse, atque nunc istinc, nunc illinc aduersa misceri & prospera, decreuerunt vt resignato eodem feretro inde leuaretur corpus, tutiorique interim loco reconderetur, quod videlicet sunt exequuti Abbates religiosi, & ad hoc electi probabiles viri, qui beata ossa penes altare S. Crucis, situm in oratorio eidem basilicæ adiuncto, ingenti, sicut par erat, metu ac deuotione nocturno transposuêre silentio. Aliquas tamen in ipsum feretrum reliquias reponentes, denuo signauerunt, & hoc ad castra exhibuêre perferendum.

Propter incertos belli euentus aliqua tantum pars corporis S. Lamberti martyris defertur Bullonii.

Nec quieuit pietas populi vouere vota, oblationes offerre, donec inde sublatum, cum tabula operose fabricata, cui Dominicæ crucis C portiũcula inerat, ad castra deportaretur, choris monachorum atq; clericorum, cum affectu tanto patri debito, magnaque veneratione prosequentibus, atque canticorum officio, vsque ad Mosam fluuiũ per publicum montem deducentibus. Neque popularium defuit ingens turba, qui & ipsi suas laudes, suaque sponte personuêre cantica.

Quanta cum solemnitate & reuerentia sacræ reliquiæ deferantur.

Verum loculo venerabili excepto naui, deuotus grex pium pastorem multa obsecratione & lachrymis commendans, vti prosperè abiret, prosperius rediret. Qui gressu vlterius sequi non valens, diu voto sequens & oculis, in sua tandem rediit.

Concurrebat autem vndique obuiam feretro sancto de vicis ac D villulis vtriusque sexus multitudo, fiebantq; sanitates plurimæ, tam medicabilis ligni virtute, quam B. Martyris merito & oratione.

Concurritur vndique ex vicis obuiam sacris reliquiis.

Ad Nandriensem quippe villam vbi ventum est homo languidus, quem acerba membrorum contractio grauiter afficiebat ipsi feretro applicitus, exorataque sancti clementia, celeri est sospitati restitutus.

Plura fiunt miracula.

Deinde in villa que Freitura dicitur, cœcus lumen recipit oculorum.

Inde cum esset digressum, quidam miles qui quartano diu typo laborauerat, & graui capitis dolore assidue molestabatur, vbi salubrẽ attigit loculum, suppositisque humeris aliquanto tulit spatio, omni

morbo liberatus est. Qui etiam armis protinus resumptis, officiosas tribuens gratias, ad expeditionem sequutus est. A

ANNOTATIONES.

Sancti quoque virtus profulsit mirifice:] *De miraculis in itinere Bullonensi per S. Lambertum martyrem, agit Triumphus eiusdem martyris cap. 11.*

De exploratoribus hinc inde per Raynaldum Comitem & nostros missis.

B

CAPVT XXXII.

SEquuta dehinc nocte apud villam Vphei mansione disposita, vbi præstolabatur Leodiensis exercitus, deuota fidelium sedulitas, cum incolis loci, celebre exegit peruigilium.

Inde matutino dum mouissent, aduenit qui diceret sequenti die 3. videlicet Calend. Septembris, Raynaldum Comitem cum quingentis equitibus, & quindecim peditum milibus bello conflicturũ. Quapropter accelerato itinere prono iam in occasum sole in Thelin villulam venêre: Ibi Burgenses Hoyenses, paulo ante hospitati sed hospitum humanitate hostiliter abusi, annona & rebus necessarijs eos fuerant populati. C

Formidolosos tristis rumor facile auertit.

Nocte ergo media, directo ad Episcopum veredario, qui super belli statu disceret, cum postera in lucem iam aurora erumperet exinde progressi, in villantiã villam contendêre. Illuc rediens legatus, bellũ eo proculdubio futurũ die nunciat. Formidolosos sinister facile rumor eneruat, vnde plures inepta formidine fracti, soloque auditu vulnerati diffidentia muliebri subterfugêre. At cæteri, cum vitalis ligni, tum sancti martyris confidentia potius quam ferro armati, per angustos semitarum tractus in auxilium sociorum maturauerunt pectore virili. Ab vtroque autem exercitu missi sunt exploratores, qui quomodo sese partes haberẽt, inuestigare ac referre deberent, qui dum sibi occurrissent, taciti ac dissimulantes ad socia se castra retulêre. Atque hostes quidem cum ex suis exploratoribus cognouissent quanta obsidentiũ, qui tunc confluxerãt esset copia satius probauerunt conatu temerario absistere, quam periculum in se vltro accersere. D

ANNOTATIONES.

Quanta obsidentium, qui tunc confluxerant, esset copia:] *Magnũ Chronicum Belgicum loquens de multitudine obsidentium Castrum Bullonicũ sic ait:* Fuerunt in expeditione illa centum milia peditum & militum tria milia, qui in die sancti Lamberti insultum fortem fecerunt, sed nihil.

A hil profecerunt. *Accipe contestem: Chronicum Gemblacense sic habet.* Episcopus anno à captione Castri septimo, anno Domini 1141. Castrum Bullonense obsedit, & erant, vt dicitur in exercitu Alberonis Episcopi tria milia militum & centum milia peditum, qui in die Beati insultum fortem fecerunt, sed nihil profecerunt.

De exploratoribus hinc inde missis vide Triumphum sancti Martyris cap. 12.

De læto & fælici aduentu corporis S. Lamberti in castra.

CAPVT XXXIII.

B. POstea quia fuerat auditum in castris Dominicæ Crucis insigne cum tanto adesse patrono, ab Episcopo exercituque armis instructo illis occursum est. Ea tunc castris incessit lætitia, eæ choros ducentiũ voces insonuêre, vti existimasses archam fœderis Domini exercituum tunc excepisse Israel. Et sacrum quidem feretrum, intra paratum sibi tentorium, in loco qui Pratum S. Lamberti dicitur, receptum est, deputatis custodibus, & clericis qui congruis temporibus diuinas ibi laudes dicerent. *1. Reg. 5.*

Quidnam in se contineret, quantam deferret opem, mira cœpit continuò declarare potentia, vt liquido patuerit omnibus venisse C Deum in castra. *Virtus reliquiarum.*

ANNOTATIONES.

Auditum in castris Dominicę crucis insigne cum tanto adesse patrono:] *De hac re, & applausu & lætitia exercitus vide triumphum Martyris cap. 12.*

De diuina Hugonis filij Raynaldi Comitis & reliquorum obsessorum punitione.

D.

CAPVT XXXIIII.

ENimuero ad præsentiam eius, qui erant in castro & qui sine præsidijs, inuicto loci situ se inexpugnabiles arbitrabantur, subita hæbetudine ac metu quasi fulmine tacti fuerunt, per hoc si mens læua non fuisset, sibi animaduertissent prædici, quod tali forent machina expugnandi.

Quin etiam Hugo, qui hæreditario iure ipsum post patrem Castrum possidere sperabat, dum viso eminus feretro, iuuenili arrogantia insultaret, toto statim dissolutus corpore, cœpit tremere,

tremere, ſenſuque perdito retrorſum ruere, excors & inſolens, qui non intelligebat cuius fieri cohæres iniuſte attentaret. A

Meditatur caſtrũ reddere.

Sed vbi paulatim ad ſe rediјt, Raynaldum fratrem cum primis è familiaribus ſeorſum euocat, quantum tempus patitur, aperit intẽtionem ſuam, ſe ſancto Martyri ſatisfacere, ſuumque caſtrum illi reſtituere velle: ſuper eo voluntatem patris eſſe quærendam, ac ei quo vrgeatur periculo inſinuandum, ſe omnimodis illum obſecrare, vt paterna, pereunti, pietate proſpiciat. Quod petebat, ſeſe exequuturos illi compromittunt. Induciæ ponuntur in hebdomadã, intra quam ad patrem ipſius hæc referrentur.

Petit id patri cito ſignificari.

Acies Leodienſis ſe præparat.

Interea Leodienſis acies poſt tertium aduentus diem poſt miſſarum agendam, poſt ſalutis commonitorium & peccatorum abſolutionem, armis accincta, præſidium, quod ſuperius tuebatur molendinum, aggreditur, hoc cum officina iniectis ignibus abſumit, plures ſauciati vtrimque, & aliqui læthaliter occubuêre. Quin & Sacerdos quidam, dum periculo incautius ſe expoſuiſſet, à baliſtario capite traiectus interijt. B

Multi vtrimq; occubuerunt.

Sacerdos incautius baliſta occiditur.

Euolutis induciarum diebus, cum præſcriptus iuuenis ſuos requireret quid egiſſent, quid ſuper ſalute ſua tractaſſent, vel Patris quæ eſſet ſententia, vbi nil actum intellexit graui ſtomachatus indignatione ſeu volentibus (inquit) vobis, ſiue nolentibus, quod ſuum eſt, ſanctus martyr recipiet. Sed en, ego diuina plector animaduerſione, veſtra hoc faciente obſtinatione crudeli, en morior. Verum ô milites, ô amici, ſi qua mei vos mouet miſeratio, ſi miſero parcitis; inite iam demum mihi ac vobis ſalubre conſilium. Dum inſtaret vehementius, illi vltra non ferentes eum tam dirè anxiari, nocte ſequuta, per abditos ſiluarum calles miſêre caſtri procuratorem & militiæ anteſignanum, qui ad patrem illius rem perferret, ac eius referret ſententiam, qui iuramento etiam firmauit, quod ſequenti haud dubiè Dominica reuerteretur, niſi forte, aut hoſtili captiuitate, aut morte præuẽtus eſſet. Sed ab eo fides eſt neglecta, poſthabita eſt ſpõſio, nec enim peregit legationem, nec rediјt ad ſocios, ſed cuidam militi adiunctus, de his quæ in caſtra conuehebantur, prædationes agebat. C D

Hugo diuina animaduerſione punitur.

Iuuenis qui morarum faſtidiebat tarditatem, condicta die à ſuis denuo exquirens, quænam voluntas ſeu deliberatio patris eſſet, ac reſpondẽtibus ſe nuntium miſiſſe quidem, minime vero eſſe reuerſum, tum acerrimo luctu æſtuans & mente, caput horrendo cœpit modo agitare, ſeipſum diſcindere, manus brachiaque dentibus appetere, ad ſancti velle feretrum prorumpere. Verum ligatus à miniſtris, remotioribus in locis continebatur vulgato rumore quod ægrotaret. Sed nullam eo admittente quietem, imo quæ ſola ſibi remanſerant libera, labia, linguamque morſibus lacerante, idque inter inconditas voces crebrius perſtrepente, quærite conſilium, quęrite. Illi mœrore & anxietate circumfuſi, ſtatuêre Raylnaldũ fratrem

Hugo manus brachiaque dẽtibus appetit.

Ligatus labia linguamque morſibus lacerat.

A eius tam tristis rei nuntium ad patrem deferre, si forte filij præsentis aspectu, absentis traheretur affectu, paruique penderet alienam hæreditatem, ob quam tam gratum amitteret hæredem.

At cum adolescenti processuro electissimum vellent equum exhibere, bestia neque ictibus vrgeri, neque hortantium potuit vocibus moueri, quin vero fixo gradu in simulachrum putata est obriguisse. Qua difficultate facta, accessit experimento etiam artis industria. Nam ipsius equi velauêre oculos, vt vel sic procederet qui nullius rei extraneæ conspectu retardari posset. Quia vero *non est consiliũ, non est conatus contra Dominum* illo immobiliter hærente, astus solertiaque exinanita est hominum. Ita ergo adolescentis iter diuinitus impeditum est.

Aliud diuinæ vltionis indicium.

Prouerb. c. 21.

B Possessor autem equi molestissimè habens tanti se vsu vehiculi destitutum, ne vlterius deficientem morientemq; conspiceret, sequẽti die Armigero iussit, si quo pacto posset aquatum illum perducere, & alicui saltem aduersariorum attribuere, qui vltroneus, statim minantis sequens arbitrium, à montis est supercilio ad aquam deductus, vnusq; militũ mox ascendit & bello habilẽ & cursu probauit præstãtissimum. Igitur Castrenses facile conijcere poterant sese diuinitus impediri, atq; superioris bestiæ repugnantia, suam rebellionem pertinaciamq; redargui.

Equi repugnantia rebellionem Castrensiũ redarguitur.

Nec minus porro in eis quam in iuuenibus illis notam fecit sanctus virtutem suam, quia post furoris contentionumq; iurgia plerumq; tanta aduersum semet ipsos armabantur insania, vti alterutros gladijs appeterent, adeoq; non exterioris solum obsidionis vallarentur angustia; verum, quo grauius nil erat, intestino discordiæ malo sua lacerarent mutuo viscera.

C

Diuina vltio in obsessos.

Quin & dum captiuus quidã, qui plurimũ iam temporis illic fuerat in compedibus, virtutem Martyris inuocasset, ex edito turris loco, sodeorsum mittens, quantumlibet deuolutus per asperrima præcipitia; non solum læsionis nil pertulit, sed & vincula, quibus stringebatur, superno soluta sunt beneficio, quæ ab eodem ad feretrum, deportata, & in argumentum tantæ virtutis illic fuêre appensa. Etenim fides ac deuotio merentur gratiam, perfidia & præsumptio incurrunt offensam.

D

Captiuus in castro mirabiliter liberatur.

ANNOTATIONES.

Enimuero ad præsentiam:] *De diuina obsessorum punitione totaq; historia sic Breuiter loquitur magnum Chronicon Belgicum.* Anno Episcopatus sui sexto, Dominus Albero dolens fraudulenta inuasione Comitis Barri Raynaldi iam per septem annos violenter retineri castrum Bulloniuin, quod cum omnibus appenditijs suis Obertus Episcopus magna summa argenti acquisierat Episcopio Leodiensi: nec ferens tantũ honoris & commodi ad præsens sibi, & imposterum auferri Ecclesiæ Dei, oportunitatem expectabat, qua iuste repeteret, quod iniustè

A Martyri triumphales titulos. Sic namque cuncta sapientium ingenia, sic cunctæ consultationes fluctuabant, vt quod deliberatum vesperi esset, postero mane vix aliquando agi placeret. Huc etiam accedebat, quod Raynaldus Comes plurimas contrahere copias instanterque moliri bellum ferebatur.

Cùm se igitur plurimi subducerent alij tædio, alij victus indigentia exhausti, decreuêre primores machinarum vlterius non præstolari consummationem, quinpotius, totis in commune viribus aduersum præsidia hostium congressus experiri.

Ad 15. itaque Calendarum Octobrium, qui dies glorioso splendescit natalitio beati Lamberti, vt se in expeditionem quisque pararet, edictum est in castris. Nam eo die virtus sancti magis sperabatur af-
B futura præliatoribus suis.

Tum vero exercitu peditum (qui cētenorum æstimabatur milliū, exceptis militibus, quorum tria erant millia) certatim ad assultus concurrente, infinita lignorum ramorumque ex syluis cōgeries aduehebatur, quæ sub ipsa munitione aggesta, ignibus admotis, nitebantur suscitare incendia. Sed vento vehementi ex aduerso spirātę, iniuria fumi simulque flammarū oppugnantes affecti, absistere cogebantur. Ita nihil eo conatu profecerunt.

Incendium paratur id quoq; frustra.

Veruntamen ibi quoque tunc operata est manus martyris. Quanquam enim inconsultius plurimi pugnarint, ac nudo corpore & obuijs pectoribus fuerint hostibus expositi, nullus tamen fuit, qui
C se plagatum, nullus qui se illo quereretur fuisse assultu grauatum: nec militaris cohors questa est cum munita ferro, per abrupta montis raptabundo vix gradu conscendit, atque inter duas munitiones, quas ante maius castrum Comes extruxerat Raynaldus, constitit, quæ profecto res non minimam erat hostibus necessitatem allatura, egrediendi vel ingrediendi facultate interclusa.

Leodienses nudo corpore & obuijs pectoribus hostibus obiecti, nullū sentiunt damnum

Tanto autem dissensionis furore miseros ille dies induerat, vt suæ defensionis ac salutis immemores, ferali potius in inuicem rabie baccharentur. Sensu etenim fere destituitur qui Deo repugnare nititur.

Sensu destituitur, qui repugnare Deo nititur.

Verum iam vespero diem claudente, descendit exercitus de mōte, militibus dumtaxat loricatis studio acriori vrgentibus exceptis.

D

ANNOTATIONES.

De vanis nostrorū militū conatibus vide quoq; triumphū nostri Martyris c.17. vbi sic habes. Cæterum Deus qui suo nomini ascribere volebat victoriam, adeo prudentium omnium exercitus nostri perdidit sapientiā vt nūquam, aut vix, mane teneretur quod vespere consuleretur, &c.

A

Deliberatio de Bullonij castri deditione.

CAPVT XXXVI.

Comes Salmẽsis nepos Raynaldi venit in castra Episcopi Leodiensis.

VEnit tunc in castra Henricus Comes Salmensis ex sorore Comitis Raynaldi ortus. Hic ab Episcopo & Principibus petitis & impetratis inducijs, loquuturus nepoti suo Hugoni, quem esse inæqualem audierat, & tam illum quam cæteros ad deditionem hortaturus in castrum successit. Ea nox inhorruit inclementia nimborum, pugnacique austro placida serenitas cælo quiete eiecta est. B Discussit castra sæuiens procella & affecit inundatio, sed exercitus laudabilis sufferentiæ scutum obiecit incommodo. At milites qui pernoctabant in monte, nec aliquam intemperiem, nec armorum pertulêre onèra, eo quod gloriosa sui patroni protectio illis in securitatem & *in absconsionem fuerit à turbine & à pluuia.*

Diuinam esse vltionem aduertit.

Comes denique viso iuuenis tam exitiali malo; diuinam esse vltionem animaduertit, compunctusque in lachrymas, vt simile cauerent, reliquos admonuit: vnius etenim plagam pluribus fieri debere cautelam. Accepta proinde ab vniuersis sponsione, quod nisi intra dies septem à Domino suo illis subueniretur, se & castrum redderent, vt idem Hugo ad feretrum martyris efferretur, & ab Episcopo solueretur excommunicatione, & eorum, qui in sanctum deliquissent veniam mererentur, obtinuit. Veruntamen talis iniecta pactio est, vt quousque fieret deditio, ipse iuuenis apud Episcopum obses detineretur. Quin & frater illius Raynaldus, qui ne fieret deditio, pertinaciter restiterat, grandi dolore membrorum confectus, ad feretrum perducitur, sancto satisfacit, voto se obligat, quod res eius nulla vlterius temeraret peruasione, dummodo imminens euadere periculum mereretur. Nonnulli etiam aduersariorum alij alio vltionis modo mulctati sunt, ne quis leue existimet manus mittere in sanctum Domini. C

Vnius plaga pluribus debet fieri cautela.

Raynaldus iunior grandi dolore conficitur.

Hugo implorans moritur.

Interea Hugo longo angore consumptus, multumque martyris nomen implorans, diem clausit extremum, sanè per hoc insinuans D quo indignante compulsus sit ad exitum. Ad huius Patrem Comes præfatus maturato proficiscitur, supernæ indignationis iram, primogeniti mortem, alterius incommoditatem, suorumque miserias exponit attonito, suadetque sibi tandem ac suis consulat, cum res enim tam in arcto sint, cedendum esse, & debere dimitti, quod nequeat retineri.

ANNOTATIONES.

De hac consideratione & deliberatione tractat Triumphus martyris cap. 19.

CAPVT

A

Deditio Castri Bullonici, & pro eadem gratiarum actio.

CAPVT XXXVII.

ITaque perpendens barbarus ille, quia velle diuinitati repugnare conatus esset humanos excedere, malorum violentia exterritus, in deditionem consensit, anno à peruasione duodecimo. O diem triumphalem. Tunc planè sicut sol in ortu suo rutilat, ita Martyris nostri effulsit magnificentia, qui de cælo contra hostes dimicans, B quod pænitus non potuissent humanæ vires, diuinæ virtutis peregit potentia.

Reynaldus senior malorum violentia pressus consentit in deditionem.

Eiectis igitur è castro aduersarijs II. Calend. Octobris intromissum est splendido cum triumpho feretrum venerabile, & locatum in medio Ecclesiæ, quæ camerato transuoluta opere, decẽtis structuræ reddit aspectum. Hæc à Stephano Papa huius nominis nono, qui primo Fredericus dictus fratrer fuit Godefridi Ducis, sacrata est ad titulũ S. Ioannis Baptistæ, quem Lambertus splendide imitatus, æque propter iustitiæ & castitatis testimonium occubuit. Dicebantur itaque laudes Deo secundum multitudinem magnitudinis eius, præconia martyri, quoniam *humiliasset sicut vulneratum superbum, & in virtute* C *brachij sui dispersisset inimicos suos.*

Eijciuntur aduersarij & intromittitur Feretrum S. Lamberti martyris.

Dicuntur Deo laudes & B. martyri Lamberto.

Psal. 87.

ANNOTATIONES.

Vide Triumphum cap. 20.

** Corpus sancti Lamberti refertur Leodium, & miracula in itinere patrata.*

CAPVT XXXVIII.

D

TRiumphatis hostibus postquam noster fortis armatus sua recepisset, omniaque illius iam in pace disponerentur, suum repetere Leodium placuit. Inde celebratis post biduũ maturè missarum solemnijs, feretrum plaustro superpositum, ad oppidũ Dyonantum est subuectum.

Inde Namurcũ petitur. Illic puero septenni cæco à natiuitate videndi vsus prouenit per martyrem.

Namurci cæcus visum recipit.

Apud Ardennam quoque clericus acerba corporis valetudine exhaustus, ab ipso pene mortis hiatu, ad vitam retractus est & salutem.

Ardennæ clericus ab ægritudine sanatur.

Huy cōtractus erigitur.

Nec Hoyense oppidum tam medicabilis gratia præterijt: Ibi contracto, quem nunquam ambulasse testabantur parentes, noui gressus officia indulsit. A

Tota Ciuitas se obuiā effundit.

Iam porro vbi feretrum nauigio Leodium peraccessit, triumphali coronata gaudio, tota se in occursum Ciuitas effudit, plausibilibusq; canticis ac festiuis ordinibus Duci emerito pompæ morem prætulit, exceptumque in portu sancti Iacobi à Monachis & Clericis & Ecclesiastico cœtu atque per insulæ monasteria deportatum, redditisque canora modulatione hymnis, ad maiorem est denuo Ecclesiam delatum.

Defertur ad maiorem Ecclesiam Leod.

Corpus deinde beati martyris ab altari sanctæ Crucis penes quod repositum fuerat, leuatum est, decentique illatum feretro, in medio B Ecclesiæ, debitis asseruatum obsequijs.

In Ecclesia Cathedrali, æger ad reliquias S. Mart. sanatur.

Luc. 18.

Nec supernæ destitit pietatis munificentia, quæ ad probanda illius merita, iterare dignata est salutis opera. Nempe dum quidam languidus, quem totum possederat ægritudo, ad martyrem vehiculo deferretur gratia sanitatis, illius fide occurrente, in itineris medio, antiquo decem leprosorum saluatus est exemplo; qui dum irent se ostendere sacerdotibus, iubente Domino, mundati sunt ab lepræ incommodo. Exiliuit ergo, stetit & ambulabat ille homo, & omnis *plebs vt vidit, dedit laudem Deo.*

Captiuus à vinculis miraculo se liberatur.

Quendam quoque captiuum, quem in vincula arctamque custodiam barbaries coniecerat hostium, se inuocantem exaudiuit, & C eripuit pij martyris meritum. Nam subito dissiliere quibus vinciebatur boiæ, sicque adepta fugiendi oportunitate, vt suum honorificaret liberatorem, easdem pro virtutis indicio ad Ecclesiam detulit cum gratiarum actione.

S. Lamberto Martyri apud Deum nihil est impossibile.

Sed Sanctorum vera beatitudo signorum non eget testimonio. Quocirca vanum æstimo his superaddere plura, cum prorsus pateat indubitate, infinitaque adstipulentur documenta, sancto martyri apud Deum nihil esse impossibile.

Acta hæc sunt anno Dominicæ incarnationis 1141. indictione quarta, regnante Romanis Conrardo 2. anno regni eius 4. Episcopatus autem Domini Alberonis secundi 5. Laudes meritorum ipsius, D & mirabilium, quæ fecit, pręconia posteris micent seculis, vt illa omnis cognoscat generatio.

Feretrū S. Lāberti cum imaginibus triumphum de Bullonio representantibus.

Elapsis post hæc duobus fære annis, venerabile martyris corpus, in cripta sub altari sanctæ Trinitatis ingenti cum gloria & honore 14. Calend. Ianuarias est relocatum, tam feretro quam secretario auro ac gemmis, tum & lapideis extrorsum tabulatis superiorem triumphum operosa representantibus præclare adornatis.

Sancitum insuper Episcopali est authoritate, idipsum Ecclesia Leodiensi probante, vt quarto Calendas Maij eiusdem Triumphi, nec non Translationis, qua idem Martyr de Traiecto à beato Huberto Leodium est translatus, solennis in posterum agatur memoria, quia

A quia octauo Calendas Ianuarij, ipsa primitus translationis factæ die, propter Dominici natalis vigiliam, debita non posset celebrari honorificentia.

ANNOTATIONES.

Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis 1141.] *Adstipulatur Robertus de monte in appendice ad Sigebertum, & Magnum Chronicum Belgicum. Vide quoque de hac corporis S. Lamberti relatione & miraculis in itinere patratis, Triumphum eiusdem Martyris cap. 22. & vltimo.*

B *Deus magnam Ciuitatis Leodiensis partem casuali incendio, & patriam cædibus & latrocinijs castigat.*

CAPVT XXXIX.

INterea accidit vt dum filij hominū irritarent in vanitatibus suis Dn̄m, abutendo maximè immoderata & lasciua superfluitate vestium, & ipse in virga & verberibus visitaret iniquitates & peccata eorum, ita vt in quibusdam mundi partibus interdum ipsa hominum corpora illæsis vestibus, interdum ipsæ vestes igne inuisibili arderent, intactis corporibus. Plagas tam horrificas pauens vrbs C Leodiensis, potissimum duxit, *remedium præoccupare faciem Domini in confessione*, pœnitentia & litanijs. Visum quoque est beati Lamberti corpus, per vrbis loca vicosque deportare, vt tanti patroni meritis & precibus protegi & conseruari mereretur. Id magno affectu & celebri deuotione monachorum, clericorum, ac popularis frequentiæ actum est.

Mira per ignē punitio in multis mundi partibus.

Psalm. 94.

Consilium de agenda publice pœnitentia.

Verum, quod sine gemitu & dolore non dixerim, quidam laicorum se ingerentes, ac færetrum deportatione indebita temerantes, martyris potius exacerbauêre iram, quam promeruêre gratiam: Nam præsumptio magis est quam religio, ab indignis sancta cōtingi, quod sinistris è vestigio rebus probatum est.

Præsumptio magis est quā religio ab indignis sancta contingi.

D Etenim Ciuitatem casuale corripiens incendium cum per eadem maximè loca, quibus fuerat portatum, totis se laxasset habenis, non præclaras domos tantum, infinitasque supellectiles, verum Ecclesias quoque, mœnia, & turres aut est depastum penitus, aut non mediocri demolitum iactura. Nec valuit ad obsistendum conatus aliquis vel opera, quin voracibus flammis subsideret vrbis pars maxima, & venustissima. Sed equidem, vti postea comperimus, sine diuina hoc vltione non accidit, dum flagitia inhabitantium pessima ignes tam validos accendissent, vt non solum proxima sed etiam longinqua, halitu ipso, scintillisque minimis inflammarent.

Diuinæ vltionis incēdium.

Habitaculum cuiusdam matronæ ligneum in medijs flammis non vritur

Memorabile vero quiddam interfulsit, quia matronæ cuiusdam habitaculum, quamuis esset ligneum, tamen euasit discrimen. Ardebant vndique grandes ac muratæ domus, habitaculum illud sinuamina flammarum horrendo circundabant camino, sed durabat illæsum. Quin & sancti Georgij martyris contiguam prorsus Ecclesiam absumpsit incendiũ, illius vero habitaculi aridam ac pene corrosam parietum fabricam innocui allambebant vapores, quorum tanta vis erat, vt saxa quoque dissoluerent. Sed enim piorum plura sunt bona, quæ, vt homines lateant, Deo manifesta sunt. Proinde credendum est quod pia conuersatio mulieris hoc meruit, vt circa illam prisci innouaretur sæculi miraculũ, quo tres pueros nil penitus læsit, imo clarificauit fornax Chaldeorum. A B

Piorum plura bona sunt quæ hominnes latent, sed Deo manifesta sunt. Dan. 51.

Conijciebant tamen plurimi sanctũ illi Bartholomęũ præsidio affuisse, cui summopere deuota existeret, ad cuius quoq; Ecclesiã ante aliquot dies pallium obtulisset.

Ignis cum peruenisset ad Ecclesiam B. Bartholomæi Apostoli repente concidit.

Nec quidem minus reticendum quod ignis cum ad aliquantam eiusdem Apostoli officinam circumquaque, tempestatis instar, sæuiendo peruenisset, repente conciderit. Attollebantur interdum cumuli flammarum, indignantes velut ibi subsistere, & ædificium inuadere certabant, sed insemet relabebantur & minuebantur, nec ibi vis periculum habuit, vbi se patronum Bartholomæus exhibuit.

Frequentes præterea motus ac turbæ, & à sicarijs Arduennensibus furtiuę aggressiones & cædes, aliaque passim nostræ Ciuitati incommoda tunc obtigêre, Quod hominum genus, cum se potissimum latibulis tueatur syluarum, impunitatemque difficultatibus aucupetur viarum, plurimum nõnunquam nocere, nec facile vero circumueniri aut opprimi possit. C

ANNOTATIONES.

Reperio in M. S. Codice Aureæ vallis, duas annotationes marginales ad hunc locum ascriptas.

1. Anno Domini 1142. orta est guerra instigante Diabolo inter Alberonem Episcopum & Henricum Comitem Namurcensem nepotem suum, per quam miserabiliter exustum fuit templum S. Foillani Fossensis, cum tota villa. D

2. Iste Albero in Synodo Leodiensi contulit Abbati S. Ægidij pręhendam S. Dionysij, quia non habebat inter Abbates cappam sericã præ nimia paupertate. *Consentit Chronicon Magnum Belgicum & nostratia.*

CAPVT

A

De abusibus Cleri ac populi, triplicíq; idcirco tempestate, quam Ciuitas per beatam Mariam euasit, & obitu Alberonis

CAPVT XXXX.

SVb his etiam diebus prælatorum regularis feruor cœpit multũ tepescere, nam mutato fidei calore in feruorem vipereum, sub virtutum specie studebant omnes auaritiæ.

B Præbendæ namque publice vendebantur nec iam secundum veram nominis Etymologiam præbendæ dici poterant, sed verius emendæ, cum non à verbo præbendi, sed potius emendi vocabulum sortirentur. Similiter & alia Ecclesiastica sacramenta nulli gratuito ministrabantur. *Præbendæ & sacramenta venalia.*

Sacerdotes quoque timore Dei postposito, abiectaque debita sui ordinis reuerentia, nulla compulsi necessitate, sed sola succensi flamma auaritiæ, missam bis in die cantare, & corpus Christi conficere non timebant. *Sacerdotes duo sacra codẽ die celebrant.*

Insuper prædictæ Ciuitatis Ciues filias suas passim & indifferenter, absque vlla graduum discretione, tam Clericis quam laicis matrimoniali fœdere copulabant, maioremque reputabant libertatem C eas Ecclesiasticis, quam sæcularibus desponsare personis, cum tamẽ per hoc potius sub peccati iugo seruitute misera tenerentur. Clericus namque in sacro ordinis charactere sanctam spiritualiter sibi desponsauit Ecclesiam: vnde si fortassis, quod absit, vxorem alienã superduxerit, & eidem carnaliter copulari præsumpserit, iam quasi bigamiæ maculam contraxisse videbitur, cum secundum Apostolũ esse oporteat *vnius vxoris virum*. Nec ea, quæ superducta fuerit, legitima censebitur, sed potius adultera siue fornicaria. *Ciues tam clericis quam laicis suas tradunt filias.* *1. Tim. 2.*

His & huiusmodi contaminata insolentijs, cum omni lege careret ipsa Legia, ad iracundiam rursus prouocatus est Dominus, & cõ D tra ipsius vrbis incolas vehementer exacerbatus. Nec immerito: quippe qui vrbem sanctam, quam martyris sui Lamberti meritis eis Dominus suscitauerat, vrbem inquam desiderabilem, vrbem omni rerum generositate refertam, pro nihilo habuerunt, & secundum *cordis sui desideria ambulantes derelinquentesq; Deum factorem suum*, multis & inauditis eam enormitatibus polluerunt. *Deus exacerbatur contra Leodienses.* *Psal. 80.*

Sed non in longum tempus, vindictam distulit Dominus. Erat eo tempore, Bruno Archidiaconus adhuc puerulus qui bonos suos processus quadam eleganti industria anteibat, & morum suorum lampade, qualis quantusq; futurus esset, signis euidẽtibus prætendebat, cum subito quadam die, circa horam nonam, grauis tempestas ru-

bei-

Tempestas exoritur quæ toti Ciuitati Leodiensi interitũ minari videtur

bei coloris super Ciuitatem Leodium cæpit exoriri, quæ totius vrbis A interitum minari videbatur. Cumq; metu periculi Canonici in Ecclesia sancti Lamberti conuenissent, & admitigandum furorem Domini contra se accensum, diuinis laudibus solito deuotius insudarent, quidam Sacerdos, Salomon vocatus, Capitulum dicturus, innuit Brunoni puerulo, vt librum, qui erat super altare Sanctorum Cosmæ & Damiani, adferret. Prius autem quam ille iussionem posset explere, peluis ignea desursum veniens in columnam, quæ erat super caput Sacerdotis, visa est impingere & de pelui scintillam in caput eius descendere, eumque protinus interimere.

Salomon perimitur.

Hac tempestate sedata, cum cæteri se crederent iam periculum euasisse, ecce rursus altera glauci coloris tempestas circa horam vespertinam cœpit resurgere. Et quia horridior fuit quam præcedens, B & repetitum vulnus magis solet affligere, diuinum iam iam sibi judicium adesse credentes, cœperunt multo amplius formidare.

Altera tempestas præcedenti terribilior.

Cumque inter has duas molas, contriti cordis & humiliati spiritus hostias immolassent, & pane lachrymarum cum vino compunctionis se cibassent, licet adhuc eis grandis restaret via, iterum se credunt periculum euasisse; & ecce subito quiescentibus omnibus, quidam eorum, oratione vsque circa mediam noctem protelata, dormitorium cum impetu introiuit, & vt surgerent, alta voce omnibus inclamauit. Surgite (inquit) fratres, nos perimus.

Igitur ea tempestate tota facie cęli crocei coloris existente, pestis C illa crebris coruscationibus & tonitruis iterum inualuit, vt respectu eius duas primas diceres nil fuisse. Quod enim ante non contigit, modo nouissimè præ angustia & timore iudicij, non dico imminentis, sed præsentis, ad auxilium beatæ virginis & beati martyris concurrentes qui erant in Ecclesia constituti, altare beatæ Dei genitricis cœperunt dente corrodere, ita vt vsque ad tempus, quo peccatis nostris exigentibus eadem Ecclesia concremata est, videres in eodem altari vestigia dentium remansisse. Erat ergo videre miseriam, vt inter alta suspiria & dolorem inexplicabilem penè deficerent vniuersi, nisi diuina bonitas citius affuisset, & eis à tanto naufragio respirare contulisset. Heu nos miseri peccatorum laqueis irretiti, quid dicturi sumus in illo districti examinis die, quando *cœlum & terra peribunt*, & nullus Sanctorũ nos poterit adiuuare, si tam tenuem procel- D lam per nos non possumus sustinere.

Tertia tempestas præcedẽtibus horribilior

Præ angustia & timore iudicij quidam dẽtibus rodunt altare B. Mariæ virginis.

Luc. 21.

Itaque nocte sequenti idem Salomon, de quo superius fecimus mentionem, cuidam socio suo in dormitorio quiescenti apparuit, & vtrum dormiret, inquisiuit. Cui ille: Quare, inquit, dulcissime Comes tam terribili iudicio percussus interisti, nisi forte religionis habitum, quem exterius frustra prætendebas, intus in corde non habebas? Reuera (inquit) in via mandatorum Dei corde dilatato, dum adhuc viuerem exultaui, & in bonis actibus consummatus palmam æternæ beatitudinis, & stolam iucunditatis impetraui. Nunquam quæso

Salomon Sacerdos defunctus, apparet socio.

Psalm. 118.

Quid socio responderit.

A quæſo legiſti ſcriptum in libro ſapientiæ : *iuſtus qua morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit?* Quæ enim mors vnquam vilior fuit morte Saluatoris, quem morte turpiſſima legimus condemnatum? vnde nec reputatus eſt ſicut dicit Iſaias. Dauid etiam in perſona ipſius dicit de ipſo : *Ego autem ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Omnes videntes me, deriſerunt me, locuti ſunt labijs, & mouerunt caput.* Si vero ad membra eius reſpicias, inuenies multos electorum eius peſſima morte conſummatos, nec ſepulturas accepiſſe, nec tamen dubites eos Chriſto conregnare. Igitur de ſalute mea ne deſperes, ſed ad quid huc ad te miſſus ſum, diligenter intellige. Et quantum honoris, quãtum gratiæ apud Leodienſem Eccleſiam beata virgo promeruit, ſedula diſcretione perpende. Cum enim præcedente die ſemel & ſe-B cundo pro ſalute Leodiẽſis populi filium ſuum exoraſſet, nec tamen efficaciter exaudita eſſet, tertia vice, quando potiſſimum tempeſtas inualuit, coram filio ſuo ſe proiecit, & tanquam fidelis aduocatrix in hunc modum perorauit : Fili per ſalutem illam, per quam grauidauit Gabriel Archangelus latera mea, populo meo, qui eſt Leodij, precor te miſerere. Cuius tenerrimum affectuoſumque deſiderium benignus filius eius vlterius diſſimulare non valens, ſecurim ſuſtulit iam poſitam ad radicem, non tamen penitus ignoſcens culpam, ſed pœnam differens in futurum.

Sap. 4. Iuſtus quocũq; genere mortis moriatur eſt in refrigerio. Iſai. 53. Pſal. 21. Salomon apparitionis ſuæ cauſam aperit. B. Virgo Maria tertio intercedit pro populo Leodienſi & exauditur. Math. 3.

Sed & hic paululum immoremur. Quis ergo ſolum iſtud eius beneficium digne poſſet æſtimare, etiamſi plura per eam nobis non
C fierent? Quandoquidem inceſſanti ſtudio ipſa pro nobis vigilet, & indignos gratiæ conditoris iugiter nos reformet. Verè tu illa es beata virgo, qua mediante benignus filius tuus peccata noſtra, vt ſaltem aliquando pœniteamus, diſſimulat, quæ frequentius non rogata pro nobis interuenis, & peccatorum noſtrorum ſarcinam ſuper te tollis, Maria enim eſt nomen tuum, quod interpretatum, ſtella maris dicitur, & ex ſui interpretatione ſignificat, quod in peccatorum nocte naufragantibus, ſicut aurora conſurgens, ſolita es illuceſcere, & lucem gratiæ deſuper miniſtrare. Vere *ſecundum nomen tuum, ita & laus tua in fines terræ* diffuſa eſt, quia illos tuos miſericordes oculos à nobis præ fœtore peccatorum nunquam auertis dummodo in amaritudine contriti cordis, & humiliati ſpiritus nos valeas inuenire.

Laus beatæ Mariæ virginis. Pſalm. 47.

D Extunc memoria eiuſdem beatæ virginis ſemel in ſeptimana, cum prius nunquam fieret, apud Leodienſem Eccleſiam cœpit inualeſcere, vt beneficijs eius tot & tantis ſaltem in aliquo videretur reſpondere.

Hoc tempore Eccleſia Leodienſis cœpit ſingulis ſeptimanis facere officium S. Mariæ virginum.

His ita expletis cum iam ira Dei, quæ tam grauiter contra Leodienſes exaſperata fuerat, precibus & meritis beatæ Mariæ ſanctiq; Lamberti in miſericordiam fuiſſet declinata, cœperunt rurſus vitia, pacato metu reſurgere, ita vt cum iam de talibus ac tantis eruti periculis, gratias omnipotenti Deo agere tenerentur, quaſi canes ad vomitum conuertuntur, & obliti Deum, qui ſaluauerat, ad anteriora

Leodienſes redeunt ad vomitum. 2. Petri 2. 135.

crimina impudenter reuertuntur. Nec hoc solum suffecit ad suæ damnationis interitum, verum etiam ad deteriora processerunt: A Quæ enim latenter & in occulto facere consueuerant, iam manifeste & in publico facere non reformidabant. Sacerdotes quippe cæteræque Ecclesiasticæ personæ, cum vniuerso populo in solemnitatibus paschæ & Penthecostes, cum sanctam deuotius alijs diebus Ecclesiam frequentare & Deo seruire tenerentur, aliquam ex Sacerdotum concubinis purpuratam ac diademate renitentem in eminentiori solio constitutam, & cortinis velatam reginam creabāt, & coram ea assistentes in choreis, tympanis, & alijs musicalibus instrumentis, tota die psallebāt, & quasi idolatræ effecti, ipsam tanquam idolum colebant.

Deteriores efficiuntur.

In solemnitatibus Paschæ & Pēthecostes popul' vniuersus Leodiensis chorisat circa Reginam concubinarum.

Albero interea ad curiam Romanam citatus, in reditu suo, anno B Dominicę incarnationis millesimo cētesimo quinquagesimo quinto præsulatus sui decimo quinto, Mannæ febre corripitur, Otridæ moritur, Ortinæ sepelitur, sexto Calend. Aprilis.

ANNOTATIONES.

1. Sub his etiam diebu :] *De hac quorundam prælatorū & canonicorum sæcularium dissolutione, & cuiusdam ex hac occasione miranda conuersione, sic loquūtur Gesta Abbatum S. Laurentij.* Quia canonicorum sæcularium tepuerat deuotio, & disciplina deperierat, multi eorum sæculo renunciantes, in hoc monasterio, *scilicet sancti Laurentij*, sub regulari disciplina Domino seruire deligentes, monachi facti sunt. Inter quos quidam S. C Bartholomæi Canonicus & Decanus austeram valde & paucis imitabilem vitam duxit, ita vt nudo pauimento, substrata tantum vili mattula quiesceret, loco puluilli posito ad caput lapide, ex pilis camelorum continuo ad carnem toga vestiretur, in triduum in hebdomada tendebat ieiunium, & aliquando per totam quadragesimam à potu abstinebat, omni tempore à vino se relegauerat, neque infirmitate detentus carnibus vesci aliquatenus consensiebat, & victum quem sibi substrahebat, ex voluntate Abbatis pauperibus ministrabat.

2. Præbendæ Namque publice vendebantur:] *Grassabantur hoc tempore per Ecclesias Germaniæ duæ hæreses, quæ grauiter illas fœdabant. Plerią; enim* D *existimabant licitum esse vendere non præbendas tantum, & inferiores dignitates, sed & ipsos Episcopatus, imo & ipsum primum Pontificatum, licita quoq; esse coniugia non clericorū, subdiaconorū, & diaconorū tantū, sed & sacerdotum. Vnde fiebat vt Imperatores, qui pro tempore arrogarant sibi inuestituras Episcopatuū, & aliarū dignitatū, illas pecunia vēderent; & quidā Episcopi, tum sua auaritia, tum illorū exemplo, præbendas venderent, coniugia sacerdotū tāquam licita permitterent: in quo video ex ordine aliquot Episcoporum nostrorum deliquisse, & clerum se adulterinis huiusmodi coniugijs commaculâsse. Contra has fœdas hæreses inuenio celebrata multis in locis concilia, & inter alia vnum ad Nosthusen Turingiæ Ciuitatem à Moguntino*

A *tino Archiepiscopo, & Constantiensi Episcopo, tanquam vicarijs sedis Apostolicæ, in quo damnata est Symonia, & nuptiæ sacerdotum. Vide Abbatem Vsperg. Genebrardum, & alios.*

3. Ad curiam Romanã citatus:] *De hac citatione & eius causa meminit quoq; magnum Chronicon Belgicum his verbis:* Sub Alberone cœpit ruere disciplina clericalis, mulieres in domibus claustri habitabant, præbendæ venales erant, presbiteri bis in die missam cantabant, ciues filias suas sine graduum discretione clericis & laicis dabant vxores. Vnde Præpositus S. Lamberti Henricus de Leye ad Papam missus est, qui Alberonem citauit, & dum reuerteretur à curia moritur horrida febri. Ortinæ sepultus sexto Calendas Aprilis. *De eadem fit quoq; mentio sequenti capite.*

B 4. Sexto Kalendas Aprilis:] *Liber Ecclesiæ Leodiensis, ex quo leguntur commemorationes confratrum, & aliorum fidelium defunctorum, ponit commemorationem Alberonis secundi vndecimo Aprilis.*

5. *In libris chartarum eiusdem Ecclesiæ tria de hoc Alberone reperio. Primum, vsum rationalis certis diebus illi ab Innocentio Papa concessum: Charta sic incipit,* Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei &c. *Secundum pactionem quandam initam inter hunc Alberonem & Raynaldum Archiepiscopum Remensem: Charta sic incipit* In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis &c. *Postremum, conuentiones quasdam celebratas coram hoc Alberone inter Ebroinum quendam Abbatem BrQniensem, & Manassen nobilem virum de Hirge: Charta sic incipit:* In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego Albero Dei gratia C Leodiensis Episcopus &c. *Quæ charta quia Leodiensi historiæ fidem & lucem aliquam adferunt, hic ex ordine subijciuntur.*

INnocentius Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Alberoni Leodiensi Electo, salutem & Apostolicam benedictionem. Magistra bonorum omnium Charitas, nil sapit asperum, nil extraneum: cuius profecto bonum est proprium, aliorum profectibus, & suæ dilectionis affectum cæteris documentis erga proximos demonstrare. Quæ videlicet virtus cum in omnibus fidelibus debeat præfulgere, præcipue tamen sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ plus cæteris noscitur conuenire. Et quemadmodum eadem vniuersalis & pia mater filios suos prouehit in sublime, atque alios Patriarchas, a- D lios Archiepiscopos, alios Episcopos statuit, ita nihilominus decora circumamicta varietate, de concessa sibi à Deo diuinorum munerũ largitate, eosdem diuersorum insignium pulchritudine clementer exornat. Quia ergo personam tuam venerabilis frater Albero Electæ sanctæ Leodiensis Ecclesiæ, vtilem fore credimus, ex Apostolicæ Sedis benignitate te duximus honorandum, & sub pio B. Petri gremio familiariùs confouendum. Et quoniam tanquam Aaron ad Pontificalis dignitatis fastigium diuinâ gratiâ te vocatum esse confidimus, & loco Moysi ad regendum Christianum populum, per Dei prouidentiam es constitutus, eorum quoque dignitatis te participem constituimus, & vsum rationalis, postquam in Episcopum conse-

cratus fueris, personæ tuæ concedimus; statuentes vt eodem sacro A
ornamento infra Ecclesiam duntaxat his diebus vtaris, qui in præsentis scripti serie præscribuntur, id est, cœna Domini, Pascha, Ascensione, Penthecoste, in festo B.Ioannis, in solemnitatibus Apostolorum Petri & Pauli, Assumptione B.Mariæ, in festo beati Lamberti, omniumque Sanctorum, Natali Domini, in octauis eiusdem & Epiphania, in Purificatione B.Mariæ, in dedicationibus Ecclesiarum intra tuam Parochiam, & ordinationibus Clericorum, & in Anniuersario die dedicationis Leodiensis Ecclesiæ. Age igitur, frater charissime, & quod in facie geris Ecclesiæ, intus habeas, & tam sacri muneris insigne operum tuorum assignet effectus. Data Pisis tertia Calendas Decembris. B

IN *nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.*

Notum sit omnibus præsentibus, & quorum futura posteritas expectatur hac præsenti pagina discat, quid & quomodo de beneficio Remensis Ecclesię, quod ad Castellum, quod Bullion, dicitur pertinet, cum Alberone venerabili Leodiensi Episcopo statuimus. Ego Raynaldus Ecclesiæ Remensis licet indignus minister, beneficium quod Remensis Ecclesiæ ab antiquo esse dinoscitur, quod etiam ad Bullionem pertinere nulli dubium est, Alberoni Leodiensium Episcopo, & per eum successoribus suis conditione supposita contradidi: Si ob aliquorum infestationem Remensi Ecclesiæ ingruerit necessitas, Dominus Leodiensis Episcopus equitatum trecentorum C militum singulis annis mihi vel meo ducet cuilibet successori, si quadraginta dies ante præmonitus fuerit. Quod si taliter præmonitus, habere se legale, vel canonicum impedimentum monstrauerit, de prædicta expeditione excusatus erit; ita tamen vt postquam fuerit expeditus, pactum exsoluat præfixum, eodem rursus termino reuocatus. Hunc autem equitatum Dominus Leodiensis suo conductu & proprijs expensis ducet vsque Mosonium: quo postquam peruenerit, Remensis ei cum suis omnibus & in progressu, & in morando, & in reuertendo vsque Mosonium, victus necessaria prouidebit. In quamcunque verò partem circa Remensem vrbem per decem leugas protrahere hanc militiam vel habere secum ad obtinen- D dam Ecclesiæ vtilitatem voluerit, per quindecim dies cum expensis eos retinebit: ita vt infra hunc terminum eos reducat vsque Mosonium. Si vero eundo vel redeundo aliquid de suis amiserit, de his omnibus Archiepiscopus nihil eis recompensabit. Quicquid autem lucrati fuerint, tam in equis quam in alijs rebus, præter captos milites, sui iuris erunt. Si de prædicto beneficio violentia vel infestatio fuerit illata Leodiensi Episcopo, Remensis ei consilio aderit, & auxilio. Si quæ verò cōtradictio fuerit orta vel proclamatio digna audiri, non alibi statuet diem audientiæ nisi Mosonij, iuuabitque eum ad retinendum lege & sententia iudiciali. Similiter ibidem & non alias

A alibi Remensi occurret Leodiensis Episcopus de neglectu huius seruitij vel pacti præuaricatione tantummodo responsurus. Quia vero Leodiensis Episcopus aliorum more casatorum hominum nobis facere non potuit hominium, octo de suis, quatuor videlicet de castellanis de Bullon, Galterum scilicet deBullon, Iugonem de Mirewalt, Manassem de Herge, Iugonem filium Lamberti, & quatuor de alijs casatis suis, Cuigerum aduocatum, Galterum Castellanum de Hoio, Rainbaldum de Iupperi, Lambertum de Tienbeche; à quibus hominium suscepimus, nobis produxit. Insuper huius conuentionis tenorem & amicitiæ seruandæ in manu nostra firmauit: quod etiam à successoribus suis Remensi Archiepiscopo eodem modo obseruandum statuit, vtrisque tandem Episcopis, Remensi scilicet &
B Leodiensi, sublatis de medio ab vtriusque Ecclesiæ successoribus pactum omne, vt prædiximus, obseruabitur perpetuò & irrefragabili iure, ita quod Leodiensis Episcopus veniens Mosonium firmatâ amicitiâ, renouata conuentione, redditis hominijs Baronum prænominatorum, si superuixerint, vel hæredum sibi succedentium à Remensi Archiepiscopo gratis, & absque vlla contradictione, certum recipiat beneficium. Si verò quolibet accidente casu aliquando Leodiensis Ecclesia prædicti Castelli possessione caruerit, ita vt iustè reclamare non possit, omnis præscripta conuentio de . . . . inter Remensem & Leodiensem Episcopum cassa & annullata maneat.
C Quia ergò sicut scriptum est generatio præterit, & generatio aduenit, & dictorum atque factorum nostrorum ætas interit; ne processu temporis deleri quod gestum est, aut ambiguitate mutari valeat, hanc nostram conuentionem scripto mandauimus, probabiliumq; personarum attestatione firmauimus, insuper additamento nostræ imaginis communiri iussimus. Signum Odonis Abbatis sancti Remigij, scilicet Ioranni Abbatis, scilicet Nichasij, scilicet Vrsionis Abbatis, scilicet Dionysij, scilicet Nicolai Archidiaconi, scilicet Hugonis Archidiaconi, scilicet Ioffridi Decani, scilicet Leonis Cantoris, scilicet Odonis Præsbiteri, scilicet Bosonis, scilicet Drogonis, scilicet Ioannis Diaconorum, scilicet Magistri Albini: de laicis, sci-
D licet Henrici Casterhone, scilicet Blihardi de Hercreio, scilicet Nicolai de Burgo, scilicet Radulphi de Radulphi curte, scilicet Haimonis Castellani de Alto monte, scilicet Balduini Dapiferi, scilicet Alberici Materanni: De Leodiensibus, scilicet Alexandri Archidiaconi, scilicet Dodonis Archidiaconi, scilicet Arnulphi Præpositi, scilicet Wilelmi Præpositi, scilicet Heinrici: de laicis, scilicet Lamberti Comitis, scilicet Guidrici de Walecurte, scilicet Guigeri Aduocati, scilicet Gualteri Luiensis, scilicet Cuidrici dapiferi, scilicet Lamberti, scilicet Arnulphi, scilicet & Balduini. Actum Remis anno incarnationis verbi 1127. indictione 5. regnante Lodouico Francorum Rege anno 5. Archiepiscopatus autem Dñi Raynaldi anno 3. Fulcradus Cancellarius recognouit, scripsit & subscripsit.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. A

Ego Albero Dei gratia Leodiensis Episcopus, ratum duximus notificare tam futuris quam præsentibus quasdam conuentiones quæ habitæ sunt coram me inter Abbatem Broniensem Ebroinum, & Manassem nobilem virum de Hirge. Sunt autem hæ: Cùm idem Manasses ob amorem Dei & remissionem peccatorũ suorum resoluisset ire Hierusalem, venit in præsentiam nostram, & quædam allodia sua quæ iacent in pago Hasbania, scilicet Miele & Musin, cum omni integritate & libertate sua, cum Ecclesia, cum seruis & ancillis, terris, cultis & incultis, campis, molendinis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, tradidit in manu nostra ad vsus Abbatis & fratrum Broniensis Ecclesiæ, Deo & sancto Petro inibi B deseruientium; His conuentionibus interpositis. Prædictus Abbas Ebroinus dedit eidem Manassi octoginta marchas, eo rationis modo, vt si in hac peregrinatione contigerit eum mori, aut reuersus obierit absque (vt vulgo dicitur) legitimo corporis sui hærede, hæc prædicta allodia iure hæreditario Broniẽsis Ecclesia in perpetuũ liberè possideat. Quod si redierit, & prædicta allodia redimere voluerit, non plus quam quadraginta marchas Broniensi Ecclesiæ reddet: sic tamen vt si vxorem duxerit, & legitimos corporis sui hæredes ex ea habuerit, tam ipse quàm prædicti legitimi corporis sui hæredes in hac possessione sibi succedent. Si autem ex his prędictis suis legitimis C hæredibus quandoque, vt prædiximus, sine legitima corporis sui successione defecerit; prædicta Broniensis Ecclesia per ipsam traditionem quam ego suscepi, sine aliqua exactione vel contradictione, recipiat possidenda in perpetuum. Post redemptionem verò, si aliquis legitimorum hæredum quamdiu vixerint aliqua voluntate vel necessitate alteri Ecclesiæ siue alicui homini sæcularium inuadiare vel vendere, vel dare voluerit, non poterit: sed supradicta traditio Broniensi Ecclesiæ inconuulsa permanebit, sub eisdem conuentionibus quibus Miele & Musin tradidit. Tradidit etiã allodium de Neurelesiæ pro salute parentum suorum inibi quiescentium, ita vt quamdiu vixerit vel hæredes legitimi sui corporis, iure suo possidebunt. D Si autem omnes defecerint, Broniensis Ecclesia, sicut Miele & Musin liberè possidebit: ita sanè vt sex monachi ibi Deo seruituri, & pro peccatis eius oraturi aggregentur: quibus monachis de reditibus ipsius allodij & de alijs sufficientia victus & vestitus procurabitur. Residua verò in vsus fratrum Broniensium cedent. Per huiusmodi traditionem datis sæpedictis allodijs, ius Aduocationis in manu nostra posuit; hac conditione interposita, vt neque in secunda manu aliquando transferatur, neque pro ea aliquid exigatur: sed si aliquis (quod absit) violentiam vel damnum inde Broniensi Ecclesiæ fecerit, Episcopalis auctoritas in eum excommunicationis suæ sentẽtiam exerceat. Obtestor autem ego Albero Dei gratia Leodiensis

A diensis Episcopus successores meos pro salute animarũ suarũ, & per Dei iudiciũ, vt pauperi Ecclesiæ hanc traditionem retineant, sperãtes à Deo mercedem, qui in iudicio dicturus est, *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Huius rei testes fuerunt Archidiaconi, Ioannes, Reinerus, Elbertus, alijque ex Clero S. Lamberti quamplures: Renzo Decanus, Reimbaldus Præpositus S. Ioannis de insula, Nicolaus Præpositus S. Dionysij. Berengeius Fossensis Præpositus, Bruno de Duras: de liberis hominibus Lambertus Comes, Eustachius aduocatus, Gosuinus de Falconis monte, Theodericus de Herlaye, Theodericus de Argentel, & frater eius Wilelmus de Ceumaco, Cono de Han, Godeschalcus de Morelmeis, Ioannes de Leaz, & Berengarius B frater eius: Godeschalchus de Ruze, & alij multi. Actum Leodij sexto Kalend. Martij, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo, indictione tertia, regnante Conrado Romanorum Rege secundo, anno regni eius secundo. Recognouit supradictam traditionem idem Manasses tertia dominica quadragesimæ, quæ eodem anno occurrit sexto Idus Martij in sæpedicta Broniensi Ecclesia, gelbas & ramos de singulis allodijs super altare S. Petri, quod maius est in eadem Ecclesia, ponens: sibi, si Deo annuente, quandoque reuerteretur, vel suis legitimis successoribus in Hirge prædictæ traditionis de narratione sine aliqua exactione, nisi Dei merito & oratione Ecclesiæ retinens duos etiam seruos, & duas ancillas pro respectu de Neurelesie tradens. Addidit & B. Petro post C obitum suum dimidium piscationis suæ de Han in perpetuum duobus diebus per singulas heddomadas quadragesimæ, & sextâ feriâ per totius anni circulum. Duos etiam modios salis singulis annis de conductu nauium in vsu Monachorum de Neureleis. Huius testes fuerunt, Ioannes de Fen Canonicus sancti Lamberti, Arnulphus Decanus, Godefridus de Arescot, Theodericus de Fen, Eibertus de Bosires, & Ægidius filius eius, Wedericus P. & alij multi.

D *De electione Henrici huius nominis secundi, & bonis quæ Episcopatui acquisiuit.*

CAPVT XXXXI.

POst decessum Domini Alberonis secundi, Dominus Henricus Præpositus & Archidiaconus maioris Ecclesiæ ab omni Clero & populo canonice eligitur 4. Idus Maij & a Metropolitano Agrippinensi Arnulpho primo Coloniæ consecratur Episcopus 60. 8. Calendas Iulij, eodem anno, quo Dominus Albero defunctus est.

Henricus Episcopus 60. eligitur à Clero & populo.

Hic

Hic, merito suæ conuersationis,& temporalium erga fratres suos stipendiorum optimæ administrationis, ad hanc dignitatem raptus est potius quam electus. Nam pro pace regni, pro securitate ciuium, pro rebus Ecclesiæ conseruandis, summopere verò pro redemptione ouium Christi, quas in suam curam susceperat, tanquam bonus Pastor damna rerum temporalium, pericula persequutorum suorũ, molestias corporis graues & ante, & Pontificij sui tempore subire non timuit. Quia enim iustitiæ & pacis amator erat cum adhuc Præpositus esset, & œconomus temporalium negotiorum, & videret omnis generis tyrannidem contra Ecclesiam grassari,& neminem resistere iniustitiæ, ipsumquoque Dominu..: Alberonem Episcopũ dissimulando declinare iustitiam, consilio & instinctu Baronum, & totius Cleri, qui res Ecclesiæ,& suas periclitari videbant, Dominum Alberonem iam tertio frustra vt iustitiam administraret publice coram toto clero monitum ad Romanam audientiam appellauit.

Causa Alberonis ventilata coram Eugenio Papa.

Causa igitur pacifice ventilata in præsentia Eugenij Papæ, & eodem Episcopo in reditu peregre defuncto, sicut prædiximus, idem Henricus magno omnium consensu eligitur, ordinatur Præsbiter, consecratur Episcopus.

Henricus Episcopus assistit Imperatori Frederico.

Is in prima expeditione Italica,qua Fredericus Imperator Mediolanum obsedit, strenuè se gessit, in omni negotio & consilio Imperatori assistens. In tantum autem familiaritate & amicitia ei complacuit, vt mediolano destructo, omnes redditus Episcopatus ciuitatis dirutæ ei committeret, vt in restitutione (vt ita dicam) Troiæ in relocandis alijs mœnibus, agrisque indigenis terræ, ad placitum suum, secundum statum nouæ villæ distribuendis, iam fieret alter Æneas.

Reditus Episcopatus Leodiensis multũ amplias.

Acquirit & reparat multa allodia & castella.

Is quoque non suis, sed Episcopatus sui rebus plurimum studuit augendis: nam acquisiuit allodium de Otrepe à quodam nobili viro Conone nomine, & Diepebeche, de Seanz, cum omni familia, Castrum de Rode cum omnibus pertinentijs suis, tam in temporalibus quam in spiritualibus cum omni familia, Castrum de Belmont cum omni allodio. De Astenoit cum familia, Castrum de Duras cũ suis munitionibus. Castrum de Esmeruile, Castrum de Fontaines. Omnia allodia Engelranni cum omni familia, scilicet flerues, cum omnibus pertinentijs suis, & Cobroit cum suis pertinentijs. Castrũ etiam de Lernuth cum suis appenditijs. Allodium de Broiues acquisiuit à quodam nobili viro nomine Sehere. Munitiones quoque de Feries, & de Borne, & de Burdenges cum earum appenditijs,& munitionem de warsage.

Innouauit etiam ædificia per Curias Episcopales, & quædam à fundamentis ædificauit. Castrum de Couuin innouauit, aulam de Tuyn & turrim. Castrum & ædificia de Fosse à fundamento. Episcopalem domum Hoij iuxta templum sanctæ Mariæ. Domum apud Amain

A Amain à fundamento. Domum apud Vffey ædificauit. Castrum de Franchiermont meliorauit. Domum Tungris ædificauit à fundamento. Castrum etiam quod dicitur Turris in Weure emit à quodam nobili viro Theodorico nomine, & emptum proprijs sumptibus restruxit. Castrum de Nime. Apud Worcine domũ ædificauit. Aquisgrani domum Episcopalem prorsus dirutam restruxit. Apud Hauelange firmam ædificauit. Apud Alleche domum & piscinam. Domum de Berthehen dirutam restruxit. Apud Coueron domum ædificauit cum torcularibus.

Hæc omnia allodia seu castella tam possessa quam suo labore acquisita, Imperiali sigillo confirmari fecit sub hac forma.

B *IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.*

Fredericus Dei gratia Romanorũ Imperator semper Augustus.

Dignum est, & Imperiali Maiestati conueniens, vt nobis deuotos ac familiarissimos amplectamur, & eos in suis petitionibus attentius exaudiamus,. Eapropter Venerabilis Henrici secundi Leodiensis Episcopi fidelissimi nobis laborem & studium considerãtes, quod videlicet Coronæ Imperij nostri Romæ fideliter interfuerit, & in Italica expeditione seipsum suaque pro nostro honore sæpissimè exposuerit, petitionibus eius promptissimum præbuimus assensum, præsertim cum ea peteret, vnde viri prudentis magis laudanda est industria, vtpote qui sibi cõmissæ fidelis Ecclesiæ, ea quæ relicta ab C antecessoribus fuerint, strenuissime conseruauerit, & in acquirendis nouis & vtilibus, pacem suæ Diœcesi & possessionem vigilantissime ampliauit. *Confirmatio Imperatoris Frederici.*

Igitur quæcumque bona, quascumque possessiones Ecclesia beatæ Mariæ, prætiosique martyris Lamberti, qui in Leodiensi Ciuitate requiescit, in perpetuum possidet, ab antecessoribus nostris confirmata christianissimis patribus & Imperatoribus Pipino, Carolo, Ludouico, Lothario, Ottone primo, Ottone secundo, & tertio, Henrico, & cæteris, nos eorum exemplis informati, Leodiẽsi Ecclesiæ cõfirmamus in quibus hoc propriũ, Lobes Abbatia cum omnibus appenditijs, Florines, Bronium, Malonia, &c.

Cõfirmauit etiam ea & Adrianus Papa ad petitionem ipsius Episcopi in hæc verba.
D

ADrianus Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabili fratri Henrico Leodiensi Episcopo, eiusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. *Confirmatio Adriani Papæ.*

Iniuncti nobis à Deo Apostolatus officium, & Ecclesiasticæ vtilitatis consideratio nos hortatur & admonet, fratres nostros Episcopos, quos sciẽtia & honestate pollere cognoscimus, ampliori charitate diligere, maioremque illis honorem iugiter & gratiã exhibere. Tunc enim de subiectorũ suorũ vtilitate vere poterunt esse solliciti, tunc officij sui prosequutioni poterũt efficacius imminere, cũ & ipsi

nos abundantiorem sibi senserint honorem impendere, & propensiori affectu diligere charitatis. A

Eapropter venerabilis in Christo frater Henrice Episcope tuis iustis postulationibus gratum impertientes assensum, & Ecclesiam Leodiensem, cui Deo auctore præesse dinosceris, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & pręsentis scripti priuilegio cõmunimus: Statuẽtes vt qualcũq; possessiões, quæcũq; bona eadẽ Ecclesia in præsentiarũ iuste & canonice possidet, aut in futurũ cõcessiõe Pontificum, largitione Regum, vel Principum oblatione fidelium, seu alijs iustis modis, præstante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque Successoribus & illibata permaneant: in quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis: Castrum de Rode, allodium & familiã cum omni integritate sua, tam in spiritualibus quã tẽporalibus, castrum de Belmont, allodium de Astenoit, castrumde Duras, castrũ de Reuonia, castrum de Esmeruille, castrũ de Burne, castrũ de Fontaines exdono nobilis viri Cononis, tria allodia Diepenbeche, Repe, Scanz: que ad mensam tuam spectare noscuntur. Præterea quæcunque christianissimi Imperatores Pipinus, Carolus, Ludouicus, Lotharius, Otto secundus & tertius, Henricus, & cæteri Reges eidem Ecclesiæ contulerunt, tibi tuisque Successoribus nihilominus confirmamus. Abbatias Lobes cum omnibus appenditijs suis, Florines, Bronium, S.Hubertum, Gemblues cum aduocatia sua & cum omnibus ad eam pertinentibus, Fossis, Malonia, Namucus, Dynant cum castro, Ceynacum, Massia, Tongris, Hoyum, Amanium, Traiectum, Monasterium super Sambram, Turne, Alna, villers, Euerbode, Helecines, Castra, Tudinum, Couinum, Bullont, Gyueth, Hierges, Merlemont, Soture, castrũ de Florines, Castrum Fossis Truinges, Euenes, Chaumont, Mirewart, Rochefort. Præterea quicquid habet iuris in castris, villis, burgis, Comitatibus, & in tota terra Comitis de Hainau, Louuierual, Clarum montem, Franchiermont, Warsage, Argenteal, Casselin, Curtes, Berthchein, Couerne, Lentrehouue, Wentreluke, Semplouoir. Hoyn & Hoyz, Veruier, Niuellam, S.Petrum in Traiecto, Freres, Alleke, Hurle, Vileir, Seran, Vfey, Fronuile, Hauelange, Thihange, Iamme, Methin, Maslines, Bauenchin, Hiruuardes, Heiste, Turinnes, Hereuuardes ex dono nobilis mulieris Comitissæ Ermengardis. Allodium de Woroime cum omnibus appenditijs suis. Pacem etiam quam Prædecessor tuus Henricus bonæ memoriæ in ipso Episcopatu constituit.

Exprimantur castra & allo dia Ecclesiæ Leodiensis cõfirmata per Põtifices & Imperatores.

B C D

Decreuimus ergo vel decernimus, vt nulli hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia & integra conseruentur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura: salua tamen Sedis Apostolicæ auctoritate.

Si igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisue persona contra hãc

A nostræ constitutionis paginam sciens, temere venire tentauerit, secundo tertioue commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem Ecclesiæ sua iura seruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructũ bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen, amen, amen.

Ego Adrianus quartus huius nominis Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

B Fuit etiam aula Episcopalis Leodij ab eo reparata, & amplificata, & alia domus iuxta aulam inchoata.

Item dedit Ecclesiæ duas Dalmaticas, sex pallia egregia, tapetem magnum, & librum Gratianum: pacemque, quam constituit Henricus primus Episcopus auctoritate Domini Victoris Papæ, & Imperatoris Frederici sub sigillis eorum confirmari fecit.

ANNOTATIONES.

1. Imperiali sigillo confirmari fecit, sub hac forma.] *Quia auctor noster mutilam hic reproducit confirmationem Henrici, nos illam integram ex libris* C *chartarum Ecclesiæ Leodiensis subijcimus, sic enim habet.*

IN *nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.*


Fredericus Dei gratia Romanorum Imperator semper augustus.

Dignum est & Imperiali Maiestati conueniens, vt nobis deuotos familiarius amplectamur, & eos in suis petitionibus attentius exaudiamus. Eapropter Venerabilis Henrici secundi Leodiensis Episcopi fidelissimi, nos laborem & studium considerantes, quod videlicet coronæ Imperij nostri Romæ fideliter interfuerit, & in Italica expeditione seipsum suaque pro nostro honore sæpissimè exposuerit, petitionibus eius promptissimum præbuimus assensum; præser-D tim cum ea peteret, vnde viri prudentis magis laudanda est industria, qui sibi commissæ fidelis Ecclesiæ, & ea quæ relicta ab Antecessoribus fuerant, strenuissimè conseruauerat, & in acquirendis nouis & vtilibus, pacem suæ Diœceseos & possessionẽ vigilantissimè ampliauerat. Igitur quæcumque bona, quascumque possessiones Ecclesia B. Mariæ, pretiosique martyris Lamberti, qui in Leodiensi Ciuitate requiescit inpræsentiarum possidet ab antecessoribus nostris confirmata christianissimis Regibus & Imperatoribus, Pipino, Carolo, Lodovvico, Lothario, Ottone secundo & tertio Henrico, & cæteris; nos eorum exemplo eidem Ecclesiæ confirmamus, in quibus hæc proprijs sunt nominibus assignata, Abbatiæ Lobies, cum

omnibus appenditijs suis : Alna, Florines, Bronium, Malonia, Ecclesia S. Mariæ in Namurco, & quicquid in eadem villa & circà, Ecclesia B. Lamberti possedit, & hactenus possidet, cum aduocatia, Monasterium super Sambram. Gemblues cum aduocatia, & omnibus ad eam pertinentibus : Helencines, & Eurebode, Turne, Eike, Beika, Cella, S.Hubertum cum aduocatia, Flone cnm aduocatia, Abbatia S. Ægidij de monte publico, Abbatiæ quæ continentur in Leodiensi ciuitate, S. Laurentij, & S. Iacobi, Abbatia montis Cornelij cũ omnibus appenditijs suis, Abbatia de Rode, cum omnibus appenditijs suis : Castra & Comitatus, tota terra Comitis de Hainou, cum comitatu & omnibus castris & Ecclesia ad eam pertinentibus : Castrum Tutinum, cum Ecclesia & Abbatia, & aduocatia, & moneta, & omnibus pertinentijs : Castrum de Fontaines, & aduocatia, & domus Franconis : Marembais Walteri cum appenditijs suis, castrum Caluum montem cum omnibus appenditijs suis, castrum Fossis cum Ecclesia, & Abbatia & aduocatia, & omnibus appenditijs : castrum Couinum cum omnibus pertinentijs suis, castrum Sonture cum omnibus iustitijs suis, castrum Murlemunt cum omnibus iustitijs suis, castrum Florines cum aduocatia & omnibus appenditijs suis, castrũ Bullon cum aduocatia & omnibus pertinentijs suis, castrum Rochefort cum omnibus pertinentijs suis, castrum Hirge cum omnibus pertinentijs suis, castrum Giuet, castrum de Dinant, & Abbatia, & villa, & omnibus appenditijs suis : castrum de Tienes cum omnibus appenditijs suis, castrum Hoyum cum Ecclesijs, comitatu, aduocatia & omnibus appenditijs suis : castrum Clermont cum omnibus appenditijs suis, castrum Aigremont cum omnibus pertinentijs suis, castrum Guenes cum allodio, castrum Triungres cum aduocatia, & familia, & omnibus pertinentijs suis : castrum de Worumme cum villa & familia, & omnibus appenditijs suis & aduocatia, sicut tradidit nobilis Comitissa Emengardis beato Lamberto pro remedio animæ suæ: castrum Franchiermõt cum omnibus pertinentijs suis, castrum Warsage, castrum Cassenic. Præterea Dominicales curias confirmamus, Marbais & Fontaines cnm omnibus vtilitatibus, Merin cum omnibus appenditijs & aduocatia, curtim Maloniam cum aduocatia, Iame, Massie cum Ecclesia & aduocatia, & omnibus appenditijs, curtim Turnines, Maslines, Heiste cum aduocatia & omnibus appenditijs suis, Ranenchien cum omnibus appenditijs & aduocatia, Hugardis cum comitatu & aduocatia, & omnibus appenditijs suis, Aleke cum aduocatia & omnibus appenditijs suis, Husle Tungris cum Ecclesia & omnibus pertinentijs suis, Vileir cum aduocatia & appenditijs suis, Tihange cum omnibus pertinentijs suis, Almanium cum Abbatia & aduocatia, Seran cum omnibus pertinentijs & aduocatia, Aurat, Ans, Niuella, Lenaie cum omnibus pertinentijs & aduocatijs, sanctum Petrum, Hoyn, quicquid in Traiecto tenet Ecclesia B. Lamberti, & quæ confirmauerunt ei prædecessores

A ſores mei in eadem villa Eccleſia B. Mariæ cum omnibus appenditijs eius; Huevvardes cum aduocatia & omnibus appenditijs eius, Berthelim cum omnibus appenditijs & teloneo, Couerne, Lantreſhoue, Wentreſuke, cum Eccleſia, Semplonei, cum omnibus pertinentijs ſuis: Cunei cum Abbatia & aduocatia & omnibus pertinentijs earum. Renouamus etiam & confirmamus, & Imperiali auctoritate tenendam cenſemus & ſeruandam pacem Henrici Epiſcopi in Leodienſi Epiſcopatu. Confirmamus quoque poſſeſſiones & caſtra quæ nouiter Eccleſiæ acquiſiuit fideliſſimus Imperio noſtro Henricus ſecundus Epiſcopus, tria allodia, Repes, Diepenbeck, Scãs quæ nobilis homo Cuono ei tradidit, ea qua poſſidebat libertate, cum omni familia, caſtrum Rode cum omnibus pertinentijs, tam in tẽ-
B poralibus quam in ſpiritualibus, & cum omni familia, caſtrum de Duraz cum omnibus in circuitu munitionibus, caſtrum de Reuonia cum villa, caſtrum de Eſmeiruille. Decernimus itaque & firmiſſimè iubemus, vt nullus omnino hominũ quicquam in præfatis poſſeſſionibus contra voluntatem Epiſcopi ſucceſſorumque eius attentare præſumat, & omnem contra niti præſumentem virtute Maieſtatis Imperatoriæ puniendum cenſemus. Vt autem huius noſtræ renouationis & confirmationis præceptum ratum permaneat, hanc indè chartam ſcribi & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri iuſſimus, & teſtes idoneos ſubternotari fecimus: Herimannus Conſtantienſis Epiſcopus, Ortleus Baſilienſis Epiſcopus, Cuonradus Worma-
C cienſis Epiſcopus, Matuarclus Fuldenſis Abbas, Henricus Dux Saxoniæ, Bertoldus Dux de Cerinke, Vlricus Comes de Lenceburg, Cozewinus iunior de Falconis monte, Herimannus de Bade. Actum anno Dominicæ incarnationis milleſimo cẽteſimo quinquageſimo quinto, indictione tertia, regnante Domino Frederico Romanorũ Imperatore glorioſo, anno regni ſui quarto, Imperij primo. Data apud ciuitatem Tridentinam ſeptimo Idus Septembris.

D *Sigillum Domini Frederici Romanorũ Imperatoris inuictiſſimi.*



Ego Arnoldus Colonienſis Archiepiſcopus & Italici regni Archicancellarius recognoui.

2. *Ipse quoq; Henricus Episcopus consecrauit Ecclesiam sancti Nicolai in Glano, non longe à monasterio sancti Aegidij in monte publico, sic enim habent Gesta Abbatum sancti Laurentij.* Eo tempore, *anno scilicet, Domini* 1151. ipso die beatæ Mariæ Magdalenæ consecrata est Ecclesia sancti Nicolai in Glano, quæ tam fundi quam ædificij iure nostra est ab Henrico secundo Leodiensi Episcopo, anno eius Episcopatus nono. *Et paulo post:* Hanc Ecclesiam dicuntur extruxisse duo fratres nobiles de Bolseez Gerardus & Antonius milites, qui in ea sepulti sunt. Sed super hoc nullum authenticum documentum reperi. *Rursus paulo post* : Sane in regula in Commemoratione defunctorum sic scriptum habetur. Quarto nonas Ianuarij cōmemoratio Idæ conuersæ, pro qua habemus quinquaginta bonuaria terræ.

De miraculis beati Bernardi præsente Henrico Episcopo Leodij actis.

CAPVT XLII.

D. Bernardus missam in Ecclesia S. Lāberti celebrat.

DIebus ipsius sanctus Clareuallensis Abbas Bernardus iterum Leodium venit, ac missam solemnem in Ecclesia B. Lamberti cantauit. Necdum ab altari amotus senem cœcum per signū crucis illuminauit, & alterum claudū ambulare fecit in facie totius Ecclesiæ quæ conuenerat. Post missam iuxta eandem Ecclesiam, in prato quod dicitur Episcopi publice prædicauit in præsentia dicti Henrici.

Concionatur.

Miracula plurima patrat.

Factum est autem in die Dominica post octauas Epiphaniæ, cum ad altare B. Mariæ, sanctique Lamberti in maiori Ecclesia pater sanctus missarum solemnia celebrasset, puer coram vniuerso Clero & populo oblatus est, quem ex vtero claudum dicebant, cuius vbi tybias & renes tetigit & signauit, sanum protinus erexit. Conclamatum est à Clero. *Te deum Laudamus.* Sed clamorem, præ gaudio flentium & vociferantium multitudo euicit, dabat enim pro cantu lachrymas plebs ignara canendi.

Duas quoque ibidem aridas manus tetigit & curauit, vt sensum pariter motumque reciperent.

Miracula in domo Episcopi facta.

Feria secunda, in domo Episcopi, mane post missarum celebrationem, vno oculo iuuenis cœcus ad tactum sacræ manus illuminatus est, & sub manu signantis exilijt clamitans, quia visum recepi.

Nec mora offerebatur alter, vtroque oculo cœcus, & is quoque ibidem illuminatus est ipsa hora.

Episcopus explorator veritatem miraculorum D. Bernardi.

Aderat autem ibi Henricus Episcopus explorator diligens omniū quæ fiebant, audiens igitur adolescentem illuminatum se esse gratulabundis vocibus acclamantem, vt probaret an verum esset, de

multis

A multis interrogabat eum, & incunctanter ille ad singula respondebat.

Alias audientes quia exisset ad infirmos in domum spaciosiorem, multo plures prioribus conuenerunt. Post nonam igitur horam egressus ad eos, signauit omnes ex ordine, & continuo ex his illuminati sunt cœci quinque, & claudi tres receperunt gressum, dignè admirantibus vniuersis.

Vespere quoque in capella Episcopi surdus quidam recepit auditum. *Alia rursus in domo Episcopi.*

Tertia feria priusquam egrederetur, tres in ipsa domo Episcopi erecti sunt, mulieres duæ & puer vnus.

B Hæc videns Episcopus Henricus admiratione plenus cum deuotione maxima, per consilium B. Bernardi, Abbatiam de Alna fundauit, vbi plurimi diuina inspirante gratia religionis habitum assumpserunt, sub B. Benedicti regula Domino militantes. Nam Alna prius fuerat Ecclesia canonicorum & dicebatur Abbatia, & hæc vna de duodecim erat Abbatiarum, quas Ecclesiæ Sancti Lamberti maiores conferebant. *Henricus Epūs Abbatiam Alnensem fundat*

ANNOTATIONES.

Sanctus Clareuallensis Abbas iterum Leodium venit:] *Qua causa aduentus fuerit, vnde venerit, & quæ in itinere gesserit explicat Chronicon Gem-* C *blacense.* Hoc tempore, *inquit*, Beatus Bernardus Clareuallis in Alemanniam de mandato Eugenij Papæ venit crucem prædicando, virtutes multas & magnas fecit, inter quas & mortuum suscitauit. Cùm autem in vrbem Spiram veniret, tantus beato viro venit obuiam concursus, vt Conrardus Imperator deposita chlamide, cùm populus eum comprimeret, in proprias vlnas susciperet, asportans eum de Basilica. Conrardus vero in Frankeboch, cum vxore sua à sancto Bernardo cum cunctis eius pene Principibus, crucis charactere est signatus. Inde beatus Bernardus per Spiram & Coloniam iter faciens, venit secundo Leodium. In qua via multi nobiles per ma- D num illius se Domino mancipauerunt. In Ecclesia vero beati Lamberti idem Sanctus missam solemniter decantauit, postea coram Henrico Episcopo in prato, quod dicitur Episcopi, publice prædicauit, & in palatio in præsentia eiusdem Episcopi, tria miracula fecit. Quo viso Episcopus desiderio compunctus, Abbatiam de Alna fundauit, quæ fuerat Ecclesia Canonicorum. Primus Abbas dictus est Gerardus. *Hactenus Chronicum Gemblacense. Eiusdem historiæ meminerunt Ioãnes Presbiter, Chronicum magnum Belgicum, & omnia nostratia.*

CAPVT

De bello inter Henricum Episcopum, & Henricum Comitem Namurcensem apud Andennam.

CAPVT XLIII.

Dare operam Sanctorum laudibus claræ sedulitatis est.

ATtexere vero oportunum reor qualiter anno quoque ab incarnatione Dominica 1153. virtus Martyris erga suos Leodiēses claruerit, Nam dare operam Sanctorum laudibus claræ sedulitatis est. Nec carebit præmio deuotus laudator, si eius, quem laudat, sedulus fiat imitator.

Inimicitiæ inter Henricum Comitem Namurcensem & Henricum Episcopum.

Inter Henricum Episcopum, Comitemque Namurcensem Henricum graues inimicitiæ à factiosis sunt hominibus conflatæ, ita vt plurimorum infligerent sibi damnorum incommoda, atque direptionibus, concremationibus villarum, Ecclesiarum, nec non hominum vtrinque cædibus desæuirent. B

Comes arripit arma.

Ad postremū decernere bello Comes non est veritus, collectaque equitum, peditumq; manu, Andennam accessit villam penes mosam fluuium sitam, contra quem processit Episcopus, licet equitum minore numero. Leodienses enim Hoyensesq; ciues dum classe præcessissent, metuens Episcopus ne aduersariorum equitatus, illos incursaret, sequi non distulit. Ea præuētus necessitate equestres aggregare copias minus potuerat. C

Episcopus occurrit.

Sed proculdubio Christus Martyrem suum hoc etiam destinârat triumpho glorificare. Calendis siquidem Februarijs cum armatæ in pugnam acies concurrissent, tanto repente pars hostium stupore alligata est, vt se imbellem ipsa stuperet, etiam ipsis quodammodo telis ad feriendum tardioribus.

Miraculosa Episcopi victoria.

Primi ergo & electi eorum equites deiecti & capti sunt, fuga cæteri sibi consuluêre: è quibus nonnulli vel sauciati, vel cōprehensi; pedites aut concidêre ferro, aut funibus constricti abducti sunt, nisi quos pedum saluauit velocitas.

Fuit hic Leodiensis Ecclesiæ gloriosus successus, neque dubitandum accidisse quasi miraculum à Deo. Etenim dum aduersarijs nec virorū copia nec armorū defuerit experientia, adeo vt securi de victoria, funes quoq; deportarent quibus victos secum ligatos reducerent, ne vnus vel Ecclesiasticorum aut vulneratus, aut captus fuit. D

Andenna exusta.

Andana autem miserabiliter exusta est cum appenditijs ipsius, & præbenda destructa, sanctæque moniales satis inhoneste expoliatæ, in templo Prothomartyris Stephani.

Pons lapideus destructus.

Pons quoque lapideus super mosam in perpetuum destructus.

Corpus D. Lamberti dicitur præsens fuisse.

Corpus etiam B. Lamberti portatum illuc dicitur, & in prato quodam sub tentorio collocatum, vbi à Canonicis, qui cum feretro venerāt, nocte dieq; horæ Canonicæ, & missæ deuote decātabantur.

Postmo-

A Postmodum Episcopus de concrematione à suis facta pœnitens, dictam Andanensem Ecclesiam priuilegiauit, ne inposterum suo Episcopo & Archidiacono cathedraticum & obsonium, teneatur persoluere. *Episcopus dolens de exustione Andanensis Ecclesiæ, dat illi priuilegium.*

Igitur victores parcentes victis, maxime quia celebritas instabat sanctæ Dei Genitricis, omissa fugientium insequutione, triumphali cum tripudio, in sua regressi sunt. Sic Moab ille cuius audiuit Ecclesia superbiam, quod superbus sit valde, fractus quidem est armis, sed non fractus animis, quoniam *superbia eius & arrogantia eius, & indignatio eius, plusquam fortitudo eius.* Tu porro humilis gloriose, tu martyr victoriose, cui floribus gratiarum & laudum scripti huius coronam qualemcumque texui, omnia tuis supplicibus aduersantia inuictæ B manu miserationis exclude, vultuque respiciens sereno vide, & visita vineam Leodiensis Ecclesiæ, tuoque irrigatam sanguine, & fœcundatam corpore, sub vmbra alarum tuarum ab impijs atque affligentibus æternaliter protege, Amen. *Henricus Comes fractus armis nō animis.* *Esaiæ 6.* *Actio gratiarū & laudū Deo & martyri Lamberto.*

ANNOTATIONES.

De bello hoc, & gloriosa per S. Martyrem Lambertum victoria sic Lambertus Paruus illius temporis scriptor. Anno 1155. Bellum Andennæ inter Henricum Episcopum, & Henricum Comitem Namurcensem, in quo Comes victus cessit, Episcopus autem victor cum multa prœda cum suis redijt in Purificatione S. Mariæ virginis. *Chronicon Gemblac.* Tunc tēporis, *inquit*, inter Episcopum Leodiensem Henricum, & Henricum C Comitem Namurcensem, tanta guerra fuit, quod ex vtraque parte villis combustis, & hominibus cæsis, apud Andanum congregato exercitu maiore Episcopum inuadit Comes, & ibi cum suis imbellis omnino fugit, è quibus multi ceciderunt, & de suis capti sunt fere quadringenti & triginta milites.

De secunda eius profectione in Italiam, & reliquijs trium Regum illi datis, eiusq́ obitu.

CAPVT XLIIII.

D POst hæc Episcopus Henricus antequam secundam expeditionem Italicam cum Frederico Imperatore aggrederetur, in omnibus negotijs suis pacis semper amator existens, totius Episcopatus ciues, tam in Leodiensi ciuitate, quam in alijs oppidis benigne conuenit, & in vinculo pacis & Iustitiæ eos confæderauit, vt si forte aliquis calumniose in corpore vel rebus damnum alicui inferret, omnis ciuitas in præuaricatorem pacis vnanimiter insurgeret. *Henricus Epūs procurat pacē inter suos.*

Quibus sic constitutis, cum ad hanc secundam expeditionem se contulisset Henricus Episcopus, accidit, vt Victor Papa quartus, in ciuitate Italiæ Luca migraret ad Dominum, & omnium vota in

corpora trium Regum, Fredericus Imperator promiſerat & conceſ-
A ſerat Henrico Leodienſi Epiſcopo, vt ea in Leodium transferret ad decus & ornamentum Ciuitatis ſuæ.

Quod Reliquiæ trium Magorum primo Conſtantinopolim, deinde Mediolanum, & tandem Coloniam venerint.

CAPVT XLV.

B BEata Helena mater Conſtantini Imperatoris cum eſſet cunctis virtutibus ornata, & circa religionem Chriſtianorum deuotiſſima, maxime in colendis reliquijs Sanctorum eius animus feruebat. Diſcurrebat in propria perſona per latitudinem Imperij Romani ad Orientem, & occidentem, & ſuper corpora Martyrum, quos pro Chriſti nomine trucidauerat tyrannorum immanitas, honorabiles extruebat memorias.

Helena Conſtātini mater deuotiſſima erga SS. Martyrum reliquias.

Inter cætera porro deuotionis ſuæ inſignia, trium Magorum corpora, in diuerſis quidem locis ſepulta, in vnum locum congregauit, & ſecum Conſtantinopolim deportauit. Fueruntque in eadem vrbe vſque ad tempora Manuelis Imperatoris in maximo ho-
C nore.

Corpora Magorum Conſtantinopolim defert

Eius tempore Euſtorgius natione Græcus vir eruditiſſimus, nobilis, & religioſus, prædicatione facundus, Dei ſeruitijs omnimodis habilis & deditus, fidei cuſtos & caſtus, Conſtantinopolitanus natione, legatus dicti Manuelis à Conſtantinopoli Mediolanum digreſſus à populo Mediolanenſi Epiſcopus electus fuit.

Euſtorgius Græcus à Manuele Imperatore Mediolanum mittitur.

Mediolanēſes creant ipſum Epiſcopum.

Inde Conſtantinopolim regreſſus, Imperatori gratias egit, dicens: Domine pater & Imperator Manuel, quas poſſum gratias ago quod me vſque nunc honorare dignatus es, & ad ſanctam Ciuitatem Mediolanenſem, tuamque Metropolim legare. Sciat tua Clementia me per omnia fideliter, vt voluiſti explicaſſe, & tributa tua
D tibi in integrum eſſe parata, & ibi, tui gratia, me ipſius Ciuitatis eſſe electum Epiſcopum ad Dei honorem, & tuæ clementiæ decus; me indigno multis lachrymis multiſque precibus rogante vt redirem, tuæque Clementiæ prius notificarem quid pro Deo, & te, de me tibi deuotus fecit populus, his legatis ad te mecum cum gratiarum actione directis. Eſto igitur memor mei, & iube quid facturus ſum.

Euſtorgius refert Imperatori.

Cui inter cætera Imperator reſpondit: eſto vir digne Præſul. Reſpondit autem Euſtorgius: gratias ago Deo & tibi, & rogo chariſſime Domine, iube de Dei & tuis ſacris quæ voluero mecum, ſi Dei Clementia annuerit, ad vrbis Mediolanenſis Eccleſiam ſacris reli-

Eſt gratum. Petit ab Imperatore reliq. ad Mediolan. Eccleſiā deferēd.

 quijs

quijs honorandam transportare, vt populum tibi subiectum remuneres. Respondit: Quæ velis sumito; populum meum saluta, & abhinc eum omni tributo absolue. A

Lætus itaque discessit, arcam marmoream cum corporibus trium Magorum in naui posuit, profectusque cum multis vigilijs Mediolanum, ad Ripam fluminis venit, vbi Dei ope & misericordia arcam reperit, & in vrbem detulit:

Corpora Magorum per mare veniunt Mediolanum.

Per mare Sanctorum prece ducitur arca Magorum.

Collocantur in Eccles. B. Petri

Porro arca ipsa posita fuit in Ecclesia beati Petri Apostolorum principis prope Ciuitatem Mediolanensem, quæ postea in honorem sancti Eustorgij consecrata est, & in eadem iacuerunt cum ijsdem, sancti Felix & Nabor Martyres. Item sancti Eustorgius, Magnus B Eugenius, & Victor.

SS. Felicis & Naboris reliquia.

Ibi est fons celebris & sanctissimus, ab omnibus Christianis reuerendus, in quo baptizantur venientes ad fidem, quos Deus infundendo lumen suum ineffabiliter illuminat.

Fredericus Imperator subiugat Mediolanenses.

Postmodum anno Domini 1164. cum Fredericus Romanorum Imperator Mediolanenses sibi rebelles subiugasset, & esset ciuitas in eius potestate, mortuo in partibus illis, vt supra diximus Henrico Leodiensium Episcopo, cui Imperator trium Magorum corpora contulerat, Raynaldus Coloniensis Archiepiscopus sæpedictos beatos Reges sibi dari petijt, & obtinuit. Sustulit etiam inde duos pretiosissimos Martyres, Felicem, & Naborium, qui in eadem vrbe Mediolanensi passi fuerant pro Christo. Qui nimium exultans, tam C Reges, quam Martyres per honestas personas Coloniam transmisit. Quibus appropinquantibus tota ciuitas obuiam ruit tam clerus, quam populus, vterque sexus, omnis ætas, cum hymnis & canticis, & thesaurum sibi cœlitus missum in Ecclesia sancti Petri deposuerunt.

Raynaldus Coloniensis Archiepisc. impetrat à Frederico Imperatore corpora trium Regum.

Instituit agi festum triũ Regũ

Instituit verò idem Raynaldus in diœcesi Coloniensi agi festum translationis eorundem, legans ad hoc decem marchas singulis annis.

Philippus Archiepiscopus Coloniensis facit capsam miræ pulchritudinis tribus regibus.

Temporibus deinde Domini Philippi Archiepiscopi, qui successit Raynaldo, fabricata est capsa miræ pulchritudinis ex auro & gemmis pretiosis, in qua reposita sunt corpora eorum, inferius quidem D Regum, superius supra dictorum Martyrum.

Corpora Magorum leuata miram reddũt flagrantiam.

2. Cor. 2.

Porro cum corpora eorum leuarentur de locellis suis, tanta fuit flagrantia, vt omnes qui aderant, eius suauitate reficerentur. Singula corpora singulos dederunt odores, differebatque odor ab odore, vt merito dicere possent istud apostolicum: *Christi bonus odor sumus in omni loco.* Adhuc eorum, vt fertur, integra perdurat corpora pellibus suis & neruis cohærentia, eisdem vestibus inuoluti, in quibus cum myrrha & aromatibus fuerant sepulti.

Sed de his ista modo sufficiant, nunc ad historiæ textum calamum reflectamus.

ANNO-

A ANNOTATIONES.

1. Constantinopolim deportauit:] *Adstipulatur VVernerus in fasciculo temporum.*

2. Domine pater & Imperator Manuel:] *Fuit hic Manuel Imperator Orientis 117. Genebrard.*

3. Felix & Nabor Martyres:] *de his ita Martyrologium Vsuardi.* Mediolani Sanctorum Martyrum Naboris & Felicis. *Illorum quoq; facit mentionem præfatio Ambrosiana in lyturgicis, & Paulinus circa finem vitæ Ambrosii.*

4. Et esset ciuitas in eius potestate:] *Appendix ad Schafnaburg.* anno Domini 1162. Mediolanum, *inquit*, destruitur à Frederico Imperatore B & anno 1167. demum reædificatur. *Et Robertus de monte.* Anno, *inquit*, Domini 1160. Fredericus Imperator Alemannorum vrbem Mediolanensem obsedit, Papiæ & Placentiæ turres deiecit, & fere omnem Longobardiam ad libitum sibi subiecit. *Vide inconstantiam in designatione temporis.*

De electione Alexandri Episcopi, eius profectione ad vrbem cum Frederico Imperatore, eiusq; obitu.

C CAPVT XLVI.

HEnrico Episcopo successit Alexander secundus, filius nobilis Domini de Orreo iuxta Treuirim, Præpositus maioris Ecclesiæ, canonice electus in Episcopum Leodiensem 61. qui nihil clarum, nihilque dignũ memoria in diebus suis fecit. Secundo enim anno Episcopatus sui in tertia expeditione, qua ipse Fredericus Imperator Romam Leonianam obsedit & incendit, cum multis primoribus & Magnatibus Imperij graui aëris pestilentia morte repentina ibidem occubuit 5. Idus Augusti anno Domini 1167.

Cum Imperatore proficiscitur in Italiam.

Moritur peste morte repentina.

Corpus eius Leodium relatum, & in maiori Ecclesia sepultum est.

D Præfuit Leodiensi Ecclesiæ circiter tribus annis.

Quibus diebus ignis erumpens à vicina domo partem Ecclesiæ S. Ægidij in publico monte combussit, reliqua parte intacta permanente.

Pars Ecclesiæ S. Aegidij igne absumitur.

ANNOTATIONES.

1. Nihilque dignum memoria:] *Aliquid de eo habet magnum Chronicum Belgicum his verbis.* Præsulatus huius Alexandri anno secundo scilicet anno Domini 1160. de voluntate & mandato Alexandri Papæ & omnium Cardinalium, quarto Calendas Ianuarij, præsente Frederico Imperatore & multis prælatis Aquisgrani

A Obijt, *inquit*, Alexander Episcopus Leodiensis anno 1167. in exercitu Imperatoris Frederici In Italia contra Romanos, succedit Radulphus.

De electione Radulphi Episcopi & eius auaritia.

CAPVT XLVII.

POst Alexandrum Radulphus vir secundum sæculi dignitatem non infimus, Frater scilicet Bertholdi Turingiæ Ducis, ac Con-
B rardi & Alberti, adiuuantibus auunculo suo Henrico Comite Namurcensi, & alijs cognatis suis viris nobilibus, electus est Episcopus sexagesimus secundus, vir vtique acri ingenio & sæculari prudentia, qui valde laude dignus extitisset, si quod acceperat gratis, dedisset gratis. Is Moguntiæ post Henricum & Arnulphum erat Archiepiscopus, sed quia stimulante auaritia confregerat Benonem, hoc est quandam statuam auream in ciuitate Moguntina, quam Iudæi suo ære iussu Imperatoris erexerant, eoquod pincernam eius nomine Benonem occidissent, aurum verò omne expēderat, & cognatis suis diuiserat, idcirco ab Archiepiscopatu cedere debuit.

C ANNOTATIONES.

Quæ Aegidius auctor noster hic habet de Radulphi auaritia hausit ex primo libro cap 3. cuiusdam Anonimi scriptoris huius temporis viri eruditißimi, qui tribus libris describens vitam S. Odilæ & B. Ioannis Abbatuli filij eius, multa recenset gesta sub aliquot Episcopis ab Alberone secundo vsque ad Hugonem de petra ponte, sub quibus floruit. In Alberone illius mentionem non feci, quod Albero iam sub prælo erat, quando libri ad manus venerunt. Duos priores libros suppeditauit Bibliotheca Martiniana Louaniensis. Tertium vsui dedit Venerabilis D. Daniel Raymundi S. Materni in Ecclesia Leodiensi Canonicus. Horum ergo deinceps in annotationibus nostris mentionem faciemus, quod libenter lectoribus fontes ostendam, vnde auctores nostri sua hause-
D *runt. Quod omißum est in Alberone hic suppleo. Totum 40. cap. de Abusibus Cleri & populi desumpsit Aegidius ex libro primo huius anonimi cap. 1. & 2.*

De bello eius Contra Comitem Lossensem.

CAPVT XLVIII.

HVius diebus Gerardus Comes de Loz cū armata militū manu, oppidū Tungrense ingressus, domum Episcopi, quæ proxima erat Ecclesiæ, cum ipsa Ecclesia incendit, hominesque prædatus est.

Quo dolore stimulatus Episcopus, cum exercitu peditum militũque terram eius ingressus, villas & oppida ferro & flamma penè deleuit. A

Factum est hoc anno Domini 1170. Kalendis Augusti, quo combusta sunt castra de Loz, Chamont, & Bilisia.

ANNOTATIONES.

1. Huius diebus Comes de Loz:] *Adstipulatur magnum Chronicum Belgicum.*

2. *Inter alia quæ Radulphus Episcopus gessit pro bono Ecclesiæ Leodiensis hoc videtur eminere, quod trecentas marcas Godefrido Duci Lotharingiæ numerauit pro acquisitione Herstallij quod beneficium pro remedio animæ suæ reliquit Ecclesiæ sanctæ Mariæ, Sanctiq; Lamberti anno Domini 1171. vt patet per diploma Frederici Imperatoris ex libris chartarum Ecclesiæ. Leodiensis depromptum quod hic subsequitur.* B


IN *nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.*

Fredericus, diuina fauente clementia Romanorũ Imperator Augustus. Quæcumque instituta vel conuentiones inter diuersas personas solemniter contrahuntur, dignum reputamus vt scripto diligenter annotẽtur, ne per successiones temporum transeant in obliuionem mentium, & à memoria hominum deleantur. Notum igitur facimus tam futurorum quàm præsentium industriæ, quod Godefridus Dux Lotharingiæ, beneficium Ducatus sui quod situm est in villa Harstalij, dilecto nostro Radulpho Leodiẽsi Episcopo, Aquisgrani in præsentia Principum & totius Curiæ per manum nostram pro trecentis marchis oppignorauit, & idem Episcopus nullo reclamante, illud in potestatem suam cõtraxit & quietè possedit: postmodum verò placuit eidem Episcopo, vt iam dictum vadium pro remedio animæ suæ Ecclesiæ sanctæ Mariæ, sanctique Lamberti in Leodio conferret, & ad stipendia fratrum Deo in Ecclesia eadem militantium destinaret. Vt autem ampliorem roboris perfectionem traditio ista Imperialis nominis auctoritate contraheret, memoratus Episcopus oppignoratum sibi beneficium in celebri totius Curiæ præsentia in manum nostram reportauit, nosque illud petitione & assensu eius de manu propria in manum Henrici eiusdem Ecclesiæ Præpositi, & Ægidij Comitis de Durachio, qui traditionis huius aduocatus & mundiburdus institutus est, Ottonis de Malbere, Alexandri de Nouiomago ad vsus stipendiarios præbendæ fratrum, vt iam dictum est, liberè & absolutè tradimus. Si verò prænominatus Dux idem vadium datis trecentis marchis redemerit, pecunia illa in custodia Leodiensis Ecclesiæ tamdiu teneatur, donec allodium ex cõsilio Episcopi & fratrum inde comparetur, vnde stipendia fratribus persoluãtur, & anniuersarius dies ipsius Episcopi annua-

(margin letters: C beside "tur facimus…"; D beside "tius Curiæ…")

A annuatim in Ecclesia peragatur. Statuimus itaque & Imperiali auctoritate firmiter & districte præcipimus, vt nulla persona magna seu parua, sæcularis vel Ecclesiastica huius institutionis fratrum aliquatenus improbare, aut irritum reuocare præsumat. Quod qui fecerit, quinquaginta libras auri puri pro pœna persoluat, dimidium Cameræ nostræ, & reliquum prædictæ Ecclesiæ. Vt autem hæc omnia inuiolabiliter obseruentur, & rata permaneant, præsentem inde paginam conscribi, & sigilli nostri impressione iussimus communiri. Huius rei testes sunt, Christianus Moguntinus Archiepiscopus, Arnoldus Treuirensis Archiepiscopus, Godefridus Traiectensis Episcopus, Theodericus Comes de Cleue, Adelbertus Comes de Molbach, Henricus de Cuke, Conrardus de Bockesberg, Robertus
B de Durne, Wernerus de Boulant, Henricus Leodiensis Ecclesiæ maior Præpositus, Simon Decanus, Amalricus, Balduinus, Rodulphus, Archidiaconi: Robertus cantor, Ægidius Comes de Durachio, Otto de Malberg, Alexander de Numage Eustachius frater aduocati Hasbaniæ, Turricus de Prato, Fastradus de Dūmertin, Thomas de Helmericurt, Godinus de Hosemont, Bodo frater eius, & alij quāplures.

C *Sigillū Domini Frederici Romanorum Regis inuictissimi.*



Ego Henricus Cancellarius vice Christiani Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarij recognoui. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo septuagesimo primo, indictione quarta, regnante Domino Frederico Romanorum Imperatore gloriosissimo, anno regni eius 20. Imperij verò 18. Datum Leo-
D dij 3. Kalend. Octobris fœliciter. *Amen.*

3. Circa hæc tempora *inquiunt Gesta Abbatum S. Laurentij* visus est sanctus Laurētius omnia sui Monasterij, quod in suburbio Leodiēsi existit, & claustri loca deambulasse, & cum lucerna scrutatus fuisse, & quosdā non vt filios lucis ambulare dedignatus, eos lōgius virga eliminasse. Itemque conspecta est imago Crucifixi quasi viuens in cruce amaras fudisse lachrymas. Beatusque martyr Laurentius cuidam monacho illius prouoluto pedibus in visione respondit. O frater venio iterum assari.

Quæ visiones magnum quod futurum erat præsignauere malum. Nam anno Domini millesimo centesimo octuagesimo secundo, vndecimo Calend. Aprilis, in crastino palmarum, cum conuentus in ciuitatem ad exequias cuiusdam Canonici processurus maturius officium horarum explesset, matutinali iam missa finita, subito cum maximo nubium fragore & horribili sonitu fulmen cecidit ad sinistrum latus nostræ turris, & per maius ostium Monasterij valuas feriendo ingressum vltro citroque volitans ac discurrēs confudit omnia vapore, fumo, & fœtore, nullū tamen penitus læsit, quamuis intus plurimi essent. Et nunc quidem super cortinas, quæ sicut mos est in quadragesima in medio Ecclesiæ ante crucifixum & ante cancellum pendebant, se leuando, nunc infra se deponendo ad maius altare peruenit, palliumque, quo ipsum altare opertum erat, scidit, non vssit, sigillum verò marmoreum in septem partes dissoluit; sed sudarium quo prædictum tegebatur sigillum ab vstione, vel scissura inuentum est illæsum. Pyxidem quoque argenteam in qua Corpus Dominicum habebatur super altare proiectam fratres inuenerunt illæsam, modicum tamen foramen præter solitum habentem, & instar atramenti fuliginatam quam operientes tres oblatas intus integras, sed paululum obfuscatas repererunt. Cathenulam verò ferream, de qua ex more pendebat, vis caloris absumpserat, vt vix, aliquāti exinde annuli repperiri possent. Reliqua verò omnia permanserunt intacta. Denique fulmen ipsum eo quo intrauerat modo reuersum, atque circa crucifixum & cortinam ei appositam volitans, per maius item ostium Monasterij supra caput mulierculæ cuiusdam astantis & sanctum Laurentium inuocantis innocue egressum est.

Dominus verò Abbas Euerlinus & fratres non parua turbatione contriti, & hæc suis peccatis imputantes multis satisfactionis & pœnitentiæ modis diuinam maiestatem placare studuerunt.

Et quoniam Ecclesia hæc S. Laurentij tertio nonas Nouembris à sanctis dedicata est Episcopis videlicet Peligrino Coloniensi Archiepiscopo, Ioanne Portuensi Episcopo, Apostolicæ sedis Legato, & Domino Reginardo Leodiensi venerabili Episcopo præcipuo fundatore nostro, visum est Abbati & fratribus, quatenus pro tantorum reuerentia patrum, denuo ipsa eadem die reconsecraretur, & altare portabile ex Episcopali licentia maiori altari superponeretur.

Interim Dominus Abbas Euerlinus velut Martha satagens circa frequens ministerium, nouum altare ædificauit, & gradus, quibus ad illud ascenditur ipsum eleuando ordinauit: prius enim duobus tantummodo gradibus ascendebatur. Tumbam Domini reginardi sicut nunc cernitur renouauit, & ei nouum epitaphium aureis litteris inscribi fecit. Chorumquoque & sacristiam voltis lapideis, nec non vtrumque latus chori asseribus celari fecit. Redeunte igitur die dedicationis, dedicatum est nouum altare à Domino Rodulpho Leodiensi

A Leodiensi Episcopo cum magno cleri & populi tripudio.

De quibusdam, quae eius tempore contigerunt, & primum de passione S. Thomae Cantuariensis Episcopi.

CAPVT II.

IN diebus huius Radulphi cum Cantuariensis Archiepiscopus, Thomas sanctissimus, contendenti aduersum se Domino suo Rege Anglorum Henrico secundo, vt auitas Regum consuetudines B obseruaret, & ipse contra eius statuta libere contradicendo resisteret ob tutelam Ecclesiasticae libertatis; Rex in eum ira saeuit Regia.

Hoc tempore Thomas Archiepiscopus in Anglia pro defensione libertatis Ecclesiasticae occiditur

Vnde & quatuor satellites, imò, vt verius dicam, aulici canes suo regi placere cupientes, si virum tantae sanctitatis & probitatis de medio auferrent, necem ipsius pariter coniurauerunt. Quare eum ad sedem suam regredientem pedetentim insequuti, in basilica sedis suae ante altare sancti Benedicti crucem manibus tenentem, gladijs impijs & sacrilegis impetierunt, qui animam sanctissimam in manus Sanctorum angelorum confestim reddidit. Hunc omnipotens Deus quia fideliter vixit in mandatis Domini, & pro honore Dei & C libertate Sanctae Ecclesiae viriliter decertauit, magnifice postmodũ in conspectu Regum exaltauit, & per omnes totius orbis nationes mirifice innumeris illustratum miraculis, non solum in caelo, sed etiam in terris decorauit.

ANNOTATIONES.

In diebus huius Radulphi cum Cantuariensis:] *De tempore Martyrij S. Thom. Cantuariensis & elogijs eiusdem Martyris, sic Baronius*, Sequitur, *inquit*, annus salutis 1171. indictione 4. qua peruulgata dira nece sanctissimi Martyris Thomae Archiepiscopi Cantuariensis vniuersus plane concussus est orbis, piorumque omnium auditi sunt gemitus, D literaeque imprimis frequentes eaedemque lugubres datae ad Alexandrum Pontificem à diuersis, atque id generis, vt quod fuerint ipsae, tot dixeris esse gloriosa elogoia, & pr̨eclara Epitaphia sepulturae Martyris praestantissimi. *Quas vide si placet apud eundem Baronium.*

A

De iudicio quod fecit Alexander Papa de merito vitæ & mortis Thomæ Cantuariensis.

CAPVT L.

ANno igitur Domini 1171. vt primum Alexander Papa audiuit Thomam hoc genere martyrij vitam terminasse, perpendens tum vitæ tum mortis meritum, pro eo missam celebrans, non *Requiem æternam dona eis Domine*, & cætera pro defunctis, sed *Lætabitur iustus in Domino & sperabit in eo*, pro vno Martyre cecinit, & Deo inspirante decreuit, vt esset in Ecclesia memoria eius celebris cum martyribus sanctis, & dies fælicis Martyrij eius, qui est quintus dies natalis Domini, solemnis celebraretur in Ecclesia Dei. B

Psalm. 63. Alexãd. Papa Refert eum in Sanctorũ martyrum numerũ

Vt autem postmodum didicit famam certam celebremque virtutum, miraculorũque eius, gaudio magno gauisus fuit, & Deo gratias egit, qui sua misericordia & gratia euidentibus approbasset miraculis iudicium, quod ipse *fidelis dispensator & prudens* bene confidens de gratia Domini sui fecerat de ipso Martyre.

Luc. 12:

Et quia de eodem Martyre historia plena virtutibus & miraculis ad ædificationem multorum descripta habetur, ad ea quæ circa Leodiensem Ecclesiam contigerunt illis diebus calamum reflectamus. C

ANNOTATIONES.

Descripta habetur:] *Historiam scripserunt contẽporanei eius & familiares Herbertus de Hoschã eius indiuiduus comes, postmodũ Cardinalis & Archiepiscopus Beneuentanus, Ioannes Salisberiensis Episcopus Carnoti, Guilhelmus Cantuariensis, Alanus Abbas Tentresbiriæ, & Benedictus Abbas S. Petri de Burgo. E quibus omnibus extat concatenata eius vita, cum processu super Ecclesiastica libertate, Parisiis impressa anno 1495.*

D.

De eleuatione corporis sancti Domitiani Episcopi, & miraculis eius.

CAPVT LI.

Canonici Hoyenses rogãt Radulphũ Epũm vt B. Domitiani ossa reponat in locello argenteo.

ANno 1173. Hoyenses canonici sanctæ Mariæ adeuntes faciem Pontificis sui Radulphi supplicauerunt, vt beatum Domitianum in locello argenteo, qui ei iam diu fabricatus extiterat, collocaret, quia valde eis inhonestum videbatur, cum apud Deum esset meritis excelsus, apud homines loco tam humili teneretur. An-

nuit.

A nuit Episcopus & 17. Calend. Iulij se hoc facturum promisit.

Omnibus itaque ritè ordinatis, memorato die Episcopus ad Ecclesiam venit, orationem faciens, loculum aperuit & sanctam margaritam, quæ intus latebat, omnibus palam videre permisit; moxq; eam in locello argenteo recondidit honorificè. *B. Domitiani ossa ab omnibus permissum est videri.*

Quibus expletis, Sacerdotes albis induti, proprijs humeris sanctissimum corpus à terra leuauerũt, & extra Ecclesiam detulerunt, Clericis psallentibus atque subsequentibus, cum ciuibus & fœminis, cereos ardentes in manibus perferentibus: Nam omnibus erat vna deuotio, par erat exultatio, in proximoque eorum visitatio. *Publice deportantur cũ magna deuotione.*

Relato ad Ecclesiam sanctissimo corpore, Episcopus missam celebrauit, & statim adhuc inter ipsa sancta mysteria non defuit interB cessio Domitiani: Nam mulier quædam vnicam habens filiam, quæ nouem mensibus decursis, nunquam lumen cæli viderat, ante corpus beati Pontificis assistebat, atque in hunc modum eum interpellabat. O Domitiane confessor Domini pretiose natæ meæ lumen restitue, eam tuo famulatui accõmodabo omnibus diebus vitæ suæ. Scio vere, & certissime scio, quia quæcumque petieris à Domino impetrabis. Quid amplius? Mulier Domitianum interpellauit, & Domitianus suis precibus puellæ lumen restituit, Stupentibus qui aderant, præibat exultans, viam carpens, & viæ ducem vlterius non requirens. Cõcito cursu, Sacerdotes, qui aderant, Episcopo puellam adduxerunt, & quia *Deus visitauit plebem suam* per merita beati Domi-C tiani intimauerunt. Qui Deo gratias reddidit, & vt *Te Deum* ab omnibus cantaretur præcepit. *Miracula.* *Radulphus Episcopus intellecto miraculo præcipit cantari Te Deum.* *Luc. 7.*

Quo facto rursus adfuit visitatio sancti: Nam mulier quædam, iam annos sex à paralysi tenta fuerat, sub loculo residens à custodibus flores poposcit & accepit pedes suos eis tetigit, & mox huc atque illuc deambulauit. *B. Domitianus sanat mulierẽ paralyticam.*

Alia quoque mulier infirma quæ per annos plurimos, manum dexteram erigere non poterat, ad sanctum accessit feretrum cum lachrymis, & mox supra loculum dexteram tetendit, & ab ægritudine qua laborabat, liberata fuit. *Et aliam mulierem sanat.*

Dum hæc & his similia agerentur, fama, qua nihil velocius, per D singulos discurrens, memorati Confessoris miracula longe lateque diuulgauit.

Coronabatur tota Ciuitas, & ad tam mirabile spectaculum omnis sexus & ætas, & omnes infirmi varijs doloribus detenti tam in grabatis quam in vehiculis allati sunt.

Inter quos mulier altera, quæ à paralysi curuata erat per annos nouem, quia per se non poterat, ab alijs allata est. Mira res: Nam mox atque loculum beati Domitiani tetigit, erecta est, & sibi restituta. *Sanat & aliã paralyticam.*

Cum huius rei & supradictorum fama percrebesceret, quidã Engebertus nomine, cœpit miraculis derogare & adeuntibus Ecclesiã insul- *Engelbertus diuinitus punitur.*

Profitetur se deliquisse, absoluitur à vexatione, & fit Prædicator castitatis contra cæteros fornicarios.

insultare, sed mox diuinitus mirum in modum correptus, cœpit æstuare, & destitutus corporis membris & viribus in terra volutari. A
Tandem se deliquisse profitens, & à Sacerdote absolutionem postulans, os suum & pectus percutiens, à vexatione absolutus est.

ANNOTATIONES.

De hac eleuatione corporis S. Domitiani sic Ioannes Præsbiter, anno Domini 1173. 17. Calend. Iulij precibus Canonicorum Hoyensium corpus B. Domitiani Episcopi & confessoris honorabiliter à D. Radulpho Leodiensi Episcopo præsentibus quamplurimis personis religiosis transfertur, & in loculo argenteo deaurato decenter locatur. Tunc meritis sancti facta sunt ibi multa miracula. Translatio autem corporis Beati Mengoldi Martyris Comitis Hoyensis, inde annis quibusdam reuolutis, eadem die facta est, & corpore eius posito ab eodem Episcopo in locello argenteo, ab Ecclesia eiusdem S. Mengoldi ad Ecclesiam B. Mariæ Virginis, cum maximo honore transfertur. B
Horum meminit & Magnum Chronicon Belgicum.

De Lamberto venerabili præsbitero, eius contra concubinarios, & Symoniacos prædicatione, incarceratione, & obitu. C

CAPVT LII.

Radulphus Episcopus auarus & Symoniacus.

IIsdem diebus Dominus Radulphus, auaritiæ facibus succensus aliquot Prædecessorum suorum errorem detestandum non solum verbo approbauit, sed etiam opere adimpleuit. Fecit enim non mirabilia, sed miserabilia in vita sua: Spirituale namque in temporale commutans, de incorporali fecit corporale, quod esse alienum à rerum natura, non dubium est.

Iubet publice in foro rerũ venaliũ per quendam Vdelinum vẽdi præbẽdas Dan. 13.

Præbendas namque in foro rerum venalium, per manum cuiusdam Carnificis, qui appellabatur Vdelinus senex quidam & inueteratus dierum malorum vendi faciebat; ad ipsum igitur omnes confluebant, qui præbendas emere volebant, nam in eum omnis potestas trãslata fuerat mercimonij tam sacrilegi. D

Symonia non æstimatur peccatum.

Lambertus le Beguez.

Beguinæ vnde dictæ.

Itaque cum huiusmodi erroribus iam irretita teneretur Legia, & eisdem contaminata esset, suscitauit Deus spiritum sancti cuiusdam Sacerdotis viri religiosi, qui Lambertus le begues, quia balbus erat, de S. Christophoro dicebatur, à cuius cognomine mulieres & puellæ quæ caste viuere proponunt, *beguines* gallicè cognominantur, quia ipse primus extitit, qui eis præmium castitatis verbo & exemplo prædicauit:

Homo

A Homo iste iustus & timoratus quamuis literarum studijs parum instructus esset, Christi tamen gratia ad prædicandum Dei verbum in ipso non deerat. Intrepidus itaque & feruore fidei armatus cœpit contra Ecclesiasticorũ deprauatos mores prædicare, erroresque eorum palam refutare.

Nec mora, tota Ciuitas commota est, curruntque certatim omnes ad insoliti sermonis prædicationem; quorum plurimi relictis erroribus, quibus per Prælatorum suorum incuriam & negligentiam tenebantur impliciti, se peccasse fatentes, ad Deum conuersi sunt.

Lambertus pro concione reprehendit Sacerdotum & aliorũ Ecclesiasticorũ incõtinentiam.

Videntes autem Ecclesiarum Prælati, prædicationis huius opinionem inualescere, suos quoque ritus irritari & deperire, indignati B sunt, dicentes: Quis est iste vir rusticus, qui auctoritatem officiumque prædicationis sibimet vsurpare indoctus præsumit? Et fremebant in eum non attendentes quia *spiritus vbi vult spirat. Sunt namque nonnulli qui ita per magisterium spiritus intrinsecus docentur, vt si eis exterius humani Magisterij Disciplina desit, Magistri intimi censura non desit. Sed hæc ab infirmis potius veneranda sunt quam imitanda, ne dum se quisque similiter spiritu sancto impletum præsumit, discipulus hominis esse despiciat, & Magister erroris fiat.*

Prælati indignati fuerunt in eum.

Ioan. 3.

Communicato itaque consilio, Clerici prænominatum Episcopũ Radulphum adeunt, qui missis clientibus iussit eum comprehendi. Igitur cum hi qui missi fuerant, eum per Ecclesiam S. Mariæ sanctique Lamberti comprehensum ducerent, Sacerdotes quidam & Clerici Dei timore & reuerentia postpositis, in ipsa Ecclesia in ipsum irruẽtes, suis eũ stilis & vnguibus pũgebant. Ipse verò erectis oculis, respexit ad altare S. Mariæ & productis ab imo corde suspirijs, ingemuit, & dixit: Heu, heu, ecce dies veniunt cum subtus te terram effodient porci, & quæ in honorem Sanctorum ara dedicata es, hara porcorum efficieris. Quæ postea sic accidisse vt prædixerat, non dubium est.

C

Radulphus Episcopus iubet Lambertũ detrudi in carcerem.

Lambertus prædicit euersionẽ Templi S. Lamberti.

Volens itaque prædictus Radulphus Episcopus de viro Dei memorato Lamberto Clericorum votis satisfacere, iussit eum deduci D & in Castro de Riuogne incarcerari: Quod ita factum est, ibique cum aliquamdiu captus detineretur, actus apostolorum de latino in gallicum transtulit, cui etiam scribenti Paulus Apostolus, quem ipse intimo cordis affectu diligebat, & dudum ei in Ecclesia sua Leodij seruierat, apparuisse dicitur, & quiddam, quod ei ad scribendum necessarium erat, administrasse.

Trãsfert actus Apostolorum de latino in gallicum.

S. Paulus illi apparet & ministrat necessaria.

Post hæc autem suadentibus prælatis & clericis consensum præbuit Episcopus, vt ad Romanam Ecclesiam mitteretur, & quænam esset sua dementia Ecclesiasticæ seueritatis rigore compulsus recognoscere cogeretur.

Summus itaque Pontifex pium eius desiderium intuens veraciter intellexit, quod per inuidiam hoc ei factum fuisset, & misericordia

motus,

motus, indulta facultate prædicandi, remisit ad propria.

A Qui dum regrederetur, viam vniuersæ carnis ingressus est, fœliciterque migrauit ad Dominum.

ANNOTATIONES.

1. Suscitauit Deus spiritum sancti cuiusdam Sacerdotis:] *Historiam huius sacerdotis hausit auctor ex vita Odiliæ, & Ioannis abbatuli libro primo capite quarto.*

Eandem referunt Gesta Abbatum sancti Laurentij, Cornelius Zanfliet, Chronicon Gemblacense, Magnum Chronicon Belgicum, & omnia nostratia.

2. Qui dum regrederetur viam vniuersæ carnis ingressus est:] *Rediisse Leodium & Ecclesiam S. Christophori construxisse, in eaque sepultum esse asserit Magnum Chronicon Belgicum, sic enim habet*: Papa vero intentionem eius B piá videns, *loquitur de Lāberto le begues*, & in carcerem coniectū esse per inuidiam, eum in pace dimisit data licentia prædicandi, qui reuersus Ecclesiam S. Christophori construxit, vbi & sepulturam accepit anno Radulphi sexto, septimo Calendas Iulij, anno scilicet salutis 1177.

De concrematione Ecclesiæ sancti Lamberti iuxta Lamberti venerabilis præsbiteri prophetiam.

CAPVT LIII. C

Concrematur Ecclesia sancti Lamberti.

POstmodum anno ab incarnatione Domini 1183. Ecclesia S. Mariæ sanctique Lamberti, iuxta verbum viri sancti, concremata est 4. Calendas Maij die quo sancti Lamberti celebratur translatio.

Ad primam enim subsequutæ noctis vigiliam ignis prorumpēs à domo cuiusdam, circumpositas domos, deinde claustrum, claustralesque officinas repente corripuit & absumpsit, fluxis à passione beati Lamberti annis quingentis quindecim minus, à præsulatu vero D. Notgeri qui eam construxit ducentis & quindecim iuxta hos versus.

D
Annis transactis à Christo mille ducentis
Subtractis terquinque ruit locus iste per ignem,
Festo vitalis, Domini fuit vltio talis.

Templū plumbo tectum, duæ turres, Palatiū Ecclesia vndecim miliū virginum.

Nimiumque dæmoniaca exagitatione inualescentes flammæ, tuo sancte Lamberte monasterio incubuêre, & tecta quamuis conuestita plumbo diligentissimè, ambasque turres, nec non palatium vetus, cum Ecclesia sanctarum virginum, nonnullasque circum mansiones ingenti conflagratione & ruina deiecêre.

Heu quis non dolere, heu quis à lachrymis & gemitu abstinere potuit

A tuit super tua euersione, ô domus excellentis fabricaturæ, ô nobilis atque illustris Ecclesia, Clero, institutionibus multis insignibus gloriosa. Ecce diuino qualiter percussa es iudicio. Ecce sonoritatis atque dulcedinis vnicæ in terram campanæ descendentes confractæ sunt. Marmora pauimenti spectabilia collapsarum mole trabium minutatim protrita nullis iam esse vsibus apta æstimantur. Augustę operositatis corona, quæ pēdebat in medio monasterio, dum tumultuarie & raptim deponitur imo deijcitur, plurimū dissipata est. Lectricium auro & gemmis pretiosis insigniter fabrefactum exportatum est quidem, sed de ipsis gemmis perditæ sunt præstantiores. Denique quid memorem altare S. Trinitatis, aliaque Sanctorum altaria fuisse incendio demolita & violata? Adeo tunc inualuit Sathan, adeo tunc inuectus est in sanctuarium Dei ille nebulo gehennalis, ille osor sanctitatis.

Campanæ confracta.

Marmora pauimēti cōminuta

Corona Ecclesiæ dissipata.

Altaria violata.

B

Principale tantum altare quod erat sanctæ Dei genitricis, mansit intemeratum. Nec enim temerare potuit flamma, quod tanta voluit conseruare patrona.

Nonne & ipsa suam mirabiliter conseruauit Ecclesiam parochialem? Instar Chaldaicæ fornacis, in qua olim tres pueros coniecerat tyrannus, horrenda vndique exundabant incendia, & illa tamen Ecclesia quasi refugientibus & torpentibus flammis intacta perstitit & illæsa.

Altare Beatæ Mariæ virginis, sicut & vicina Ecclesia manet illæsa. Daniel. c. 51.

At tua beate Petre domus, tua ô Apostole decentis structuræ Basilica, primo à beato Huberto fundata, & post à venerabili Richardo Episcopo ampliata & dedicata eodem incendio cum Ecclesia parochiali Sanctorum Clementis Papæ, & Trudonis confessoris combusta est.

C

Ecclesia sancti Petri & SS. Clementis & Trudonis exusta.

Claustrum quoque cum officinis claustralibus ignis vorax consumpsit. Proch dolor! propter peccata inhabitantium sic interdum sanctæ disperduntur habitacula; propter indisciplinatorum offensas, sic interdum diuina destituuntur sanctuaria.

Postquam igitur sæpedicta Ecclesia in honore S. Mariæ sanctique Lamberti consecrata, totaque illa elegans pulchritudo picturę veteris & noui testamenti, cum alijs Ecclesiasticis historijs & Gestis diuersorum Pontificum incendio concremata esset, post paucos dies consensu Episcopi & Canonicorū altare beatæ Mariæ virginis quod illęsum permanserat vt noua inchoaretur Ecclesia, confractum est. Et vt prophetia viri Dei impleretur, in loco vbi præfatum altare situm erat, visi sunt plerumque & porci habitare, ipsumque locum circumquaque polluentes fœtentem & immundum reddere.

D

Historiæ & gesta diuersorum Pontificum igne concremata.

ANNOTATIONES.

1. Anno ab incarnatione Dñi 1183:] *Concremationem factam hoc anno 1183. habet textus Aureæ vallis, idem asserūt auctor vitæ sanctæ Odiliæ illius temporis*

R *scriptor*

scriptor lib.1. c.4. & Chronica plura Zãtfliet, Tungrense, Carmelitanum, & alia: Quanquam non desunt etiam antiqua Chronica qui scribant accidisse anno 1185. vt Lambertus Paruus, Ioãnes Presbiter, Chronicon Gemblacense, sed ad rem parum refert. De hac sic loquitur Lambertus Paruus: Anno 1185. Leodiensis Ecclesia maior S. Lamberti & Ecclesia sancti Petri Apostoli comburuntur sine detrimento Ecclesiæ sanctæ Mariæ Virginis, quę posita est secus Ecclesiam beati Lamberti. Corpus sancti Lamberti translatum est ad Ecclesiam S. Bartholomęi Apostoli in suburbio Leodiensi. *Quibus consonat Cornelius Zantfliet*: Anno, *inquit*, 1183. Ecclesia B. Lamberti in Leodio cum claustro & officinis omnibus claustralibus penitus concremata est, cum turribus duabus. Similiter & palatium Episcopale cum Ecclesia vndecim milium virginum 4. calend. Maij, qua celebratur translatio sancti Lamberti. Principale tamen altare, quod erat sanctæ Dei genitricis mansit intemeratum, similiter & alia Ecclesia eiusdem, quæ dicitur ad fontes, immunis permãsit. Verum Ecclesię SS. Clementis & Trudonis igne consumptæ sunt iuxta prophetiam sancti viri Dei Lamberti de S. Christophoro. A B

Auctor vitæ S. Odiliæ concremationem hanc refert totidem verbis quibus Aegidius Aureæ vallis, vt priorum sit videre illum ex eo qua hic refert hausisse.

2. *Quo tempore primum cœperit Ecclesia S. Mariæ sanctiq; Lamberti, quoties ad hac vsq; nostra tempora mutata & aucta fuerit, & à quibus. sic ex nostris historijs autenticis colligo: Monulphus circa annum Domini 580. iuxta suam visionem, de qua apud Harigerum, cap. 33. in loco vbi nunc est Ecclesia S. Lamberti ædificauit Ecclesiolam in honorem SS. Cosmæ & Damiani. Anno Domini 698. S. Lambertus in hac Ecclesiola martyrium passus est. Sanctus Hubertus immediatus S. Lamberti in Episcopatu, permotus gloria miraculorum, quæ in dicta Ecclesiola fiebant, cœpit ex ignoto vico Legia dicto. & Ecclesiola sæpe dicta nouam Ciuitatem, & nouam Ecclesiam ampliorem ædificare, & dedicare in honorem sanctæ Mariæ & S. Lamberti circa annum sui Pontificatus 13. & in illam iussu diuino, transferre è Traiecto corpus S. Lamberti, vt scribunt, ipse sancti Huberti familiaris in vita Sancti Huberti, quæ est apud Surium, & Sigebertus ad annum Domini 710. Notgerus Episcopus Leodiensis anno Domini 1007. prædictam Ecclesiam demolitus est & iactis nouis fundamentis ampliorem ædificauit & perfecit ut videre est apud Anselmum cap. 51. Anno Domini 1183. Tempore Radulphi Episcopi hac Ecclesia concremata fuit, vt hoc loco videre est. Postremo non ita multo post cœpit illa, quam modo videmus reliquis, multo amplior ædificari, sed cum opus esset multorum annorum circa annum 67. à concrematione demum perfecta fuit.* C D

3. Codex Aureæ vallis habet hoc loco & has annotationes sequẽtes. Eodem anno ecclypsis solis in parte contigit Calend. Maij circa horam nonam, & Haynacum ab Archiepiscopo Coloniensi Philippo, paruo quidem corpore, sed animo magno, Comite Flandrensi, Duce Brabantiæ incendio vastatum est.

4. Guerra quoque inter Comitem Namurcensem Henricum, & Ducem Louaniensem Henricum orta, pro qua Gemblacum à Comite Namurcensi incensum primum, deinde captum penitus & destructum.

A struƈtũ, multi cum innumerabili pecunia capti, terra dicti Comitis à Domino Papa Lutio diu in banno posita.

5. Anno Domini 1187. Henricus de Castris Virdunensis Episcopus, resignato Episcopatu, excepto quod auctoritate apostolica Episcopalia sacramẽta, ordinationes, & benedictiones scilicet retineret, Leodium venit, ibique post aliquot annos in bona senectute vitam finiuit, sepultusque est ante altare sancti Stephani in Ecclesia sancti Lamberti, vbi prius Canonicus fuerat.

De concrematione ædium claustralium statim subsequuta.

B

CAPVT LIIII.

SVb idem tempus, domus quædam claustrales ipsius Ecclesiæ, ex decreto cuiusdam Imperatoris, qui tunc temporis, casu accidẽte, Leodium venerat, dirutæ sunt.

Quædã domus claustrales iussu Imperatoris iusto Dei iudicio diruuntur.

Nemo tamen sanæ mentis ambigat districto Dei iudicio hoc actũ fuisse, præbendarij namque in eis commorantes commessationibus & ebrietatibus insistebant neque diebus neque noctibus à voluptatibus & carnis illecebris vacabant.

Ea vero quæ propinquius ipsi Ecclesiæ adhærere videbatur, à Deo C destructa est, vt non solum ex ea paries integer non remaneret, verum etiam nec lapis super lapidem staret, quod miro omnipotentis Dei iudicio actum credemus si rem gestam attendamus. Ipsa namque scortum facta publicum, cunctis libidinum peruersitatibus fuerat mancipata, & cultui veneris penitus dedicata.

Domus Ecclesiæ propiquior funditus deijcitur.

De translatione corporis sancti Domitiani in Ciuitatem Leodiensem, nonnullis eius miraculis, & clerico dissoluto horas B. Mariæ deuote recitante.

D

CAPVT LV.

SVb eodem fere tempore, cum pro restauranda B. Lamberti Ecclesia vndiq; conuenirent de toto Episcopatu processiones ad offerendum, contigit beati Domitiani feretrum ibi cum omni frequentia populi Hoyensis apportari, senserunt & intellexerunt qui affuerunt, quomodo feretrum beati Lamberti & feretrum beati Domitiani sese inuicem quodam sonoro strepitu salutauerunt.

Oblationes fiũt de toto Episcopatu ad restaurandam B. Lãberti Ecclesiã.

Cum igitur plurimi vtriusque sexus, ex his qui Hoyo aduenerant

 oblatio-

oblationem suam consummassent, & reuerti citius cum suo Sancto A accelerarent, non potuit feretrum beati Domitiani moueri, donec etiam omnes qui cum ipso venerant, suam oblationem perfecissent.

Feretrũ S. Domitiani non potest moueri donec omnes oblationem suam fecerint.

Quocirca Hoyenses putantes ibi Sanctum suum velle remanere, cum lachrymis & gemitibus orabant, donec omnium oblatione completa iterum feretro Sancti manum applicantes, illud facillime sustulerunt, & cum laudibus & lætitia celerrime redierunt.

Factum est autem quod cùm ascendere inciperent publicũ montem, qui iunctus est Ciuitati Leodiensi, antequam ad cœnobium regularium Canonicorum sancti Ægidij, qui in ipso monte continetur, venirent, fœmina quædam Leodiensis iam per septennium cæ- B ca, audito beati Domitiani aduentu, concurrit, & feretrum ambabus manibus tenuit. Quam cùm amouere vellent circumstantes, iurauit quod non recederet, quousque lumen reciperet, & ilico per merita beati Domitiani lumen recepit, & sic læta ad propria remeauit. Contigit hoc miraculum in vico sancti Christophori, sicut retulerunt duo viri religiosi ordinis Cisterciensis, qui ibi præsentes fuerunt.

Mulier cæca fere rum S. Domitiani tenens lumen recipit.

Porro tanta inundatio aquarum facta est mense Aprili in Ciuitate Leodij, in ea parte, quæ dicitur extra castrum, vt multos submergeret, & mortuorum corpora diluuium aquæ de sepulchris erueret. C

Fuit etiã illis diebus Leodij quidã Clericus, qui licet alias dissolutus, tamen horas beatæ Mariæ Virginis deuotissimè decantabat, is post mortem cuidam cognato suo monacho de ordine Cisterciensi, pro se oranti apparuit, dicens se per gloriosam Reginam de pœnis liberatum esse, adiungens quod quicunque horas beatæ Mariæ assidue decantauerit, vehementer illi ad redemptionem animæ suæ sciret proficere.

Clericus Leodiensis liberatur à pœnis purgatorij, & quo modo.
Lectio horarũ B. Mariæ vehementer proficit ad redemptionem animæ.

ANNOTATIONES.

1. *De hac translatione sancti Domitiani sic ait Lambertus Paruus.* Anno 1185. Hoyenses corpus sancti Domitiani ob reuerẽtiam S. Lamberti martyris sumunt, & Leodium nauigio afferunt, quod Leodienses Clerici D à monte publico suscipientes, cum maxima deuotione per portam S. Martini cum crucibus & vexillis, & multorum SS. reliquijs in occursum S. Lamberti deferunt. Indè reuertentes, in Ecclesia B. Mariæ virginis vtrumq; deponunt. Et Rudolphus Episcopus festum S. Domitiani celebrari iussit.

2. Circa idem tempus, *inquit Molanus in Mrrtyrologio,* 11. Augusti facta est in Sarchynio translatio corporum sanctorum Trudonis & Eucharij confessorum Christi: & eodem tempore eleuatio eorundem sanctorum, quæ facta est sollemniter à Domino Radulpho Leodiensi Episcopo.

Tanta

A 3. Tanta inundatio aquarum :] *Hausit auctor noster hæc ex Lamberto Paruo, qui eadem verbotenus refert, & designat tempus, annum scilicet millesimum centesimum octuagesimum octauum.*

4. Fuit etiam illis diebus Leodij quidam Clericus :] *Idem referunt totidem fere verbis gesta Abbatum sancti Laurentij.*

De aduentu Legati Apostolici, pœnitentia Symoniacorum ad eius prædicationem, & obitu Radulphi Episcopi.

B

CAPVT LVI.

SVb id tempus Henricus Albanensis Episcopus, qui tunc temporis in partibus Alemanniæ legationis fungebatur officio, Legiã ingressus est, & congregato Clero prædicare cœpit, vitæque eorum contagia acri sententia reprehendere. *Henricus Albanensis Epũs eos reprahendit Symonia labi.*

Quamuis autem inter eos non mediocriter abundaret fomes subsannationis & nequitiæ superbia, prædo quoque omnium bonorũ luxuria & detractio, præcipue tamen eos ad extirpandam labem symoniacæ prauitatis, qua omnes & singuli manifeste fuerant irretiti exhortabatur, & instanter commonebat. Tunc vniuersi cum ingenti cordis contritione infirmæ conscientiæ suæ reatus agnoscentes, suas præbendas resignauerunt, & in manus eiusdem liberaliter & absolutè reportauerunt; vnde idem Legatus flere amarissimè cœpit, eos qui in vna Ecclesia præbendati fuerant, in altera restituẽs, sed nec sic eos de salute sua securos reddidit. C *Clerus præbendas ad manus illius reponit.*

Radulphus Episcopus, proprij sceleris eum acriter perurgente conscientia, crucis charactere coram omnibus insignitus & ad partes Hyerosolymitanas profectus est anno Domini 1190. Profectus & eodem itinere Romanorum Imperator Fredericus magnus cruce signatus & alij multi. Hic magno apparatu transiuit in Hungariam, Bulgariam, & Traciam atque Constantinopolim, ac Turcas statim repressit, qui Græciam infestabant, & Armeniã. Regem quoque vnũ coronauit in Armenia nomine Gedeonem, & inde accelerato itinere sicut placuit Altissimo, submersus in aquis non longe ab Antyochia moritur casu mirabili & miserabili. Obijt in eodem itinere Petrus Tullensis Episcopus & alij multi nobiles. *Radulphus Episcopus cruce signatur.* D

Noster vero Radulphus postmodũ reuertẽs ad propria, cum iam quasi in ianuis soli natalis esset, vitiatum veneno ferculum siue poculum (vtrum tamen hoc vel illud ambigimus) latenter sibi oblatũ sumpsit, vt dicitur, sicque vitam finiuit, sepultusque est in quadam proprietatis suæ Ecclesia anno Domini 1191. *Moritur & Radulphus veneno anno Domini 1191.*

ANNOTATIONES. A

1. His Diebus Henricus Albanensis Episcopus:] *Idem asserunt Gesta Abbatum S. Laurentij, & Chronicon Carmelitarum his verbis*: Tunc Henricus Albanensis Episcopus, & Cardinalis legatus venit Leodium prædicans contra Symoniam.

2. Memoratus Radulpus:] *De hac pœnitentia & Crucis signatione Radulphi sic loquitur Lambertus Paruus*: Anno Domini 1187. Radulphus Episcopus Leodiensis cum Imperatore Frederico & optimatibus totius Imperij cruce signatur ab Henrico S. R. E. Cardinali, ad recuperandam terram sanctam, quam Saladinus anno præcedenti Christianis eripuerat. *Idem referunt Gesta Abbatum sancti Laurentij, & magnum Chronicon Belgicum.* B

3. Vitam finiuit anno 1191:] *Adstipulatur Lambertus Paruus.*

De electione Alberti Louaniensis, oppositione Alberti Reitestani, & quibusdam alijs.

CAPVT LVII.

Clerus & populus cõsentit in electionem Alberti. Solus Balduinus Comes Haynoniensis contradicit.

RAdulpho Leodiensi Episcopo successor eligitur Albertus primus Archidiaconus frater Henrici Lotharingiæ Ducis 63. sedis Leodiensis Episcopus. Cuius electioni cum cæteri omnes Archidiaconi, Clerus & populus Ciuitatis, & Principes terræ consentirent, solus Balduinus Haynoniensis Comes contradicit. Hic est qui Namurcensem Comitatum violenter extorserat auunculo suo Henrico Comiti Namurcensi nobilissimo, iam seni & oculis caligãtibus cæco. C

Eligit cognatũ suum fratrem Comitis Reytestæ, hominem stolidum & illiteratum,

Ad electionis ergo diem præfixam venerat Comes Balduinus militum frequentia magna constipatus, & cæteris Albertum fratrem Ducis eligentibus, ipse eligebat Albertum fratrem Comitis Reytestani cognatum suum, Ecclesiæ Leodiensis Archidiaconum, & maiorem Præpositum, hominem stolidum & illiteratum, cui parum gratiæ præter genus erat. D

Hic ergo Albertus, cum paucis Canonicis familiaribus, & Comite Balduino se aduersum opponit Electo Leodiensi Alberto: qui magnis gratiarum titulis longe clarus, superabat alti sui generis dignitatem. Electione eius confirmata iam recesserat cum suis confusus Comes Balduinus, & post electionem consederat ad mensam nouus electus & dux frater eius, cum amicis suis læti & iucundi; cum subito sub mensam nuncius tristis venit, dicens decessisse in Apulea Philippum Archiepiscopum Coloniensem, qui affectu magno Ducem Henricum, & Albertum fratrem vnice diligebat, in quo spes

Moritur in Apulia Philippus Archiepiscopus Colon.

vnica

A vnica ipsis erat, per quem gratiam electionis confirmandæ obtinerent apud Imperatorem Henricum, qui Henrico Duci non satis erat benignus.

Eo audito, Dux Henricus, omnibus omissis, cum auunculo suo Henrico Duce de Lemburch, Coloniam properauit ad electionem Brunonis Cognati & amici sui. *Henricus Dux Lotharingiæ proficiscitur Coloniã.*

Et ecce alius nuntius primo atrocior in Colonia adhuc consistẽtis Henrici Ducis aures & animos verberauit, dicens in Syria decessisse Philippum nobilem Flandrensem Comitem, sibi constantia magna amicissimum. Quo audito Dux animo consternatus est, & omnes eius cum eo, & tremuerunt renes eius, quia contra omnes aduersantes sibi Philippi Comitis amicitia tutus erat atque potens. Habebat autem vxorem, Comitis Philippi neptem, filiam Mathei Comitis Boloniensis, qui fuit frater Philippi Flandrensium Comitis, qui ante Albemarle fuit interfectus. Festinus ergo exiuit à Colonia Dux Henricus, & magnis itineribus contendit in Flandriam, ad relictam Philippi Comitis Comitissam, Regina enim à quibusdam dicebatur, quia filia Regis erat, & pro fratre suo minus firmo regnũ patris tenuerat in Hispanijs. Ad hanc ergo venit festinus vt dotem eius confirmaret, & ipse sibi pro vxore sua Flandrias occuparet. *Philippus Comes Flandriæ moritur in Syria.* B *Multum consternatur Henricus Dux Lotharingiæ.*

Sed antequam aduenisset, audierat de morte Philippi Comitis Haynoniensiũ Comes Balduinus; qui & ipse vxorem habebat Margaretam Comitissam, sororem Comitis Philippi. Non somnians C ergo, sed peruigil Comes Balduinus, de terra sua, secum raptis equitum peditumque copijs, simulque ducens hæredem terræ Flandrẽsis Comitissam Margaretam, celeriter occupauit omnem terram vsque ad Scalden fluuium, antequam Dux Henricus exisset Colonia. Aldenarda nobili castello in insula Scaldi sito, cæterisque castellis & oppidis eiusdẽ fluminis, vltra ipsum proximis occupatis, mittit ad Iprẽses, Burgiosque, & Gandauos, vt se, vel hæredem recipiant Comitissam Margaretam. Receptusque est ab Iprensibus & Burgijs, ope Brugensis Præpositi magnanimi viri, qui ex concubina filius fuit Theoderici, quondam nobilissimi Flandriæ Comitis, & à Fratre suo D Philippo multis Ecclesiasticis dignitatibus fuerat honoratus.

Gandensibus & Menapijs primo ducis exercitu longius adhuc agente consilium fuit, vt non reciperent Comitem Balduinũ magis fauentes Henrico Lotharingiæ Duci, sicut & multi Flandrensium, qui receperant eum magis metu præsentiæ eius quam fauore, quia cum exercitu multo insperatus incubuerat eis, Vltimo celeritate magna & instantia rerum gerendarum à Gandauis & cæteris omnibus est receptus.

Ita Comiti Philippo Comes Haynoniensis Balduinus successit in Flandrensi Comitatu cum vxore sua Margareta Comitissa: Et post multas simultates, inter ipsum & Henricum Ducem, qui non potuit ei præualere, & Philippum Regem Francorum, recens à Syria reuersum

reuersum, tandem ab ipso Rege Flandrensem obtinuit Principatum A
quinque millibus argenti marcis eidem Regi datis, pro ingressu sui principatus. Et Henricus Dux confusus, & conatibus suis omnibus sic frustratus, omnino inanis & vacuus, in terram suam à Flandrijs est regressus.

ANNOTATIONES.

1. *Vitam Alberti Episcopi quam suis scriptis inserit Aegidius Aureæ vallis scripsit familiaris & domesticus ipsius Episcopi: scribit enim particularia & priuata, quibus ipse interfuit, vt patet infra capit. 68. vbi habes hæc verba*, Ipsam, *scilicet,* mulierem liberatam & sanatam vidit qui hæc scripsit &c. *fuerunt verò de familia eius tres Canonici Leodienses Sigerus, Elyas de Bullo castello, & Thomas Morbeensis, cum quodam Gerardo Canonico D. Ioannis Euangelistæ, vnde verisimile est vnum eorum scripsisse, aut vnum, vel plures, vel omnes vt scriberetur curasse, & dictasse.* B

2. Frequentia magna constipatus:] *de hac frequentia & multitudine militum sic loquitur Lambertus Paruus*: Anno Domini 1191. in Natiuitate B. Mariæ virginis tanta frequentia populorum venit ad Ciuitatem Leodiensem, ad electionem Episcopalem, vt ciues vrbis crederent se obsessos tanta multitudine. Siquidem Dux Louaniensis Henricus collectis fautoribus, fratrem proponere volebat. Comes vero Haioniēsis omnino contradicens, vt appellationem ad regalem audiētiam faceret, Albertum Præpositum compulit. Et exinde Imperator præfecit Leodiensi cathedræ Lotharium præpositū Bonnensem. C
Dominus verò Albertus facta appellatione sedem Apostolicam adijt.

3. Philippum Archiepiscopum Coloniensem:] fuit hic Philippus 45. Archiepiscopus Coloniensis vir sapiens & magna virtute præditus. Hic cum ageret Neapolis Pontificatus sui anno 30. adijt solem occasum nescientem, at ossa coloniam allata, ac in summo templo haud procul à sacello trium Regū honorifice tumulata sunt. *Kratepolius in annalibus Archiep. Colonien.*

4. In Syria decessisse Philippum nobilem Flandrensem Comitem:] *de tota hac historia vide Meyerum lib. 6. in fine, & principio septimi Annalium Flandriæ.*

D

De Henrico Imperatore, qui vtriq; Alberto fictis verbis illudit.

CAPVT LVIII.

Henricus vero labore se cōsumit pro Comitatu Fland.

INter hæc claudicabat & vacillabat opus omne quod agendum erat de electione Alberti Louaniensis confirmanda apud Henricū Imperatorem. Siquidem dum Dux frater eius, omnia postponens, vnico labore eoque vano contendit pro obtinendo Flandriæ Comitatu

A Comitatu Comes Balduinus, qui superior in omnibus erat, in auro atque argento, militiaq; parata, si bi semper similis prudentia, & prouidētia, consilijque & animi magnitudine ad omnia strenuè peragēda, inter contentiones belliq; magni pro Flandriæ Principatu motus, nihilominus ei aliud graue ducit bellū sine armis, vt electionem Alberti fratris eius casset & euacuet. Ad omnia ergo quę volebat peragēda, non laboribus, non expensis parcens, Albertū, fratrē Comitis Reitestani electum suum multis cum auri & argenti suffragijs ad Imperatorem mittit, quem necdum audierat redijsse ab Italia. *Balduinus Comes Henrico, superior.* *Suffragia auri*

Imperator Albertum ad se venientē suscepit honorificè: Idem enim Albertus Imperatricis patruus erat, et hoc vno titulo, de Imperatoris gratia præsumebat. Cæterum Imperator aliud intendebat: Videbat enim hominem vanum, rudem & indoctum, nullo, B sicut iam didicerat, electionis iustæ priuilegio inspiratum ad honorem aspirare tantum, cui alias omnia præter genus contra ibant. Celans proinde ei mentem suam Imperator, factus erat iucundus, & tacite lætus quod per eū occasio sibi data esset refellendi electiōem Alberti Louaniēsis, cui propter fratrē Ducē, hūc honorē inuidebat. *Imperator mentem celat.* *Offensus est Alberto.*

Fuit enim tempus, dum adhuc viuens pater eius Fredericus Imperator in Italia moraretur, vt ipse, qui Rex erat, patre imperante, Leodium veniret ad auxiliandum Balduino Comiti, pro Comitatu Namurcensi, quem paulo ante occupauerat. Quo tempore Dux Hēricus Henrici Comitis Namurcensis partes iuuabat, & infestus erat C Comiti Balduino, ex eo tempore, quo Lembecam oppidum conatus fuerat communire. Tum adhuc viuente patre suo Godefrido, Dux Henricus adhuc iuuenis venerat Leodium ad Henricum Regem, ostentatione multa secum ducens armatum & validum equitatum vsque ad trecentos (sicut fuit æstimatum) magnoque supercilio sese egerat in Curia ante faciem Regis, contra Comitem Balduinum, cum iuueni Regi Dux iuuenis sciret esse graue quod agebat. Neque autem Comes, neque Rex ipse in ea Ciuitate paucis equitum præsidijs erant tuti; neque poterat Rex pene solus hanc insolentiam Ducis cohibere. In iras ergo magnas Rex iuuenis accensus tulerat inuitus, quod ferendum sibi non putauerat, quando venerat in eam Ciuitatem. Idcirco inde regressus, irā secū duxerat & nutriuerat D vsque in diem hanc, qua vidit sibi tēpus aspirare, quo responderet eius ira veternæ Ducis insolentiæ.

Respondet ergo Alberti rebus, & transmissis ad se postulatis pro eo Comitis Balduini, vt redeant in regnum Teuthonicū quia & ipse disposuerat eo citius reuerti, ibi se auditurum de causa Leodiensium, responsurumque iuxta merita rerum & causarum.

Iisdem diebus Imperatori de Italia reuertenti occurrerūt inter Alpes Legati Alberti Louaniensis, quos & ipse simul lepidè suscepit & benignè, vultu mentem celans, & eodē respōso, quo primos, remisit, spe gratiæ suæ, quæ non erat, animatos: Vtriq; vero parti diem dixit circa Calend. Feb.

Henricus autem Dux languidus erat ac remiſſus ad auxiliandum Alberto fratri ſuo electo Leodienſi, ex quo audiuerat de morte Comitis Philippi,& bellum non neceſſarium, ſed funeſtum ſibi ſumpſerat contra Comitem Balduinum pro Flandriæ Comitatu. Quibus rebus electio fratris eius omnino data eſt in ſignum,cui contradictũ eſt contradictione crudeli vſque ad mortem eius. Nam ſi primis diebus electionis eius miſiſſet Dux pro electo fratre ſuo, & electus pro ſe ipſo, ad deliniendum Imperatorem in Italia magnis rebus occupatum, antequam illud conſilium iniquũ de Leodienſi Epiſcopatu concepiſſet à gratia eius repulſi non fuiſſent. A

Electio Alberti Louanienſis data eſt in ſignum cui contradicetur.

B

Lotharius Bonnenſis Præpoſitus, precibus Comitis de Horſtade ab Imperatore in Epiſcopatum eligitur: Vnde Albertus Louanienſis appellat ſedem Apoſtolicam.

CAPVT LVIIII.

ERat autem in exercitu Imperatoris vir ſtrenuus in re militari Comes de Horſtade. Hic acceptus erat Imperatori pro ſeruitio ſuo, quo ei ſeruierat ſedulus in expeditione Apuliæ & Calabriæ, & à conſilijs Princeps erat primus.

Huic Comiti frater erat Lotharius vir magnus atque diues, præditus Eccleſiaſticis multis dignitatibus,& ad honores primos animo cupido ſuſpirans. Is ſciens ex illius temporis experimentis ad hoc plurimum valere ſuffragia auri & argenti, in auro & argento ſpem ſuam poſuerat. Propter quod ſibi conflauerat auri & argenti ſummam multam, quibus animos hominum ſibi aduerſantes expugnaret, & expugnatos ſuis votis obedire cogeret. C

Lotharius frater Comitis de Horſtade, auro & argento aſpirat ad Epiſcopatum.

Comes ergo frater eius, vt vidit apud Curiam Albertum Reyteſtani,& legatos Alberti Louanienſis,& Imperatorẽ adhuc iſtis & illis dubia reſpondiſſe, etſi diem certum illis præfixiſſet.

Hac occaſione accepta,conandum pro fratre ſuo ratus, furari cœpit rerum cauſas & momenta. Et accedens ad Principem obſedit aures eius nunc blanditijs, nunc promiſſis, omnibuſque modis, quibus eas captas ſibi inclinare poſſet. D

Comes de Horſtade cõmendat Imperatori fratrem ſuum Lotharium.

Intereà prætendit inuidiam facti, quo ſe Leodij dudum extulerat contra eum Dux Henricus, & quod ad expeditionem Apuliæ & Calabriæ ab ipſo clementer euocatus primo, ac deinde multis diebus fortiter citatus vt veniret, & clementiam eius, & virtutem contẽpſerit. In regno Theutonico, Duci & electo fratri eius altum genus eſſe,potens & ſuperbum: ſi Albertus frater Ducis Leodienſem Epiſcopatum obtineret, duplicatas eſſe vires Ducis contra ipſum cui ſe obiecit, cui contradixit obedire. A facie Ducis, & ſuperbi generis eius,

A eius, Imperatori iam nihil esse tutum vltra Mosellam fluuium. Albertum vero Reitestani hominem nullum esse, qui possit hominibus præesse: sibi esse fratrem genere, scientia, moribus, & ætate firmũ, sicut & ipse nouerat Imperator, cuius fidem sicut suam, & affectum eius poterat experiri erga se benignus Imperator. Imperatori ergo cum suspectum sit & nociuum, si obtineret Episcopatum Albertus Louaniensis; & sit indecens, & obscurum ipsi, si obtineat Albertus Reitestani: dignum ducat & honestum, atque sibi tutum, vt vtroque reiecto, Lothario fratri suo gratiæ suæ radios expandat, bene sibi cõsultus Imperator. Cætera Comes callidus, mulcẽs eum, cupidæ submurmurat auri.

B Venit ergo dies, & concurrunt ad Curiam ambæ partes. Henricus Dux Lotharingiæ, frater electi Louaniensis, & Henricus Dux de Lemburch eorum auunculus, prope Curiam accesserunt: nec enim in Curia satis tutum erat eis, sed per internuntios pro se & pro electo agebatur apud Imperatorem, vt eius gratiam obtinerent. Callidus Imperator omnia librans, lingua dubia partibus aduersis respondebat. Venit ergo ante eum Albertus Reitestani maior Præpositus & Archidiaconus quatuor aut quinque secum habens Canonicos S. Lamberti, fautores partis suæ, quæ pene nulla erat, & stetit ante Principem plenus bonæ spei. Venit & Albertus Louaniensis cum Archidiaconibus & Clero S. Lamberti vsque ad 40. & amplius, numero ampliore, & dignitate, atque honestate causæ longe priore si C Principi causa potior placuisset.

Callidus Imperator respõdet dubia lingua.

Interim dum partibus plures dies vnus post alterum à Principe callido, quasi ad cognoscendam causam & validius examinandam, indicuntur, Comes de Horstalde pro fratre suo Lothario Bonnensi Præposito non cessat funestam fabricam cum Principe sibi concordante fabricare.

Ad tegendum ergo commercium operis tenebrosi, tribus milibus Marcharum a Bonnensi Præposito clam acceptis, Imperator in Curia generali constituit eum sibi Archicancellarium regni sui citra Alpes, in proximo inuestiendum regalibus Leodiensis Episcopatus.

Imperator pro Episcopatu accipit tria milia marcharum à Bonnensi Præposito.

D Quod opus & si secreto factum, non latuit tamen Albertum Reitestani. Videns igitur delusum se à Principe, per anfractus inanium verborum sese detinente cum suis, statim venit ad Albertum Louaniensem, & eius electioni concordem sese reddit, iurans & obtestãs se nunquam recessurum. Concordes ergo veniunt ante Principem, Albertus Reitestani Leodiensis Ecclesiæ maior Præpositus & Archidiaconus, Albertũ Louaniensem ex parte sua (vtpote qui in electione primam vocem habebat,) & ex parte Archidiaconorum, & totius Ecclesiæ Leodiensis, in vnam & eandem vocem vna concordia canonica conclamantis præsentat, & cũ omnibus genu flexo postulat, vt sicut iustũ est et æquũ, Electo suo præsenti gratia eius extendat Clemẽtiæ suæ manũ, & recipiat atq; inuestiat dono regaliũ Leodiensis Episcopatus.

Albertus Reitestani cedit Alberto Louan.

Omnes concorditer supplicãt Imperatori pro Alberto Louaniensi.

Quid turbidus Imperator responderit.

Respondet turbidus Imperator id non esse iustum, nec sibi æquũ, nec Imperio suo dignum, esse iuris sui & honoris imperij, & hoc à patre suo accepisse diuæ memoriæ Imperatore Frederico, vt in omnibus Ecclesijs, quæ ad donum eius spectant, si partes sunt inuentæ in electione celebranda, partibus in electione dissidentibus, electionis vocem & meritum prorsus exspirare, & penes se omne ius esse & omnem potestatem, vt ipse, cui voluerit extendat manum suam, eligatque & inuestiat quem dignum censuerit. Etsi iam tandem dicant non esse sibi partes, sese concordes inueniri, nihilominus partem suam dicit præualere, quia & si iamnon sint, fuerũt tamen & inter partes eorum dissidẽtes sese iam velle & decere interponere partes suas. A B

Clerus Leodiensis cum allegare contra conaretur, non fuisse partes, cum quatuor aut quinque tantum nulla dignitatis officia in Ecclesia habentes, nullaque nixi ratione, sed sola ducti leuitate, quam correxerint, se obiecerint contra Canonicos quadraginta quinque, & Ecclesiæ summos viros: abrupit eorum rationes omnes violenter Imperator, & Lotharium Bonnensem Præpositum à se electum, inuestijt regalibus Leodiensis Episcopatus, quem pridie designauerat Archicancellarium regni Teuthonici, honore Archicãcellariç, sicut erat condictum inter eos, palam resignato in manu Principis.

Lothariũ designat Episcopũ.

Clerus omnis Leodiensis cõstanter contradicit.

Huic facto tam atroci instanter contradicit omnis Clerus Leodiẽsis qui astabat, & eorum Electus Albertus Louaniensis electionem suam canonicam esse constantia magna affirmat coram ipso Imperatore, & declamat iniuriam sibi fieri, & vim inferri manifestam libertati Ecclesiæ S. Dei ab antiquo conseruatæ, & appellat Sedem Apostolicam. C

Appellat sedẽ Apostolicam.

Incensus his violentus Imperator portas claudi iubet, ne Leodiẽsium quisquam egredi posset, & terroribus atque minis Canonicos impellere conatur, vt consentiant facto suo, & recipiant Electum suum Lotharium Bonnensem Præpositum.

Albertus Reytestani calamo agitato vento inconstantior, & plures alij, se consentire profitentur.

Constantia Alberti Louaniensis.

Cæteros Imperator videns firmos in proposito suo, cum Electo suo Alberto Louaniensi, tandem permittit abire, à suis enim fuerat castigatus non esse decens vt sic eos teneret, & sic infausta Curia est soluta. D

Lotharius præpositus Bõnensis ambitione excecatus.

Lotharius Bonnensis Præpositus, qui vti Canonicus sancti Lamberti, primo laudauerat approbatam electionem Alberti Louaniensis, & cum cæteris Canonicis subscripserat, contra hoc suum factum & assensum iam nunc veniens, ipsam eius electionem, & appellationem vanam dicit: cupiditas enim & ambitio oculos eius obcæcauerat.

ANNO

A

ANNOTATIONES.

1. Duplicatas esse vires ducis contra ipsum:] *Guilhelmus Neubrigensis huius temporis in Anglia scriptor de hoc loquitur in hunc modum*: Ducis Louaniẽsis germano ad Episcopatum Leodiensem electo Imperator est offensus, veritus scilicet ne forte Dux fortis facili occasione contra Imperiũ iunctis sibi fraternis intumesceret viribus. Leodiẽsis enim Episcopus numerosam habet militiã, & magnarum esse virium noscitur.

2. Cætera Comes callidus mulcens eum, cupidæ submurmurat auri:] *nimirum illi numeraturum tria milia marcharum, vt postea explicatius dicitur.*

B

Lotharius in oppida & Castra Episcopatus se intrudit, & Albertus Romam distortis itineribus proficiscitur.

CAPVT LX.

VEnit ergo Leodium Lotharius & occupauit Episcopium & oppida & castella nobilia Leodiensis Episcopatus, fecitque amicitias & fœdera cum Balduino Comite Hannoniensi, & eius potentia fretus, in Episcopatus inuasi negotijs securus agebat. *Lotharius occupat oppida & castra Episcopatus.*

C Albertus verò Louaniensis res suas trahebat angustijs magnis, plures enim necessarij eius & amici ab eo auersi erát, quidam metu, quidam gratia, vel fauore Imperatoris obstricti. Et alij quidem rei finẽ sub silentio expectabant, alij manifestis rebus agebant contra eum. Dux ipse frater eius, languido consilio, & auxilio remisso, negotium eius parum promouebat, & expensis modicis iuuabat fratrem suum qui momentis rerum tantis laborabat indefessus. *Albertus est in magnis angustijs.*

Omnibus ergo difficultatibus animum gerens ampliorem, Romanum iter cum paucis aggreditur, periculis omnibus, quæ grauissima sibi imminebant, præponens Ecclesiæ Dei libertatem, & officij sui dignitatem. *Omnibus verò difficultatibus animum gerit ampliorem.*

D De quo male sollicitus Imperator, per litteras & legatos suos cõcluserat ei omnia itinera, quibus Romam poterat iri terra marique: In tantas iras exarserat in eum immemor Imperatoriæ Serenitatis turbulentus Imperator. *Imperator omnia illi itinera claudit.*

Arctioribus ergo itineribus diuertens, atque sibi cauens Albertus itinere longo & distorto venit in Prouinciam ad montem Pessulanum, eo consilio, vt per mare pergat Romam. Ipse autem & omnes sui, mutato schemate taciti procedebant.

Malis autem quibusdam intersignis rerum, vt amplius sibi caueat, castigatus in monte Pessulano, maris iter non sibi tutum iudicauit, sed arduis & angustis vijs, per Alpes mari proximas, iter agens *Nihilominus proficiscitur.*

venit in Italiam: magnoque labore vias inuias exsuperans, per mõtanos & marinos fines Genuensium, Lucentium, atque Pisanorum, A tandem venit Romam.

Albertus in hospitijs non Dominum sed seruum vilē agit.

In omnibus autem locis, vbicumque hospitatus erat, ibi Albertus sese non Dominum familiæ suæ, sed seruum vilem exhibebat, in stabulis equorum curam gerens, in coquina cocum se fingens.

Homini stolidè imperanti qualiter satisfecerit Albertus.

Hospitum quidam rudis homo calceos reparatos lauerat, vt vngeret, & ad focum tenebat prius exsiccandos: Et tu (inquit illi) serue piger, cum sis ociosus, istos tene & exsicca, & exsiccatos vnge mihi. Homini stolidè imperanti Albertus obediendum ratus, calceos quidem ad ignem tenet, sed vt vngat, non sibi censet æquum: Aliud B ergo sibi fingit opus, quod culpare non debeat hospes asper. In stabulo equi sese collidebant, hospiti clemens & subridens reddit calceos; lætior ipse & expeditus currit in stabulum, castigat equos, & moratur diu intricatos illos fingens & declamans, & necessitatem sibi facit ad hos explicandos, cum nulla esset, donec hospes ab eius opere iam desperans, suos ipse sibi calceos vngat exsiccatos, quod ipsum magis decebat.

Albertus ab hospite suo inuitatus ad nuptias, inuitatorũ aures musica demulcet.

Post hæc in vna Ciuitatum venerat hospitatum, vbi solemnes nuptias quidam Ciuium nobilis celebrabat. Ciues simul & aduenæ omnes erant inuitati, vt officium suum quisque nuptijs exhiberet. Albertus cum socijs ad ludos ab hospite tractus est: Rogati sunt vt ho- C nori nuptiarum suas partes interponant, siquis eorum psallere nouerit, aut mulcere aures musica. Psallere scientem, simulatum seruum suum, socij obtulerunt. Informis habitu & sudore tinctos vultus habens, non illum Albertus referebat, qui forma speciosus, insigne præferebat sanguinis sui generosi, & insignem natalium suorũ dignitatem. Ab hospite ergo læto oblatum est ei musicum instrumentum. Dauidis enim vestigia sequutus, dum adhuc adolescentiæ flores ei aspirarent, hoc genere psallēdi sese oblectabat, sciens scriptum *: Lætare iuuenis in adolescentia tua.* Non longe autem excesserat fines adolescentiæ: nam inter vicesimum quintum & tricesimum ætatis annum agebat, & in viriles annos ætate & sapientia assurgebat. Do- D ctis ergo digitis temperans atque mouens cordas concordantes, musicæ dulcedine, aures audientium, Orpheo doctior, ipse demulcebat. Applausit modulanti omnis solemnitas nuptialis. Albertus autem quis esset animo tristi in ipsis gaudijs reminiscens, oblatum munus non recipiens, fingit incumbere sibi seruitium Dominorum suorũ, redit ad hospitium, sicque quietus latuit sibi.

Eccl. 11.

CAPVT

A

Albertus appellit Romam, confirmatur eius electio, & Cardinalis creatur.

CAPVT LXI.

HIs laboribus miserandis, his artibus exquisitis, Deo miserante, insidias omnes eludens & euadens, vt dictum est, confugit in vrbem Romam statimque, vt erat ex itinere adustus, vultu pulueris ac sudoris fuligine obuoluto, cum lineo capello nigro & effuso, B calceis grandibus duris & obrosis, veste vili atque grossa, balteo duro & informi, cui culter ingens appendebat cum vagina scabra atque vncta, vt non hominem generosum, non vt in Pontificem electum, sed seruum emptitium, & coquinæ sordibus inquinatum æstimares.

Albertus appellit Romam in vilis serui habitu.

Talis ergo statim vt diximus intrauit Curiam, & stetit ante summum Pontificem. Cum eo venerat Walterus de Chaneci Archidiaconus Leodiensis, & Thomas Marbiensis Canonicus S. Lamberti & alij pauci, cæteris Imperatoris metu periculis tantis se opponere detrectantibus. Vt autem vidit eum in hac forma, in hoc scemate stantem coram se Papa Celestinus, hæsit, hominem miratus ita sibi C subito apparentem; et ecce (inquiunt Leodienses) sancte Pater, ecce filius tuus Leodiensis Electus, Albertus Louaniensis, toto itinere ingentibus periculis agitatus. Pontifex benignas in lachrymas exijt, & accedere iubens, in amplexus eius & oscula ruit, & benedictus (inquit) Deus qui filium meum de ore leonis insidiantis liberauit. Noueram enim & ego, & magnis curis anxius æstuabã, quãtis insidijs omnia tibi essent itinera obsessa, fili mi: præcedens enim fama mihi omnia nunciauit, sed & formam electionis tuæ & reprobationis, qua te reprobauit Imperator. Si venisti sic instructus, vt electio tua exaudiri mereatur, Deo auctore et beatis patronis nostris D Petro et Paulo adiuuantibus, non erit tibi vacuus labor tuus, sed tuæ electionis meritum si canonicis apparuerit instrumentis, tibi confirmabitur. His et alijs benigne dictis consolatum iubet quiescere post laborem.

Eodem habitu sistit se Summo Pontifici.

Qualiter exceperit eũ Pontifex.

Dimittit consolatum.

Curiâ exeuntem, fauore pio curia omnis prosequitur. Erant autem dies azimorum, quando venit ad Curiam, et stetit in Curia vsq; post octauas penthecostes, validis instrumentis ostendens electionis suæ iustam causam. Quibus visis et auditis frequentibus, instrumentis, facile erat Curiæ de confirmanda electione intra paucos dies iudicare, et pene nullus erat, qui non electionem eius ratam iudicaret.

Albertus ostẽdit Curiæ iusta suæ electionis instrumenta.

Sed erat in hac Curia quod fortiter timebatur scilicet Imperatoris indignatio

Discordia Curiæ & Cardinalium in confirmatione electionis Alberti.

indignatio contra Ducem Louanienſem, et contra Electum fratrem eius, et violẽtia eius et obſtinatio, quæ more Teuthonicorum facile non ſedatur. In hac ergo parte in Curia multi erant fortiter diſſidẽtes, alijs cẽſentibus Deo magis obediendum quam hominibus, et Eccleſiæ libertatem ſuper omnia mundi pericula debere defenſari: alijs, qui tamen erant pauciores, obnitentibus, et dicentibus parcendum eſſe periculis Eccleſiæ Dei manifeſte imminentibus, parcendum ſcandalis, quæ grauiſſima poterant exhis oriri; Imperatoris ferum animum non poſſe mitigari, eius potentiæ non poſſe reſiſti, nõ eius iracundiam, qui ſupra leges agit legibus poſſe cohiberi, gladio materiali peccantem eum non poſſe cohiberi, qui gladij materialis ſummam habet poteſtatem. Ita magnis contentionibus res inter Cardinales agebatur, vnde decidendæ cauſæ iudicium multis diebus eſt protractum. Albertus autem electus fortiter inſiſtebat, non hominis, ſed Dei iudicium poſtulabat. Quomodo iudicare (inquit) debeatis vos filij Dei ſummi, vos excelſi ſuper filios hominum cogitate: certe non decet iudicium Dei iudicio hominum ſubiugare. Sublato hominum omni metu vel fauore, ſuper homines Deo proximi timeatis inclinare iudicium Dei veſtri; & quod iuſtum eſt de electione mea iudicate. Si autem canonica vobis videntibus eſt ſubnixa ratione, ſententiarum hinc & inde concurrentium fælici concluſione, idipſum celerius iudicate: Expenſis enim magnis in hac mea cauſa non procedo, neque mihi fiducia eſt in auro & argẽto (argento namque & auro non abundo) ſed quam habeo cauſam, ſi eam certam iudicatis vobis præſento: Non pecunia ſed iuſtitia terminet mihi cauſam meam. In argento & auro, inter quæ natat & exuberat Lotharius Bonnenſis Præpoſitus, ſibi confidat, & in potentia Regię voluntatis & fauoris, quibus ſubnixus impugnat Eccleſiæ Dei libertatẽ. Mihi fiducia eſt omnis in eo qui veritas eſt, & iuſtitia, cui omnis humana poteſtas, & malignitas non poteſt obuiare. Si ſcandala, ſi pericula humana vos timetis, amplius Deum timeatis, *quia horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis*, ſi humano metu moti Dei iudicium ſuffocatis. Primum eſt caput meum, quod expoſitum eſt his ſcandalis, his periculis quæ timetis; *Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſſima mea horum ſimilia*, dum pro iuſtitia Dei, dum pro Eccleſiæ Dei libertate ſummo & extremo periculo immergatur caput meum.

Albertus orationem habet ad Cardinales. A B C D

Hebr. 10. *Num. 23.*

Conſtantia iuuenis generoſi, non leuitate iuuenili, ſed grauitate ſenili perorantis, Curia omnis eſt in ardorem iuſtitiæ faciendæ fortiter animata. Omni iuſtitia cauſam eius ſplendore ſuperno veſtiẽte, in fauorem eius omnes conueniunt, Cardinales, Romanique Principes, atque Senatores. Quibus rebus lætus effectus Papa Celeſtinus, qui eum vnico affectu tanquam filium diligebat, ſuper cauſa eius iudicij faciendi certum diem dicit. Ad quem concurrit omnis Curia, & magnus numerus nobilium Romanorum. Impletur Lateranenſe Palatium frequentia Curiæ generalis, breuiter reuoluuntur

Alberti oratione flectuntur omnes.

Dies iudicij indicitur.

quæ

A quæ facta sunt & dicta super electione Leodiensi, & Imperatoris reprobatione, & Lotharij Præpositi Bonnensis intrusione, & de his omnibus quæ præpositæ sunt quæstiones in Curia Romana. Omniũ ergo iudicio Papa Celestinus approbat & confirmat electionem Alberti Louaniensis, cæteris omnibus, quæ irrepserant, reprobatis: & fauore magno assentiuntur omnes & applaudunt eiusdem Electi tantæ dignitati. Cui gratiæ eius vt addatur maior, constituit eum supremus Pontifex sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalem, & imposita mitra capiti eius inter Cardinales summos eum fecit considere.

Papa confirmat electionẽ Alberti.

Albertus creatur Cardinalis

In proximo sabbatho solemnis ieiunij quatuor temporum, quod in penthecoste celebratur, ordinat eum diaconum Papa Celestinus, B & eo iubente magno omnium fauore in solemnijs eius missæ legit Euangelium Albertus diaconus Cardinalis ordinatus.

Celestinus Põtifex Albertum creat Diaconũ.

Albertus ab Vrbe regressus insidias sibi ab Imperatore structas euadit.

CAPVT LXII.

POst hæc Papa Celestinus agit cura magna, qualiter saluus redeat in terram suam Electus & dilectus filius eius, & qualiter C consummetur opus eius quod cœperat de eo pius pater de ordinatione eius in præsbiterum & consecratione in Episcopum.

Scribit ergo de his duplices literas; vnas ad Brunonem Archiepiscopum Coloniensem & alias ad Willelmum Archiepiscopum Remensem; vt si Coloniensis refugiat exequi præceptum Apostolicum metu Imperatoriæ potestatis, idipsum Remensis nihilominus exequatur. Scribit & alias diuersas ad diuersos, ad roborandum opus suum, & ad condemnandum Lotharium Bonnensem Præpositum, nisi resipiscat, & eos omnes qui se præsumpserunt opponere præceptis Apostolicis eiusdemque Alberti dignitati: omni Clero & populo, & omnium dignitatum & officiorum Ecclesiasticis laicisD que personis totius Leodiensis Episcopatus, mandans & districte præcipiens, sub periculo honoris vniuscuiusque, vt omnes obediant Alberto Louaniensi, & omnes absoluti à fide & iuramento, quod fecerant Bonnensi Præposito, quem intruserat Imperator, faciant fidem & iuramentum subiectionis & obedientiæ Alberto, cuius electionem iustam & canonicã approbat & confirmat S. Sedes Apostolica.

Scribit ad diuersos in eius fauorem.

Ad omnes autẽ ad quos scripsit pro eo Papa benignus Celestinus, duplices litteras scripsit, propter insidias quæ reuertẽti æquè frequẽtiores omnibus itineribus terra mariq; parabãtur, vt comitatus eius

Ad singulos duplices scribit literas, & quare

qui rarus erat in duas partes diuisus, singuli diuisi singulas literas deportarent, vt si vnæ fuissent captæ, nihilominus aliæ Deo propitio A saluarentur. Dederat autem præceptum validum pius & iustus ei Pōtifex summus, vt omnino nullus esset in Curia Romana, nō ostiarius, non scriptor, non notarius, non ipsi Cardinales, non alicuius officij curam gerens, qui præsumeret aspirare ad aliquod munus ab eo percipiendum, sed omnia gratis fierent ei, qui pro Ecclesiæ libertate tuenda tantis laboribus & periculis exposuisset semet ipsum. Ipse autem supremus Pontifex secretius agens cum Electo filio suo, magna constantia, magno affectu confirmat, quia nullo rerum metu, nullis precibus, nullis blandimentis aut terroribus, nullo pretio ipse moueretur à proposito vel iudicio, quod tanta solemnitate & B tantis rationis & iustitiæ patrocinijs fecerat ei Sancta Sedes Apostolica.

Iubet omnia illi expediri gratis.

Pontifex quid promittit Alberto.

Insuper donat ei munera in signum paternæ affectionis suæ, qua vehementer amabat eum tanquam filium suum. Donat & annulum aureum in signum fidei, & mitras duas pretiosas, vnam ipsius dignitati, alteram Abbatis Lobiensis, pro quo postulauerat, quia eum ipse Electus affectu multo diligebat & Ecclesiam eius Lobiensem.

Dat mitram Abbati Lobiensi.

Albertus autem his omnibus pro tempore sufficienter instructus, & de summi Pontificis gratia certus, propter insidias fingit se in Curia diutius moraturum; omnibusque peractis, & partitis socijs suis itineribus diuersis in patriam redituris, ipse clam accedit ad Dominum Papā, & benedictionem petit & licentiam abeundi: Qui illachrymās & deosculans, & benedictionibus Apostolicis & votis cōfirmans eum in vltimo dimittit valedicto, quinto die post quam ipsum ordinauerat in diaconum. Nactus ergo nauem mercatorum in Romano portu, occultus intrat eam: & veniens ad ostia tyberina mari se cōmittit vsque ad pisanam Ciuitatem. Ibi audit in mari insidias sibi paratas, & à mari diuertit iter suum per mōtana maritima, magnis sudoribus & periculis. Magnis demum itineribus & occultis, venit ad Alpes Hānibalis, qui dicuntur montes Senis, in quorum radicibus in oppido Transalpino, quod Nisa dicitur, inuenit virum nobilem & iucundum Comitem Cabilonensis Francorum Ciuitatis. Cuius augustam formam Comes videns, & res eius latitantes (arbitratus, sicut erat, virum dignum: sed sibi metuentem) lepidè quærit ab eo quis sit, vnde veniat, aut quo vadat; & secretis eius spondet fidem, & promittit. Albertus videns sibi profuturum si viro nobili nobilis ipse se exponat, & nomen exponit & genus, & officium suæ dignitatis, & latendi & cauendi sibi causam omnem. Comes eum amplexatus benigne consolatur, & iungit ipsum sibi in Franciam reuertenti: Promittit opem & tutelam suam, sicut is qui per se & amicos suos plurimum possit vsque ad terram Campanorum. Sic auxilio Dei fretus, euadens omnia pericula, venit Remos. Vbi iam securior paucos dies commoratur: timensque Comitem Hainoniē-

Albertus accipit benedictionem Apostolicam.

Mari se committit.

C

Offendit Comitem qui eum Remos vsque securè deducit.

D

sem.

m Balduinum & insidias Lotharij intrusi vno tantum suo Comite :Thoma Merbiensi, ab vrbe Remensi mouens diluculo primo,to- adie & sequenti nocte equitans, venit Lobias modicum ante diem, quæ erat pridie vinculorum S. Petri. Fratres Lobienses iam finie- bant laudes matutinales;& ecce Thomas Merbiensis,qui melius no- uerat aditus Abbatiæ inclamat ad Abbatis Capellanos. Ostia pan- duntur inclamanti : cum Domino suo, quem fingebat sibi seruum, domus altæ gradus scandit ; occurrit Abbas in tenebris venienti:ag- nouerat enim vocem appellantis & capellanos inclamantis. Cui Thomas subridens : Ecce (inquit) seruus meus ; sed ecce Domi- nus meus : hunc potius vt Dominum & amicum salutate. Adhuc enim incognitus erat ipse Abbati, quia capello grandi tectus erat ca- put,& res insperata non sinebat agnoscere eum qui bene notus erat. Albertus porro lætus excepit ipsum gaudio magno. Necdum fra- tres omnes abcesserāt à templo post laudes matutinales, quidā tamē recesserant pausaturi : Ad hos atque illos signa currunt læta,venisse virum tantę dignitatis ad Ecclesiā eorū,quam tanto affectu diligebat. Inprimis, sicut ad equitandum paratus erat, venit in templum,& o- ratione facta, accedit ad altare S. Petri, accensis luminaribus, quia necdum dies erat,accurrunt ad eum gratulabundi fratres omnes.Il- le dulciter altari deosculato, in signum dilectionis & Abbatis & to- tius Ecclesiæ Lobiensis, super altare mitram offert, & literas con- firmationis ex parte Domini Papæ Celestini,qui hanc eis augeat dig- nitatem cum cæteris quas indulserant eis Sancti Patres à diebus an- tiquis, vt annulo aureo, quem gestabat Abbas Lobiensis,& cæteris insignibus hęc gratia mitrę amplior appareret, & honor capitis am- plior emineret cæteris ornamētis. Dehinc Albertus modico sump- to cibo, illa ipsa hora(nec enim comederat aut quieuerat)insomnis itineri sese reddit iam cœlo albescente: metus enim quem habe- bat a facie Comitis Balduini, non sinebat eum vel modicum somni furari sibi, qui tantis vigilijs & ieiunijs iam pene victus erat. Abbas Lobiensis plus impendens eius dilectioni, quam timori, nam & ip- se propter eum sibi valde timebat,cum paucis comitatur Niuellam vsque, vbi cum honore magno & gaudio receptus fuit ab Ecclesia & oppido toto Niuellensium. Abbas valedicto redijt ipsa hora adEc- clesiam suam, celebraturus solemnia vinculorum S. Petri, toto iti- nere grandi lucta secum luctatus est vtrum supersederet vti mitra: non enim tutum existimabat vti illa, propter potentes hostes, & malignantes qui potenter oderant Albertum, qui hanc gratiam ob- tinuerat à summo Pontifice, & vt Episcopus & S. Romanæ Eccle- siæ legatus & cardinalis ea vti præcipiebat. Ex aduersa parte procra- stinare, & non vti dono a tanta sede sibi & Ecclesiæ suæ dato etiam non tutum neque decens æstimabat, vt qui apud S.Sedem & Episco- pum suum nimium fuisse timidus & ingratus iudicari posset. In hanc partem vnum adiuuabat, quod hoc donum gratis obtinuerat,

Ab vrbe Remensi secretè vadit lobias.

B

C

Offert mitram Abbati Lobiēsi & confirmationem omniū priuilegiorum.

D

Abbas Lobiēsis deliberat an expediat illi hoc tempore vti mitra.

non enim pro ipſo vel per ſe, vel per alium aliquid dederat, ſed neque preces obtulerat. Cum enim Romanum iter Albertus clam aggreſſus eſſet, & in Francorum terra in Terrici caſtello nobili paucos dies commoratus, nuntios fratris Ducis, vt condictum erat in ſecretis expectaret, de ipſo nihil ſciens, venerat Remos Abbas Lobienſis & per forum ciuitatis tranſiens, occurrerat forte duobus Alberto ſeruientibus, qui venerant à Domino ſuo miſſi, vt emerent veſtes itineri neceſſarias. Quærenti itaque ab eis vbi Dominum ſuum dimiſiſſent, illi rem omnem, ſicut erat, docuerant: ſciebant enim eum Domino ſuo eſſe fidum. Quo audito, omnibus omiſſis, pro quibus venerat, ſtatim cum eis cucurrerat ad Dominum & amicum ſuum. Qui magno fauore tribus diebus tenuit eum ſecum; nec in tanta eius gratia de negotijs ſuis in Curia tractandis mentionem vllam fecerat. Tãtis enim tumultibus contra eum detonantibus hebes Abbas erat & attonitus, nec audebat aures eius appellare de ſuis rebus, aut negotijs, quem videbat de proprijs ſic grauatum. A B

Abbas Lobienſis quid rogat Albertum.

Vnum conſilium petijt ab ipſo & accepit, cum Eccleſia eius eſſet vicina potentiæ Comitis Hainonienſis & ſub violentia Lotharij intruſi, an fidelitatem Lothario præſtare deberet quam ab ipſo exigebat, necdum enim præſtiterat propter eum cuius fidei & obſequio paratus ſemper erat. Electus Abbatem blande conſolatur & benignè: nihil (inquit) fidei tuæ mihi notæ derogatur. Age quod agendum tempus vrget, tempori namque cedendum eſt, quare ſi neceſſe eſt, Lothario Bonnenſi præſta iuramentum atque fidem, & conſerua quamdiu durat tempus eius. Si Dominus mecum eſt, prope eſt tempus eiuſdem intruſi & dies eius non elongabuntur, ſed accipiet finem, & maligni dies eius breui pertranſibunt, & tunc cum laboris atque luctæ meæ miſertus fuerit Dominus Deus, & tu & omnes qui ei fuerunt ſic aſtricti & ligati, abſoluemini auctoritate Sedis Apoſtolicæ & obedietis ei, quem vobis miſerator, & miſericors Dominus miſerit præſulem; breui ſiquidem Sedes Apoſtolica hoc idolum condemnabit atque deſtruet in æternum. C

Prudens Alberti reſponſio.

Abbas Lobienſis Vicarius Epiſcopi Leodienſis in diuinis celebrandis.

His conſilijs cum Abbatem Dominus Albertus animaſſet, atque conſolatum dimiſiſſet, poſtmodum veniens ad Curiam, cum videret eam ſibi clementem & benignam memor dilecti ſui, memor quoq; Eccleſiæ eius ſibi gratę & dilectæ, impetrauerat gratis gratiam iſtam ſicut eſt prædictum vt quia Abbas Lobienſis Vicarius eſt Epiſcopi Leodienſis, in Eccleſia Leodienſi atque Lobienſi diuina celebrans feſtis diebus non ſicut ſolebat dimidius, ſed iam integer & ſolemnis appareret ſacerdotalibus indumentis. Hæc ergo omnia conſiderans & perpendens Abbas Lobienſis, ſtatuit in omni tempore, omni timore depoſito, vti Dei dono. D

CAPVT

A

Audita confirmatione Alberti Imperator illum persequitur.

CAPVT LXIII.

VT audiuit terra sonum quem insonuit Sedes Apostolica de cōfirmatione electionis Alberti Louaniēsis,& gratia eius apud Sedem Apostolicā,& de condemnatione Lotharij Bōnensis Prępositi, & omnium sectatorum eius, in sententias multas est diuisa. Istis gaudium & lætitia qui approbabant approbatum, reprobabant reprobatum: Illis mœror & confusio qui adhærebant Lothario reprobato, & inuidebant Alberto tantis solemnitatibus approbato. *Publicata Alberti confirmatio multos in diuersas trahit sententias.*

B

Super omnes confusus vertitur in furorem Henricus Imperator & Lotharius in sensum reprobum datus obduratur, & opus Dei tantum destruere moliuntur.

Sub interminatione crudeli acerbus interdicit Imperator Henrico Lotharingiæ Duci, vt Albertum fratrem suum cogat exire de terra sua & deinceps ipsum non recipiat. Iras Imperatoris irremissas & potentiam eius grandem Dux formidans (neque enim poterat resistere tantæ potestati) tristis & confusus conuenit fratrē suum, & ostendit ei rem aduersam. *Henricus Dux quid fratri dixerit.*

C

Albertus frater eius plus in Deo confidens quam in homine, fratrem benignè consolatur. Non te mergat (inquit) hæc tempestas propter me frater mi, aliud est mihi munimentum, & locus tutior, quam periculo tuo me tecum habitare in terra ista. Ad Auunculum nostrum Henricum Ardennæ Ducem virum magnificum pertransibo. Syluis & paludibus & montanis firmior eius terra, facit eum firmiorem contra omnem casum aduersantem. Paucos dies ibi commorabor; instat enim dies vt ordiner in præsbiterum, & statim auctore Deo consecrer in Episcopum, vel à Coloniensi, cuius interest, & habet de ea re validum præceptum Apostolicum, vel si refugiat propter metum Iudæorum, à Remensi Archiepiscopo, ad quem etiam habeo super hoc mandatum Apostolicum, & de quo confidit amplius Sedes Apostolica. *Quid Albertus responderit.*

D

Contra omnem ergo casum animus meus Dei virtute est firmatus. Sedem mei præsulatus potest mihi auferre Imperator violenter, sed honore præsulatus iam priuare non potest. Gaudeas ergo pace tua, quia pax tua pax mea esti; fortior est enim Dei virtus omni terrena potestate. Statim enim vt insonuerit illa summa Dei potestas, in vmbras inanes euanescet omnis illa potestas tenebrarum, quæ agit & extollit se contra sublimem Dei potestatem, & Ecclesiæ eius libertatem, Deo protegente, nunquam ab homine malo subiugandam. *Animus Alberti Dei virtute firmatus.* *Fortior est Dei virtus omni humana potestate.*

Albertus exit de terra sua. His & alijs consolationibus seipsum firmans, atque fratrem Ducem erigens atrocitate rei consternatum, paratis rebus, exit Albertus de terra sua, & patrum suorum virorum nobilium, & transit in terram Ducis Ardennæ auunculi sui. *Excipitur ab auunculo læto animo.* Animo magno & clementi Dux auunculus excepit nepotem ad se venientem,& statim inducit in castellum suum Lembourch munitum: & exponit ei omnem locum & omnem castelli ėius potestatem, vt cum suis omnibus in eō sit securus. Ibi veniunt ad eum quidam Leodienses eique fidem facientes ipsum in Dominum assumunt, obedientes præceptis Apostolicis. *Multi fidē præstant Alberto.* Quidam venire palam metuentes,mittunt & significant sese velle obedire, & eius honori se fauere. A

Archiepiscopus autem Coloniensis minis & terroribus Imperatoris vehementer attonitus, significat ei se non posse ipsum ordinare in præsbiterum, vel in Episcopum consecrare;fingens tamen ægritudinem scribit & postulat Remensem Archiepiscopum,vt sicut habet in mandatis à Summo Pontifice, auctoritate Apostolica & precibus suis inductus, ordinare ipsum atque consecrare non pigeat. B

Archiepiscopus Remensis consecrationem offert. Remensis Archiepiscopus litteras eius & preces benigne recipiens, & mandato Apostolico obediens, mandat Electo vt securus veniat.

C

Albertus factus sacerdos consecratur in Episcopum.

CAPVT LXIIII.

Albertus venit Remos. ALbertus ergo Remos veniens ,honore maximo & reuerentia exceptus est ab Ecclesia, & à Willelmo Remorum Archiepiscopo. Illius honori se impendens magnanimus Dux auunculus eius venerat cum ipso postponens iras Imperatoris obstinati sæuientis contra eos, qui ipsi honoris aliquid exhibebant.

Ordinatur in præsbiterum. Sabbatho ergo , quo erat solemne ieiunium autumnale quatuor temporum, solemniter ordinatur in præsbiterum,cum multis,quos honoris eius causa Metropolitanus ordinauit. D

Consecratur in Episcopum. Et sequēti die dominica, quæ erat vigilia sancti Mathei Apostoli & Euangelistæ, cum duobus Episcopis, celebritate magna & gaudio Remensis Ecclesiæ, ac totius Ciuitatis, multorumque nobilium, qui aderant, astante Duce auunculo eius, & præ gaudio lachrymante,in Episcopum Leodiensem consecratur,saluo iure Metropolitanæ eius Ecclesiæ Coloniensis.

Cum autem à duobus Episcopis ante euangelium missæ,sicut sancti Patres sanxerunt ordinandus in Episcopum Archiepiscopo præsentaretur, Archiepiscopus librum ,qui erat ei oblatus aperiens , in prima parte libri legit: *Misit Herodes Rex & tenuit Ioannem & vinxit eum* *Mat. 17.*

in

A *in carcerem.* Et postea sequitur: *Et decollauit eum in carcere.* Statim Archiepiscopus fremens in semetipso spiritu contrito, quasi lachrymando intuens in eum, dixit. *Fili accedens ad seruitutem Dei sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*; tu enim martyr es futurus. Post consecrationem eius coram Domino Remensi hominium ei facit Dux auunculus eius, & multi nobiles qui aderant Leodiensis Episcopatus, cum Bullionensis castelli nobili castellano, statimque Dominus Remensis ipsum cōmendans Ecclesiæ Remensi & populo Ciuitatis, eique valedicens, aggreditur peregrinationem suam quam assumpserat in Hispaniam ad sanctum Iacobum Apostolum, & celer exit ab vrbe Remensi: Ipsius enim causa protraxe-B rat iter suum iam per octo dies, cum dominica proxime præterita similiter consecrasset Ioannem Episcopum Cameracensem.

Eccl. 2. *Archiepiscopus Remensis prædicit Albertum martyrem futurum.*

In die autem festo S. Mathei in Ecclesia maiori in Conuentu, missam primam celebrauit Episcopus pridie consecratus, frequentia magna totius populi Remensis concurrente & gratanter offerente. Ipse vero omnia qua oblata sunt, iussit dari pauperibus.

Albertus celebrat primam missam.

In crastinum autem non longè à Remēsi vrbe indictæ erant nundinæ militares equestrium ludorum, ad quas venit magnus numerus nobilium Francorum equitum, armis colluctantium. Ad eos ludos videndos cum suis iuit spatiatum sine armis Dux Ardennæ, Francorum nobiles fauore magno exceperunt tanti nominis Principem bellicosum, ludos eorum lætis oculis perspectantem: Ibi nuntiatur C ei terrore magno Leodium venisse Imperatorem, iracundia magna plenum, vt destruat & confundat omnes qui Episcopo Alberto adhærebant: adesse cum Imperatore Haimoniensem Comitem Balduinum, adesse & Lotharium Bonnensem Præpositum tantorum malorum auctorem & incentorem.

Nunciatur Duci venisse Imperatorē Leodium.

Quo audito Dux Ardennæ animo magno suas res & terram suam si nesesse fuerit, defendere paratus, auxiliares copias equitum sibi quærit in eisdem ludis equestribus. Magnifico viro præsentes multi fauent, & si opus eis habet, socias spondent dextras. Ille vero Remos celer redit, & recens ordinato Episcopo rem tumultus plenam D narrat, consiliumque secretum de tantis rebus habent.

Dux auxiliares copias quærit.

Albertus autem Episcopus iam non *quærens quæ sua sunt, sed quæ sunt Iesu Christi*, nec terrenum bellum, sed pacem Dei magis volens, Dei magis auxilio niti deliberat, & opus suum quod à Deo habet per ipsum promouere, quam turbare terram & obniti potentia superbi sanguinis sui. *Dicit ergo sese apud se magis esse velle*, & cedendum tempori nequam, donec Dei gratia succedente *aspiret dies & inclinentur vmbræ* tantæ huius tempestatis. Imperatoris animum magis esse sanandū humilitate exulantis, quam suarum fastu rerum. Recedat itaque Dux Auunculus in terram suam & agat & laboret cum cognatis & amicis suis, vt demum acquiescat Imperator, & faueat illi, quem iam videt non electum, sed Episcopum Leodiensem consecratum.

1. Cor. 13. *Alberti sanctum consiliū.* *Cant. 4.*

Dux

Dux induſtria ſua curaturus omnia quæ tempus & res requirerent Remenſi Eccleſiæ gratias agens, & commendans Epiſcopum nepotem ſuum, eique valedicens, ipſum vltra non viſurus, recedit & feſtinus redit in terram ſuam. A

ANNOTATIONES.

Remos veniens:] *Neubrugenſis huius temporis ſcriptor, de quo ante quædam diximus, ſic ait.* Cum itaque Electus Imperatore obſiſtente à proprio conſecrari metropolitano non poſſet, nihilominus impetrato pontificis Romani mandato ad Epiſcopos franciæ, vt ei manus imponerent, ordinatus eſt. Et metu quidem iratæ poteſtatis propriam ſedem non adijt, ſed motum tempore leuatum iri ſperans in Francia pro tempore moratus eſt. B

Imperator ira commotus domos euerti iubet Clericorum qui Alberto fauebant.

CAPVT LXV.

Imperator iubet ad ſe venire Henricũ Lotharingiæ Ducem.

INterim Leodij conſiſtens Imperator grauiter agebat contra eos, qui obedientes erant mandatis & præceptis Apoſtolicis: & iuſſerat ad ſe venire Henricum Lotharingiæ Ducem. Humilis ergo C & ſupplex venit ante eum ignarus adhuc eorum, quę facta erant Remis. Primus omnium audierat Imperator eum in Epiſcopum conſecratum, quod non ſperauerat. Arbitrabatur enim quod Archiepiſcopus Remenſis ita ipſum reuereretur, vt nullo modo conſentiret in hoc opus. Furit igitur Imperator his auditis, & ardentibus oculis cõuerſus ad Ducem Lotharingiæ, qui aſtabat, audiſti (inquit) quid actum ſit Remis de fratre tuo? Cum ille reſpondiſſet nihil ſe audiſſe: factus eſt (inquit) Epiſcopus frater tuus, & caput mouens iracundũ, tunc nihil amplius adiecit, iuſſitque omnes exturbari & euerti domos Clericorum, qui cum Alberto ſentiebant, & eius dignitati fauebant. Cæteros fauentes aut inuitos compellit adorare idolum, quod conflauerat ipſe ſibi, Lotharium intruſum.

Rogat num ſciret quid Remis actum ſit cum fratre ſuo

Iubet euerti domos Clericorum.

Erat Lotharingiæ Dux in palatio, & ei contrarius Comes Balduinus, non humilis ipſe Comes, nec clarus ipſe Dux vt antea. Pronuntiantur enim duci grauia & importabilia, inter quæ fuerunt vt abiuraret vterinum & vnicum fratrem ſuum, vt *flectat genua ſua ante Baal & adoret ſtatuam auream quam erexit Nabugodonoſor Rex Babylonis* & homagium & iuramentum præſtet ei: quæ cum dura nimis atque inhumana viderentur, nec tamen poſſet tuto refragari, vix impetrauit vſque in horam veſpertinam, & pene ſub cuſtodia mœſtus, recedit à palatio. D

Mandat Henrico Duci vt abiuret Albertum fratrem.

Daniel.10.

Interim ſecreto ſuggeſtum eſt ab amicis, quod niſi in omnibus,

quæ

A quæ proposita sunt ab Imperatore obedierit, non solum in periculum totius honoris sui, sed & in discrimen certum mortis ei res aduersa iam procedat. Aliud non posse fieri Dux attendens, sero redit in palatium. Intra palatij fores iam ingressum circumsistunt Regij satellites velut obsequentes, apposito super eum magno luminari. Et importune candelis obsidentes caput eius, cor (inquit) meum exussistis, nolite exurere caput meum. Et veniens ante Principem, respondit omnia se facturum quæ iusserit Imperator. Inprimis oppida quæ occupauerat ante dies istos reddit Comiti Balduino; Abiurat Episcopum fratrem suum, homagium Lothario facit, & iurat illi fidem: sicque Principis ira in ipsum conquieuit, & acerba Curia est soluta.

Nunciatur ei mors, nisi obediat Imperat.

Respondet omnia se facturũ.

B Leodio Ciuitate, quam malè visitauerat Imperator regressus, Traiectum venit: cũ ipso satelles crudelis & funestus erat Hugo de Wormatia Wangionum Ciuitate, quem Lotharingiæ dudum præfecerat Imperator. Hic Lotharingiæ Ducem Henricum, & Albertum fratrem eius, & omne genus eorum persequens odio iniquo, turbauerat omne opus eorum, & omnem pacem Leodiensis electionis in ipsum Albertum concordantem. Ipse Lotharij res attollebat: ipse omnia mala consilio suo malo proponebat: ipse omnia actitabat, vt malis principijs operis sui pessimũ atque criminosum apponeret finem infensus Imperator. Omnibus enim cõsilijs Imperatoris hic intererat cum Lothario, & cum Comite de Horstade fratre eius.

Relicto Leodio Imperator descendit Traiectum.

C Conueniunt ergo seorsum quidam malignantes filij Belial, vt postea vulgauit fama, in Templum sanctissimi Seruatij Traiectensis, & secretius de Clericis & personis profligatis, de Duce sic astricto & affecto, & omnibus alijs rebus loquentes, nihil actum esse dicunt, nisi ad maiora quam acta fuerunt, res protendatur.

Conuentus malignorũ in Templo S. Seruatij Traiectensis.

Eorum verò molimina criminum tanta mole ponderata, sigillatim quis euoluet? Tractatu scelerato tractare cœperunt de morte viri innocentis, qui humilis & pauper exulabat, & recenter sancto oleo vnctus erat, & in summum Dei sacerdotem consecratus. Quibus rebus confirmatis, soluerunt consilium viri scelerati, æternæ mortis rei.

Tractatur in eo de morte Alberti Episc.

ANNOTATIONES.

D In Leodio consistens Imperator:] *Lambertus paruus scriptor huius temporis, quid Imperator inter alia Leodij egerit exprimit hoc modo*: anno Domini 1192. Henricus Imperator infra octauas S. Lamberti iussit destrui domos clericorum & eorum qui repugnabant Lothario, quem præfecerat Leodiensibus.

V CAPVT

A

De patientia & mansuetudine Alberti.

CAPVT LXVI.

IMperator autem Lothario confirmans quæ illi donarat, & associans ei Comitem Balduinum redit in superiores regni sui partes.

Albertus Pontifex factus in alterum virum est mutatus.

Albertus interim recens Episcopus Remis pauper & modicus remanet cum paucis fidelibus suis; cæteri enim qui cum ipso venerant, cum auunculo Duce recesserãt. Iam Pontifex factus in alterũ B virum est mutatus, credique non potest quam innocens agnus erat, in cuius iugulum cultros & gladios acuebat perstãs in impietate sua consilium impiorum. Cuius os, os benignum & suaue, cuius oculi, oculi columbini, cuius vultus, vultus angeli, angelicæ puritatis nitorem & gratiam referentes. Verba eius verba pacis & dilectionis. Tantis odijs atrociter propulsatus, pacifice loquebatur de his qui oderant animam eius. Nec erat ei satis non maledicere de quærentibus & facientibus ei mala; sed fortiter aduersabatur & ægerrimè sustinebat si quis coram ipso mala dicebat de his qui ei mala faciebant. Tanta benignitas erat benigni atque mansueti cordis eius, vt interna cordis pace gauderet, qui exterius odijs & tribulationibus C tantis angebatur.

Eius patiẽtia, mansuetudo, & benignitas.

Conuiuantes male de Lothario loquentes grauiter increpat & conuiuium dissoluit

Ad mensam forte sedebat hilaris & iucundus vultu, sicut dulcis ei natura & gratia Dei profusior aspirabat: sicut & in conuiuijs solet, cũ diuersi diuersa de diuersis sentirent & fabularentur, ipse iocis castigatis conuiuantes oblectabat, cordis bono fruens. Quidam de conuiuantibus amarum gerens animum amare loquebatur de Lothario Bonnensi Præposito & alijs Principibus, qui exilio tam amaro affligebant eum, quem Deus elegerat in Sacerdotem sibi, alij iuxta consedentes amaris amariora immiscebant, inter cætera Lotharium corrodentes non Lotharium, sed Iotarium ridiculè nominabant. Vt audiuit homo pacis, in quo Deus pacis habitabat, verba quæ nõ sapiebant bonum pacis & leporem honestatis, cœpit amputare ver- D ba, quæ mensæ eius & honestati indigna reputabat. Quibus verbis amputatis, alia multo plura suscitabant & amara magis qui tot amaritudinibus succumbebant exulantes: sed Episcopus oleo sancto recenter vnctus, & amarum corde nihil gerens, sicut erat simplicitatis columbinæ, conuiuium terminauit qui dolorem non poterat terminare.

CAPVT.

A

De aduentu Alemannorum Remos ab Imperatore directorum.

CAPVT LXVII.

INtra paucos dies, ad ſceleſtum opus ab inimicis eius prælecti Remos veniunt tres milites Alemanni cum ſatellitibus ſuis conſcijs huius rei, homines valde docti ad tātum ſcelus & tam crudele perpetrandum.

B Qui miſerant eos, inſtruxerunt ſtudioſe armis, equis & expenſis copioſis. Expenſas autem copioſas expendebant Remis hoſpitātes, hoſpitemque ſuum officijs deliniebant, hominem idiotam, quē ſibi talem elegerant, vt eum facilius caperent in opere et ſermone pleno ſceleris et exquiſitæ falſitatis. Omni ergo die, menſa abſoluta, enucleatim computabant & exſoluebant quod expendebant. Equorum ſellæ ſemper erant ſuper equos & fræna iuxta eos præterquam dum mittebant eos adaquare. In pabulum equis ſuis validis & potentibus non fænum molle dabant, ſed frumenti fragmen durum, non auenam minorem, ſed hordeum purum atque groſſum Frequenter extra vrbem tanquam ſpatiatum ſoli conſcij huius rei C in equis procedebant, & per campos latos & iucundos curſu vehementi nobiles equos exercebant, & vt multi ſæpe viderunt, curſu fatigatos acrius eos calcaribus incendebant. Quæ omnia faciebant vt hoc pabulo forti fortiores equi redderentur, & cum eis opus eſſet, curſu aſſueto agiliores poſſent inueniri.

Alemanni tres ad occidendū Albertum Remos miſſi armis, equis, & expenſis copioſis instructi.

De quibus rebus cum hoſpiti idiotæ interdum ſuſpitio oriretur, & quæreret rerum cauſas, falſis coloribus rem omnem obducebant. De ſellis callide reſpondentes in patria ſua moris eſſe, vt equi ſemper ſellis ſternerentur; & ſine ſellis ad aquam ducerentur, vt equorum colla atque dorſa leuiter ſparſis aquis mundarentur, atque per hoc lucidiores apparerent. Pabuli verò genus aliud non D eſſe equis Alemannis: Progreſſum vero extra vrbem, vt equeſtri ludo exilium ſuum ſolarentur.

Alemanni hoſpiti ſuſpecti cautè ſe purgāt

His rebus protrahebant ſcelerati proditores omne tempus quo Remis expectabant horam ſibi oportunam, qua poſſent perpetrare ſcelus ſibi imperatum.

Alemanni sensim insinuant se in Familiaritatem Alberti.

CAPVT LXVIII.

Alemanni proditores vadũt salutaturi Episcopum.

ALtera autem die postquam venerant, omnibus exploratis quę fiebant circa Albertum, cuius futuri erant proditores atque crudeles homicidæ, accedunt ad ipsum primo salutandum. Forte Dominicus dies erat, & ipse Episcopus infulatus de sacrario B ad altare missam maiorem solemniter celebraturus procedebat. In progressu eius milites Alemanni, videntes virum tantæ dignitatis & augustæ formæ, hæserunt, & stupore vehementi cœperunt admirari claritatem vultus eius & Pontificis ornamenta illi ita congruẽtia, multamque frequentiam hominum obsequentium & procedentem constipantium. Quo rerum ordine non exul, sed vnus de Imperij Principibus eis videbatur.

Admirantur maiestatẽ vultus eius.

Albertus clementer eos resalutat.

Vnus autem ipsorum socijs leuiter accliuis, hic est (inquit) quem quærimus. Quod verbum cum teutonicè dixisset, ipsum intellexit vnus de familia Episcopi procedentis. Ipso igitur procedente accesserunt ad eum milites Alemanni, & eum teutonice salutantes, & C ei caput inclinantes, lupinam pellem agni falso vellere velauerunt. Pontifex clementer resalutans eos iussit vt eum expectarent, donec missa finiretur.

Profecto ad iudicium grauius cedet illis occursus ille primus, quo eum, quem antea nunquam viderant viderunt infulatum ingredi in sancta sanctorum. Nam nisi eis mens durior, vltra saxum omne fuisset, flecti potuissent cum viderent illum sacris ornatum indumẽtis gloriæ pontificalis, sacratissimi corporis & sanguinis Iesu Christi tractantem mirabile super omne mirum cœleste ac diuinum illud sacrosanctum sacramentum. Sed in lamina duri cordis illorum non potuit infigi pretiosum illud aurum huius pietatis, qui Christum D Domini, virum innocentem ipsa hora qua sacrificabat, & immolabat agnum Dei, votis omnibus & crudeli conscientia cultris discerpebant, sicut opere compleuerunt, cum venit eis *hora eorum & potestas tenebrarum.*

Dura & crudelia corda proditorum.

Luc. 22.

Missa finita proditores iterum salutant Pontificem.

Missa celebrata Pontifex clemens & benignus iterum corde & ore salutauit milites Alemannos, qui ore non corde iterum præuenerunt eum salutare. Videns autem esse Teutonicos dulcedine natalis soli & familiaritate linguæ teutonicæ dulcius est amplexus & osculum pacis dedit eis, cum quibus pax & pietas erat nulla.

Curiosius

A Curiosius ergo quærit ab eis, qui sint, vnde sint, ad quid venerint? Respondent sese esse milites & nobiles Alemannos atque de mensa & stipendijs Imperatoris se fuisse, sed nuper accidisse, vt Imperatore ad mensam consedēte in conspectu eius iurgium & lis grauis obreperet inter nobiles Alemannos. Et nos (inquiunt) iurgio ac liti ferociter immiscuimus, & serpente malo in immensum, sinistro nobis casu interfecimus pincernam eius virum nobilem ac potentem. Quo casu profligati & proscripti fugimus à facie eius, & consilio amicorum confugimus in pacificam Ciuitatem, maximè quia auditum est in terra nostra te exulare in hac Ciuitate virum tantæ dignitatis & summa generis nobilitate clarum, pro quo contra Imperatorem tota clamat Alemannia. Nobis ergo libet exulare B cum tanto viro innocente exulante. Iam patria nobis est vobiscum in hac vrbe exulare.

Albertus Episcopus quærit ex proditoribus qui sint, vnde sint, ad quid venerint, & quid responderint.

Credidit simplicitas viri iusti columbina sibilo serpentino hominum impiorum; & paulatim per singulos dies maiori eorum familiaritate delectabatur. Vultus eorum, habitus, atque gestus, simulque risus atque facetiæ capiunt & demulcent innocentiam eius singularem. Admittit ergo eos & inuitat ad colloquium & consilium, ad iocos & seria. Crescit in dies in eius dulci corde eorum ad se gratia & affectus. Veniunt ergo frequenter ad missam & mensam eius. Ad missam non vocati, ad mensam non inuitati. Ad missam sponte C venientium deuotio spectabatur, quâ se patrem, Dominum & amicum inuenisse fatebantur. Ad mensam lepide & iucunde residentes multam prætendebant gratiarum actionem. Domi vero cum ipso frequentes erant in secretis, ad Ecclesiam procedenti humiles concurrebant. Si per vrbem eques ambulabat, simul equites ipsi cum eo ibant spatiatum. Nocte ac die quocumque se vertebat, aderant homines scelerati, non amori eius, sed iugulo inuigilantes. Vir autem simplex & rectus secundum se æstimans alterum, hæc sedulitatis officia circa se, amoris intimi gratiam summam reputabat.

Ex simplicitate columbina credit suis proditoribus.

Familiaritas proditorum cum Alberto Episc.

D

Occasiones quærunt interficiendi Pontificem.

CAPVT LXIX.

ILli autem omnibus horis, omnibus rerum causis omnia perscrutantes, quærebant oportunitatem vt eum occiderent.

Vnde & in die festo S. Martini, dum ad Ecclesiam maiorem nocturnorum solemnitas pulsaretur, ad ostium Ecclesiæ secretius excubabant, putantes eum venturū ad solēnia nocturnorū, sicut interdū festis diebus veniebat. Sed ea nocte non satis bene valēs domi

Prima occasio.

 sese

ſeſe tenuit. Vnus ex Canonicis intrans Eccleſiam per vmbras exploratores deprehēdens exhorruit, & vt quid, ait, hac hora, hoc in loco vos tenetis? Reſponderunt Dominum noſtrum Epiſcopum præſtolamur ad Eccleſiam iam venturum, vt ei obſequamur. Non veniet, inquit, corporis incommodo detentus. A

Secunda occaſio. Poſt, vna dierum inuitatus erat ad conuiuium ab vno Canonicorū. Canonici inuitantis honeſta domus erat extra muros Curiæ Domini Remenſis vicina: & inter duos muros anceps erat via à clauſtrali porta ad hanc domum. In anfractu huius viæ ſecreti ſe continebant milites Alemanni, vt per hunc anfractum Pontificem ſero rediturū exciperent gladijs & cultris perimendum. Gladijs accinctos atque ſubarmatos, fœmina cum puero forte tranſiens vidit, quam cùm milites vidiſſent propinquantem, loco ſe mouerunt. Quibus occurrens fœmina, quid (inquit) locum iſtum obſidetis, & nunc ita ad arma properatis? Noti autem penè erant toti Ciuitati. Venerunt, inquiunt, in hanc vrbem noſtri nos quærentes inimici, & Epiſcopum Dominum noſtrum expectamus, vt eius auxilio protegamur: Et ſic tranſeuntes, fœmina tranſeunte, in hoſpitium ſuum ſe receperunt. B

Tertia occaſio. Altera die Pontifex in hoſpitio ſancti Symphoriani deambulans equitabat, & cum eo ſubarmati milites Alemanni. Venit ergo ad domum viri præcipui Philippi Remenſis vice Domini: Poſt pocula, poſt fabellas amicabiles, valedixit eis, & aſcenſo equo, ſe vertit vt exiret. Exierunt autem ante ipſum omnes penè ſui, præter Alemános: quorum vnus euaginato gladio cæteris innuens in exitu portæ domus adequitauit quaſi ludens Epiſcopo exeunti. Qui ſtrepitu motus equi poſt eum properantis, equum & ipſe ſuum calcaribus ictū ſaltu celeri euolare fecit. Alemannus plauſu velans ſcelus, atque riſu dolum ſoluens, gladio ludit aduerſus cōplices, & ſic dolus eſt eluſus & opertus. C

Alemanni fiunt proditionis ſuſpecti. D

CAPVT LXX.

HÆc omnia cœcis oculis videbant qui circa virum nobilem verſabantur: Hæc Ciuitas omnis audiebat, quæ præcipuo amore ipſum diligebat, & omnibus officijs honorabat.

Familiares Alberti Epiſcopi ſuſpectos habent Allemannos proditores. Erant tamen quidam circa eum, quos in his pungebant ſuſpicionis ſpinæ graues: ſed nemo audebat indicare morbum ſuum, cum viderent Dominum ſuum etiam minimo verbo ſuſpicionem quam habebant denotante, iraſcentem, & honore ſummo milites honorantem, deque eorum exilio quaſi ſuo dolentem. Qui etiam apud maiores matricis Eccleſiæ Remenſis, & maiores totius Ciuitatis, &

Præ-

A Præpositum Domini Remensis, primis diebus aduentus ipsorum magnis precibus intercessit, vt in vrbe atque extra vrbem, & in omni eorum Dominio intrantes & exeuntes tuti essent, & ab omnibus gratia eis & honor seruaretur. Inde securi ab vrbe frequenter exibant cum satellitibus suis quasi spatiatum: seduli vias omnes & semitas circa vrbem & ab vrbe longius explorabant ex omni parte sibi prouidentes quà effugerent suo scelere perpetrato.

Has ergo res agebant toto tempore dierum circiter 28. quo cum eo versipelles sunt versati.

B *De homicidio Remis impune patrato, vnde Gerardus Canonicus Leodiensis Alberto familiaris occasionem de Germanis magis diffidendi accepit.*

CAPVT LXXI.

INtra dies 8. ex quo venerãt, duo sinistri ominis in Remensi Ciuitate & in maiori Ecclesia contigerunt.

Duæ res sinistri ominis.

Remensis ciuis erat, quem iuuenis quidam nobilis pro seruo suo reclamabat, & ille denegabat. Inuenit eum iuuenis prosequens & explorãs in Remẽsi foro medio, illic eum interfecit. Erat autem C iuuenis interfector gener cuiusdã militis Balduini; cuius ampla domus proxima foro erat: In hanc confugit à facie Ciuitatis eum persequẽtis: Ibi in secretis domus abscõdit eũ socer, & Ciuitate mitigata (sapiens enim erat & dilectus Ciuitati) eduxit nocte eum & sic euasit reus tantæ cædis.

Vnus ex socijs Episcopi exulãtis, dictus Magister Gerardus Leodiensis Canonicus, & Decanus S. Ioãnis Euangelistæ in insula Leodiensi hoc factum tulit ægrè, non tam propter occisum siue occisorem, quam propter Dominum suum & propter seipsum & socios suos exulantes in ea nobili ac famosa Ciuitate, cuius pacem atque D libertatem tanto probro infregerat media ipsa die improbus interfector, & immunis euaserat, & eluserat omnem Ciuitatem eum negligenter persequentem. Irascens itaque Magister Gerardus hæc dicebat: vt quid sedemus in ista Ciuitate, in qua fieri possunt hæc impune? In ipsa namque cras poterunt fieri turpia sicut heri. Si de ciue suo, si de iniuria sua tanta Ciuitas dissimulauit, & hoc scelus reliquit impunitum, de nobis quid aget, qui ignoti, qui exules, de altero regno barbari prope sumus?

M. Gerardus Decanus S. Io. Euangelistæ queritur de impunitate homicidij patrati Remis, & quare.

Dominus Remensis profectus est in longinquam regionem, & commisit rerum summam atque custodiam tantæ Ciuitatis homini obscuro & ignobili, suis lucris amplius inhianti quam honori Dñi sui & saluti totius Ciuitatis: Quis ergo tutus erit tali sub patrono?

Et de obscuro, ignobili & auaro gubernatore.

Ciuitas

Habet suspectos & timet Alemannos.

Virg. l. 2. circa principium.

Ciuitas hæc recepit istos milites Alemannos : De quibus prima die qua venerunt, dixi, sed & nunc dico, barbaros homines, lepore suo Dominum nostrum demulcentes, valde timeo : Etenim *timeo Danaos & dona ferentes.* Si ab inimicis Domini nostri ad eum interficiendum homines isti sunt immissi, sicut submurmurat mihi timor meus, núquid ipsi non maiores animos sibi conceperint, quod viderunt in medio foro, media die, coram omni multitudine ciuem Remensem interfectum, & ipsum reum euadentem irrisisse custodias & præfectos tantæ Ciuitatis.

Habet suspectum & Mag. Alaxandrum, & quare.

Ante paucos dies venit Magister Alexander vir honestæ formæ, nisi nasus præcisus faciem eius deturpasset : De mensa Imperatoris adhuc viuit iste Alexander, ex quo nasus ei abscisus & propter amores & amplexum puellæ lasciuæ, quæ in thalamis Beatricis quondam Imperatricis Romanorum manebat, & mutuis eum amoribus deperibat. Hic inquam Alexander venit & accessit ad Dominum nostrum, & seruitium suum ei præsentauit dicens ad hoc se venisse, vt eum sicut Dominum suum pio affectu visitaret exulantem. Credidit ei Dominus noster, & collegit hospitio multa benignitate fauens ei quia fuerat & ipse & omnis parentela eius de familia Ducis Godefridi patris sui. Vno die venit iste, & altero recessit. Visitatorem pium Dominus noster eum iudicauit, ego exploratorem. Denique ipso recedente infra decem dies superuenerunt nobis isti milites Alemanni, & Dominus noster pius ac benignus omnia quæ fiunt circa se tuta sibi credit ? Asperius ingenium me castigat, & in hoc eius exilio nihil mihi tutum.

Albertus castigat Gerardum.

His & huiuscemodi verbis & querelis Magister Gerardus sese frequens turbabat, ita vt interdum pius Albertus Episcopus ludens, ipsum quasi timidum iucunde irrideret, interdum vero irascens castigaret, sicut minus sapientem & nimis vehementem.

De rixa inter duos Canonicos Remensis Ecclesiæ, & pace reformata.

CAPVT LXXII.

Disciplina Ecclesiæ Cathed. Remensis.

EO quoque tempore accidit vt duo Canonici maioris Ecclesiæ Remensis rixantes inuicem se conuitijs operirent. Quorum vnus subdiaconus, alteri diacono maiora obiecit opprobria. Cum autem post triduum esset festum omnium Sanctorum & ad Decanum venisset verbum istud : Is commotus ambos citauit in crastinum ad Capitulum, & vigilia omnium Sanctorum . . . re iurgij inter eos comprobata (sicut est seuera Remensis Eccle[illegible]) consilio seniorum iussit vt subdiaconus exuta c[illegible]

A rum exciperet corporalem disciplinā: diaconus autem (quia gradui altiori censebant amplius deferendum) super camisiam eandem exciperet disciplinam. Diaconus quidem iussis obediuit, subdiaconus autem repudiauit obedire, prætendens & obiectans quod à Diacono verbis amplius læsus esset. Quia ergo inobediēs esse videbatur, introitum Ecclesiæ Decanus ei protinus interdixit.

Finito Capitulo, tertia dum cantatur, subdiaconus proteruus & inobediens venit in chorum, licet interdictus. Monuit eum Decanus vt exiret, & exire contempsit. Hoc eius facto Decanus videns derogari disciplinæ regulari, & præcauens in futurum Ecclesiæ, silentium à diuinis indixit, cui contumax Canonicus interesse audebat.

B Ipso die mane Albertus Episcopus processerat longius extra vrbē vt Ecclesiam renouatam consecraret, sicut animo volenti ac benigno faciebat quotiens ad hoc opus Dei fuisset inuitatus. Et quod mirum & relatu dignū, cum ipse esset exul, & summè pauper, pro his omnibus & huiusmodi nec pastum nec pastillum postulauit aut pecuniam, sed & oblata omnia fortiter recusauit ioco illo dulci suo dicens: *Gratū accepistis, gratis date.* Sed orationes pro se & pro suis omnibus, proque Ecclesia Leodiensi laborante serio summis precibus exigebat.

Episcopalia munia facit gratis.

Etiam oblata fortiter recusat.

Math. 10.

Vt parum digrediamur, cum frequenter à suis & fortiter argueretur, vt Decanis & præsbiteris, Abbatibus, & Ecclesijs in terra Ducis fratris sui mandaret & iuberet vt in tanta necessitate ei suis sumC ptibus subuenirent, nunquam voluit eos exaudire, dicens se magis eorum orationibus quam donarijs indigere, nec alicui hac rogatione sese oneri esse velle; & subridens aiebat, Episcopus sum, si homo mihi deest, non dabit mihi panem quotidianum Deus meus?

In necessitate magna constitutus nō vult petere charitatiuum subsidiū.

Prædictæ ergo Ecclesiæ dedicatione celebrata, circa horam nonā ieiunus rediens, inuenit Ecclesiam sibi dilectam prædictis rebus valde conturbatam: quare & omisso cibo, qui ei paratus erat, ad eam properauit. Erat autem Ecclesia scissa in tres partes. Subdiaconi contra Diaconos, Diaconi contra præsbiteros, obstinatione pertinaci contendebant. Pro parte regularis disciplinæ, atque pro domo Dei sui stabant fortiter ex aduerso Decanus atque seniores.

Diuisio & discordia Canonicorum Remensium.

D Pacis cupidus pro pace se miscuit inter partes Albertus Episcopus pace Dei dignus. Nunc ad istos, nunc ad illos anxius decurrebat, postulans & obtestans vt honorem Deo darent, & deferrent omnium Sanctorum festiuitati tam iucundæ: deferrent omni Ciuitati, quæ pro re tantilla sese quasi orbam clamitabat atque tenebrosam, tanto die lugens silentiū non necessariū tantæ Sedis, quæ mater erat & iucunditas totius regni.

Albertus Episcopus post multas admonitiones tandē pacē componit.

Illo die luctatus Episcopus nihil pacis potuit obtinere, sed triste silentium fuit eis vsque ad vesperas, ad matutinas, & ad missam diei subsequentis.

Mœror autem ac triſtitia, grauiſque confuſio pro ſolemni die erat vniuerſæ Deo deuotę Ciuitati,& murmur graue ſerpebat in populo dicente hoc ſilentium, cui ſufficiens non erat cauſa, aliud ſilentium atque malum præſagire Ciuitati. A

Quæ querelæ Ciuitatis & confuſio Canonicos cōegerunt vt Epiſcopum Albertum ſuper his valde conturbatum reuocarent: & poſt multa dicta, eius conſilio in pacem conuenerunt, qua ſubdiaconus obediens ſatisfecit, & reſedit partium omnis lucta, & reſplenduit Eccleſiæ læta facies, ſecundis veſperis ſolemniter celebratis.

De inopia, quæ exulantem Epiſcopum perurgebat & de quadam nocte in magna anguſtia peracta. B

CAPVT LXXIII.

INterim Epiſcopum exulantem ingens inopia perurgebat. Ad fratrem ducem frequentes nuntios atque literas luctu plenas dirigebat, vt inopiæ fratris atque patris, quod vtrumque ipſe erat, ſicut frater pius atque filius ſubueniret. Et non erat vox nec reſcriptum nec opus. Mirabili autem ingenita clementia ſua patienter omnia ſuſtinebat Epiſcopus Deo dignus, in omnibus preſſuris ſuis alacris & iucundus, vt de his vnus eſſet de quibus dicit Apoſtolus; *nihil habentes & omnia poßidentes.* C

2. Corinth. 6.

Deficiunt Alberto Epiſcopo creditores maxime in eius & ſuorum veſtitu.

Defecerant ei primi creditores, primis alij atque alij ſucceſſerant etiam inopes, & credebāt quod habebant in victu, ſed non in veſtitu nec in alijs rebus neceſſarijs, quarum penuriâ ſummâ torquebatur. Creditoribus ſæpe à vicinis dicebatur: vt quid creditis Epiſcopo, licet generoſo & ſublimi dignitate, pax eius omnino deſperatur, paulatim diffugiunt qui ſunt circa ipſum & ad ipſum nemo redit, nemo mittit. Reſpondebant quidam; Et nos & noſtra in manu Dei ſunt. Sine Deo non poteſt homo iſte tantus, ſicut patēs eſt omnibus, eſſe ita gratioſus. Qui dedit gratiā, gloriā & honorem, & ipſe quando voluerit, pacem & quietem dabit ei. Non poſſumus perdere, licet & perdamus quod credimus tanto viro, viro tā iucundo, tā ſuaui, tam benigno, viro quem Deus perfudit tantis aromatibus gratiarū. Et reuera tam dilectus erat & deſiderabilis Ciuitati, vt aſpectu eius nō poſſent ſatiari, vel in Eccleſia diuina celebrantis, quod frequenter faciebat, vel per vrbem cum ſocijs equo ambulantis, quod minus ipſe frequentabat. In plateis poſt ipſum concurrebant, in Eccleſia ſummis ſtudijs ad eum videndum confluebant. D

In his rebus agebat ſic Dei ſeruus, hac lucta luctabatur ab exilij ſui primo die vſque ad diem mortis ſuæ, per dies circiter ſex atque ſexaginta: Et tanto tempore non miſit ad ipſum Dux Ardennæ

auun-

A auunculus eius, neque Dux Brabantinus frater eius, neque aliquis amicorum ſed quaſi nihil ad eos pertineret ſanguine vel affectu, omnes amici ipſum reliquerunt, & quaſi alieni ab eo receſſerunt, quaſi non vnctus oleo, quo vngendum ipſum omnibus votis affectauerant, vt alti ſanguinis ſui honorem ſublimis honor eius amplius exaltaret.

Deſeritur à Duce arduennæ auunculo & à duce brabantino fratre.

Ante paucos vero mortis ſuæ dies, vna noctium cœpit ſecum vehementer anxiari: Ante oculos mentis eius venit omnis tribulatio qua percuſſerat eum Deus flagellans eum fortiter, quem poſt paucos dies erat recepturus. Super omnem tribulationem tribulata eſt anima eius à duritia fratris ſui, qui cum diues eſſet & vnicus frater eius dereliquiſſet ipſum in huiuſmodi tormentis, & extrema paupertate B eiectum & exulantem in terra aliena. Et in his cruciatibus totam pene noctem exegit.

Affligitur fortiter quadam nocte, maximè ſuper duritia fratris ſui brabantiæ Ducis.

De fide & dilectione quibus Abbas Lobienſis ei ſemper adhæſit.

CAPVT LXXIIII.

ERat autem cum eo per omne tempus exilij Abbas Lobienſis, C qui cum omnia perdidiſſet, nihil ſe reputabat perdidiſſe, dum Comes indiuiſus ei fideliter adhæreret. In hoſpitio tamē Epiſcopi nec noctu quieſcebat, nec ad menſam eius remanebat licet pro cibo ſecum capiendo multis precibus multiſque modis eum Epiſcopus compellaret. Interdū cum violentiā præ amore quodammodo inferret illi, & Abbas verbo, non animo cōſentiret, dum manus lauarentur, Abbas ſeſe ſubducebat & redibat domum, in qua hoſpes ſuis expenſis morabatur, expenſis parcens dilecti Domini ſui exulantis. Cum ſemel ad Epiſcopum poſt cibum rediſſet, & Epiſcopus bene iraſcēs quereretur: quid iraſcitur Dominus meus, ioco dixit illi: Non eſt panis ad manducandum, & quid mihi dares? Conſueuerat ergo D Abbas ſingulis diebus ire ad Dominum ſuum mane, vt eo ad Eccleſiam procedente proſequeretur deuotus iter eius. Et eo domum regreſſo vſque ad horam prandij propinquantem, cum eo ſemper erat, & poſt prandium vſque ad horam cœnæ.

Abbas omni tempore exilij illi ſemper adfuit.

Non grauat Dominū ſuum menſa vel hoſpitio.

Ipſum autem amore magno diligebat Epiſcopus ſciens affectum eius erga ſe magnum valde, ſciens conſtantiam eius & fidem inconcuſſam: vnde & dicebat ſuis arridens læto vultu: Vos qui mecum eſtis, & qui ad me ſunt venturi, ſi dederit mihi pacem Deus meus, à me expectatis Archidiaconatus, præpoſituras, ſiue præbendas & honores; Abbas autem Lobienſis, cū ſit monachus, horū nihil poteſt expectare: ſed ſimplex amor, ſimplex gratia mecum detinet eum.

Vnum ſperans à Domino Deo noſtro, vt per me Deus tandem conſulat Eccleſiæ eius tot annis diſſipatæ. A

Mitigat iram contra fratrem conceptam.

CAPVT LXXV.

Petit ſcribi fratri ſuo Duci illi plus ſatis duro.

POſt quandam noctem, qua ſic erat afflictus Epiſcopus, mane venit Abbas ſicut conſueuerat, huncque trahens in ſecretum locũ & valde ęgre ſpirans & ſuſpirans, ſic & ſic (inquit) nox iſta grauis me preſſit. Sic & ſic ſcribetis nomine meo Duci fratri meo, quẽ B non ſentio mihi fratrem vel amicum, ſed atrocem & omni ſaxo duriorem. Nunquid & ego ſicut & ipſe filius ſum nobiliſſimi Lotharingiæ Ducis Godefridi? Vnici fratres ſumus. Quia maior me eſt, & accinctus gladio militari, ſit Dux ipſe: Communis eſt nobis hæreditas ampla prædiorum patris noſtri, quam mihi frater meus, tanquã degeneri, aufert violenter. Tonſura clericatus, vel altior gradus iuſtis legibus nulli præiudicat paternam poſſeſſionem prædiorum. In delitijs viuit frater meus, & in miſerijs me mori cogit. Eſto: terrore ſummo coactus me fratrem abiurauit. Si Cæſaris iracundi, potentia magna abiurationem fecit, illius culpæ miſereor, & remitto. Si vt iuramẽtum ſeruet *quæ ſunt Cæſaris Cæſari reddit*; reddat & naturæ quod C naturæ debet. Vitam mihi ſeruet, & viuere mihi permittat, ſaltem de prædijs patris mei.

Tonſura vel altior gradus nulli aufert ius ad hæreditatẽ paternam.

Math. 21.

Sicut ergo bene noſti omni diligentia de omnibus his ſeuero ſtylo ſcribas ei. Seuerior enim mihi eſt omni ſtylo frater meus. Et hæc dicens fortiter ingemuit.

Abbati ipſum tenere diligenti, & vna fratrem propter ipſum, durus viſus eſt ſermo iſte. Sed quia eum toto animo reuerebatur, & videbat dolorem eius vehementem, non præſumpſit obuiare iuſſis eius.

In hoc vno diligens & præuidens obuiauit, quod cum iuſſiſſet hoc eſſe ſecretum, reuelauit Præpoſito Thomæ Verbin, quẽ ſciebat vnico affectu & integro diligere Dominum ſuum. Sed & Abbas atque Thomas amicitia magna iuncti erant. Aperiens ergo ei verbum omne D conſuluit quid facto opus eſſet: durum enim valde ipſi videbatur ſi ſcriberet tam auſterè fratri, frater mitis. Is ſubmittens parum caput, & præmeditans paulo interuallo ſubriſit, & imo vero (inquit) ingenioſius quam poteris ſcribas duci & exaſpera omne verbum & ſingulas dictiones. Nulli nota magis domus ſua, quam mihi Domini mei benignitas, & dulcedo naturalis. Non facilius extinguit ignem modicum ſuperiecta grandis aquæ moles, quam extingues eius iram ſi fortiter, rigidè, & vltra mandatum eius ſcribas duci fratri ipſius. Cum autẽ ſecreto cum eo legeris hanc ſcripturã, te ad-

A te adhuc loquente cum eo fiducia bona quam habemus apud ipsum vobis subitus interueniam, & videbimus verbi finem. Dixit, & facta sunt omnia sicut dixerat,

Vt autē litteras austeras legit seorsum Episcopus & superuenientē Thomam vidit, nunc super eum, nunc super Abbatem, ambos considere iussos, benignos oculos superducens, & literas manu vibrans castigato risu risit: animaduertit enim rem sicut condicta erat inter illos. Et vicistis (inquit) & vicerunt literæ valde graues, infra breue tempus mittam Duci fratri meo litteras mitiores, quia sic oportet fieri. Crudescente vero & crescente penuria omnium rerum, post paucos dies fratri scripsit, in hunc modum.

B

De literis Fratri suo directis.

CAPVT LXXVI.

ALbertus Dei gratia Leodiensis Episcopus, Henrico charissimo Fratri suo inclyto Duci Lotharingiæ salutem, & fraternæ dilectionis affectum. Exquo veni in hoc exilium meum, non cessaui precibus magnis & litteris frequētibus pulsare fraterna viscera vestra, vt mihi subueniretis; mihi, qui caro & vnicus frater vester sum; mihi, quē Deus & sancta Sedes Apostolica elegit in Sacer-
C dotem sibi, & non meis meritis, sed gratia Dei sum Episcopus vester, ac per hoc etiam pater vester. Sed quia video quod viscera vestra non sentiunt affectum erga me carnalem vnicum fratrē vestrū, erga me spiritualē P. vestrū, vltra hanc vicē iā non porrigā preces meas ante faciē vestrā; non mittā literas vnico fratri meo; quia, quod cū magno dolore cogor dicere, de vobis, per vos cogor desperare, & vnicus frater vester & benignus pater vester. Mihi enim & scribēti frequēter & humiliter deprecāti, nec scribitis, nec respōdetis.

Scripserat autem & auunculo Duci fere in hunc modum. *Scripsit & Auunculo suo Duci Ardēnæ.*

Dux autē Lotharingiæ frater eius, cū audisset has vltimas literas
D eius (quarū baiulus fuit nūtius missus Abbatis Lobiēsis ex monachis eius vnus) illachrymatus est (commota sunt quippe viscera eius super fratre suo) nuntiumque honore magno recepit & conquirens munificè equos, vestes & argentum, & cætera tempori necessaria, in proximo proprios legatos mittere disponebat addens in mandatis quod aduersariorum eius multi & præcipui ad ipsum non longe post venturi erant, vt in pacem reducti ei tanquam patri & Domino deinceps fideliter obedirent. *Frater permouetur literis fratris & parat illi necessaria.*

Pari modo facere disponebat Ardennæ Dux auunculus eius. *Similiter & auunculus.*

Retroldus etiam nobilis adolescens Cathalunensis Præsul electus, sciens atque dolens de inopia Domini Alberti tantæ dignitatis viri, pioque consilio pro eo sollicitus erat & ad eum miserat literas & le-

 gatos,

gatos, vt expẽsis suis honore magno haberet eum secum Cathal aunum, & ad eum deducendũ proximis diebus ipse cum suis venturus erat Remos, sed longe aliter facere de ipso Deus disponebat, qui nouellum Christum vt purior atque pretiosior appareret *purgabat tanquã aurum suum in fornace* tribulationis. A

Sap. 3.

De flagello diuino contra Episcopum & suos.

CAPVT LXXVII.

CVm hæc igitur & illa hinc & inde ab hominibus & à Deo parentur, interim Albertus Episcopus immani pondere contra inopiam suam luctabatur, & ardebat fortiter igne tribulationis & angustiæ. B

Omni melle ipse dulcior ante se videbat, & dolebat suos ire nudos, inopes & abiectos, quos cultu digno solebat splendidè honorare. Mensa eius ante læta tristior apparebat; vestis enim & supellex eius tota creditoribus pro pignore data erat: præter vnum suum palefridum & capellam suam non multum pretiosam, remanserat ei nihil.

Albertus Episcopus videt suos domesticos nudos, inopes & abiectos

Quibus & alijs multis malis afflictus & vehementer depressus domi sedebat in tristitia; & iam spaciatũ nusquam ibat siue pedes siue eques, sicut primis diebus consueuerat, sed iam multos dies se tenebat intra domum nusquam vadens præterquam ad Ecclesiã, ad quam frequenter ibat & diuina lætus & deuotus celebrabat. Vnde & dicebat suis ioco illo dulci suo. Sæpius est concurrendum vbi bonum atque mentis quies inuenitur. Mœstum præsens Ecclesia me solatur: solum opus hoc diuinum lætificat animam meam, dum diuinis intersum sacramentis, & amplius, dum diuina Deo annuente tracto sacramenta: *Deus* est enim *Deus noster qui facit mirabilia magna solus.* Non iam virga sterili me flagellat, sed virga ferrea me confringit fortiter & vehementer. In eo spero & speraui, & si me occiderit, in eo sperabo semper & lætabor: bonum enim est sperare in Domino, cuius misericordiæ multæ nimis. C D

Sedet domi nec vsquam spaciatũ vadit

Solam Ecclesiam frequentat & diuina tractat lætus sacramenta.

Psal. 71.

Quanta suspicio erat multorum Remensium ciuium & domesticorum Episcopi de Alemannis.

CAPVT LXXVIII.

INter hæc domum eius frequentabant milites Alemanni, quorum colloquijs venenatis columba mitis fouebatur: ita vt socij eius & ministri

A ministri, qui nouerant quanto affectu & honore amplectebatur eos, & colebat, statim vt venissent milites Alemanni, de loco quo sedebant vel astabant circa eum consurgerent, & solis locum darēt Alemannis, quorum fauore iniquo agnus innocens sic gaudebat, vt eis denunciaret quod eos ducere vellet Cathalaunos.

Quanta familiaritas Alemānorum proditorum cum Episcopo.

Quod fallaci gratia dum hoc verbum recepissent ægre pertulerunt. Timebant enim, & id verum erat, quod non esset ita solus Cathalaunis sicut Remis, quia Cathalaunis præsente Domino Ciuitatis frequentia erat magna nobilium virorum & illustrium: Absente vero Domino Ciuitatis & agente longe, Remis ita sola erat vt nobilium virorum & illustrium frequentaret eam nullus.

Vult eos secū ducere Cathalaunos.

B Illud etiam mordebat vehementer Alemannos, quod plus solito domi sedens tristior Episcopus non erat sic expositus gladijs eorum & cultris, quam si foras iret, per quod occasio forte se offerret scelus impiū perpetrandi. Iamq; domi, licet essent cum eo frequentius in secretis, sicut est supradictū, posse fieri quod volebant omnino non videbant, quia Episcopo cū eis familiariter in thalamis apertis ostijs, vt videri possent, fabulante, Comites eius & ministri foris expectabant, & si attentassent opus illud criminosum, quod omnibus horis expectabāt, eos qui foris erant euadere nullo conatu potuissent, præsertim cum ante portam domus, sicut in claustro Canonicorum habitantium, Ciuitas frequens pertransiret; & frequentes ludi essent ante portam eorum, qui ipsum frequentabant amore magno, quo C ipsum Ciuitas omnis, plusquam credi possit, percolebat.

Timent Alemanni sibi auferri occasionē patrandi sceleris.

Sed & quidam de familia Episcopi multa iam notauerant, quibus in suspicionem venerant crudeles Alemanni maxime quia sicut alibi sic ad domum eius veniebant subarmati. Nam semel quidam, de familia vidit & notauit, quod vnus ex tribus Alemannis dum primos ascenderet gradus domus, incautus & imprudens superioris marginē vestis sublevauit, eo quod impediret ascendētem demissa vestis eius. Quo vestem leuante apparuit caliga ferrea, apparuit & culter dependens non satis occultus, inter femur & caligam ferream.

Alemāni merito suspecti domesticis Alberti.

Cum ergo se res sic haberet de sceleratis Alemannis, tantis tamen D verborum machinis atque strophis, callidi occurrebant, vt Albertus Episcopus ingenij mitioris non discerneret rerum causas neque affectum de omnibus & in omnibus mentientem. Sic enim animo nequam sibi præsentes in omnibus erant vt verborum machinis exquisitis & ad opus omne præparatis, destruerent & delerent suspicionis omnem notam.

Mira calliditate eludunt suspiciones.

Quibus rebus, simul & gratia, quam habebant apud innocentem virum, contingebat, vt miro modo timerent eos multi, sed & multi male suspicarentur.

Vnde & in foro Ciuitatis iuxta monetarum stationes, vbi frequētior est conuentus ciuium, dum de his sermo inter eos verteretur, sicut multi garciones acutius solent indagare & prospicere rerum seriem

riem abditarum, vnus garcionum inter Ciues multos colloquentes A
exclamauit; Periculo mortis caput meum sit obiectum, nisi ad hoc venerint isti crudeles Alemanni, vt interficiant Dominum Episcopum, quem videtis tam dilectum nobis inter nos exulantem. Hordeum & frumenti stramen, quod singulariter equis suis emunt, expensæ eorum singulis diebus persolutæ, cursus eorum frequens extra vrbem, quodque subarmati sic incedunt, & alia multa quæ notaui, sunt præcones atque signa indignæ atque lugendæ mortis eius.

In publico foro accusantur Alemanni proditionis.

Exhorruerant præsentes verbum eius, & nihil mali suspicantes, tamen ad verbum paulo tristius inclamantes, effuge (inquiunt) garcio venenate, & ne iteres verbum coram nobis ne vt dignus es, dereat caput tuũ, non enim poterant credere illum posse mori morte tali, quem Deus vnxerat oleo sancto suo, cuius nouerãt fortissimũ B
& nobilissimum genus toto regno teutonico eminere.

Sed à potentibus potenter fuerant animati atque confirmati isti milites Alemanni, qui firmauerant sibi sermonem hunc malignum tam potenter tamque pertinaciter, vt non potuerit infirmari malignitas eorum vel respectu generis tam potentis, vel gratia viri innocentis, nocentes illos toto tempore dulciter amplectentis.

Fuit autem vnus de his Alemannis militibus tribus maior natu, quem ridentem toto tempore vidit nullus: Raro quidem & parcè loquebatur, sed submissus & efferus semper erat illi vultus. Cæteri iuniores sic alacres & læti videbantur, vt suis iucũdis facetijs & verbis sicut cætera vultum eius tristiorem facile excusarent; dicebant e- C
nim eum naturali grauitate, sic affectum. Sic nullis obstantibus rerum argumentis omnia euenerunt, sicut ventura super eum nouellũ Christum suum Deus disposuerat.

Dei prouidentia infallibilis

Albertus inuitatur à Sanctimonialibus vt celebret Missam in Ecclesia S. Petri prope muros vrbis sita, vnde Alemanni quærunt occasionem eum interficiendi.

CAPVT LXXIX.

D

VEnerat ergo Dominica dies qua occurrerat sanctæ Ceciliæ virginis & martyris festum. Erat autem Remis monasterium Deo sacratarum puellarum, quibus celebrior erat S. Ceciliæ festa dies. Accesserunt idcircò Pontificem Albertum, & humiliter ac deuotè petierunt, vt honorem daret Deo & beatæ Ceciliæ & in earum monasterio, quod est in honore S. Petri Apostoli ibi solemniter ædificatum, diuina celebraret.

Celebrat vltimo sacrum in monasterio S. Cæciliæ virginis die S. Cæciliæ festo.

Ad hæc flecti pronus erat, qui animo volens Deo seruiebat. Venit ad Monasteriũ, & hac vltima deuotione deuotus diuina celebrauit.

Ad hæc

A Ad hæc missarum solemnia magnus concursus fuit virorum atque mulierum. Affuit inter eos & Sathan cum satellitibus suis illis militibus Alemannis, non vt adorarent veri adoratores, sicut cæteri, sed vt exciperent gladijs & cultris suis tantum Pontificem occidendum, siue euntem, siue redeuntem, siue inter ipsa mysteria sacro sancta, si se locus obtulisset: vnde & altari proximi sacro Pontifici secus astiterunt sicut domestici, cum domesticis eius *& vt qui in sordibus erãt, sordescerent adhuc.* Post euangelium ad manum eius munera obtulerunt, osculo inde traditoris osculati sunt manus eius atque pedes, & post missam in equis eum redeuntem prosecuti, vsque ad domum eius deduxerunt, & à missa ad mensam eius accedentes, participes eiusdem mensæ fuerunt, sed non missæ. *Apoc. 22.*

B Altero die simul venerunt ad illum sub obtentu cum eo, sicut solebant, amicabiliter confabulandi. In recessu, dixit eis, vt redirent mane, & cum eo equitarent vsque ad S. Remigium, ad quẽ ire causa orationis ipse disponebat, & vt cũ ipso redeuntes, cũ ipso manducarẽt. Hoc dicto lætiores Alemãni recesserũt, sperabant enim horã sibi lætam propinquare qua possent sibi iniunctũ scelus tandẽ perpetrare. Prædictis enim rebus in desperatione positis, ne mora afferret periculũ non exequendi quod eis fortiter impetratum erat, modis omnibus sibi conandum iudicabant, vt eum quoquo modo trucidarent. Et tunc gratus eis locus, & occasio grata videbatur quod eo loco pene extra vrbem, atque sine turba esset transiturus.

C Quia ergo eis dixerat quod vẽturus illuc esset, mane facto, alacres viri sanguinarij surrexerunt, & in equis cum suis satellitibus subarmati & instructi omnem supellectilem suam conferentes, præoccupauerunt iter eius, quem venturum confidebant, & circa S. Remigium in insidijs equites sese angusto loco tenuerunt, transeuntibus hoc dicentes, quod Episcopum Dominum suum eo venturum exspectarent. Quia vero domo exierant sic instructi, hospiti suo bruto homini valedicentes, dixerunt quod essent longius ituri, & post triduum reuersuri, nisi retineret eos Episcopus, cui ad S. Remigium occurrere festinabant. Erat dies festus sancti Grisogoni martyris, qui inter electos Dei meruit simul inuocari infra canonem sacrificium diuinum præcedentem.

D Mane facto venit ad Domini sui domum solito festinantius, ei deuotus Abbas Lobiensis: inuenerat enim eum sero valde tristem & confectum, & indoluerat. Veniens ergo valde mane inuenit eum adhuc in lecto molestè se vertentem, & grauiter suspirantem, & omnibus membris sic collisum, ac si malleis ferreis eum aliquis collisisset.

A

De somnio quod passus fuit in nocte S. Grisogoni.

CAPVT LXXX.

Albertus præter solitum nõ canit horas Canonicas.

NOcte namque tota insomnis pene fuerat curis vehementer agitatus, & cum paululum obdormisset, horrendis & exitialibus somnijs cruciatus. Vnde cum ante eum Capellani eius matutinas mane decantarent, & Episcopus psalterij versus non alternaret respondens contra eos, quod solitus erat facere diligenter, dictis matutinis interrogauit eum Magister Gerardus, qui notauerat B eam rem, rerum scrutator curiosus: vt quid (ait) Domine mi non respondisti nobis, sicut soles? Ad quod verbum superuenerat Abbas Lobiensis, ad quod Albertus Episcopus triste gemens & suspirans altũ, *multa enim*, ait, *passus sum in nocte ista* & insomnis, & in somno. Insomnem mœror ingens me consumpsit, & modicum somnũ cepi: Momentaneo & tantillo illo somno, qui non semel obrepsit mihi, æger fui magnis semper in tormẽtis. Videbatur mihi gladijs & cultris horrendis hæc camera esse plena, plena tumultu, plena luctu, plena vmbra mortis: Gladijs & cultris fortiter impetebar, non erat qui adiuuaret, non erat locus fugæ, non erat exitus euadendi. Inter hæc verba, lecto in quo sedebat surgens se vestiuit, & accinctus, atque manus leuans stetit, & comites eius iuxta ipsum. Erat enim C vultus eius sicut vultus angeli, miro modo supra seipsum forma speciosus: colorem enim viuum vultus eius rubore castigato modestè tinxerat noctis labor ingens, & insidebat ei candor atque rubor, quasi lilium rosæ maritatum, statura vero eius decens & decora, vultui nõ discordans, quibusdam inter hęc signis intuentium oculis imprimebat gratiam morum, & innatam cordis eius leuitatem. Intuens autem suos, & quemque lustrans oculis illis suis columbinis, & videns eos perturbatos, tamen ipsum consolantes, cœpit & ipse mirabiliter consolari.

Insomnis multa patitur.

In somno similiter.

Habitudo corporis Alberti.

Domesticos perturbatos consolatur.

D

Albertus de morte sua Propheta.

CAPVT LXXXI.

POst hæc autem nunc ioco, nunc serio multa cœpit dicere & de vita, & de morte suâ: de vitâ quidem minus, de morte vero plura & decora.

Quod verbum de morte sæpius iteratum cum molestum suis esset, & vt omitteret triste verbum hoc sæpius ab eis rogaretur, non intermittendum

mittendum esse respondebat: Sed quasi datus esset dies, sicut erat, A sed ignotus, ipso mane de morte sua disputabat cum diceret, omnia mortem terminare, mortem curis hominum & laboribus vniuersis finem dare, quantum ad præsentis mundi curas & labores. Mors (inquit) æquat ingenuos atque seruos, potētes & infirmos, locupletes atque publica stipe mendicantes. Vixi clara stirpe generosus homo, si morior quid mihi profuit altum genus, si non aliud bonū pro me intercedat apud Deum? Maiorum meorum potentiâ vixi potens inter meos; si moriar, quid iuuabunt, nisi Deus qui me fecit, & tunc iuuet quando deficiam: Sicut admonebat status meus in quo fui, vixi delicatus; si moriar, ad quid mihi valent fallaces delitiæ huiusmodi? Addat mihi Deus misericordia sua delitias ampliores, quæ nullo fine B terminantur. Quid fecit mihi Deus meus? Clericus diues eram iucundus & sublimis; nunc Episcopus mœrens ego, pauper, humilis, & deiectus, & abiectus. Pauper exul ego sum, pauper Episcopus ego sum; pauper Episcopus, quo pauperior Episcoporum nullus viuit. Si ergo morior, moriar valde pauper, & iam paupertas ista nihil mihi nocet, imo prodest; humilis enim non superbus moriar Episcopus ego pauper. Sufficit mihi terra septem pedum. Qui sic me flagellat, addat mihi Deus meus in terra viuentium pro sepulchro vili substantiam & gratiam vberiorem.

Albertus de morte variè disputat.

Apud Deum non prodest altum genus.

Neque potētia

Neque delitiæ

Paupertas Alberto nō nocet sed prodest.

Miro modo seria iocis miscet.

Mirabili connexione seria iocis miscens, hæc dicebat & seriatim, simul & iocose ita loquebatur, vt nescires vtrum ioco, vel serio lo- C queretur. Iste namque loquēdi modus erat illi, vt eius grauitati semper comes esset leuitas, & dulcedo.

Eius grauitati semper comes erat leuitas.

Et hęc omnia verba grauiora, quam res adhuc appareret, mitius & iucundius ipse ioco temperauit illo die, quia videbat suos molestius hæc audire.

Sed pars vltima diei declarauit, quia Pontifex ipso die moriturus, inscius ipse mortis suæ de morte sua prophetauit. Post hæc verba, adducantur (inquit) equi, vt eamus peregrini ad sepulchrum S. Remigij Francorum Apostoli: vt ipse pro nobis intercedat ad Dominum nostrum, qui nobis cito reddat lætitiam salutaris sui: Nam D post cibum exibimus vrbe, vt parumper animas nostras recreare valeamus.

Inscius mortis suæ de ea prophetat.

Recreandi verbum laudant omnes, sed verbis eius alludentes nolunt illa die, feria tertia, inquiunt, quæ est hodie debemus feriari: feria sexta dignius est orare & ieiunare. Eo die nos sanctus Remigius peregrinos suos patienter expectabit, & in hoc verbo fixi contendētesque eum tenuerunt, & diffugientes huc atque illuc pene omnes sunt dispersi. Eamus ergo, dixit Episcopus ad Abbatem Lobiensem, & ferculum diei melius & iucundius missam simul audiamus. A nobis isti irrisores recesserunt, & nos accedamus ad eum qui reducat nobis dies bonos.

Sui ab eo diffugiunt.

De Missa quam ipso die mortis audiuit.

CAPVT LXXXII.

1 Audit sacrum. ANte domum eius capella parua erat; In ea ad missam secretius celebrandam Magister Gerardus se præparauerat. Erat autẽ, sicut vir grauis & acutus, valde perturbatus de his quæ audiebat & videbat, timore magno timẽs, & coniectãs quæ vẽtura erant super eũ, quẽ videbat illa nocte sic confectũ & collisum. Cœpit ergo missam humilis & deuotus, cuius introitus iste fuit: *fac mecum Domine signum in bono, vt videant qui me oderunt & confundantur quoniam adiuuisti me, & consolatus es me.* (Psalm. 85.) Collectas autem, & Epistolã, graduale, Euangelium, & offerendam, & post communionem omnia tristia conquisierat & elegerat de omnibus locis gradualis & Epistolarum, & Euangelij & libri Collectarum. B

Subridet ad Missam Gerardi, & quare. Quam missam cum audiret Episcopus dulcior omni fauo, sicut timori eius illudere consueuerat, allusit ad timorem eius & subrisit.

Erant autem quatuor in capella, Sacerdos Gerardus, qui cantabat, Clericus alter qui cantanti respondebat, & seruiebat; Dominus & pius Albertus Episcopus, & quartus Abbas Lobiensis: Cæteri omnes aufugerant, quasi prognosticum diceret ei Deus: *Percutiam pastorem & dispergentur oues.* (Math. 25.) C

Abbas Lobiensis quantam reuerentiam exhibet Episcopo exuli. Episcopus ergo altari proximus orans existebat, Abbas vltimo loco longe ab ipso, eo inuito, se tenebat. Tantam enim reuerentiam Abbas humilis Episcopo exuli semper exhibebat ac si Leodij sederet in omni plenitudine suæ potestatis, & fortiter irascebatur in corde suo, si quem forte vidisset gannire non quidem contra eum, sed ante eum vltra eius benignam voluntatem. Quod interdum contingebat quando rixabantur ante ipsum; quod mansuetudini eius naturali contrarium nimis erat.

Albertus dat pacem Abbati Lobiensi. Hora ergo missæ, qua pax Episcopo à Sacerdote est transmissa, Dulcis Episcopus accurrens citior ad Abbatem, ore suo dedit ei pacem Dei, hoc vltimo dono suo ditans eum, quem plurimum diligebat, & post missam data benedictione ad domum suam se recepit. D

Abbas vltimũ valedicit Alberto. Abbas autem accepit ab eo licentiam sanguinem minuendi, & suggessit ei, vt equos suos acciperet, cum post cibũ, sicut dixerat, vellet equitare, ne solus equitaret, sciẽs omnes eius equos pignori obligatos præter palefridum, quem & ipsum vendendum dederat abbati S. Dionysij Remensis monasterij regularis. Accepta ergo benedictiõe discessit Abbas non visurus eum amplius, quem toto mentis affectu vnice diligebat.

Alemanni qui eum diutius exspectauerant, cum vidissent eum non

A non venire, inani spe frustrati, manè illo ad hospitium suum, vt fuerant instructi, cum confusione sunt reuersi, hospitem suum vanis verborum ambagibus illudentes, sed & ne venirent pransuri cum Episcopo, qui eos inuitatos aliquantum exspectauit, prohibuit confusio illa, qua frustati erant mane horâ suâ.

Qualiter postquam Missam audiuit egressus extra ciuitatem ab Allemannis crudeliter est interemptus.

CAPVT LXXXIII.

B SEd post hæc audientes quod post cibum equitaret, in maiorem spem erecti sumpserunt raptim cibum. Tunc vero illam horam videntes iam adesse, quæ votum suum vel omnino terminaret, vel omnino defraudaret, omnibus rebus accinguntur, & instructi sicut prius hospiti bestiæ valedicunt, & accedunt ad Episcopum à prandio iam surgentem.

Alemanni accedunt Episcopum à prandio surgentem.

Et cur, inquit, Episcopus ad prandium inuitati non venistis? Ad sanctum Remigium (inquiunt) te Domine diu expectantes consumpsimus omnem diem. Et Episcopus alludens eis sua illa serenitate, emendabitis, inquit, mihi culpam istam, mecum sero cœnaturi.
C Quod cum laudassent adferri vinum iubet, & data benedictione, bibit ipse primus, & donat illis. Et biberunt post benedictum & benedicentem homines maledicti.

Exiens inde domo stetit in vestibulo, & videns equos eorum sarcinatos, ad quid, ait, venistis ita sarcinati? Responderunt. Ad nos veniunt & prope sunt nuntij gentis nostræ, expensas nobis deferentes. In occursum ergo eorum festinamus, & cras cum eis erimus à te recessuri, vt de terra nostra nouum aliquid audiat auris tua. Sed quia iam tardior hora venit, & nos ad cœnam gratia tua inuitauit, gratanter procrastinabimus iter nostrum. Sarcinæ vero nostræ leues non
D multum grauant satellitum nostrorum fortes equos. Age igitur & ascende quia post meridiem iam dies inclinatur. Si tibi desunt equi & nos & homines nostri fideles socij tibi viæ sumus & mitte ad Abbatem Lobiensem tibi amicum & fidelem, vt ascendat equos suos secum ducens, plures enim habet, vt per nos & per ipsum crescat tibi maior comitatus. Sanguinem (inquit) sibi minuit, & in reditu meo veniam ipsum visitare. Sufficimus (inquiunt) risu falso subridentes fortes & validi satis septem sumus Alemanni; & ipsa tuta tibi times: si vero necessitas, quæ nulla erit, forte immineret, pro capite tuo ponemus caput nostrum. Timebat enim Episcopus exploratores Comitis Reitestani, propter quos & alios multis diebus tenuerat se Remis quietum.

Episcopus aliquem de sarcinis eorum scrupulum mouet.

Alemanni excusant.

Omnia tuta promittunt.

Albertus timebat exploratores Comitis Reytestani.

Armans

Armans igitur se signo crucis ascendit equum præpotentem, quẽ dederat ei auunculus eius Dux Ardennæ, quem & ipsum cum cæteris obligauerat creditori, qui per filium suum miserat eum Episcopo, vt cum redisset statim eũ sibi reduceret. Exiuit ergo pene solus præter Alemannos; non enim de suis plures erant, quam Sigerus Canonicus Leodiensis, & miles eius Oliuerius. A

Exit pene solus cum Alemannis.

Per obscuram ergo, strictam, & non altam portam Ciuitatis sibi notam, atque aptam votis suis ipsum innocentem protinus eduxerunt milites Alemanni, à læua portam regiam relinquentes, quæ olim porta Cereris dicebatur, à modernis porta carceris appellatur.

Erant autem, sicut dictum est, septem Alemanni, tres milites & quatuor armigeri animis & armis fortes viri. Nec potuissent homines scelerati omnibus votis sibi præoptasse locum, aut tempus magis apte respondens huic sceleri perpetrando. B

In vrbe magna quies erat per latos & patentes campos, sicut in hyeme solet, nullus erat agricola, viator nullus apparebat. Per campos ergo Pontificem Deo dignum deducentes nihil horum suspicãtem, super ipsum, & cõtra duos eius comites ex conducto quasi duas acies duxerunt viri sanguinum & dolosi. Sigerum atque Oliuerium quatuor armigeri, duo vnum, & duo alterum dextra læuaque obsederunt, & fabulis eos, & ludicris callidi deducẽtes. Pontifici sacro innocenter equitanti duo milites dextra læuaque adhærebant. Tertius paulo vltra illos rem venturam sic obseruans ambulabat, vt sella equi eius non præcederet caput equi, quo Pontifex incedebat. Põtifici ergo sic tres erant iuncti strictim, vt vnus de duobus Põtificalis equi collo brachium innecteret atque manu comam eius deliniret: alter eius frænũ modo tenens, modò remittẽs horã competentem expectabat: tertius vlterior manu mulcens caput equi cauebat tacitus, ne quo casu euolaret equus cursu potens. Inter hæc fãmiliares erant ita ioci, & dicta & respõsa inter eos, vt quiuis posset credere nullum esse qui plus amare posset Episcopum his obsequijs ab ijs delinitum. Nihil enim minus credi siue cogitari posset quam proditionis opus esse quod agebant. Sed omnia suis sceleribus euicerũt, & omnem fidem irritam fecerunt. C D

Qualiter Alemanni se disponunt vt Albertum innocentẽ trucident.

Quibus obsequijs eum deliniunt.

Lõgius quã potuerũt eum ab vrbe protraxerũt, vsque ad quingẽtos ferme passus, & longius protraxissent, nisi Sigerus Canonicus questus esset, quem tædebat processus huius longioris: ad vrbem (inquit) Domine mi reuertamur, iam enim aduesperascit, & inclinata est iam dies. Quo audito milites Alemanni satellitibus innuerunt, quorum duo posteriores qui ambulabant cum milite Oliuerio, statim euaginatis gladijs eum percusserunt in capite, & in brachio, atque manu, grauiter vulnerantes. Simul autem & equum eius confodientes eum solo prostrauerunt. Sigero Canonico, quod nudus armis erat & imbellis, duo alij nihil nocuerunt.

Sigerus queritur de longiore ab Vrbe progressu.

Hoc audito Alemanni facinus aggrediuntur.

Oliuerium percutiunt.

Qua

A Quare gesta, gladijs eductis super agnum illum Episcopum Albertum crudeliter irruerunt milites Alemanni, & (horrendum) tempora eius, & cerebrum, & caput effregerunt. Cadentem gladijs suis & cultris exceperunt, & tres milites & quatuor satellites ad tantæ cædis opus pariter accurrentes, nihil actum reputabant, nisi vnusquisque tam dolendæ cædis auctor esset. Ventri vero eius & femoribus gladios atque cultros crudeliter immiserũt totum corpus eius horrendo carnificio laniantes. Ad primam enim plagam vel ad secundam exspirauit; non enim est vox eius audita siue clamor: Ipsum autem tredecim magnis vulneribus confoderunt.

Alberti tẽpora & caput effringunt.

Ventri & femoribus eius gladios immittunt.

Vltra humanam rabiem crudelitatis eorum magnæ magnum fuit B signum, quod sic occiderunt Alemanni, virum pium, virum innocentem, virum qui eos honorauerat tam gratiose, tam clementer. Si enim iurauerunt sese ipsum occisurum, si parcere viro innocenti Domino & amico capitis sui periculo formidabant, quod illud fuit scelus, vt non parcerẽt primis vulneribus iam occiso, sed post mortem eius extrema rabie discerpserunt omne corpus illius, quem primis diebus aduentus sui Dominum suum sibi constituerant & amicum, cui dederant manus, & fidem firmam sese conseruaturos iurauerant. Fecissent certe satis potentibus illis, qui miserant eos ad hoc scelus perpetrandum, si simpliciter occidissent. Sed vt quam maximè placerẽt ijs, qui eos miserant, proditione & crudelitate ista voluerũt obtinere principatũ, & esse insignes & proditores & homicidæ. C

Tredecim vulneribus confoderunt.

De fuga Alemannorum, & Remensibus frustra eos persequentibus.

CAPVT LXXXIIII.

TAnto scelere perpetrato protinus fugiunt Alemanni, secum trahentes equum nobilem Pontificis interfecti, largo sanguine D Domini sui cruentatum & profusum. Nacti verò patentes cãpos atque vias planas, fugæ nullum finem posuerunt, sed illa tota die vespertina & sequenti nocte, atque subsequentis diei toto mane incessanter equitantes, hora demum tertia Virdunum peruenerunt, vbique tunc primo quieuerunt, ciboque ac somno paululũ recreati, facti famam timentes euolantem, Ciuitate Virduno sunt elapsi, & magnis itineribus ad Imperatorem contendentes, & rem, sicut erat acta prædicantes, & in signum facti sui nobilem equum Pontificis interfecti ostendentes, ab Imperatore magno fauore sunt excepti.

Virdunum vsque incessanter profugiunt.

Tandem ab Imperatore magno cum fauore excipiuntur.

Thomas autem Merbiensis non erat cum eis quando facta est Remis illa cædes: ipse namque, & Elyas de Bullione castello Canonicus

cus S. Lamberti non exierant cum Domino suo quando eum eduxerunt Alemanni, quia à creditoribus ægrè obtinebant præstari sibi equos, omnisq; familia Alberti Episcopi pedes erat atque nuda, quæ cum eo venerat vestibus, equis & armis instructa pariter & venusta. Qui si cum Domino suo exire potuissent, nihil contra eum attentare præsumpsissent, sicut nec aggredi eum domi præsumpserant tot diebus. A

Quare familiares Episcopi deseruerint Dñm suum.

Thomas igitur & Helyas tandem nactis equis qua parte exissent ignorantes, post ipsum per Regiam Bacchi portam exierunt, & ad dextram se vertētes versus S. Nichasium, petierunt campos altiores. E quibus ad sinistram prospectantes in decliui campo viderunt gladios iam eductos fulminantes & putantes esse ludum suorum colludentium, eo se verterunt. Re autem perpetrata, cum vidissent cursu properantes Alemannos, & ludum esse existimantes, laxatis frænis ad eos contenderunt, non enim à longe videre poterant Dominum suum terræ procumbentem, nec discernere oculis rem dolendam sicut erat. B

Thomas & Helyas familiares Episcopi persequuntur Alemannos.

Longius autem præcurrentes Alemanni de iugo campi fastigiato in decliuem campum longum transierunt, & sic ex oculis sunt elapsi. Quod videntes ipsi qui frustra eos sequebantur, ob cursum eorum vehementem, iam tunc cęperunt suspicari rem iniquam. Equos autem retorquentes versus vrbem suffusi seriatim dum redirent, inuenerunt corpus Domini sui solo fusum, & ad caput eius Sigerū sociū luctu plenum, & secus eum Oliuerium, plus de eius morte, quam periculo mortis suæ luctuosum. C

Inuenerūt corpus Dñi solo fusum & apud illum Sigeriū & Oliuerium.

De Roberto Præposito Ciuitatis Remensis, impudēter vexante familiam Alberti martyrio affecti, & eius correptione.

CAPVT LXXXV.

Filius autem creditoris, cum vidit eum interfectum, & equum sic abductum, ad vrbem velox recurrit, sed intra vrbem incedens moderatus & sine clamore tacitus ad patrem venit: Dominus (inquit) Episcopus foris iacet ab Alemānis interfectus, & pignus tuum, nobilis equus eius est abductus, hæc veni tacitus nuntiare tibi, vt videas inde quid tu agas. D

Creditor iniquus ad Robertum Burton Præpositum Ciuitatis, de quo supra dictum est, festinauit: Episcopus (inquit) est occisus, equus meus est abductus, de his quæ credidi ei amens perdidi pecuniam copiosam, sed age vt non totum perdam; pro me & pro alijs creditoribus familiam eius totam, antequam rem actam sciant, in vincula

trahas

A trahas, & in Regia porta martis include catenatos; futurum est enim vt veniat nobilis eius parentela & redimat innocentes. Ascendit equum Præpositus tanta re turbatus, diuulgat verbum Ciuitati, simul ipse iubet stolidus vt in vincula coniectentur quicumque de familia eius sunt inuenti extra claustrum Canonicorum.

Ad suggestionem creditoris præpositus vrbis conijcit in carcerem vnã familiarẽ Alberti occisi.

Quo audito, familia desolata tanto Domino suo duplici malo attonita, & exterrita concurrens intra domum Domini sui se includit. Vnus eorum interceptus comprehenditur, & in Regia porta martis mittitur includendus.

Maiores Ecclesiæ Remensis hoc audientes, fatuum Præpositum arguunt vehementer, non satis (inquiunt) ingenti malo sumus obuoluti, quo Pontifex tantus, nobis commendatus inter manus no-B stras hodie iacet interfectus, nisi & tu simul excrucies familiam eius innocentem, in confusionem sanctæ Remensis Ecclesiæ, & totius huius Ciuitatis.

Arguitur imprudens præpositum.

Præpositus hoc terrore confusus, captum reddit, & ab alijs vexandis conquiescit.

Præpositus captiuum relaxat

Fragore autem tanti mali de morte Pontificis exaudito, Clerus omnis, & omnis populus Ciuitatis luctu magno planxit, & induit cõfusionis summæ tenebras, inestimabili dolore consternatus, vique doloris velut amens currit extra Ciuitatem sexus omnis, currit ætas omnis, omnis ordo.

C

De famulo Alemannorum à populo Remensi occiso, necnon Alberti solemnibus exequijs & sepultura.

CAPVT LXXXVI.

ERat autẽ Remis garcio Namurcẽsis, qui iussu cuiusdã à Namurco deduxerat primo venientes Alemannos, & toto illo tempore cum eis seruiens ipsis fuerat commoratus. Hic relictus domi cum audiuit æstuantis motum Ciuitatis, a domo prosiliuit, & ad Ecclesiam matricem attonitus metu fugit. Iamque propinquabat atrio D Ecclesiæ principalis inter S. Dionysium & Ecclesiam principalem, cum fugiẽti forte superuenit Wilhelmus Iudæus baptizatus, iuuenis forma & habitu vigentis corporis, & vita Iudæo non respondens, quem Wilhelmus Remorum Archiepiscopus de sacro fonte susceperat, & de familia sua semper esse iusserat. Hunc velocem dolor ingens velociorem fecit esse, & garcionem Namurcensem cursu superauit, & apprehensum tenens strinxit. Fœminæ vero accurrentes multæ cum ipso, trahentes eum vehementer pugnis, & vnguibus in momento mirabiliter discerpentes, extinxerunt.

Famulus Alemannorum homicidarum à populo miserabiliter extinguitur.

Ciuitas ergo veniens ad locum tantæ cædis ab Alemannis perpetratæ, inuenit exanime corpus iacens Episcopi manibus impiorum A laniati, & planctu magno luxit super eum. Omnibus ergo membris laniatum, cum membra simul non hærerent præter pellem, quæ intercisa se tenebat, diligenter Episcopum collegerunt, & pannis cericis inuoluentes, ad Ciuitatem magno luctu retulerunt. In sacrario autem Ecclesiæ principalis ablutum diligenter, & vulneribus ablutis colligatum, pontificalibus indumentis eum induerunt & cōpositum in choro Ecclesiæ medio posuerunt.

Recolligitur & reconditur pannis cericis corpus Alberti.

In equis autem validis quosdam iuuenes miserat ciuitas irata, ad comprehendendum fugentes Alemannos. Sed garcius filius prædicti Creditoris, qui celauerat cędem factam, inanem fecit omnem B cursum. Nam si primo regressu suo in vrbem factum recens garcio proclamasset, non facile euasissent fugientes Alemanni. Sed euaserant longo tractu planæ regionis, priusquam fuisset ad clamorem Ciuitas excitata. Frustra ergo persecuti iuuenes longè discurrētes, interuentu noctis in vrbem sese receperunt.

Quidam vero magis feruidi vltra sunt progressi, & longe pernoctantes, dum vident sese nihil præualere, sequenti die in vrbem sunt regressi. Passus est martyrium idem Albertus 8. Calend. Decembris, anno Domini 1193. Hoc modo voluit eum Dominus terminari & rapi è mundo ęrumnoso, *ne malitia mutaret intellectum eius, aut fictio* sæculi blandientis deciperet animam illius.

Sap. 4.

Insequenti die Ciuitas omnis luctuosa confluxit ad Ecclesiam, ad C exequias celebrandas; multūque studiū fuit omni Clero & populo Ciuitatis, vt exequias dignas tanto viro sibi tam dilecto celebrarent affectu magno & dolore.

Ciuitas Remensis celebrat exequias Alberti magno affectu & dolore.

Sepultus est ergo honore magno (quod vnum & vltimum ei facere potuerunt deuoti) in medio Ecclesiæ principalis ante altare, quod est situm subter crucem & honoratum crucifixum, ita vt ibi Archiepiscoporum vnus Sedis illius iaceat olim sepultus ante eum. Sacratus vero lapis marmoreus & rotundus sancti Nichasij antistitis, super quem fuit decollatus, operit caput eius & humeros subterfusos. A tumba namque Archiepiscopi præiacentis vsque ad lapidem, nō est locus ita longus, vt inter ipsa medius sepeliri potuerit totus, nisi D eo ordine quo est dictum. Et hoc ipsum fecit affectus Cleri magnus erga ipsum fauore Ciuitatis, vt Christi misericordiæ offerret atque commendaret Nichasius Præsul Christi martyr Albertum Præsulē Christi nouellum martyrem.

Huius martyris gesta Epitaphio breuiter descripta versificator in persona eius loquens his verbis complexus est.

Legia me legit, electum Roma probauit:
Remis sacrauit, sacratum martyri sauit.

ANNO-

ANNOTATIONES.

A 1. *Ecclesia Remensis in libro obituum Albertum Episcopum his celebrat verbis.* Obijt Albertus Leodiensis Episcopus frater Ducis Louaniensis piæ recordationis, vir auctoritate Apostolica Remis à Domino Wilhelmo Archiepiscopo in presbiterum ordinatus, & in Episcopum consecratus. Nouem septimanis, & duobus diebus a consecratione elapsis, prope muros ciuitatis Remensis, ab Alemannis traditoribus gladijs ac cultellis interfectus.

2. *Martyrologiũ Ecclesiæ Bruxellensis eiusdem quoque Alberti meminit, sic enim inquit:* Apud Ciuitatem Remensem Albertus Episcopus Leodiensis vir miræ sanctitatis, frater Henrici Magni Lotharingiæ & Brabantiæ Ducis, ob custodiam Ecclesiasticæ Libertatis, de mandato Henrici Imperatoris interemptus occubuit vigesima prima Nouembris.

B

3. *Guilhelmus Neubrugensis scriptor huius temporis lib. 4. cap. 34. sic de eodem loquitur:* Indignatus Imperator, Albertum scilicet Remis consecratum in Episcopum, in indignissimum scelus exarsit. Quippe ab eo, vt creditur, subornati quidam audaces: assumpta exulum specie eundem Episcopum quodam die spatiandi gratia cum paucissimis vrbe egressum, cum vnico clerico peremerunt.

4. *De electione cap. Venerabilem Innocentius tertius ad Bertholdum Carinthiæ Ducem sic scribit:* Notum est qualiter sese Henricus, scilicet Imperator, habuerit erga interfectores sanctæ memoriæ, Alberti Leodiensis Episcopi, quem prius exulare cöegerat, & quæ alia sacrilega scelera perpetrauerit. *Molanus ad martyrologium Vsuardi his verbis vtitur:* Ipso die, hoc est 21. Nouembris, apud Ciuitatem Remensem vir miræ sanctitatis Albertus Episcopus Leodiensis, frater Henrici magni Lotharingiæ & Brabantiæ Ducis ob custodiam Ecclesiasticæ libertatis, de mandato Henrici Imperatoris, interemptus occubuit.

C

Adstipulatur his omnibus Chronicum magnum Belgicum, & omnia nostratia.

Cùm hac prelo mãdarẽtur significauit mihi Clariß. vir I. B. Gramaye Belgij Historiographus, Sereniß. Belgarũ Principes Archiduces Austriæ, Duces Brabantiæ Albertum & Isabellam, sancti huius Alberti fratris Ducis Louaniensis Henrici, Leodiensis Episcopi reliquias, à Catholico Rege Franciæ & Reuerẽdiß. Archiep. Remensi, eiusq; Capitulo, vt honoratiori loculo Bruxellis reconderentur, petijsse & impetrasse. Qua solemnitate & religione è medio Templi Remensis vbi primum recondita fuerunt, eleuata fuerint, & quæ sanctitatis signa in ea eleuatione adiderint: qua denique celebritate per vicos & oppida: & tandem per Bruxellenses recepta fuerint, scribent illi qui nuper eleuationi & translationi illi interfuerunt, malui tacere, quam ea, quæ vulgi incerto rumore circumferuntur, scribere.

D

A

De miraculis ad eius sepulchrum.

CAPVT LXXXVII.

NEc ignotum fuit Ciuitati sanatos ad sepulchrum eius graui febre & morbis alijs laborantes, dum primis diebus depositionis eorum fides recens, & deuotio ardens, pro ipsis exorauit.

Erat fœmina Remis nota, quæ septem annis morbo laborauerat, & arido brachio aridam manum, digitosque contractos tanto tempore ad caput non leuauit. B

Hæc primo sabbatho post mortem eius venies, & orans ad sepulchrum eius est sanata, & ab omni incommodo liberata. Ipsam liberatam & sanatam vidit qui hæc scripsit, & de longo eius morbo audiuit testimonium multorum, qui eam viderunt hoc incõmodo diu laborantem.

Multi honorati ciues vident luminaria ardentia in loco vbi fuit interfectus.

Ex ciuibus autem multi viri honorati ac fideles frequenter viderunt luminaria ardentia in loco, vbi fuit interfectus; vbi postmodũ lapideam crucem decenter excisam erexerunt, super columnas quatuor eminentem, subter quas quadrati lapides sunt substrati, ordine tam protenso, vt obtineant locum omnem, quo procidit agnus ille ab impijs interfectus. C

Parentes Alberti, & Episcopus Cathalaunensis necessaria mittunt Alberto, sed sero.

CAPVT LXXXVIII.

INterea à Duce fratre eius, & à Duce auunculo eiusdem, mouerant iam Legati venientes, & munera ei deferentes, & pecuniam copiosam ad expensas eius persoluendas. Ipsa fere hora D qua exijt à Remensi vrbe statim occidendus, exierant simul & ab vrbe Cathalaunensi quidam Legati, qui ei hospitium Cathalaunensis Episcopi offerrent, sed cum sub noctem Remos venissent inuenerunt eum in Ecclesia iacentem, sequenti vero die sequutus est eos & ipse Electus, & inuenit eum iam sepultum, magnoque dolore cõsternatus luxit eum.

Electus Cathalaunensis venit ad Albertũ sed sero.

Luget illum. Consolatur illum familiam.

Comites autem eius & ministros desolatione magna desolatos, multo affectu est consolatus, & vt possent reuerti in terram suam, ad expensas

A expensas dedit eis decem libras, & Ecclesia Remensis decem libras.

Abbas Lobiensis orbatus lumine Domini sui sibi tam iucundo, doloris acerbi magnitudine fere est opressus: Nec erat grata eius vita, cum mori penè voluisset cũ eo, quem animo toto pie diligebat. Cum ei diceretur, bene tibi fecit Deus, quia cum illo non existi, te ipsum pariter occidissent crudeles Alemanni, qui propter hoc curauerant ab Episcopo te mãdatũ dũ exiret; nõ satis grate audiebat verbũ istud, imo vero lugens respondebat, si mori mihi contigisset cũ viro illo innocente, morte innocentè innocens cum eo fieri meruissem. Fidem ergo plenam & affectum pium, quo viuenti adhærebat, defuncto voluit abbas exhibere.

Abbas Lobiensis morte Alberti grauiter affligitur.

Curabat autem cura magna qualiter educere de terra posset eos, B qui omnia etiam tuta metuebant. Misit ergo & euocauit vnum de cognatis suis, virũ nobilem & potentem, per quem eduxit eos quintadie, & deduxit eos vsque ad domum suam, quæ est in pago sita Laudunensi; vbi diligenter curati sunt, & sic nocte illa quieuerunt à dolore, metu, & labore.

Curam gerit domesticorum Alberti.

Sequenti autem die, ab isto loco longe conduxit eos vsque ad locum tutiorem Thomas Merbiensis, qui simul præsens erat mœrens atque lugens. Qui cum suis ingressus terram nobilis viri & potentis Nicolai de Rumagni, Abbati valedixit, & fleuerunt fletu magno cum separarentur.

C

De luctu parentum & fuga Lotharij.

CAPVT LXXXVIIII.

POst triduum itinere continuo iam peracto, comitibus & ministris Domini sui Thomas lugubris stetit ante Ducem fratrẽ Alberti, se & familiam Domini sui desolatos repræsentãs, simulque ostentans partes vestium fratris perfusas sanguine eius. Cæteras enim vestes cura magna Decanus & Canonici Remenses sibi collegerunt & reposuerunt in Ecclesiæ loco sancto, simulque digitum D manus eius cum annulo aureo, quem inuenerat forte Remẽsis puer in campo iacẽtem iuxta corpus eius. Annlus autem erat Abbatis Lobiensis quem postmodum mire est amplexus, tum quia eo Episcopus vsus erat, ab eoque oleo sancto perfusus cum altaria & Ecclesias consecraret, tum quia inuentus fuerat in digito ipsius in hora mortis.

Annulum Alberti amplectitur & honorat.

De vestibus quoque eius sanguine concretis à Decano Remensi fideliter atque pie partem sibi dari petijt & accepit, & reposuit seorsum in sacrario Ecclesiæ Lobiensis.

Petit partem vestium Alberti & reponit in sacrario suæ Ecclesiæ.

Vestes ergo videns Dux Henricus & sanguinem fratris sui cum familia eius desolata, recidiuo dolore repercussus (nam & ante audierat

audierat de morte eius) cum suis omnibus, qui valde multi erant, eiulatu magno flere cœpit. Audita namque recenti morte fratris sui, ipso die conuenerant ad eum consolandum, & tractandum quid facto opus esset, stabat quoque illic in campo magnus numerus equorum, peditumque condolentium, & fragore magno infrementium pro indigna morte tanti viri. A

Luctus fratris Alberti.

Accusans semetipsum Dux & cōdemnans fortiter, proclamabat sese fratrem suum occidisse, sese fratricidam esse, sese vnum reum esse sanguinis fratris sui; à se vno repetēdam mortem fratris sui, à se vno pœnam mortis. Cuius eiulatum prosequentes qui astabant, in luctu diem mœstum consumpserunt.

His diebus Comes de Horstade frater Lotharij inuasoris erat in terra Comitis Balduini, vadens & rediens circa fines illos, modo clam, modo palam: ad colloquium cuius, à Remis exierant scelerati milites Alemanni quinque diebus antequam occiderent Albertum Episcopum. B

Comes de Horstade frater Lotharij fugit

Post mortem eius altero die venit fama velox Malbodium oppidum, in quo dictus Comes suspensus expectabat rerum fines. Vt audiuit mortem Alberti, & terram commoueri, atque execrari scelus perpetratum, statim fugit male sibi conscius facti huius. Lotharius quoque in vrbe Leodiensi tacitus expectabat; cum ecce fama mortis huius, horrore magno percussit totā Ciuitatem, quæ summis studijs Albertum Episcopum sibi peroptabat. C

Ciuitas celebrat exequias Alberti Episc. reclamante cōtra Lothario.

Attonita ergo Ciuitate, maior Ecclesia lugubris exequias Episcopi sui celebrauit. Ad quas dum signa pulsantur, venit in templum idolum desolationis Lotharius amens, vt videret & audiret quo ordine exequias Ecclesia celebraret. Qui cum intelligeret quæ fiebant: Non, inquit, exequias celebrate pro Episcopo, sed pro Archidiacono nostro Alberto Louaniensi. Durius ad hoc verbum qui præsentes erant Clerici responderunt; fortior enim dolor fortius exasperauerat eos contra illum, sub quo gemebant oppressi potentia Cæsaris male contra eos idcirco sæuientis.

Publicum igitur Ciuitatis luctum, faciem Ecclesiæ tenebrosam, rerum causas atque fines Lotharius dum perpendit, hæsit vehemēter, & intremuerunt renes eius, & dissolutæ sunt manus eius, ac festinus in palatium se recepit, & ascensis equis cum suis satellitibus, vrbe digrediens, Hoyo castello se valido inclusit, misitque Legatos ad amicum suum Comitem Balduinum implorans opem eius. Ad quē festinus venit Comes, sed videns terram conflagrare inuidia facti huius, nec iam tuto niti posse contra rerum molem imminentem, respondit opem imploranti: Supra vires (inquit) meas, contra honorem meum transeunt preces istæ tuæ. Opponere me non possum tantæ rerum moli, fortis est eius, qui occisus lugetur parentela, sed & cognatus erat ipse mihi. Factum ergo istud male factum, factum valde fœdum me detinet, ne me fœdem atque genus meum. Sed experire D

Lotharius Leodio fugit Hoyū

Vocat Comitē Balduinum in auxilium frustra.

A perire consilium maioris potestatis, vt possis eripi tantis malis. Itaque Lotharius desperans à castello noctu fugit, & toto Episcopatu Leodiensi decedens, cum fratre Comite confugit ad aulam Imperatoris factum fœdum fœde amplectentis.

Fugit nocte è Castro ad Imperatorem.

De coniuratione parentum Alberti contra Imperatorem Henricum & Comitem de Horstade, de pace facta, & eiectione Alemannorum homicidarum ab aula Imperatoris.

B

CAPVT XC.

VT ergo audiuit omnis Alberti parentela homicidas illos esse tutos & iucundos in aula Imperatoris non sibi bene consulentis, indoluerunt dolore magno ac primo sibi colloquentes per legatos, postremo colloquij cominus sibi diem condixerunt prope Coloniam Ciuitatem.

Parētes Alberti colloquūtur de vindicta sumenda.

Erant primi eorum Lotharingiæ Dux Henricus frater eius, Ardennæ Dux auunculus eius, Bruno Archiepiscopus Coloniēsis cognatus eius, & Comites ac Principes multi cum eis; qui omnes multo comitatu in conspectum mutuum cum conuenissent, & rememoratum eis fuisset ab his qui viderant genus mortis eius, & ostensus sanguis, fleuerunt fletu magno, ac si primo die eis mors eius nunciata fuisset.

C

Fletu autem non dolore mitigato, inuicem multa pertractantes, & animantes in commune semetipsos, demum valida coniuratione iurauerunt contra Henricum Imperatorem, & contra parentelam Comitis de Horstade & Lotharij fratris eius; quorū genus erat valde, sed non æque potens siue clarum.

Coniurant contra Imperatorem & Comitem de Horstade.

Conradus autem Moguntinus Archiepiscopus, & alij Principes multi regni Teutonici, qui absentes erant, consilio eorum firmiter D adhærebant, & rem omnem per legatos confirmabant, execrantes cædem factam tanti viri innocentis, execrantes aulam Regis, quæ retinebat execrandos illos, qui Romani Imperij Maiestatem execratione tanti facinoris fœdabant.

Colloquio autem hoc soluto, Duces ac Principes adunati cū multo equitatu terrā Comitis de Horstade sunt ingressi, & totam terram eius vastauerunt, omnia castella eius occupantes præter vnum validissimum, quod expugnari posse desperabant.

Coniurati Principes terrā Comitis de Horstade vastant.

Henricus Imperator videns Imperiū conturbari & cum eis multos Principum contra se moueri, simulque infamia tanta rerum & pernitie se morderi, cōsilio saniori flecti tandem acquieuit, multisq; legatio-

Hæc aduertēs Imperator flectitur & paci inij.

legationibus vltro citroque missis & remissis, venit ad colloquium A
Muneribus & promissis satisfacit, & ab aula homicidas remouet.
styrpis generosæ in oppido cõfluentia super Rhenum & Mosellam magnisque satisfactionibus cum eos deliniisset, pace facta, muneribus & promissis eos honorauit, & remouit ab aula & finibus regni Theutonici homicidas illos milites Alemannos, quorum plures intra paucos dies morte turpissima sunt a Deo vindice condemnati.

ANNOTATIONES.

Intra paucos dies morte turpissima sunt à deo vindice condemnati:] *De vltione diuina in personam Lotharij & tota historia magnum Chronicon Belgicum sic habet*. In historia regum Franciæ ita legitur Remis metropoli francorum, occiditur sanctissimus Episcopus Leodiensis Alber- B
tus missis apparitoribus ab Imperatore, in eundem sanctum Episcopum, fingẽtibus se eiectos ab Imperatore, qui eundem sanctum Episcopum, cum ab eo fuissent amanter recepti, & apud eum diu tanquam amici fideles conuersati, nacti spatiandi occasionem, extra muros ciuitatis eductum occiderunt octauo Calend. Octobris. Lotharius Bonnæ præpositus, cuius occasione hæc factã sunt, nunquã postea Leodium intrauit, sed paulo post iudicio diuino, mortuus interijt.

De electione Symonis, & appellatione quatuor Archidiaconorum ad sedem Apostolicam, necnon eiusdem Symonis insolentia. C

CAPVT XCI.

QVibus actis de electione Leodiensi verbum cœpit agitari inter Principes & Duces styrpis huius. Propter hoc cœperunt inter
Discordia in electione.
se discordare, qui prius inter se concordabant, dum hic illum, ille alterum, quisque sibi propinquiorem eligere contendebat. Inter quos, de duobus sermo maior erat, de fratre Comitis de Sena Bonnensis Præpositi, post Lotharium à Curia Romana condemna- D
tum, viro formæ elegantis, & morum honestorum, & de Symone filio Ducis Ardennæ, qui primos adolescentiæ annos tum ingressus, ad hoc opus tanti ministerij minus aptus videbatur.

Contentio occulta inter Hẽricum Ducem Brabantiæ, & Henricum Ducem Ardennæ
Pro quo, ipso contentio serpsit sed occulta inter Henricum Ducẽ Brabantinum & Henricum Ducem Ardennæ auunculum eius. Dux enim Brabantinus filium Ducis Ardennæ nolebat ad hanc dignitatem assurgere, quia timebat auunculum, propter ducatum Lotharingiæ quem tenuerant parentes Henrici Ducis Ardennæ; qui licet Dux diceretur nihil tamen Ducis habebat sed ex re quam tenuerũt

patres

A patres eius, id ſolum nomen vſurpabat. Perdiderat autem familia eius hunc honorem per Henricum Imperatorem, qui vltimus Henricorum, patri rebellis, imperio priuauit patrem ſuum Henricum Imperatorem, qui Leodij deceſſit exul & mendicus.

Iſte Henricus Imperator duos perpetuos ſacerdotes in Eccleſia beati Lamberti, & duo noua altaria inſtituit pro remedio illius peccati, quo procurauerat mortem Epiſcopi Alberti Louanienſis.

Henricus Imperator duo altaria inſtituit in Eccleſia Leodienſi, & quare.

Henricus autem Dux Ardennæ pro filio ſuo eligendo decertans multis laboribus & expenſis, & ſibi concilians ipſum Lotharingiæ Ducem nepotem ſuum, & per ſe & per ipſum quoſdam Archidiaconorum Leodienſis Eccleſiæ, & Canonicorum, & Baronum terræ, & eorum qui poterant verbum eius promouere, condicta die in Ec-B cleſia Leodienſi conuentum multum fecit congregari, & ſic demum poſt multas colluctationes, ſed non terminatas, pro Domino Alberto Leodienſi Epiſcopo electus eſt Symon cognatus eius, filius Ducis Ardennæ. Ad hoc ipſum apud plures iuuit eum fauor, & memoria dulcis eius cognati, qui Remis fuerat ordinatus Epiſcopus & occiſus.

Eligitur in Epiſcopũ Symon filius Ducis Ardennæ.

Henricus Imperator hanc eius electionem tulit ægre; ne tamen generi eius omnino, ſicut prius, obuiaret manifeſte, & coram derogaret dignitati, quia adhuc ſtridebat plaga recens, nec volebat cicatrices refricare in vulnus reciduum, inſtãtia magna Ducis Ardennæ & precibus Ducis Lotharingiæ, demum inuitus acquieuit, & poſt C multa dicta & relata, venit Aquiſgranum & Symonem inueſtiuit de regalibus Leodienſis Epiſcopatus.

Aegre fert Imperator & quare.

Tãdem acquieſcit & quare.

Contra hanc eius electionem & inueſtituram ei factam fortiter inclamabant, & ſe totis niſibus opponebant, adnitente Comite Balduino Haynonienſi, quatuor Archidiaconi Leodienſes, Hugo de Petra ponte, Otto de Falconis monte, Albertus frater Comitis Reiteſtani, & Albertus de Cuyck, qui vnus ſuper tres eminebat auctoritate maiori, prudentiæ multæ, conſilijque magni, & conſtantiæ fortioris.

Opponunt ſe electioni 4. Archidiaconi, inter quos eminet Albertus de Cuyck.

Iſti ergo videntes quia præſentes erant Symonem electum regalibus inueſtiri, ad Sedem Apoſtolicam appellauerunt in conſpectu Principis, cui hæc appellatio non fuit oneroſa, quæ tamen friuola & D ſuperuacua viſa eſt Duci pãtri inueſtiti, & omnibus qui de conſilio eius erant, non diſcernentibus rerum cauſas atque fines, & qui eſſent, & à quibus, & per quos animati, qui appellauerant hanc rem grandem.

Appellãt Sedẽ Apoſtolicam.

Dux Ardẽnæ contemnit appellationem.

Ab Eccleſia ergo Leodienſi, & à Ciuitate Symon electus eſt, & receptus, & reddita ſunt ei caſtella totius Epiſcopatus. Primis autem diebus Conſiliarij eius, & Dux pater cum vidiſſent dies ſuos ſibi proſperari & arridere votis ſuis, cœperunt agitare miras rerum ſtrophas, de præbendis, decanijs, & præpoſituris, Archidiaconatibus tollendis, dandis, & mirabili commertio commutandis. Vidiſſes

Ipſe eam conſiliarijs Epiſcopi filij miras de beneficijs ſtrophas agitat.

hunc gementem, hunc lætantem, hunc lugentem sortem suam, illum procaciter insultantem. A

De appellatione, quæ facta erat super eos, mentio nulla erat, respectus nullus, consilium nullum ad obuiandum contra tantam rerum molem, quæ in proximo erat eos fortiter oppressura.

ANNOTATIONES.

Anno 1193. inquit Lambertus paruus, Lotharius abiudicatus ab Episcopatu Leodiensi per Celestinum Papam à vinculo excommunicationis absoluitur. Succedit Symō filius Ducis sublimatus Aquisgrani in festo S. Brixij. Sed D. Albertus maior Præpositus, & D. Albertus de Cuyck facta appellatione Aquisgrani corā Imperatore, Romam proficiscuntur, & electionem Domini Symonis donationemque Episcopatus per Celestinum Papam cassare faciunt. B *Hactenus Lambertus Paruus, qui deinceps à nobis non citabitur amplius, quia hoc anno scribere desiit, citabitur subinde eius loco Renerus monasterij quoque D. Iacobi religiosus, qui Chronicum Lamberti parui continuauit vsque ad annum Domini 1229. Citabitur vero hoc modo Renerus D. Iacobi propter alterum Renerum D. Laurentij.*

Albertus de Cuick eligitur in Episcopum, consilio Ducis Louaniensis vterque electus vadit Romam, ibi Symon moritur creatus Cardinalis, & honorifice sepelitur. C

CAPVT XCII.

Albertus de Cuyck rediens Roma Namurci in Ecclesia S. Albani eligitur in Episcopum.

POst hæc Albertus de Cuyk Roma rediens, in oppido Namurcēsi instantia Comitis Haynoniensis, Balduini, & Alberti maioris Ecclesiæ Præpositi in Ecclesia sancti Albani eligitur in Episcopū Leodiēsem, Symone in Ecclesia Leodiensi sedente & in electione sua persistente.

Balduinus Cōmes Haynoniēsis vult promouere Albertum de Cuyck & Castrum Hoyense oppugnat.

Volens Balduinus Comes Haynoniensis Dominum Albertum de Cuyck per violentiam promouere, Hoyum ingreditur, & à Burgensibus oppidi sine contradictione recipitur. D Castrum Hoyense impugnat, sed à parte Domini Symonis viriliter resistitur, nec ei aliquo modo ingressus conceditur. Milites vero Ecclesiæ S. Lamberti & Ciues Leodienses Domino Symoni firmiter assistunt, nec ab eo minis vel precibus se recessuros dicunt.

Henricus Dux Louan. suadet

Dux vero Louaniensis Henricus filius amitæ Domini Symonis, frater vero Domini Alberti Episcopi, qui Remis martyrium passus fuerat, partem suam interposuit, & Comitem Haynoniensem à Hoyo

A Hoyo recedere fecit, hac cōditione interposita, vt vtraque pars Curiam Romanam adiret & partem suam prout posset defenderet. Sicque factum est. *partibus vt Romam vadant.*

Albertus de Cuyk & Symon magnis vterq; suffragijs in Curia Romana magna contentione decertant coram Celestino Papa.

Qua contentione durâ necdū finita, Symon spectabilis adolescens Romanæ Ecclesiæ Cardinalis factús, moritur in festiuitate S. Petri ad vincula, planctu magno Romanorum sepultus honorifice in Ecclesia S. Ioannis intra palatium Lateranense: moriturq; ex parte eius ibi Dominus Stephanus auunculus eius, Thomas Archidiaconus & alij multi. *Symō Cardinalis Rōæ factus moritur cū multis alijs Leodiensibus, & sepelitur honorifice intra Eccl. S. Ioānis Palatiū Lateranense.*

B De parte vero Domini Alberti de Cuyck moriuntur ibi Albertus Præpositus, Symon Decanus, & alij multi tam Clerici quam laici.

ANNOTATIONES.

Volens Balduinus Comes:] *Reuerus D. Iacobi hac de re luculenter sic loquitur*: Balduinus Comes Haynoniensis D. Albertum de Cuyck per violentiam promouere volens, Hoyum ingreditur, & à ciuibus oppidi sine contradictione recipitur. Castrum impugnat, sed à parte D. Symonis viriliter resistitur, nec ei aliquo modo ingressus cōceditur. Milites verò Ecclesiæ S. Lamberti familiares, & ciues Leodienses D. Symoni firmiter assistunt, nec ab eo minis vel precibus se recedere dicunt. C Dux vero Louaniensis Henricus, amitæ D. Symonis filius, frater verò D. Alberti sanctæ memoriæ Episcopi, qui Remis crudeliter morti datus fuit, partem suam interposuit, & Comitem Haynoniensem ab Hoyo recedere fecit, hac conditione interposita, vt vtraque pars curiam Romanam adiret, & partem suam prout posset defenderet, sicque factum est. Romam itaque proficiscuntur, Symoneque Cardinali facto, & paulo post in sua iuuentute cum pluribus alijs ex sua familia mortuo, ac ibidem in Ecclesia S. Ioannis Lateranensis honorificè sepulto ipsis Calend. Aug. Albertus fuit Episcopus, ac post grauem, diuturnamque satis infirmitatem febris, mortuis etiam pluribus ex sequacibus suis, & quidem in his Alberto D Præposito ac Symone Decano, ad Imperatorem rediens, ab eo regalia accipit, & consecratus est Coloniæ à D. Aygulpho Archiepiscopo Dn̄ica post Epiphaniam sequentis 1196. *Idem refert Chronicon magnum Belgicum.*

A

De reditu Alberti Cuyckij à Romana Curia, eiusq́ consecratione, & reliquijs S. Laurentij à Celestino Pontifice impetratis.

CAPVT XCIII.

ALbertus electus Roma redit cronico morbo tam calculi quam quartanæ febris laborans, summo tamen studio ad Episcopatum Leodiẽsem anhelans, & vltra virium naturalium facultatem festinans venit Wormatiam, vbi Henrico Imperatore optate reperto regalia Episcopatus Leodiensis de manu ipsius gratanter suscepit. B

Cum vero Wormatiæ moram valetudinis causa traheret, ab æmulis suis quibusdam canonicis Leodiensibus Otto Archidiaconus derisorie in Episcopum Leodiensem eligitur, & Wormatiæ Imperatori præsentatur, sed illud friuolum & inane ab omnibus reputatum fuit.

Non multo post anno Domini 1196. die festo Epiphaniæ in Ecclesia Coloniensi Albertus à Domino Adulpho Archiepiscopo in Episcopum Leodiensem solemniter consecratur, ac post paucos dies veniens Leodium à Clero & populo solemniter recipitur. C

Hic à Celestino tertio pontifice grandi studio & labore obtinuerat pretiosissimas reliquias, corporis scilicet pretiosi martyris Laurentij, de carne videlicet eius, quæ in craticula assata fuit sanguine quasi recenter perfusa, quæ magna in veneratiōe ab eo habitæ, post decessum eius Ottoni duodecimo Abbati S. Laurentij donatæ, anno Domini 1201. tertio Calendas Maij in Ecclesiam S. Laurentij sunt translatæ, vbi magno in honore habentur.

ANNOTATIONES.

Hic à Celestino Pontifice grandi studio.] *Gesta Abbatum S. Laurentij de reliquijs ab Alberto de Cuyck Episcopo Roma allatis, ac Ottoni duodecimo Abbati sancti Laurentij donatis sic habent.* Anno 1200. obijt Dominus Albertus de Cuyck Leodiensis Episcopus, hic in curia Romana grandi studio & labore obtinuerat pretiosissimas reliquias, videlicet de corpore beatissimi martyris Laurentij. I. de carne eius in craticula assata, sanguine tamen quasi recenter perfusa, vt se intuētibus veritas adhuc ostēdit, quæ in magna veneratione ab eo habitæ, post decessum eius, procurante Domino Abbate Ottone, tertio Calend. Maij ad nos cum magno honore translatæ in maiori altari sunt assumptæ. Quā diem ipse Otto Abbas deinceps in futurum annua commemoratione cōstituit D

A stituit esse solennem, quia nihil boni possumus, quin eius honori debeamus. Assignauit etiam fratribus eo die ad refectorium octo modios speltæ super septem bonnaria terræ in Glons.

Magnum Chronicon Belgicum adstipulatur quoque his verbis : Impetrauit, *scilicet, idem Albertus*, Romæ à Celestino Papa tertio, de carne recenti corporis B. Laurentij, quæ post decessum eius, est translata ad Ecclesiam B. Laurentij, ad partes Ottonis duodecimi Abbatis S. Laurentij, & in maiori altari assumpta est.

B *De quibusdam, quæ tempore huius Alberti acciderunt.*

CAPVT XCIIII.

INterea Henricus Imperator postquam per varias tribulationes & immissiones factas per angelos malos diu & frequenter arcam Ecclesiæ Romanæ in rota plaustri ferrei vehementer trutinasset, moritur anno Domini 1197. paruulo filio ei remanente, Frederico nomine, quem Apulei post patrem dignitate regni Apuliæ & Siciliæ sublimarunt.

Henricum breui temporis interuallo Constantia vxor eius mor-
C tis debitum exoluens comitatur. Hæc cùm supremum spiritum ageret, curam & tutelam filij sui vnici Papæ Innocētio tertio, qui illis diebus Constantino Papæ successerat, testamentarie dereliquit.

Tunc orta est grauis seditio pro Imperio, regni Principibus inter se discordantibus. Postquam Dux de Cerenges B. electionem quam habuit per Coloniensem Archiepiscopum & fautores suos reiecit in partem Ducis Sueuiæ Philippi: Archiepiscopus cum fautoribus suis Henrico Duce de Lemborch, B. Comite Flandriæ, & alijs pluribus, Comitem Pictauiensem nomine Ottonem, filium Ducis Saxoniæ, & filium sororis Regis Angliæ iterum elegit, & vt Albertus Episcopus in partem eius cōsentiat infra dies Pēthecostes ipsum Ottonem Leo-
D dium adducit, sed Albertum Episcopum, nec muneribus nec precibus, vt ei fidelitatem promitteret, frangere potuit. Quin etiam ne quid ei in Ciuitate venderetur interdixit, quod Otto grauiter excepit. Post, Coloniam regreditur, à quibus honorificè est receptus. Inde Aquisgranum congregato exercitu reuertitur : Aquensibus diu reluctantibus tandem portæ aperiuntur. Otto in Cathedra Regali intronisatur & coronatur, & omnia iura, quæ Regi debentur, ei exhibentur, ibique filia Ducis Louaniensis ei desponsatur.

Circa festum S. Remigij Philippus Dux Sueuiæ, cui Albertus Episcopus adhærebat Moguntiæ cum Maria vxore coronatur, mittitque Alberto Xenia pulcherrima, duo pallia scilicet holoserica auro texta

miri operis, quæ in maiori Ecclesia Leodiensi vsque hodie cernuntur. Albertus Ottonis vices timens Castrum Hoyense conscendit A vbi fulgur ante eius pedes cadit, & vnum ciuem Hoyēsem interficit, cæteris magno horrore perculsis.

His quoque diebus Ducissa Louaniensis horrea clericorum & monachorum in terris suis clausit, Villicum Alberti Episcopi captiuum tenuit, Sacerdotem de Bauechin, qui in Ecclesia sua secundum consuetudinem ad pacem appellatus, vt ad pacem responderent admonuit, diu tractum ad caudam equi carceri mancipauit. Propter hæc & alia huiusmodi Ecclesia Leodiensis habito consilio, cum alijs omnibus Ecclesijs tam intraneis quam extraneis, silentium diuinis miscuit & terram Ducissę, hoc est Brabantiam, banno suppo- B suit, & clericos inobedientes excommunicationis sententiæ subiacentes Coloniensis Ecclesię consilio & auctoritate vsque ad dignam satisfactionem euitandos denunciauit.

Neque immerito: volebat enim illa peruersa Iesabel omnes homines terræ suæ, à iure pacis ne in Leodiensi terra responderent, remouere, & Sacerdotes ne censūras Episcopi vel Archidiaconi proclamarent omnimodis prohibere. Cœpit hoc silentium infra octauas S. Dionysij.

Post aliquod tempus per Bertrannum Metensem Episcopum inter Albertū & Ducissam pace reformata organa Ecclesiæ resumuntur, & in omnibus pristinam libertatem retinet Leodiensis Ecclesia. C

ANNOTATIONES.

1. Tunc orta est grauis seditio:] *Fasciculus temporum breuiter & clare hanc totam auctoris nostri historiam describit his verbis:* Schisma oritur post mortem Henrici. Nam quidam elegerunt Philippum Ducem Sueuiæ fratrem eiusdem Henrici. Alij Ottonem filium Ducis Saxoniæ. Et facta est altercatio magna, & bella in Alemannia. Tandem Otto præualuit, quod Innocētius Papa tenuit cum eo, Philippus enim statim post pacem quā cum Ottone fecit, interfectus est dolosè à Lantgrauio, & sic Otto obtinuit, & Romam veniens ab Innocentio coro- D natur contra consilia multorum & voluntatem, qui eodem die fracto iuramento contra Ecclesiam cœpit tyrannisare stolidissime. Hinc statim excommunicatur, deponitur & tandem in contumacia moritur. *Vt non mirum sit Abbatem, Episcopum, & multos alios prudentes viros eius electioni restitisse.*

2. His quoque diebus Ducissa Louaniensis:] *Adstipulatur Ioannes Presbyter, Brusthemius, & omnia nostratia Chronica.*

CAPVT

A

De alijs quibusdam quæ circa eadem tempora acciderunt.

CAPVT XCV.

Circa hos dies propter peccata populi flagellauit Dominus terram, magnaque sterilitas in ea facta est. Nam modius siliginis Leodij 40. solidis Leodiensibus vendebatur, speltæ 20. Hinc multitudo pauperum fame per plateas moriebatur, Cadauera animalium ab eis indifferēter comedebātur, & fere ab vniuersis propter imminentem necessitatem desperabatur. His vt remedium malis adferret, corpus S. Lamberti martyris cum alijs sanctorum reliquijs non sine plurium miraculorum gloria, vigiliâ S. Bartholomæi ad Ecclesiam ipsius Apostoli deportatum fuit, ibique Missa specialis non sine multorum lachrymis decantata.

B

His etiam diebus, die festo S. Lamberti corpus ipsius martyris de medio monasterio in quo iacuerat ab incendio Ecclesiæ, & multa miracula per eũ Deus operatus fuerat, cum maximo honore & plebis gaudio super altare sanctæ Trinitatis collocatur.

Hoc quoque tempore, nigra terra ad vsum fabrorũ & cõmunem focum struendum iuxta Leodium miro modo inuenta est. Nam quidam senex canitie & barba venerandus alba veste indutus fertur transisse per vicum denominatum Cochè, & dixisse cuidam fabro conquerenti quod laborando, nullum aut paruum lucrum faceret, propter magnas expensas quas in lignis emēdis faceret, Amice perge ad vicinum montem monachorum & inuenies nigras venas terræ patentes, quæ terra est vtilissima ad igniendum ferrum & hoc dicto disparuit.

C

His præterea diebus, propter pluuiæ inundationem & aëris intemperiem corpus B. Lamberti martyris in vigilia S. Iacobi, cum maxima deuotione & non sine multorum lachrymis in montem Cornelij deportatur ibique missa specialis à Clero & populo solemniter celebratur, dumque reditur, post transitum fratrum sancti Iacobi, pons Insulæ frangitur, & 40. tam viri quam fœminæ in mosam cadunt, sed per Dei gratiam & merita sanctarum reliquiarum, quæ in feretris SS. Pauli & Ægidij publici montis deferebantur, vt pie credimus, omnes illæsi exierunt.

D

Blasphemum quoque Leodij in palatio diuina puniuit vltio. Contigit enim die festo natalis Domini vt missarũ solemnitate celebrata Clerus & populus Pontificem suum Albertum sequuti sunt reficiēdi cum eo pane corporali. Cumque necessitati naturæ satisfactum esset, quidam ex discũbentibus vino æstuans à mensa surgit, carnis assaturam manu deferens, intuitusque in superliminari palatij Iesu

Christi

Christi imaginem celte sculptam in silice, versus in cachinnũ, alijs, A
inquit, epulantibus, quid hic adstas ieiunus? Et carnibus quasi ad edendum in altum subleuatis, percussit faciem imaginis, quæ veluti sagitta in oculis illudentis resiliens illi oculum eruit, & eum ad inuocandum & laudandum potius nomen Domini impulit.

ANNOTATIONES.

1. Magnaque sterilitas in ea facta est:] *Meminit huius sterilitatis auctor vitæ S. Odiliæ lib. 1. cap. 10. his verbis*: Præterea tempore quo D. Albertus de Cuyck Leodiensem regebat Ecclesiam, cum tanta esset bladi penuria, vt quadraginta solidis modius venderetur, & plerique famis inedia deperirent idem puer (agit de Ioanne Abbatulo, de quo ante) quicquid habebat egenis distribuens, panem quoque domi latenter subripiens, pauperibus erogabat. B

2. Hoc quoque tempore terra nigra:] *Inuentionem hullarum quidam referunt ad annum 1200. vt Chronica Tungrense & Carmelitarum. Bruisthemius ad annum 1198. his verbis*: Carbones quos Galli hullas vocant, inuenti sunt iuxta Leodium in monte publico, diuina, vt pie creditur, reuelatione. Quidam enim venerandus senex alba veste indutus vicum quendam transiens dictum de Cokeo, inuenit pauperem quendam fabrum ferrarium operi suo insistentem, cui cum senex præmissa salute imprecatus fuisset prosperitatem & lucrum. Respondit faber: quale mihi lucrum bone senex, qui omnem meum laborem expendo in istis carbonibus ligneis gallice deCockis, vnde & modicum lucrum reporto. At senex amice, inquit, perge ad vicinũ mõtem, qui dicitur monachorũ, & inuenies magnas nigras & patẽtes terræ venas, quæ vtique terra petrosa & nigra, ad opus tuum erit vtilissima, & hoc dicto disparuit. Faber autem huiusmodi senis verba, alijs etiam reuelauit. Et hac industria in magnum patriæ commodum, carbonum vsus inuentus est. *Magnum Chronicon Belgicum refert ad annum 1201. sic enim inquit*, anno Domini 1201. Præsulatus Alberti secundi, hullæ circa Leodium primo inueniũtur in termino publici montis, hoc modo. Quidam senex venerandus alba veste indutus fertur transijsse per vicum, qui dicitur Coke, & dixisse fabro conquerenti quod nimis expendebat de carbonibus arborum, & sic parum acquirebat. Amice, dixit, perge ad vicinum montem monachorum, & inuenies nigras venas terræ patentes, quæ est terra vtilissima ad hoc. Quo dicto disparuit. C D

3. His præterea diebus propter pluuiæ inundationem:] *de hac inundatione, ventorum tempestate, ac sequuta fame & mortalitate existimo loqui Meyerum ad annum Domini 1196. his verbis*: De tempestate ventorum huius anni ac subsequente fame, hos inuenio triuiales rythmos.

Turbine ventorum fit magna ruina domorum,
Fabrica multarum confringitur Ecclesiarum,

Decidit

A Decidit & cuncti generis radicitus arbor,
Clade famis diræ plures cœpêre perire.
Sæuijt in miseros nimium quæ quinque per annos.
Sexdenis solidis emptus tritici corus vnus.

4. Blasphemum quoque Leodij:] *Historiam hanc refert quoq; paucis verbis Ioannes Presbiter*: Die natalis Domini dum Episcopus Albertus Curiam teneret Leodij, quidam ebrius surgens à mensa, imagini sculptæ in palatio obtulit carnes cum veru percutiens faciem eius cum catino dicens, alijs epulantibus quid hic stas ieiunus, statim veru versum oculum illudentis eruit.

5. *His pariter diebus cum Albertus Episcopus dissimularet iniuriam quam Præpositus Leodiensis faciebat Abbati & monasterio S. Iacobi, accidit terribilis contra Præpositũ Dei vindicta quã Cãtipratanus l. 2. c. 35. refert his verbis*: B Monasteriũ S. Iacobi apud Leodium multis notum est & acceptum, istud quidam adolescẽs consobrinus Ecclesiæ maioris Præpositi deuotionis & religiõis causa intrauit, quod vt audiuit Præpositus, indignè tulit, & remitti sibi consobrinum per clericos Abbati mandat. Quod ille renuit. Tunc Præpositus forti manu collecta satellitum, violenter intrat cœnobium, rapit iuuenem sanctoque nudatum habitu, induit seculari. Abbas igitur collectis primoribus ciuitatis rem conqueritur Episcopo, & vniuersum clerum interpellat pro tantis injurijs. Hoc cum indignanter vix audire vellet Episcopus, & Abbatem potius impeteret durioribus verbis: Abbas flexis genibus cum moderamine dixit, C Iudicem contra te Præposite in terra habere non possum, & ideo contra te deum summum iudicem interpello, vt infra quadraginta dies vterque nostrum compareat coram illo sententiã pro meritis accepturus: Ad hoc Præsul cachinnans cum suis spreuit hominem & irrisit, exprobratumque repulit. Quid plura? Quadragesimo die circa horam nonam mortuus est dictus Abbas. Et cum pro eo solemniter pulsaretur sedens in balneo Præpositus quesiuit à circumstantibus quid hoc esset. Mox quidam ingrediens & requisitus de sonitu campanarum cum responderet Abbatem S. Iacobi iam defunctum, & pro eo pulsationem fieri tam solemnem, Ilico recordatus Præpositus quadragesimum esse diem, quo se citatũ D coram summo Iudice audierat ab Abbate, consternatus animo dixit suis, cito videte quid faciam mortuus ego sum, comparere me hodie summi Iudicis conspectibus oportebit. Nec mora post hæc verba cum balneum egredi festinaret, in astantium manus cum diro eiulatu & vocibus expirauit. Illic procul dubio respondere compulsus vbi causarum strepitus cessat iurisperitorum aduocatio conticessit, vbi nec preces nec precium laborabunt. *Hactenus Cantipratanus.*

 A

De seditione inter Clericos & laicos, & morte Alberti.

CAPVT XCVI.

Seditio inter Clerum & laicos Leodienses & quare.

ANno quarto consecrationis Alberti Episcopi orta est magna seditio inter Clericos Ciuitatis & laicos. Laici Ciuitatem muris & aggere firmantes, à Clericis & a familia eorum tributa exigũt, & libertatem Clericorum ab antiquo conseruatam infringere conãtur: Clerici murum pro Ecclesia se ponẽtes silentium à diuinis Ciuitati imponunt, insuper & quosdam ciues à nundinis Francfordiensibus reuertentes spoliant. B

Cessatur à diuinis.

Commota Ciuitate contra Clerum in vindictam spoliatorum ciuium manus in quendam Canonicum conijciunt, vincientesq; ipsum carceri tradunt; quosdam vero alios cõtumelijs & verberibus afficiunt.

Episcopo interim cum laicis consentiente, multiplicata sunt in Ciuitate mala. Namque à diuinis in ciuitate per clericos cessatum est. Laici vero defunctorum Ciuium corpora sine diuino officio sepeliunt: viaticum tamen sacrum ijs qui iurabant se nunquam de cetero acturos contra libertatem Ecclesiæ ministrabatur.

Pax reponitur & diuina officia resumũtur.

Post aliquod tempus pace reformata inter Clericos & laicos, organa Ecclesiæ resumuntur dominica qua cantatur *Circumdederunt me*, C Ciuibus in præsentia Alberti Episcopi iurantibus de cætero se nullo modo contra libertatem Ecclesiæ acturos, & de illatis iniurijs Clericis satisfacturos.

Albertus Episcopus moritur & sepelitur in Ecclesia S. Lãberti.

Non multo post anno Domini 1200. Albertus Episcopus, qui Episcopatum ambitiose magnis laboribus & sumptibus, spreta etiam corporis valetudine, vix pacifice possidebat, crescente aduersa valetudine moritur nocte purificationis B. Mariæ virginis, sepultusque est cum magno apparatu in Ecclesia S. Lamberti ante chorum superiorem 3. non. Februarij. Huius epitaphium quidam Clericus sciens eius infirmitatem tam corporis quam animæ, ita descripsit.

Hoc in sarcofago cunctorum dira vorago, D
Clauditur, Albertus Giezi dum vixit apertus.

ANNOTATIONES.

1. Episcopo interim cum laicis consentiente.] *Hactenus in veteribus codicibus non legimus vllũ Episcoporũ tot priuilegia, & frãcisias Ciuitati dedisse, prout hic Albertus fecisse legitur, quæ in chartis gallicis, quæ vulgo circumferuntur, dicuntur confirmata per Philippum Regem Romanorum anno Domini 1208. Charta hæc incipit*: En nom de la saincte Trinité: Amen. Philippe par le debonnaire octroye, &c. *Et finit*: Donné à Dure l'an de l'Incarnation nostre

A stre Seigneur mille deux cents & huict, le 3. none de Iuing, en la dixiesme indiction.

2. Giezi dum vixit apertus:] *Giezi famulus fuit Elizei Propheta, qui cum Dominus suus Naaman Principem militia Regis Syria gratis sanasset à lepra, furtim inscio Domino à Naaman duo talēta, & vestes accepit, vt narratur 4. Reg. 5. sed in vindictam illius Symonia, leprosus continuo factus est.*

Albertum Giezi fuisse similem constat. De hoc enim inter alia legimus electionem Gemblacensis Abbatis, vacante sede Leodiensi, factam, & ab Archiepiscopo Coloniensi approbatam & confirmatam admittere noluisse, nisi certam pecunia summā acciperet. Quod Abbas vt pote illicitum committere noluit, sed monachi ignorante Abbate collectam pecuniam Episcopo dederūt. Quod cum Abbas vice quadam ab Episcopo inuitatus percepisset, mente consternatus super huiusmodi articulo Apostolicam B *sedem consuluit. Ad quem Innocentius Papa 3. in hunc modum rescripsit ut habetur sub titulo de Symonia in antiquis libro 5. cap. Sicut tuis, &c.* Sicut tuis literis intimasti cùm in Gemblacensi Ecclesia fueris monachus, fuisti tandem promotus ad regimen Ecclesiæ Florinensis. Verum Abbate Gemblacensi post sublato de medio, ipsa quæ prius te filium habuerat, in patrem per electionem canonicam te vocauit. Et quia Pastore carebat Leodiensis Ecclesia Cathedralis, ad Coloniensem Ecclesiam, quæ tua est metropolis, proficiscēs ipsius auctoritate in Gēblacensi Ecclesia interim ministrasti: cæterū postquam in Leodiensi Ecclesia fuit Episcopus institutus, is à te requisitus electionem de te factam C noluit confirmare, verum cum hæc fieri pro extorquenda pecunia comperisses, sub interminatione anathematis vetuisti, ne pro facto huiusmodi aliqua pecunia offerretur. Sed quidam de fratribus te inconsulto & ignorante contra excommunicationis à te factæ sententiam venientes, promiserunt pecuniam, & etiam exoluerūt, & sic ab Episcopo inuitatus institutionem ab eo accepisti libere, quemadmodum postulabas. *Et infra.* Quamuis autem secundum sacrorum canonum instituta etiam paruuli, qui cupiditate parentū Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere teneantur; quia tamen longe diuersum est non præbere consensum & expressim aliquid prohibere taliter duximus respondendum. Quoniam ex eo quod contra proD hibitionem & voluntatem tuam, à qua postmodum minime recessisti, aliquis te penitus ignorāte promisit pecuniam, & exoluit, præsertim cum is nulla sit consanguinitate coniunctus, nihil debet tibi ad pœnam vel culpam, sicut credimus, imputari, nisi postea consenseris pecuniam soluendo promissam aut reddendo solutā, alioquin contingeret quod alicuius factum insidias inimico parantis ei damnosum existeret cui penitus displiceret & sic aliquis de fraude sua cōmodum reportaret. Illos autem, qui dederunt pecuniam, vel etiam receperunt, intantum cōstat esse culpabiles quod si excessus eorū esset Ecclesiæ manifestus, quæ non iudicat de occultis, pœna essent canonica feriendi.

A

De electione Domini Hugonis Episcopi & quorundam contra illam oppositione.

CAPVT XCVII.

ANno Domini 1200. eligitur in Episcopum, à die obitus Alberti mense nondum transacto, Hugo secundus de Petra ponte vir nobilis & litteris eruditus, Præpositus maior & Archidiaconus Leodiensis, qui filius fuit Hugonis de Wasnadio frater Roberti de Petra ponte, & Walteri de Wasnadio, quorum mater dicta fuit Clementia seu Agatha, fuit enim binomia, filia Comitis Manassis Reiteste de prosapia Namurcensi. B

Tumultus quorundam clericorum contra Episcopum.

Itaque regalibus acceptis de manu Ottonis Regis, qui tunc forte Leodij præsens erat, à Clero & populo in sede Episcopali inthronisatur, fidelitatemque & iuramentum optimatum vtriusque ordinis, nec non oppidorum & castellorum totius Episcopatus possessionem minime pacificam accipit. Nam non multos post dies insurgit contra eum motus & tumultus quorundam Clericorũ. Inter quos eminebat Henricus adolescens nobilis, & Archidiaconus, qui simulate fidem promiserat & fauorem.

Henricus fauore Ducis Sueuorum Romã appellat.

Sicut ergo annis superioribus in Ecclesia Leodiensi pro Episcopatu hinc & inde studijs & contentionibus atrociter certatum fuit, ita modo rursus accenduntur lites & iurgia. Iterum Romana sedes pertinaciter appellatur ab vtraque parte. Henricus fauore Ducis Sueuorum animatus, Romam petit ad Hugonis electionem infirmandam, tanta solemnitate prius factam. Hugo electus commendat patriam Leodiensem Flandriæ Comiti Balduino, & pro tempore rebus ordinatis, & ipse Romanum iter aggreditur. Roma gaudet, assueta pasci & impleri mercimonijs dissensionum atque contentionũ Ecclesiæ Leodiensis. C

Guido Legatus Leodium venit.
Excõmunicat Philippum.

Hugo electus, à mõte Pessulano cum Guidone Cardinali & Episcopo Prænestino à Summo Pontifice in Gallias Legato, Leodium reuertitur, & inde Coloniam profectus Philippum Sueuum ex parte Summi Põtificis & omnes eius cõplices excõmunicat. D

Interea Henricus de Iacia, & Robertus de Comblen Canonicus S. Lamberti & Præpositus S. Ioãnis in insula, à Roma reuertuntur, literas contra Hugonem afferunt, sed à Cardinali Guidone negotium ipsorum impeditur. Volens ergo prædictus Guido controuersiam hanc terminare, Domino Hugoni electo diem decisioni præfixit quartam feriam ante pascha, in vrbe Coloniensi.

Hugo se purgat.

Ibi post multas allegatiões, se de obiectis criminibus in Curia Romana ab aduersarijs, assumptis secum Abbatibus, vidẽte & assidente Clero

A Clero Coloniæ, tactis sacrosanctis euangelijs, septima manu innoxium per sacramentum reddidit.

Electione eius à Cardinali confirmata cum magno gaudio in Ecclesiam S. Petri introducitur, & in sacratissima nocte resurrectionis in Sacerdotem, & statim post in octauis paschæ in Episcopum consecratur, magnaq; cum lætitia Leodium reuertitur, vbi à Clero & populo honorifice suscipitur. *Confirmatur eius electio.*

ANNOTATIONES.

1. Henricus fauore Ducis Sueuorum animatus Romam petit:] *Renerus S. Iacobi huius temporis scriptor huius rei fidem facit his verbis.* Anno Do- B mini 1200. obijt Albertus Episcopus, succedit Hugo Præpositus Leodiensis, & ab Ottone rege, qui præsens tunc erat in Ciuitate, est regalibus inuestitus. Rodulphus Archidiaconus, Henricus de Iacia, & Hēricus de Calce Hugoni electo se opponunt, & contra eum Romam vadunt. Guido Cardinalis Prænestinus Leodium venit: indeque Coloniam transiens Philippum Ducem Sueuiæ & complices auctoritate Apostolica excommunicauit, partesque Ottonis tuetur.

2. Ibi post multas allegationes:] *De hoc negotio sic Renerus, de quo paulo ante:* Guido Cardinalis terminare volens negotium Ecclesiæ Leodiēsis Domino Hugoni electo diem citationis Coloniæ præfixit feria 4. ante sanctum pascha Domini, & post multas allegationes, purgatio- C nem eius de obiectis criminibus in Curia Romana ab aduersarijs recepit, qui assumptis secum sex Abbatibus vidēte & assidēte clero Coloniensi, tactis sacrosanctis euangelijs, septima manu, se de oībus obiectis innoxium per sacramentum reddidit. Cuius electionem Cardinalis statim confirmauit, & solemniter cum magno tripudio in Ecclesiam B. Petri induxit, quem ipsa Dñca resurrectionis nocte in presbiterum ordinauit, & in octauis paschæ in Episcopum consecrauit, nec multo post in sedem suam firmauit. His omnibus Henricus de Iacia se opposuit, sed nihil profecit. *Vides lector auctorem nostrū verbotenus historiam hanc ex scriptis Reneri ad S. Iacobum monachi sicut & plerasque omnes ex libris suorum auctorum nulla ferè verborum mutatione facta hausis-* D *se.*

De fundatione monasterij vallis S. Lamberti, pœnitentia Hoyensium, pace cum Duce Louaniensi, & murorum Ciuitatis Leodiensis ædificatione.

CAPVT XCVIII.

ANno secundo Episcopatus sui cœnobiū monachorū Cysterciensis ordinis prope Ciuitatē Leodiensem fundauit, quod vallē *Cœnobij vallis S. Lamberti fundatio.*

S. Lamberti nominauit, illique multa bona contulit. Hoc fuit initium bonorum operum eius. A

Sed non multo post tēpore, Diabolo discordias seminante Hoyēses Episcopo rebellant propter quædam iura, quæ ab eis exigebat vt dicebant indebita. Quare machinas quæ de Namuco naui aduehebantur succidunt, nauim per siccam terram vsque in medium fori trahunt, introitum castri & exitum aggere muniunt, sed statim pœnitentia tacti Leodium omnes veniunt, & Episcopo, vidente Clero & populo, nudis pedibus satisfaciunt.

Pœnitentiam agunt.

Interea orta est contentio inter Ducem Louaniensem & Comitē Lossensem propter tricensum sancti Trudonis ad Episcopum Metēsem pertinentem. B

Contētio inter Ducē & Comitem Lossensem

Ludouicus Comes de Los quieti suæ consulens omnia castra sua, Montiniacum videlicet & Brustemium, Litanutum & omnem terrā suam, quam liberè tenebat, sancto Lamberto tradidit, & super altare ipsius, vidente Clero & populo, præsente Episcopo Hugone, & Duce Ardennæ Henrico, & Comite Alberto de Moha, legitima reportauit donatione, & de manu Episcopi in hominium recepit. Episcopus Hugo prædicta castra & terram memoratam in festo S. Ioannis saisiuit.

Comes de Loz omnia sua donat S. Lāberto

Imminente igitur messe Dux ad pugnam suos inuitauit, & obsidere oppidum sancti Trudonis volens in villa, quæ Landin vocatur, suos papiliones statuit, ac per octo dies ibi mansit, & in circuitu segetes, vltra quam credi potest, deuastauit. C

Dux armat se contra oppidū S. Trudonis.

Comes vero de Los ad Episcopum veniens auxilium petit; Episcopus tam de terra sua quam de aliena, in auxilium Comitis magnū congregat exercitum quem in villa quæ Waremia vocatur, collocat vbi dum per octo dies in villa expectat belli gerendi occasionem, Comes Namurcensis difficulter à partibus treugam impetrat & sic vterque exercitus ad propria reuertitur.

Comes Namurcensis treugam procurat.

Anno etiam Domini 1203. assensu Episcopi, Clericorum, ciuium & militum, Tributum ab introeuntibus Ciuitatem exigitur, & opus firmissimorum murorum, mense Septembri inchoatur & producitur, à porta Pagani vsque ad sanctam Walburgem. D

Ciuitas muris cingitur.

Sed & sylua pulcherrima glanum vocata, quæ propter viciniam magno erat Ciuitati ornamento hoc anno venditur & extirpatur. Cuius pretium in tres partes diuisum fuit. Prima cessit Episcopo, secunda operi Ecclesiæ S. Lamberti, tertia muris & turribus Ciuitatis.

Sylua, quæ glanum dicitur, venditur.

ANNOTATIONES.

1. *Totum hoc caput hausit Aegidius ex Renero de quo ante.*

2. Anno secundo Episcopatus sui:] *Eodem anno D. Guido Prænestinus Episcopus & Apostolicæ sedis legatus, quondam Abbas Cisterciensis Leodium rursus venit ipso conuersionis sancti Pauli festo, & reformationi cleri intendere cœpit. Intellexerat*

A *lexerat enim Canonicos per totum Episcopatū non in suis dormitorijs, sed, quod omnino detestabile est, cum suis dormire focarijs, quibus desuper leges & statuta salubria decreuit, & quædam alia præsertim circa Ecclesiam maiorem ordinauit, prout in epistola in libris chartarum Ecclesiæ Leodiensis asseruatæ plenius continentur, quæ sic habet.*

GVido miseratione diuina Prænestinus Episcopus Apostolicæ Sedis Legatus. Omnibus ad quos præsentes literæ peruenerint, salutem in Domino.

Cùm ex officio legationis nobis iniunctæ in Ecclesijs infra legationem nostram constitutis, quæ inuenerimus resecanda resecare, & plantanda plantare teneamur, ad Leodiensem Ecclesiam accedentes, quædam ibi vidimus & audiuimus, quæ digna emendatione videbantur. B

Vnde habito consilio venerabilis fratris Hugonis Episcopi Leodiensis, & eiusdem Ecclesiæ capituli, necnon & aliorum prudentiū sic de dicta Ecclesia dignum duximus ordinare, ea quæ bene & competenter in ea statuta inuenimus approbantes.

Procedit ergo nostra ordinatio in hunc modum. Residentes Canonici assidui sint in dormitorio, nec possint iacere extra dormitorium, nisi de licentia Decani. Transgressores verò arbitrio Decani & consilio capituli puniantur, si qui rebelles inueniantur, stipendio suo priuentur, & communione fratrum, vsque ad dignam emendationem.

C Assidui sint in choro, maximè in Matutinis, Missa & Vesperis.

Residentes in refectorio comedant.

Luminare, & Missæ singulis diebus, secundum quod ordinatum est, in Ecclesia fiant.

Si quis aliquid de reditibus ad hoc pertinentibus retinuerit, vel per eum steterit quo minus Missa celebretur more debito, vel Luminare fiat, per Decanum admonitus, stipendio careat & communione fratrum, vsque ad satisfactionem.

De primis prębendis vacantibus, de singulis duabus vnam cui voluerit personæ; alteram sacerdoti tenebitur assignare Episcopus, donec sex præbendæ fuerint assignatæ sacerdotibus, vel talibus personis quæ infra annum ordinem sacerdotij recipiant, qui etiam iurabunt residentiam: Nec istæ præbendæ alijs quam sacerdotibus dicto modo poterunt conferri. Qui sacerdotes officium sacerdotum successiue facient per septimanas suas in maiori altari in proprijs personis sine receptione Vicarij. Capitulum autem tenebitur recipere sacerdotem sibi ab Episcopo præsentatum, dummodo boni sit testimonij, & de legitimo natus matrimonio. D

Imperatoris, Archiepiscoporum, Decani maioris ecclesiæ, canonicorum non sacerdotum, Vicarij, tenebuntur ex debito septimanas sacerdotales facere, hoc adiuncto, quod in solemnitatibus nouem lectionum in maiori altari missam celebrare non poterunt nisi sacerdotes

dotes canonici, & duo capellani Imperatoris, & canonici beati Materni & aliarum Ecclesiarum cōuentualium canonici in Leodio. Isti tamen de gratia & ad petitionem illorum qui de iure tenebūtur septimanam facere missas in maiori altari poterunt celebrare. A

Ad hæc Imperator, Archiepiscopi, Episcopi, prælati, sacerdotes in maiori Ecclesia collecti Vicarios instituere non poterunt, nisi sint sacerdotes boni testimonij, qui decano præsentati cum consilio Capituli admittantur.

Episcopus Abbatias, quæ capellaniæ suæ sunt, non nisi canonicis Ecclesiæ sancti Lamberti conferre poterit.

Decanus autem canonicos quos viderit ordinandos compellat ad suscipiendū ordinē scilicet Diaconatus, ita quod semper in Ecclesia sufficientes sint Diaconi, & qui rebellis fuerit priuetur stipendio & communione fratrum vsque ad dignam satisfactionem. B

Archidiaconi residentiam faciant per medietatem anni, & residentiam iurent, nisi absentes sint de licentia Episcopi. Si vero peregrinari vel ad scholas ire voluerint, Episcopus non poterit eis licentiam denegare. Si autem in Ecclesia deseruire debuerint & neglexerint, & capitulū super hoc fieri cōuenerit, secundum antiquā consuetudinem patrum suorum stabunt.

Licentiam trium hebdomadarum tantum vt absens sit canonicus rationabili interueniente causâ poterit conferre Decanus. Cumq; post talem licentiam redierit, aliam licentiam non obtinebit nisi elapsis sex septimanis, præterquā si necessitatem euidentem in capitulo ostenderit. Si quis sine licentia recesserit, vel post datam licētiam moram fecerit sine rationabili causa probata in Capitulo, stipendio suo priuabitur, & post in claustro ponetur quamdiu capitulo visum fuerit, restitutione facta fructuum præcedentium; & tenebitur interesse omnibus horis quam diu erit inclusus. C

Si quis contra institutionem Ecclesiæ venerit, & fructus præbendæ violenter acceperit à Decano excommunicatus denunciabitur. Et si excommunicatus vno anno perseuerauerit, ab Episcopo præbenda & omnibus redditibus in eadem Ecclesia priuabitur.

Nullus accolitus vocem habeat in Capitulo.

Nulli personæ duo personatus de cætero conferantur in eadem Ecclesia. D

Archidiaconi locum debitum non teneāt dignitati, donec in Diaconos fuerint ordinati.

Quicunque de cætero eligetur in Decanum ordinem sacerdotij teneatur suscipere infra annum, nisi alium annum causis euidentibns Capitulum ei indulserit, & residentiam faciat & hoc iuret.

Decanus solo decanatu contentus, alium personatum tenere nō poterit.

Scholasticus cantoriam habere non poterit, & vice versa, Cantor scholasteriam de cætero non habebit.

Archidia-

A Archidiaconi etiam, si pro negotijs Ecclesiæ honestis, vel ad visitandos Archidiaconatus ire voluerint, vnum vel duos de eadem Ecclesia habebit socios de licentia Decani.

Omnia ista Capitula quæ sequuntur in singulis synodis recitentur.

Præbendæ in nulla Ecclesia per totum Episcopatum diuidantur, sed dimidiæ integrentur, & qui potestatem habent conferendi præbendas, nulli personæ præbendam conferant, nisi illis qui dimidias habent præbendas. donec omnes sint canonici integri.

Reducantur stipendia ad æqualitatem in omnibus Ecclesijs per Episcopatum, nisi contingat præbendas esse diuisas, & præbendarũ prouentus singulis canonicis locis obedientialibus assignari.

B Qui celebrant excommunicati vel suspensi scienter, beneficijs suis priuentur, & cum litteris Episcopi cogantur ire ad Dominum Papam.

Priuentur etiam beneficijs clerici in sacris ordinibus constituti & sacerdotes, si postquam ter admoniti fuerint, focarias, quas habent in domibus suis, non abijciant.

Et concubinæ ab omnibus tanquam excommunicatæ vitentur.

Generaliter excommunicentur vsurarij, & manifesti, tanquam excommunicati deuitentur, & in morte, Ecclesiastica careant sepultura.

Omnes libri romanè vel teuthonicè scripti de diuinis scripturis in manus tradantur Episcopi, & ipse quos reddendos viderit C reddat.

Nullus vel nulla recludatur absque licentia Episcopi.

Clerici comam nutrientes tam diu suis careant stipendijs, donec congruam fecerint tonsuram.

Ecclesiæ parochiales non conferantur nisi personis, quę infra annum ordinem diaconatus recipiant, & hoc iurent. Vicarij non constituãtur in Ecclesijs, nisi per Archidiaconũ fuerint in concilio præsentati, quibus sufficienter de redditibus Ecclesiæ secundum ordinationem ipsorum prouideatur.

Hęc omnia præcipimus sub pœna excommunicationis obseruari, sicut in Capitulo Leodiensi Ecclesię fratribus presentibus & consentientibus à nobis fuit ordinatum. Actum anno incarnati verbi millesimo ducentesimo secundo.

D

3. Anno 1204. Canonici S. Lãberti possessiones Ecclesiæ, mediãte Cardinali Guidone, & Episcopo Hugone assentiente inter se diuidũt, & Præpositum destituunt, *ita Renerus S. Iacobi.*

A

De acquisitione Castri de Muha, & prætensione Ducis Brabantiæ.

CAPVT XCVIIII.

Albertus Comes de Muha S. Lambertum hæredem instituit.

HIs diebus, cum Comes de Muha Albertus ex vxore non posset hæredem suscipere, Domino inspirante deliberauit gloriosum martyrem Comitatus sui hæredem statuere, pro temporali munere bona sibi perennia thesaurizans.

Hugone igitur pium viri propositum ad finem idoneum perducere satagente, Comes die sibi ab eo præfixa venit Leodiū, & ipsum allodium cum suis appenditijs super altare maioris Ecclesiæ tam deuotè quam solemniter per ramum & cespitem reportauit. Quod vt esset firmum inposterum, charta de his componitur, & ipsorum sigillis Principum confirmata penes Ecclesiam seruanda reponitur, in hæc verba. B

Charta donationis Comitatus de Muha.

VT ea quæ geruntur in tempore non labantur cum tempore, scripti debent munimine perennari.

Innotescat igitur tam futuris quam præsentibus, quod Comes Albertus de Muha allodium suum de Muha & de VValeue cum familia & omnibus appenditijs suis pro se & omnibus antecessoribus suis ad honorem Dei, & beatæ Dei genitricis Mariæ, & beati Lamberti, Ecclesiæ Leodiensi contulit libere & absolutè, tali interueniente compositione, quod ipse in priori libera & legitima possessione quam diu viuet iam dictum allodium possidebit. Post mortem vero eius, si decedat sine liberis, iure hæreditario, omni alio hærede excepto, ad iam dictam Ecclesiam Leodiensem libere & absolute cum omni integritate pertinebit. Alioquin si filius vel filia superstes fuerit, iure hæreditario supradictum allodium possidebit hoc modo, quod ab Ecclesia præfata in feudū recipere & ligium homagium facere teneatur. Qui etiam filius scilicet vel filia, si sine liberis subinde decesserit vsque in tertiam & quartam generationem & amplius ad prætaxatam Ecclesiam memoratum reuertetur allodium libere & absolute, Actum anno verbi incarnati 1204. indictione 7. C D

Conditiones adiectæ.

Albertus Comes suscitat ex coniuge filiam

Cum autem idem Comes succedente tempore filiam habuisset ex sua coniuge, cœpit super dicti collatione allodij pœnitere. Sciens tamen factum hoc irreuocabile, venit ad Ecclesiam, maioresque precatus est, vt monerent Episcopum ad soluendum ei quandam pecuniam quam debebat, quod se facturos vnanimiter promiserunt. Et

paulo

A paulo post, idem Comes viam vniuersæ carnis ingressus est.

Episcopus autem cōperiens quod Theobaldus Ducis Lotharingiæ filius, filiam defuncti Comitis accepisset in cōiugem, cum eo tanquā mamburno legitimo, mediante Abbate Altæ Syluæ de prædicta amicabiliter composuit pecunia, compositionē ipsam scriptis mandās & eam ex assensu partium penes Ecclesiam seruari faciens sub hac forma. *Hugo Episcopus componit cū filio Ducis Lotharingiæ.*

EGo Henricus Dei misericordia Altæ Syluæ dictus Abbas omnibus ad quos præsens scriptum peruenerit, salutem in salutis auctore.

Nouerint vniuersi quod cum inter Episcopum & Ecclesiam Leo- B *diensem ex vna parte, & Albertum bonæ memoriæ quondam Comitem de Muha ex altera, quæstio habita esset in vita ipsius super quadam summa pecuniæ, & rebus alijs quas idem Comes requirebat, post mortem eiusdem Comitis dictus Episcopus ex vna parte & Dux Lotharingiæ & Theobaldus filius eius mamburnus Gertrudis filiæ dicti Comitis ex altera, in nos compromiserunt voluntariè de his omnibus, & nos omnibus istis pacatis ordinauimus inter ipsos, quod ipsi sibi inuicem, vbi poterunt cum honore, auxilium & consilium facere & ferre de cætero tenebuntur. Et quia in his omnibus fuit eorum cō-* C *sensus, præsentem paginam sigillo nostro, & sigillis eorum in testimonium fecimus communiri.*

Dux Brabantiæ vbi cognouit mortem dicti Comitis patroni sui, conuenit Episcopum volens in castro de Muha custodes suos ponere, & ipsius allodij reditus percipere, donec sibi plena fieret solutio de quadam pecunia, quam viuenti se mutuasse dicebat Comiti supradicto. *Prætensio Ducis Brabantiæ.*

Non sic (ait Episcopus) sed cum Rex Romanorum in partes nostras venerit, pariter properemus ad Curiam, ordinationi atque consilio, quod à viris illustribus fuerit ordinatum, parituri. Quo audito recessit Dux perfidus Præsulis sermonibus non intendens. *Responsio Hugonis Episcopi.*

D His diebus Dominus Hugo Episcopus, & Ludouicus Comes de Los pontem Traiectensem & aggerem, quem Dux Louanij extruxerat, terræ adæquauerunt.

ANNOTATIONES.

1. Cum Comes de Muha:] Comes Albertus Comitatum suum de Muha cum omnibus appenditijs suis & familia libere S. Lamberto tradit, & quinquaginta milia marcharum pro recumponsatione accipit. *Renerus S. Iacobi.*

2. *Præmittit emptionem Castri de Muha, quia fuit seminarium subsequutæ destructionis Ciuitatis, & consequenter triumphi subsequuti de Brabantinis, de quibus ex professo in Hugone fit mentio. Vide auctorem vitæ S. Odiliæ l. 3. c. 1.*

A

Qualiter à Duce & suis est capta Ciuitas, & quanta illic extiterunt crimina.

CAPVT CI.

DVx igitur cõgregato immenso exercitu terræ suæ fines egreditur, castrum de Muha obsidere se velle simulans, re autem vera, malignum quod cum Rege habuerat consilium perfecturus. E contra vero suum Episcopus vocauit exercitum, & Rasoni militi portandum mandauit vexillum, quia Hasbaniæ aduocatus, cuius hoc ferre est, mortuus, hæredem nullum, præter duas puellas paruulas dereliquit.

Dux aperit mentem suam.

B *Raso miles baneriam ferendam capit.*

Proxima ergo tertia feria ante ascensionem Domini dictus Raso in medio maioris Ecclesiæ, vt est moris, armatur, & vexillum accipiens cum Ciuitatis populo vrbem egreditur, & in villa de Horion tentoria statuit. Quod vt Duci innotuit, inito cum suis consilio ad internetionem Ciuium, conflictu congredi voluit repentino.

Raso autem ad resistendum manum se videns habere exiguam, primos exercitus cum lachrymis sic allocutus est. Heu heu fratres, si ego cum Duce vellem congredi, trecentorũ militum, stirpis meæ vallatus auxilio, vix securè cõfligerem, nunc vero in hac beati Lamberti acie, licet tantam habeat familiam, non possem decem milites inuenire. Reuertamur igitur fratres charissimi, expedit enim magis nostra perdere quam corpora: si res depereant, fortassis corpora saluabuntur.

Raso conqueritur de paucitate virorũ nobilium.

C

Regrediens itaque primo mane vigiliæ ascensionis Domini, vexillum reportauit recollocans in altari sanctæ Trinitatis, vnde illud sumpserat, Præsul enim, non attendens malitiam Ducis, paucos milites cõuocauerat, propter fœdus, quod cum eo habebat quadruplex, videlicet quod esset fidelis Leodiensis Ecclesiæ, quod Ducis filius esset præsulis filiolus, quod contra omnem hominem auxilium iuramento medio promiserat, Comitique, vt dictum est, Namurcensi data fide & osculo mentiens addixerat nihil in Episcopio se mali illaturum.

Regreditur & vexillum in altari S. Trinitatis reponit.

Dux Brabantinus quadrupliciter fidefragus.

D

Circa horam autem diei nonam Henricus de Iacia Archidiaconus Ecclesiæ vrbem ingrediens populo acclamauit: Ecce turba & Dux Louaniensis perfidus appropinquat vt nos perdat. Vnde quidam Clerici & Ciues perterriti fugientes, sua quæ poterant, subtraxerunt. Alij autem dicebant: Nihil contra ducem peccauimus. Dux vt cognouit quod plurimi aufugissent, intrans Hasbaniam illos insequutus est.

Aggreditur Ciuitatem.

Godefridus de caluo monte vult à Duce perfido recedere.

Tunc Godefridus de caluo monte vir nobilis primum ducis aduertens malitiam, dixit ei. Video quod manum in vrbem vultis extendere, quare cum omnibus meis hominibus oportet me recedere, quia tantum flagitium videns non valeo sustinere. Cui Dux: Si recesseris (inquit) à me, ab omnibus tuis bonis extirpabo te. A

Henricus autem ille de Iacia, & Thomas de Hemricourt tam enorme Ducis flagitium mirabantur. Quibus ille prædictum Regis Ottonis exponit se velle complere propositum. Si Clerus vrbis (ait) & populus, Regi dicto non præstiterit fidelitatem, meus statim Ciuitatem exercitus deprædabitur & vastabit. Cui viri. Et si hoc (inquiunt) facere non possumus pro tempore, si tamen Præsul non venerit parebimus, eius enim est de præmissis disponere. B

Dux vult Leodienses præstare fidelitatem excõmunicato.

Hugo non credit tantam Ducis perfidiam.

Mittitur ergo ad Præsulem, qui tunc erat Hoij, vt periclitanti suæ subuenire non differat Ciuitati. Qui descendens Leodium modica turba vallatus equitum, non poterat credere hoc Ducem velle facere, tot pacis, vt dictum est, fœderibus violatis.

Suadet prædoni gloriose resistendum, sed sero.

Dux sciens Episcopum aduenisse, Walerani ductus & fretus consilio & suorũ facile irrupit Leodium, necdum enim Ciuitas erat muris circumdata. Videns tandem Episcopus tam enormem perfidiã: charissimi (aiebat suis) prædoni resistite, nobis quidem mori est gloriosius quam fugere inhoneste. Qui resistendi locum non habentes, cœperunt fugere, Præsule derelicto.

Bartholomeus autem quidam miles de Rocourt Præsulem allocutus, abscedamus (inquit) hinc pater charissime, si enim hostes te inuenerint, non quidem interficient, sed captum te facient opprobrium vniuersis. Qui verbis militis acquiescens, cum veniret ad loca difficilia, suos fugientes hortabatur resistere, sed terror nimius inuaserat fugientes. Ipse quoque amarus animo Hoyum reuertitur, vocatisque munitionis custodibus & eis valefaciens, natale solum repetere vult, Diœcesim derelicturus. Quod videns Thomas Archidiaconus vir boni consilij, cur (ait) Pater sic recedis? Nunquid non vir nobilis & diues es? Certe & si nunc improuisus Duci non potes resistere, tempus adhuc veniet. quo cõtra eum grauius poteris præualere. C D

Paret sano consilio.

His igitur verbis animatum Episcopum reducens in oppidum deliniuit, veniensque illa hora Philippus Comes Namurcensis, Ducis perfidiam coram multis explicãs, Episcopum mouit ad lachrymas, motus ipse.

ANNOTATIONES.

Hausit auctor noster hoc caput ex auctore vitæ S. Odiliæ lib. 3. c. 3.

A

Deprædatio qualis fuerit, & quanta super ea lamentatio.

CAPVT CII.

Anno igitur verbi incarnati 1212. in aſcenſione Domini, pariter in inuentione S. Crucis, hora ſexta, oppreſſa eſt Leodienſis Ciuitas à proprijs filijs Brabantinis, qui irrumpentes in vrbē viperarum more, ſanctæ matris vterum non timuerunt ſcindere, nō Deo, non Eccleſiæ, non ordini, ætati, vel ſexui deferentes. De qua re B verſus tunc ſcriptus fuit. *Ciuitas opprimitur à Brabantinis filijs.*

Bis ſex centeno Domini ſextoque bis anno
Legia fraude datur, aſcenſio dum celebratur
Et crucis inuentæ feſto, prædata repente.

Quid plura? Maioris Eccleſiæ gazophilatium fregerunt & ſacrarium, & quos metus mortis ad ſacratiſſimum martyris corpus confugere compulerat, ligatis manibus ab Eccleſia eiectos ſecum abduxerunt. *Gazophilatiū frangitur.*

Quaſcunque inuenerunt mulieres aut paruulos, ſuis ſpoliarunt veſtibus.

Cuiuſdam criptulæ infringentes oſtiolum, inuentumque præsbi- C terum ſacris indutum veſtibus coram ara, in qua miſſam mane cantauerat, nudauerunt, & ab eius pectore tabulam argenteam, in qua Dominicæ crucis erat particula, abſtraxerunt, quam poſtmodum Abbas Alnenſis remiſit Leodienſi Eccleſiæ, ab ipſis qui eam rapuerant redemptam. Fracto etiam armario librorum multorum copiā eiecerunt. *Sacerdotem ſacris veſtibus ſpoliant.* *Dñicæ crucis particulam rapiunt.*

Nec contenti his, in Eccleſia beatæ virginis vbi fons eſt baptiſmalis, corpus dominicum de vaſe in quo erat educentes, ſine reuerentia, ſacras effuderunt hoſtias, quas prope ſedentes mulieres ſumpſerunt deuotiſſime. Inſuper ſacræ vnctionis effuderunt oleum. D *Libros.* *Sacras hoſtias.* *Oleum ſacrum.*

Exeuntes inde, domos clauſtralium omnes confregerunt, inuētumque in domo ſua virum modeſtum, maioris Eccleſiæ Decanum proprijs veſtibus nudauerūt, affectoque contumelijs illudebant impij, ipſo etiā præſente & Duce perfido intuente, & ſuper talibus non mediocriter exultante. Clamabat autem Decanus ad Ducem dicēs: Quare tantam in me graſſari tuorum permittis inſaniam? Dux autē liberationem illius annuens, ipſum inter manus ſuorum ſatellitum triſtiſſimum dereliquit. *Decano illudunt.*

Sub id tempus in ipſa maiori Eccleſia quidam iuuenis læthali percuſſus vulnere ſanctæ Trinitatis altari incubuit, & occumbens inibi *Iuuenis percuſſus moritur in altari S. Trinitatis.*

proprij

A uerso populo ardore incendij deperiret.

Quibus vrbem intrantibus occurrit vir nobilis castellanus de Bruxella filium in ipsa maiore Ecclesia habens Canonicum Ægidium nomine, causamque intelligens illorum introitus, iusiurandum accepit ab eis, quod nusquam procederent quousque (ait) reuertar ad vos: qui Ducem super hoc scelere conueniens, quid est, ait, quod intendis facere? Misi, respondit, vt incendatur Ciuitas. Cui ille cum suspirio dixit, certe nunquam talem ignem succenderunt patres nostri. Consiliarij tui, neque saluti neque honori tuo consulunt. Neque enim impune feres si cœptum sacrilegium volueris cōsummare. Quid ergo, ait, faciam? Cui vir: In conspectu, ait, tuo omnem Ciuitatis fac venire populum, & pro Rege Ottone fideli-
B tatem accipi facias ab eodem.

Reprehenditur à Castellano de Bruxella viro nobili.

Acquiescit eius cōsilio & vocantur canonici & ciues ad aulam.

Itaque sabbatho hora vespertina ad Aulam conuocantur Ciues & Canonici confusi nimium ob suæ turpitudinem nuditatis. Quorum, Dux sibi male conscius, non sustinens videre facies, intrauit in hortum palatij, mittens virum nobilem, qui fidelitatem sicut iusserat acciperet de præmissis.

Die proxime sequente non timuit Dux, licet Dominica esset, Hallam infringere, & vniuersa, quę in ea reperit, extrahere & auferre.

Secunda feria vrbem Dux egreditur, castrum ipsum de Muha obsidere cupiens, sed inspecto loco firmissimo, cum suis vadit ad
C propria, nostræ secum deferens spolia Ciuitatis. Abeuntes vero milites gloriosi cum tubis & tympanis choros ducebant cum gaudio dicentes: Inter Brabātinos sunt flores, & inter Leodienses dolores.

Dux Vrbem egreditur feria secunda.

Porro die dominica spoliati ciues & Canonici in vrbem ingressi sunt, quorum quidam religionis habitum non habentes, in tunicis, quæ eis remanserant, Ecclesiam frequentabant.

Die Dñica canonici & ciues regrediūtur in vrbem.

Mane etiam facto veniebant mulieres & paruuli ad sepulchrum martyris plorantes & deprecantes, vt eos à tali deinceps miserabili angustia liberaret. Mater autem viri Dei illius scilicet Sacerdotis de quo supra diximus, quæ nūquam antea maiorem intrauerat Ecclesiam, quin aliquod signum circa corpus martyris Lamberti inspiceret; vel enim videbat in modum sphæræ igneæ ibidem Spiritus
D sancti descendentem gratiam, aut cœlos apertos inspiciebat & inde lucem clarissimam progredientem, & in sphera splendida animā nostri martyris in figura hominis indutam alba lucida super locū illū descendentem, & iterum ad sydera remeātem, & multa similia, quæ propter negligentiam scriptorum, non sunt memoriæ cōmendata. Hæc inquam die illa qua oppressa est Ciuitas, ita suis oculis obserata fuerunt omnia, ac si corpus ipsius martyris illic non fuisset. Quapropter ingemiscens grauiter, intellexit quod ante Dei faciem, sic iudicari Ciuitas merebatur.

Sancta mulier quid viderit die qua oppressa fuit ciuitas.

ANNOTATIONES.

Anno igitur verbi incarnati:]*De hac clade Leodiensi, multa breuiter scribit Renerus S. Iacobi.* Hoc eodem anno, *inquit*, scilicet 1212. ipsis Calend. Maij Ciues Leodienses exeunt ad pugnam contra Henricum Ducẽ, sequenti die redeunt confusi & contriti. Tertia die Ciuitas obsidetur, & in momento capitur, & spoliatur. Quarta & quinta die aduersarij aurum & argentum, & omnia pretiosa Ciuitatis rapiunt. Matronas & puellas ad castra sua deducũt (*in quo differt ab ijs quæ alij etiam eiusdem temporis scribunt*) multi ciues capiuntur. Sexta die Ciues qui remanserant pacẽ faciunt, sed miseram. Septima die exercitus à Leodio recedit. Octaua obsidetur Castrum de Muha, sed non capitur Waleuia Duci relinquitur vacua. In Octaua ascẽsionis Domini, exercitus Ducis recedit. A

Et paulo infra idem Renerus. Hac tempestate S. Leonardus quindecim captiuos liberauit, & ianuis Ecclesiæ suæ patentibus nullus ostium intrare præsumpsit. B

Et paulo infra. Ad aggerem reparandum, per quem hostes introierunt, non solum laici, sed & Prælati cum clericis & monachis vadunt proprijs manibus operantes.

De hac depradatione. Vide auctorem vitæ S. Odiliæ lib. 3. cap. 4. ex quo Aegidius hoc totum caput verbo tenus desumpsit. Chronicon Ducum Brabantiæ Gemblacensis monasterij de hac eadem depradatione sic loquitur. Anno Domini 1212. in festo ascensionis anno principatus Henrici primi Ducis Brabantiæ 26. Dux Henricus intrauit Ciuitatem Leodiensem in multitudine graui hora tertia, vbi magnam plagam operatus est cædibus & rapinis. Nam aurum & argentum omnia patuerunt direptioni, sacerdotes & clerici nudati sunt, nec Ecclesijs Dei pepercerunt, fiebãt in eis cædes & rapinæ. Altare S. Lamberti sanguine manabat. Magna quoque multitudo muliorum & paruulorum interijt, alij interfecti, & alij submersi. Istis patratis venit Hugo Episcopus apud Hoyum, & facta ibi Synodo graui excommunicatione innodauit Henricum Ducem. Anno sequẽti venit iterum Dux, incendit Ciuitatẽ Tungrẽsem, incendijs & rapinis omnia deuastans. Tunc venit Hugo Episcopus, & cũ eo Lodouicus Comes Lossensis, & multos de exercitu Ducis interfecerunt, ita quod ad duo milia numerus eorũ ascendit, & pro maiori parte de Louanio & de Lyra extiterunt. Et postea incenderunt Lyewis, & tandem ex istis cõprehendi potest quã sit periculosum Ecclesiã Dei perturbare. Namque quia anno Dñi 1212. Brabãtiniones tam horrenda mala in Ecclesijs Leodij perpetrarũt, hæc eis strages hominũ anno sequenti 1213. ad steps iuxta Castrum de Montenaken euenit. *Hactenus Chronicon Ducum Brabantiæ.* C D

CAPVT

A

De excommunicatione Ducis Brabantiæ, cessatione à diuinis, & quibusdam alijs, in detestationem scelerum patratorum.

CAPVT CIII.

His peractis Episcopus Hugo conuocato Hoij concilio omniũ Prælatorum totius suæ diœcesis, super his quæ cõtigerant, coram eis deponit querimoniam, ipsum Ducem Comitem quoque Geldriæ, & eorum cõplices & fautores excõmunicans in præsentia singulorum. *Hugo excõmunicat Ducem Brab. & complices.*

B

Quinque autem de terra Ducis Abbates exurgentes cum in illo præsentes essent Concilio, conuersi ad Pontificem: alia (inquiunt) tela quam candelas ad deiectionem Ducis iacere te oportet. Quos statim ab Ecclesia expulsos eadem excommunicationis sententia Pontifex innodauit. Visi sunt postea in maioris Ecclesiæ Capitulo confusi nimium & abiecti. Nam flectentes genua, & perfusi lachrymis vix obtinuerunt vt à proprijs non degradarentur ordinibus. *Quinq; Abbates insultant Episcopo. Confunduntur* *Hoc solũ impetrãt lachrymis vt non degradentur.*

Decretumque est in ipso Concilio, vt imago Crucis, & Sanctorũ reliquiæ spinis circumdatæ, in omni prosternantur Ecclesia, totius diœcesis organa suspendãtur, festiuisq; diebus fiat proclamatio pro prædicto scelere. Insuper in Ducem & omnes suos complices præfata sententia solemniter renouatur.

C

Primo igitur in maiori Ecclesia imago Crucifixi est deposita, & Sanctorum Theodardi & Maldabertæ virginis reliquiæ, quæ pariter vno feretro continentur, ad eius dexteram sunt positæ; ad sinistram vero Petri & Andoleti, & sancti Floriberti Episcopi & confessoris, quæ etiam pariter collocantur, reliquiæ sunt statutæ.

Sed neque sicut dictum est, per annum & dimidium, minus diebus vndecim in maiori Ecclesia solemnis diuinorum facta fuit celebratio. Sed dictis horis regularibus intrabat conuentus beati Ægidij basilicam, expletoque illic diuino missæ officio & data benedictione, indutus ad hæc sacris, complosisque manibus, egrediebatur præsbiter, Clerique conuentu circumdatus ibat sic ad templi mediũ, & omnes coram prædictis procumbentes reliquijs, cum multis lachrymosis suspirijs hanc ante faciem Dei cum precibus querimoniam deponebant. *Cessatur à diuinis in maiori Ecclesia.*

D

Aspice Domine de Sede sancta tua & cogita de nobis, inclina Deus meus aurem tuam & audi, aperi oculos tuos, & vide tribulationem nostram. Qui regis Israel intende, qui deducis velut ouem Ioseph, qui sedes super Cherubin, aperi oculos tuos. *Psal. 79.*

Et iterum: *Omnes iniqui insurrexerunt super nos, & Synagoga potentium quæsierunt animas nostras. Fiant tanquam puluis ante faciem venti, & Angelus Domini coarctans* *Psal. 82.*

ni coarctans eos. Fiat via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini persequẽs A
eos. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueũ, & in retributiones & in scandalum. Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorũ semper incurua. Effunde super eos iram tuã, & furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes.

Preces Ecclesiæ. Et post pauca: *Ecclesiæ tuæ quæsumus Domine preces placatus admitte, vt destructis aduersitatibus & erroribus vniuersis, secura tibi seruiat libertate.* Et iterum: *Hostium nostrorum quæsumus Domine elide superbiam, & dextera tua virtute prosterne.* (*Hier. 11.*) *Tu Domine Sabaoth qui iudicas iuste, & probas renes & corda. Videamus vltionem tuam de inimicis nostris, & peccato eorum assensum præbentibus, & cooperatoriis, & eorum consiliariis. Confodiantur gladio in prælio, audiatur de* B
domibus eorum clamor, quia foderunt foueam, vt caperent nos, & laqueos absconderunt pedibus nostris. (*Hier. 22.*) *Tu autem Domine scis omne consilium eorum aduersum nos. Ne propitieris iniquitatibus eorum, & peccata eorum à facie tua non deleantur. Fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui, & induc super eos diem afflictionis,* (*Hierm. 17.*) *& duplici contritione contere eos Domine Deus noster, nisi resipuerint, & Ecclesiæ Dei, quam læserunt, per emendationem satisfecerint. Fiat, Fiat.* Erat itaque Leodiensis Ecclesiæ talis proclamatio quotidie repetita.

ANNOTATIONES.

Totum hoc caput verbotenus noster auctor desumpsit ex auctore vitæ sanctæ Odiliæ. Renerus paucis de hac eadem re sic loquitur. Synodus Hoij celebratur. C
Tota Leodiensis Ecclesia lamentatur, organa deponit, & silet, totaque Brabantia interdicitur. Inter Ducem & Episcopum treugæ dantur vsque ad octauas S. Ioannis Baptistæ.

De legatione ad summum Pontificem, magno Episcopi exercitu, timore Ducis eiusq́ perfidia.

CAPVT CIIII.

Qui fidelitatẽ Ottoni excõmunicato metu præstiterant absoluuntur.

INterim Hugo Pontifex Legatos misit ad Romanã Curiam, scripto aperiens causam, modum, quantitatem, & ipsum auctorem sceleris, illos absolui postulans, qui sicut præmissum est, Ottoni Regi fidelitatem facere coacti sunt. D

Quo audito Summus Pontifex Innocentius quartus facto isti condolens, compatienti animo absolutionem tribuit omnibus de præmissis.

Hugo copiosũ exercitum cõgregat.

His ita gestis, mense Iulio Præsul copiosum congregauit exercitum, equitum tria millia, & infinitæ multitudinis vulgus reliquum, direxitque suas acies super fluuium, qui Piton dicitur, infra

A octauam Apostolorum Petri & Pauli, terram Ducis protinus & populum inuasurus.

Dux autem hoc perpendens, timuit, misitque legatos ad Principes, qui erant cum Pontifice, falso spondens se redditurum omnia quæ Leodij & circum deprædatus fuerat, insuper & venturum se cũ suis nobilibus ad eandem Ecclesiam, & nudis pedibus, flexisque poplitibus ante ipsum Præsulem & totius faciem Ciuitatis de sacrilegio suo veniam petiturum. *Dux metuit & multa falso promittit.*

Erant autem in acie Pontificis Ferrandus Flandrensis, Philippus Namurcensis, & Ludouicus de Los Comites, & multi alij Francorum Principes noti cognati etiam Præsulis & affines. Deus autem alio modo venturam præuiderat vltionem: vt enim non per alienigenas, *Principes exercitus Episcopi.*

B sed per eos tantummodo, quos prædictum multauit flagitium prōueniret victoria, æstu & ardore solis, Pontificis soluit exercitum. Nã cum vellent sua mouere tentoria, præ siccitate nimia, puluis surgens in aëra ita singulorum obfuscabat intuitũ, vt se mutuo videre non possent. Cuius incommodi necessitate compulsi qui aderant, petierunt à Ferrando Comite, vt à Duce super his quæ ipse spoponderat, cautionem firmam reciperet, quam si aliquando Dux violare proponeret, ipse eum postmodum expensis eius proprijs debellaret. *Deus impedit exercitum & quare.* *Dux cautionẽ dat sponsionis suæ facta.*

Omnium ergo vna fuit sententia, vt toto illo exercitu ad propria

C reuertente, Comes tantum de Los & Episcopus aduersus Ducem cum suis exercitibus congrederentur. Ferrandus igitur à Duce cautionem de prædictis accipiens, Præsuli quandam partem terræ Haynoniæ eidem ad firmam possidendam tradidit, donec Ducis promissio compleretur. Mandatur quoque literis hæc compositio, & dictorum sigillis Principum firmius roboratur.

Cum vero Ferrandus ipse Ducem postea super illa pactione requireset, ille rem protrahens, dicebat se adhuc debitam sponsionis suæ pecuniam non habere. *Dux perfidus Ferrando illudit.*

Interea Comes Namurcensis Philippus mortuus est Idibus Octobris, sepultusque est Namurci in medio Ecclesiæ S. Albani honori-

D fice, sicut hodie cernitur, in quo loco sepultus iacebat quidam Episcopus de Hungaria, qui peregrè proficiscens ad S. Iacobum, obierat Namurci.

Mortuo Comite, Dux, qui erat viduus, conuenit Philippum Regem Franciæ, duxitque in vxorem relictam Comitis, hoc est, Mariam, quam Rex susceperat ex adulterina commixtione cum filia Ducis de Meran legitimæ vxori superducta. *Dux fœdus init cũ Frãco.*

Fœderatus ergo sic Francorum Principi, longe factus est ab Ottone. Intelligens etiam Rex Franciæ in multis Ducem sibi necessarium, propter bellum, quod in Anglos mouere parabat, ad Leodiensem diœcesim suas destinauit literas, amicum suum Ducem

Scribit Leodiensibus in eius fauorem. pronuntians esse & generum, & ideo cupere vt tanquam talem omnes illum honorent. In auribus totius diœcesis displicuit sermo A talis.

Dux Regis naues spoliat. Porro cum ipse Rex franciæ multas naues varijs plenas diuitijs misisset in Angliam, & eas Dux succendisset Boloniæ, inuenta cuncta diripiens & asportans, ingemuit Rex, & ait: Heu quanta mala sum perpessus, ex quo illi sum excommunicato Duci Brabantiæ sociatus.

Fredericus regnũ patrum ingreditur. Illo quidem tempore Fredericus Henrici augusti filius, regnum patrum suorũ ingressus est. Quem missum à Papa Innocentio Principes Alemanniæ susceperunt, ab Ottone tanquam excommunicato & perfido recedentes. Qui tamen regni partem aliquam sibi re- B tinere cupiens, superiorem ascendit prouinciam, magnam habens *Otto terram Comitis Guerrẽsis iusto Dei indicio spoliat.* in Duce fiduciã Brabantino, veniensque in terram Gueldrensis Comitis fidelitatem promittere non volentis, partem illius maximam vastauit incendio, diuinam in Comite ignarus licet prosequens vltionem, qui nostram, vt dictum est, etiam sine causa spoliauerat Ciuitatem.

ANNOTATIONES.

1. Interim Hugo pontifex legatos:] *De hac legatione vide auctorem vitæ S. Odiliæ, ex quo hoc caput hausit auctor noster.*

2 His ita gestis mense Iulio:] *De hac expeditione sic Renerus.* Episco- C pus de Francia & de proprijs militibus, & amicis, ac cognatis suis, & Rege Franciæ, & Comite Flandriæ Ferrando, & Duce de Nancei (cui Comitatus de Muha contingebat, ac per quem comitatum tot mala Leodiensi ciuitati euenerũt) fere duo milia & quingentos milites cũ innumerabili turba cõgregat. Dux tantam vim ferre non valens per internuncios pacem quærit & impetrat. Obsides & fideiussores dat, satisfacturus de damnis illatis & confusionem Muha, & totam terram Comitis Alberti abiurat. *Et statim post.* Ciuitas tam de muris quam de lignis & aggere instanter firmatur.

3. Porro cum ipse rex Franciæ:] Bellum maximum ortum est (*inquit Renerus*) inter Regem Franciæ & Ferrãdum Comitem Flandriæ, D occasione Comitis Boloniæ, quem rex è terra sua expulerat, & Comes inconsulte detinebat. Rex igitur simulans se in Angliam transire, classem maximã in littore maris Anglici adunauit, auroq; & argento, pane, vino, & innumerabili supellectili ditauit & impleuit. Et ex insperato Comitem prædictum habens in comitatu suo Flandriã inuasit, & in quantum potuit sibi subiugauit. Comes vero videns se defraudatum, collectis suis fautoribus, & Comite Boloniæ ad naues se transtulit, spoliauit, fregit, & incendit, ac postea exercitum Regis inuasit & eundem, vellet nollet, recedere coëgit plurimos de sua parte perdidit & partis alterius cepit. Itaque bellum inualuit.

Ferrandus Comes Flandriæ se confœderat Regi Angliæ, qui Rex

misit

A misit ei infinitam pecuniam, vt daret donatiuũ largiter militibus de omnibus vocatis regionibus, quod & fecit. Nam eo tempore, quo facta est victoria per Episcopum Leodiensem contra Brabantinos Deo volente, ne viribus humanis ea ascriberetur, erant plusquam centum quinquaginta milites nostræ terræ, qui donatiuum expectabant ab ipso Comite. Et hoc multum nocuit parti nostræ in die belli, sicut in sequenti describemus. *Hactenus Renerus.*

Qualiter vindicta futura de Duce Brabantiæ demonstrata est cuidam viro religioso.

B

CAPVT CV.

POst anni circulum Sacerdos ille venerabilis de Ecclesia S. Lamberti, de quo supra mentionem fecimus, in die festo inuentionis S. Crucis, completis pro more nocturnis vigilijs, cũ in dextro chori latere maioris Ecclesiæ, quo decenter est intexta imago beati Martyris in tapeto, caput superponeret lapidi, interposito quo erat indutus superpellicio, leuiter dormitare cupiens, vt ad celebrãdum, somni recreatus requie fortior assurgeret, ipse martyr ante eũ astitit in venerando habitu, & iratum se nimis ex rubore vultus simulans, magno cum impetu dixit ei: Brabantini erunt percussi. Viri autem Dei intremuit spiritus, & ad se rediens, apparuisse cognouit sibi gloriosum martyrem.

C

S. Lambertus reuelat vindictam de Duce sumendam.

ANNOTATIONES.

De hac visione vide auctorem vitæ S. Odiliæ lib. 3. cap. 8. circa finem.

De vindicta diuina contra Decanum Thenensem Episcopum suum subsannantem, & alios Ducis consiliarios.

D

CAPVT CVI.

ILlo in tempore erat quidam apud Thenas Decanus Gerbertus nomine, qui in deprędatione nostræ Ciuitatis ad nostræ confusionem Ecclesiæ quendam ascendit in montem, intransque cuiusdã tentorium, inuentis illic Præsulis nostri vestibus, quibus sacro solebat altari assistere, illa vestire non timuerat, & inde baculo pastorali innixus mitra pontificali capiti nefando imposita, conuocatis vilibus mancipijs, suisque garcionibus, istos officiales vel Archidiaconos, alios Præpositos vel Decanos constituere. Hic postmodum morti

Decanus Thenensis linguam sibi demordens moritur.

morti vicinus linguam sibi comedit maledicam, & sic vita functus est. A

Capellanus & consiliarij subita morte extinguuntur.

Simili modo, die quodam, cum Dux barbarus cum Rege pranderet Franciæ, capellanus eius, qui ibi astabat, videntibus qui aderãt, in terram cecidit & expirauit.

Vtque Martyris gloriosi sententia compleretur, *Brabantini erunt percussi*, omnes Ducis Consiliarij improuisa morte præuenti sunt.

ANNOTATIONES.

Hoc totum caput hausit auctor noster ex auctore vitæ S. Odiliæ lib. 3. cap 9.

B

Dux confisus auxilio Regis Galliæ meditatur secundo deprædari Leodium.

CAPVT CVII.

Ferrandus & Epũs, & Comes de Loz inuadũt terram Ducis.

ANno autem gratiæ 1213. Comes Haynoniæ Ferrandus monuit Episcopum & Comitem de Los Ludouicum nomine, vt proxima decima die mensis Octobris quinta feria terram Ducis inuaderent, ipse ex aduersa parte illis occurreret eandemque terram incendijs passim excitatis deuastaret. C

Rex Galliæ Duci Brabant. est auxilio.

Porro Philippus Rex Francorum socero suo Duci in hoc volens subuenire articulo, quoddam obsedit castrum Ferrandi Comitis eo consilio, vt dum Comes impeditus ipsi Regi resistit, Leodiẽsis diœcesis minus Duci possit officere.

Dux meditatur secundo depopulari Leodium.

Dux sæuit in imag. Crucifixi

Dux igitur Regis confisus auxilio, volebat secundo depopulari Leodium. Quare diuina compulsus vltione, robur sui conuocauit exercitus, dumque fines suos egreditur, venit Waleuiam, intransque in Ecclesiam, vidit illic prostratam in terra, sicut Præsul præceperat, imaginem Crucifixi. Quam sumens ipse tulit ab Ecclesia, confractisque cruribus & præcisis manibus proiecit in sterquilinium, ita dicens: An credit de me Pontifex vindictam habere talibus innisus machobertis. D

Nobiles Hasbaniæ turpiter puniuntur, & quare.

Et inde progrediens intrauit Hasbaniam, villarum partem maximam incendens: Nec immerito; Illius siquidem terræ milites, qui pro vrbe & matre Ecclesia, vsque ad mortem certare debuerãt, vtpote legitima martyris nostri familia, Ducis ipsius verbis corrupti fallacibus, præfatum suaserant facinus, quod per nostram exercuerat Ciuitatem. Vnde factum est vt eorum nunc à præfato exercitu coniuges violarentur, & filiæ, vbi in vrbis excidio per Dei clemẽtiã intactæ permanserant virgines & matronæ.

Tungrensis autem gens Ducem super se timens irruere, feretrum argenteum

A argenteum gloriosæ virginis cum suis reliquijs aduexit Leodium, quod susceptum à maioribus cum planctu, & lachrymis in thesauraria est collocatum: Mox Dux Tungros veniens, magnam partem oppidi vastauit incendio, quia scriptum est: *Ira Dei super Tungros vsque in sempiternum.* Porro Tungrenses huiusmodi compulsi angustia, in beatæ virginis fugerunt Ecclesiam, portasque eius obturauêre lapidibus, ad resistendum Duci viriliter se præparantes.

Tungrenses à Duce deprædantur.

2. Math. 8.

Quo comperto, Dux ira motus maxima in modum Nichanoris manum extendit in Ecclesiam, huiusmodi blasphemias verbis euomens sceleratis. Ignoro vtrum Deus aut Diabolus in hac domo latitet, sed inde non progrediar donec Deum aut Dæmonem virtute
B incendij faciam exilire. Hæc dicebat perfidus, vltionem non præcauens, quæ suis in proximo erat exercitibus inferenda, missisque satellitibus villas incendit per circuitum, ita quod Leodium obfuscato aëre coloris appareret ignei, quod & ipsum seruo suo Dominus præostendit.

Iam vespera venerat, & Dux cum paucis veniens explorare Leodium, vt vidit vrbem circumdatam muris, turribus, & fossatis, ingemuit & clamauit: Heu, heu, quando recessi hinc, omnibus asportatis, vix ipsos reliqui cineres, & vbi tanta auri & argenti copia recondita fuit, cuius ope succederet firmitas ista insperata? Et his dictis ad suos tristis reuertitur.

Dux videns Leodium muris circundatum ab eo recedit.

C

ANNOTATIONES.

Totum hoc cap. hausit Aegidius ex Auctore vitæ S. Odiliæ lib. 3. cap. 9. §. Anno Domini 1213.

Vide quoque Reuerum Sancti Iacobi infra ad caput 111. §. Ferrandus igitur Comes.

Visio viri religiosi.

CAPVT CVIII.

D

NOcte illa vir quidam religiosus, accẽsis circa sacri corpus martyris luminaribus, cum vellet lassata membra somni requie releuare, raptus in spiritu, se vidit in sinistro stare chori latere, & feretrum pij martyris, quod ad terram cecidisse antea præuiderat, leuatum de terra inter vlnas assumere, & tanti ponderis dulcedine delectari. Et ecce duo iuuenes astiterunt ei in albis candidissimis, cereos accensos ferentes in manibus vltra solis radios rutilantes.

Feretrum S. Lamberti martyris leuatur à terra

Cumque tanto lumine miraretur, viri quidam in habitu monachali intrauerunt australem portam ipsius Ecclesiæ, ascensisque chori gradibus circumsteterunt mausoleum martyris emissa voce clarissima laudes crucis taliter attollentes. *O crux splendidior cunctis astris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, sanctior vniuersis, quæ sola fuisti digna portare talentum mundi, dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera.* At vbi dixerunt, *salua præsentem cateruam in tuis hodie laudibus congregatam*, tantā vocem emisere dulcedinis, quod vir Dei illius refertus suauitatis gratia super pedes stare non potuit, sed totus super illud quod gestabat feretrum reclinatus, tam immensum pondus sensit gratiæ, quod vtrum esset mortuus an viueret, penitus ignorauit. In se vero reuersus refertum sic gratia se inuenit, quod lingua, vel literis non valeat explicari. Et deinceps si quando præfatam ad memoriam reduceret visionem, aliquid ex illa dulcedinis gauisus est se persensisse.

Monachi ad feretrum martyris cantãt hymnũ de S. Cruce.

Vir Dei repletur gratia.

A

B

ANNOTATIONES.

Visionē hoc capite relatā hausit Aegidius verbotenus ex auctore vitæ S. Odiliæ l. 3. c. 10

Hugo congregat exercitum, timor Ducis, & visiones de sequutura victoria.

CAPVT CIX.

His ita se habētibus, timēs Episcopus Ducis perfidiā, fecit vsque Hoyum Fossenses & Dyonenses descendere, omnem quoque circa regionem, ascendensq; ipse cum paucis Hoyum, obseratum inuenit oppidum ad resistendum Duci, iam super muros custodibus ordinatis. Cui cum essent ianuæ patefactæ, intrauit velocius, faciensque signa pulsari per oppidum, acclamauit omnibus etiam lachrymando: Eya fratres currite, & periclitanti matri vestræ Leodiensi Ecclesiæ quantocius subuenite. Illisque paratis sicut ipse iusserat, ipse cum suis hora illa reuersus est Leodium. Facto mane omnes qui Hoy conuenerant, egressi sunt oppidum, parati pro sua matre vsque ad mortem viriliter decertare. In diei quoque illius diluculo campanam banni pulsari fecit Episcopus, mandans & præcipiens Ciuibus vniuersis suam egredi Ciuitatem.

Hugo vocat Hoyum Dionātenses, & Fossenses.

Animat Hoyēses ad defensionē Ecclesiæ.

C

D

Erat autem ipsa hora quidam ciuis dormiens ipsum signum per visum æstimans se audire, & cum à circumstantibus quæreret, quo eundum esset, ecce quidam in habitu venerando astitit ei dicens: Ego sum Lambertus martyr, sequimini me, ego enim sanos ducam vos, & reducam. Excitus ciuis à somnis, ipsum audit signum pulsari vigilans, quod prius audierat inter somnum. Ciues autem armati Ciuita-

Visio læta cuiusdam ciuis.

A Ciuitatē exeunt, nam è contra Dux suas direxerat copias apud Skendremale, quod duobus milibus à nostra distat Ciuitate. Vt cognouit Pontifex quod Dux illic sua fixisset tentoria, vt super vrbem irrueret improuise, ipse suos etiam ad bellandum ordinare voluit, in quibus 30. milites sunt inuenti, vidensque contra Ducis exercitum se manum habere nimis exiguam, timuit, & quendam aduocans Sacerdotem Renerum nomine: Eya (inquit cum lachrymis) frater Ciuitatem ingredere, & pro nostro exercitu facias exorari. *Hugo petit pro suo exercitu orari.*

Vt autem Duci egressus Pontificis nunciatus est, timor tantus suas inuasit acies, vt fugæ intenderent potius quam bellare. Quos cum suis Pontifex insecutus, eleuatis oculis hora prima videt Dyonēses, Hoyenses, Fossenses, omnesque quos nocte vocauerat, cliuum mō-
B tis, qui publicus appellatur, descendere, qui proprius accedētes pariter iuncti sunt. Fugientium vero tanta fuit ferocitas, vt loca per quæ transierant, igni relinquerent deuastanda. Vnde Theodericus de Walecourt, & alij quamplures mirabantur dicentes: O Ducis malitiam. Ipse fugitante nos, & fugiens terram nostram incendere non formidat. Iratusque Pontifex suos alloquens aiebat: vt quid vltra viuimus? Cur Ducem non inuadimus. Quid ipsum tam ferociter à nobis recedere permittimus? Est enim melius, si Domini & beati martyris sit voluntas, nos mortis dari periculo, quam viuere inhoneste. *Ducem cū suis fugientem insequitur.* *Ira Pontificis.* *Animat suos.*

At Henricus Dux Ardennæ prefati Ducis patrinus, & quamplures
C alij respondebant in dolo Præsuli sic dicentes: Ad Ducis interitum manum adhuc habemus exiguam, sed fugientes potius insequamur. *Dux Ardennæ dolosus.*

Sequenti autem sabbatho, cum vir Dei in maiori staret Ecclesia, & à quadam fæmina luminare requireret, bene, ait mulier, sanctus noster promeruit vt nostro deinceps decoretur lumine, qui sibi seruientes sic visus est reliquisse. At ille prophetico tactus spiritu sic respōdit: Hora ista mihi in crastinum non dices talia, quia laus nostri martyris erit omnibus manifesta. *Vir Dei prædicit victoriam.*

Circa horam diei vndecimam, sciens Episcopus Comitem suum
D de Los apud Montegnies congregasse exercitum, misit ad eum, vt ei in crastinum hora prima cum suis occurrere festinaret. Quo facto profecti sunt inde, & super Iecoram fluuium in villa, quæ Glaons dicitur, fixerunt tentoria exercitibus congregatis, missisq; exploratoribus Episcopo renunciatū est, quod in custodia de Steppes requiescerent Brabantini. Ipsa nocte dormienti cuidam puellæ apud Leodium vir quidam clarissimus astitit, sic alloquens dormientem. Dic vrbis mulieribus vt candelam faciant secundum longum & latum maioris Ecclesiæ, factamq; in partes diuidant, & accensas per angulos templi constituant, quia ipsius non erit cousumptio, donec meæ diœcesi de Brabantinis plenarie tribuatur vltio. Factumque est ita: prius enim euenit victoria, adhuc illius candelę lumine non consumpto. *Lossenses iungunt se Episcopo & suis.* *S. Lambertus cuidam puellæ dormienti prædicit victoriā.*

ANNOTATIONES. A

Hausit Aegidius hoc cap. ex auctore vitæ S. Odiliæ lib. 3. cap 10. §. His ita se habentibus.

De hystoria huius capitis vide quoque Renerum S. Iacobi infra ad cap. 111. §. Lodouicus interea Comes Lossensis.

Hugo venit in Steppes cum exercitu, & alia quædam signa & visiones futuræ victoriæ.

CAPVT CX. B

Ducitur dæmoniacus ad Ecclesiam de Hastieres.

ECclesia beatæ virginis sita apud Hastieres prope Mosæ fluuiũ à loco certaminis quindecim ferme milibus dicitur separari. Ad hanc cum duceretur homo quidam possessus a Dæmone, licet de futuro conflictu Ducis & Episcopi nulla ibi mentio versaretur, summo tamen diei diluculo quo congressum est, cœpit idẽ fremere, & ingẽti cũ gemitu terribiliter acclamare: Hodie, hodie victoriã obtinebit B. Lambertus. Hora autẽ tertia qua certamen initũ est iterato arreptitius vocẽ edidit ampliorẽ, modo modo potẽter potitur victoria B. Lãbertus. Hora vero nona fine propinquãte certaminis, idem homo vocẽ simul emittens & spiritum, Eya (ait) miraculose in bello obtinuit B. Lambertus. Et his dictis exspirauit. Nec dubitet lector sollicitus ipsum nequam spiritũ, qui ad horã misero principabatur homini, ab aliquo Cælestiũ futurã hanc accepisse notitiã præordinatam à Dño, & bonis spiritibus inspiratam. C

Dæmon per eũ cogitur S. Martyris victoriã prædicere.

B. Maria apparet in somnis cuidam fideli animæ, & prædicit victoriã.

Præterea cum quædã fidelis anima super cõtritione ista totius patriæ contriti cordis hostias Domino immolaret, inter orandũ somno deprimitur, cui astitit virgo gloriosa dicens: Cur in tantũ affligeris? Inclytus Martyr Lambertus ad omniũ Sanctorũ instantiã à dilecto filio meo incõmutabiliter obtinuit, vt ei de Brabantinis vltio plenissima tribuatur. Sic Deus vltionũ primum Ducis excessum Leodij perpetratum egit vlciscens libere, & nihilominus Deus vltionũ secũdum ipsius Ducis forefactum, quod reuersus Leodium complere parauerat, iustè & solemniter vindicauit. D

Præsul exercitum mouet prima noctis vigilia.

In prima igitur noctis vigilia Præsul misit præcones per totum exercitũ, vt vniuersi surgerent, & procedentes vexillum sequerẽtur beati martyris ordinibus congregatis. Nocte vero illa per duo proficiscentes miliaria rarescentibus tenebris lucem imminere conspiciunt, & ecce Comes de Los & Episcopus appropiantes, amplexati sunt inuicem præ gaudio lachrymantes.

Venit in custodiã de Steppes

Die autem Dominica venit exercitus in custodia de Steppes, vbi Dux cum suis nocte præterita fixerat tentoria, & respicientes barbari diœcesanum populum super se irruere velle, vlulatum diræ vocis tan-

A cis, tanquam desperati, emittere coacti sunt. Præsul vero sui exercitus turmas circumiens, fieri prohibuit hunc clamorem. Nihilominus vsque tertio aduersarij clamauerunt. Suas quoque Episcopus allocutus acies, præcepit genu flectere, gloriosam virginem & beatũ martyrem deuotius exorare, vt ab instanti eos periculo eripere dignarentur, absolutosque à peccatis omnibus verbis huiusmodi animabat. *Aduersariorũ clamor.*

Video charissimi quod absque certamine transire non possumus, sed securus loco pœnitentiæ instans vobis iniungo prælium, in animam meam reuera suscipiens quod quisquis hic ruerit, beato coniungendus martyri paradisi gaudio perenniter potietur. Estote igitur fortes in prælio, præ oculis habentes quæ & quanta vobis & ve- *Hugo animat suos ad præliũ*
B stris, vrbi etiam, & maximæ Ecclesiæ intulerint maledicta. Et iterum cum lachrymis dicebat: Hi ad nos cum multa veniunt superbia vsque ad muros nostræ vrbis nos non timentes prosequi, quos modo sicut scitis insequimur tali tantaque angustia compediti. Habeamus ergo fiduciam in eo, qui suæ matris meritis, & nostri prece martyris à præsenti periculo nos potens est liberare. Et his dictis deuotũ exercitum non mediocriter reddidit animosum.

Interim vero cunctis cernentibus columba candidissima circumuolauit exercitum, quam fuisse vnam cœlestium virtutum veraciter arbitramur. *Columba circũuolat Episcopi exercitum.*

C Ipsa quoque deuota mulier quæ virum Dei genuerat, intenta in vigiliarum precibus, vidit in aëris medio gloriosum martyrem armis fulgentem aureis, clypeum in humeris gestare clarissimum. Hastam quoque vibrare auream & equo candidissimo insidentẽ, quem gloriosa virgo in venerando præcedebat habitu, & ad bellum quãtocius properabant. *Apparẽt B. Maria V. & S. Lãbertus martyr armatus.*

Ciuis quoque quidam in acie ipsum euntem martyrem confessus est veraciter se vidisse.

Episcopus autem per turmas transiens, exercitũ benedixit. Pro eó autem quod nostri flexissent genua, deridebant eos aduersarij, & dicebant: Isti præ timore nos adorant.

D Frater autem ipsius Ducis Guilhelmus nomine, ipsum accersiens sic allocutus est. Chare frater, si mihi velles acquiescere, ad Dominum tuum Episcopum, in quem deliquisti, pergeres, & petita venia ex toto te ipsius subijceres ditioni. Quem Dux indignando respuens, Diuino eum perurgente iudicio: Eya (inquit) miser iam victus es. Ille vero cum lachrymis aiebat: Gloriose martyr libera me hodie à morte: cuius martyr fusas suscepit lachrymas eum à morte liberans, eo maxime, qui sicut prædictum est, ornamenta maioris Ecclesiæ fideliter excussisset de manibus pessimorum. *Guilelmus frater Ducis suggerit illi bona consilia.*

ANNOTATIONES.

Aegidius hausit hoc caput ex Auctore vitæ S. Odiliæ lib. 3. c. 11. Vide quoq; Renerũ S. Iacobi infra ad caput 111. §. Fuerunt autem Duces exercitus nostri.

 A

Leodiensium prælium, & miraculosa victoria de Brabantinis.

CAPVT CXI.

Dux super mõticulum suas ordinat acies.

DVx autem super monticulum suas ordinauit acies; vt in nostros ex descensu grauius possent infringere, ipse autem arma sua antea reijciẽs, vt fugæ posset intendere, si necessitas se offerret, præstolabaturque horam, qua solis radius nostrorum reuerberaret oculos, sed nubem misit Dominus in eorum auxilium quæ B stetit in aëre quamdiu conflictus exercituum perdurauit; præcepitque Dux ex suis militibus quinque pedites incedere, vt in Comitem de Los repente irruerent, & deiectum interficerent improuise. Dicebat enim: Si Comes victus fuerit, reliqui nobis resistere non valebunt. Habebat vero ipse Dux non minimam copiam militum electorum, peditum quoque magnam multitudinem, & etiam multas acies exercitus peregrini, factumque ex Dei prouidentia, vt nostris manus esset exigua, quo sequens victoria non humano brachio, sed pio magis martyri cõferretur. Illo quidem in tempore iam in quingentos & eo amplius milites diffusa erat Hasbaniorum progenies, C & in hoc pugnæ articulo cum nostro Pontifice quindecim tantum adfuerunt.

Iubet pedites irruere in Comitem de Loz.

Exercitus Ducis copiosus, noster exiguus.

Milites hasbani quindecim tantum.

Brabantinis autem ad prælium præparatis, præcepit Episcopus suas acies similiter preparari. Quos Theodericus de Walecourt miles acerrimus decenter componens & ordinans, præcepit peditibus vt pariter conglobati pro muro essent militibus retro sequentibus, fecitque suarum hastas lancearum acui, & in terram figi, & in directũ contra milites teneri cuspidem lancearum, inuitansque & suadens ad prælium, Charissimi (aiebat) nolite diffugere; nam cum à nostris procul sitis terminis, fuga prodesse non poterit, sed coniuncti stantes in ordine timorem abijcite, non est enim Deo difficile saluare in D pluribus vel in paucis. Sed & si quis militum metu mortis super vos redierit, & nostrum ordinem transilire voluerit, equum eius figite, ipsum omnimodis reuerti in prælium compellentes. Quod & fecerunt.

Theodoricus de VValecourt ordinat acies & armat ad prælium.

Videntes autem barbari nostros paratos ad prælium, cum tanto impetu montis descenderunt crepidinem, vt eos procul retroire compellerent, prostrato quidem Comite de Los ab illis quinque militibus à Duce, vt dictũ est, antea præparatis. Quem frater eius Henricus tunc Clericus prostratum cõsiderans, in equum reposuit, illorum aliquibus interemptis, totumque pondus prælij versum est in Comitem, & secũdo, & tertio sic prostratum: quem quidam nostras intuens

Brabantini de mõte in nostros irruunt.

A intuens de securi, quam tenebat voluit percutere ipsum æstimans Brabantinum. Sed mox vt vocem audiuit clamantis, ego sum Ludouicus Comes, retraxit ille brachium, & in equum Comitem releuauit.

Tunc Henricus Dux Ardennæ, vt timorem nostris immitteret: Eya miseri quid agitis? Quid hic vltra moramini? Præsul noster captus est, & Comes interemptus. Quo audito ipse Comes: Mentiris ait Deo perfide, quia ego incolumis equo insideo, & noster Episcopus iuxta nos est. Veruntamen sic Ducis Henrici mendacium gentem Comitis commouerat, quod tota in fugam conuersa est, perseuerantibus in prælio Leodiensibus, & pro sua vita suorumque certantibus, de sua quidem virtute nil præsumentibus, sed patroni sui B cum spe & fiducia nomen inuocantibus. Cuius audito nomine, statim nostris hostes terga dedêre fugantibus, ex quorum numero plurimi prostrati sunt, & tria & amplius millia interempti. Vnde versus.

Henricus Dux Ardennæ timorem Lossensibus immittit.

Audito nomine S. Lamberti martyris Brabantini fugiũt.

Millibus vt cæsos numeres tribus adde ducentos
Brabantos, duo bis millia capta scias.

Ad eorum autem vestigia quos prius nullos æstimauerant, complosis manibus veniebant supplices, orantes & deprecantes, vt eorum omnem inuaderent substantiam, & seruata tantum vita, totam eorum progeniem deinceps perpetuæ subijcerent seruituti: qui scelerum per eos Leodij patratorum non immemores deprecantiũ la- C chrymis intendere non volebant.

Nostris fiunt supplices.

Dux ipse fugit de acie, quod viro Dei per visum primo mane fuerat præostensum. Ducem autem cum quidam sequeretur indigena, Lambertus de Hoyo solo nomine miles, nam & ipse vir Belial, vt de manu persequentis eriperet, ex abrupto obuians indigenam interfecit. Peruenit autem Dux Louanium obuiam habens turbam multam matronarum plorantium & dicentium: Vbi sunt Domine filij & parentes, mariti & nepotes, noti & affines, quos tecum pridie à nostris abstractos finibus abduxisti? Quibus ille male sibi conscius, olim, aiebat, prædam Leodiensium multis plenam diuitijs cum gau- D dio suscepistis. Vultis ergo lucrari semper, & nihil vnquam perdere? Et inde regrediens venit Tilemont; deprædatus sum gentem dicebat: Melius est vt vestra rapiam, quam si superuenerint, & rapiant alieni.

Dux Brabantiæ fugit.

Lambertus de Hoyo vir belial.

Præter hoc autem gens Comitis Ludouici quæ diffugerat, sciens quod terga dedissent barbari, reuersa est ad locũ certaminis, sociosque suos scilicet diœcesanum populum non inueniens, omnes quos illic mortuos inuenit spoliauit armis & vestibus; factumque, est vt cum nostri fugientes cessassent persequi, ad ipsum locum reuersi sunt, sed sicut prædictum est, iam dicta gens abstraxerat spolia occisorum.

Exercitus Comitis de Loz qui paulo ante fugerat cæsos à Leodiensibus spoliat.

Celebrata est ergo hæc victoria, hora sexta, Dominica qua cantatur,

Psalm. 118. tur, *Iustus es, Domine & rectum iudicium tuum* 3. Idus Octobris, id est in vigilia Calixti Papæ. Vnde versus. A

At Brabantini cæduntur nocte Calixti.

Et magister Theodericus maior Decanus:

Millenus bis centenus, duodenus & vnus
Annus erat Christi, lux solis nocte Calixti
Legia vicisti, Brabantia victa fuisti.

ANNOTATIONES.

1. *Hausit Aegidius hoc caput ex auctore vitæ S. Odiliæ lib. 3. cap. 11.*

2. *Renerus S. Iacobi huius temporis scriptor victoriam in Steppes de Duce Brabantiæ habitam historico stylo luculenter describit, & particularia habet, quæ lectori neque iniucūda, neque inutilia erunt ad historiam hanc penitus intelligendam: placet illam hoc loco illius verbis ascribere. Sic ergo ille:* Sicut ea quæ scripsimus de obsidione, captione, & expoliatione Ciuitatis Leodiensis, matronarum & virginum violatione sapiunt, quantum ad nos, confusionem: ita ea quæ scribimus de laudabili victoria, quæ facta est, vt credimus, meritis patroni nostri B. Lamberti, Dei sapiunt laudem, & nostram releuationem. B

Ferrandus igitur Comes Flandrensis & Haynoniensis, qui se fideiussorem Episcopo pro Duce Louaniensi constituerat de satisfactione, paululum respirans à bello Regis Franciæ, mandauit Episcopo Domino suo, quatenus se ad pugnam præpararet, & in terram Ducis intraret, quia paratus & ipse erat in aliam partem, quæ propinquior ei erat, intrare, eo quod prædictus Dux nimium tardabat de satisfactione: quod & fecit. Nam illam partem terræ quæ interiacet Flandriæ & Bruxellis, cœpit deuastare & cremare. Sed audito Regis Franciæ reditu pedem retraxit à cœpto opere. C

Audito itaque Dux Brabantinus eius recessu, infremuit, & quamcitius potuit exercitum suum adunauit, & ex insperato Hasbaniam intrauit, vtramque Waleuiam & Turines succendit, turrim Waleuiæ tamen capere non potuit; & sic contra Waremiam direxit, villam succendit, castro nocere non potuit.

Præcedens itaque exercitu suo subsequente feria sexta illucescente, iter suum versus Tungros direxit, & omnes villas quas in eundo in hac parte Iayræ oppositas inuenit, spoliauit, & combussit. Iayram autem non transiuit, nec aliquid terræ Comitis Lossensis nocuit. D

Veniens itaque ad villam, quę Ouille dicitur, exercitum suum ordinauit, sed à Tungrensibus ex altera parte pontis est diu detentus, ibique diu bellatum est. Et quia Tungrenses non poterant vltra bellum sustinere, nec resistere multitudini, reuersi sunt ad suum oppidum. Quidam autem cum supellectili sua & vxoribus, & paruulis Ecclesiam intrauerunt, quidam autem cum Comite de Los abierunt,

A & in castro, quod Chalmont dicitur, se & sua saluauerunt. Exercitus autem Ducis Iayram transiens, oppidum Tungros violenter intrauit, spoliauit & succendit. Et quia Ecclesiæ & turri propter fortissimos bellatores viriliter se defendẽtes nocere non potuit, ad villam prædictam Ouille redijt, ibique nocuit.

Mane autem facto, partem exercitus sui, vt Ecclesiam & turrim Tungrensem frangerent, misit, sed non profecerunt, quia à parte nostra viriliter eis resistentibus, triginta mortuos & totidẽ captiuos de exercitu suo reliquerunt.

Nocte illa post diem feriæ sextæ mandauit Dux suis per præconẽ vt diluculo se præpararent, quia Leodium volebat ire, iterum frangere & spoliare, & de racemis, qui tunc maturi erant, comedere.
B Sed Dominus, qui potens est consilia principum ad nihilum redigere, aliter ordinauerat, quia quodam terrore perculsi Sabbatho tota die recedentes, & villas sibi oppositas comburentes, & exercitum Leodiensem videntes sibi oppositum, ad caput suæ terræ sunt reuersi. Modo sufficiat hæc de Duce perfido scripsisse, qui quadraginta villas veniendo & recedendo cõbussit, inter quas Ecclesiæ, & Curiæ nostræ de Dono Cirici non pepercit.

Lodouicus interea Comes Lossensis Leodium venit, Episcopum & ciues perterritos consilio & auxilio animauit. Multiplicatur Episcopi exercitus, & de diuersis partibus Episcopatus venerunt quotquot vocati fuerunt. Et quia Hoyenses & Dionenses nundum venerant, quos nostri expectabant, Episcopus nocte Hoyum venit, &
C accensis facibus & luminaribus, eos quasi cum lachrymis, vt quantocius venirent, monuit, quia Dux & exercitus eius fugiebant, qui terram B. Lamberti combusserant; quod & fecerũt. Secutique Episcopum, se summo diluculo Leodiẽsibus adiunxerunt, sicque tota die exercitum Ducis grauauerunt, & libẽter eis fuissent sæpe congressi, sed propter absentiam Comitis Lossensis, qui necdũ venerat non sunt permissi. Qui Comes apud Bruistemium castrum suum congregabat exercitum.

Fuit autem in eodem exercitu Dux Ardennæ, sed vtilius, qui vocauerunt eum, fecissent eum remansisse.

Fuerunt autem Duces exercitus nostri Theodoricus de Rupeforti, Hugo de Florines, Arnoldus de Morollimanso, sed illi de do-
D no Martini, paucis exceptis, non interfuerẽt, qui, sicut credimus, nõ fuerunt digni; nam sicut audemus præsumere pacem fecerant perfidi cũ perfido Duce. Itaque tota die, hoc est Sabbatho, exercitu nostro collecto processerũt, & in villa, quæ dicitur Lens supra Iayram illa nocte iacuerunt. Comes vero cum suis copijs iacuit eadem nocte Bruistemij.

Missis itaque de nocte inter Episcopũ & Comitẽ nuncijs, decretũ est, vt media consurgerent, & summo diluculo exercitibus suis coniunctis in loco, qui Steppes dicitur conuenirent, quod & fecerunt.

Fuitque aliquis de nostris, qui Duci denunciauit ne recederet, sed Dominum suum, Episcopum videlicet, qui ei pugnando congredi vellet, expectaret. Comes etiam ei mandauit, quatenus Domino suo satisfacturus veniret: alioquin hominium eius deponeret, quia Domino suo, videlicet Episcopo iure suo deesse non posset. A

Congregatis autem exercitibus nostri suas acies ordinauerūt, Comitemque Lossensem in capite belli posuerunt stipatum suis militibus: Theodoricum vero de Rupeforti in alio capite cum Dionensibus & Fossensibus: in medio autem Leodienses & Hoyenses, & quotquot venerant de Episcopatu bellatores. Dux verò libenter effugisset, nisi timorem superbia vicisset. Suas itaque acies etiam ordinauit, & monticulum vnum, qui aliquanto altior erat, occupauit, B ac sic nostros in valle constituit, vt & solem oculis suis oppositum habere cogerentur. Hos etiam, qui fortiores & potentiores erant, sui exercitus milites monuit, vt si Comitem possent capere, vel interficere, ipse eos remuneraret incredibili remuneratione. Arma quoque sua deposuit, quæ cuidam militi nomine Henrico de Holdeberges induenda tradidit, vt esse Dux putaretur, & ipse sine armis melius celaretur. Vtroque vero exercitu sibi inuicem appropinquāte, nostri pedites fixis in terram lanceis, & cuspidibus ante positis, quasi murum de seipsis fecerunt. Et aduersarijs clamantibus, & ipsi fortius clamauerunt, puluereque sibi inuicem in oculos iniecto in concertationem veniunt.

Interim venerat Episcopus ad suos, & vt peccata sua confiterentur & culpas suas dicerent, monuit, & sic eos absoluit. Cumque ad recipiendam absolutionem essent inclinati, irridebant eos Brabantini & dicebant; Ecce misecordiam petunt, & vt eis misereamur se nobis inclinant. C

Comes vero Lossensis impetum belli videns imminere, accessit proprius cum sua phalange: & clamans tertio titulum sui Comitatus, scilicet Loz, audacter hostium cuneos penetrauit, & vt socij sui sequerentur, manu innuit. Statimque totum prælij pondus versum est in Comitem. Et milites Ducis sicut præconceperant, eum capere, vel interficere conati sunt, quo cum paucis sese defendente in aduersariorum medio, venit frater eius Præpositus Traiectensis cum alijs suis fidelibus ei in auxilium, & prostratum ex equo, cui pes vnus D truncatus fuerat, iterum alio equo imposuerunt, & eum qui Ducis Psalm. 97. armis se induerat interfecerunt: *Et sicut cera quæ fluit à facie ignis*, sic fluxerunt aduersarij, qui ad ipsum capiendum venerant, & in ore gladij ceciderunt.

Interim istis in aduersarios stragē facientibus, alij qui in alio erāt capite, videlicet Theodoricus de Rupeforti & sui socij aduersarios etiam sibi oppositos virtute armorum fregerunt, & stragem etiam magnam de eis fecerunt.

Similiter etiam Leodienses & Hoyenses, & quotquot venerunt

nostræ partis auxiliatores, similiter impetum fecerunt in eos, qui si-
A bi oppositi erant. Et sicut lupi rapaces solent gregem ouium discer-
pere: ita Leodienses iniuriarum Ecclesiæ & sibi illatarum memores,
securibus, cultellis, & gladijs Brabantinos euiscerant.

Dux autem & complices sui videntes belli impetum, nec se posse
ferre attendentes, in fugam se verterũt, tam equites, quam pedites.
Et passim capiebantur, qui erant pedites. Et hoc notandum, quod
nostri non intendebant prædæ, sed occisioni partis aduersæ.

Cumque Dux Ardennæ videret partẽ cognati sui tam misere suc-
cumbere, fugam simulauit, & venientibus Comitis hominibus dixit,
fugite, miseri, fugite, quia Dominus vester est mortuus, & Episco-
pus captus. Qui timore tanti rumoris perterriti aliquantulum retro
B redierunt, sed iterum audito rumore victoriæ, velociter ad pugnam
reuersi sunt. Et quia iam nostri aduersarios cædendo & interficiẽdo
per miliare vnum persequuti fuerant, mortuos illi inuenerunt, &
spoliauerunt, & quicquid in plaustris hostium repererunt rapue-
runt. Itaque fuga illa profuit subsequentibus, nocuitque præcedẽ-
tibus.

Fugientibus itaque Brabantinis, Dei iudicio, & B. Lamberti meri-
tis milites nostri quotquot erant equites equis ferro tectis insiden-
tes fugientes, pectoribus equorum effossis prosternebant, quos no-
stri pedites leuatis loricis, & galeis depositis, securibus, & cultellis
statim interficiebant, nec de spolijs eorum curantes, pedem à perse-
C quutione non retinebant; sicque vsque ad villam, que vocatur Ca-
pelli villa, & ad aliam, quæ Hallens dicitur, eos cædendo & capiẽdo
sunt persequuti.

Fracta itaque Ducis superbia, ipse cum paucis se transtulit ad tu-
tiora suæ terræ loca.

Celebrata est autẽ hæc historia hora sexta, Dominica die, qua pro-
missæ introitu cantatur. *Iustus es Domine*; tertio Idus Octobris hora
vero nona ciuitati Leodiensi innotuit: & statim campanæ, quæ diu
mutæ extiterant, longo tractu pulsatæ sunt, matronæque, puellæ, &
viduæ ciuitatis ornauerunt faciem templi immensis luminaribus, &
D pluribus cereis: Et cithara, quæ versa fuerat in luctum, plorationẽq;
propter confusionem ciuitatis, modo cõuersa est in gaudium exul-
tationis & laudis.

Nec illud prætereundum est, quod sol, qui tempore belli clarior
solito micantibus radijs oppositus erat bellatoribus nostræ partis,
quadam nubecula se texit, & vlterius nostris non nocuit.

Vespertina autem hora appropinquante, Episcopus & Duces bel-
li, totusque exercitus à cæde amalechitarum, id est Brabantinorum
rediêre. Reuertentes autem inuenerunt campos passim stratos ca-
daueribus occisorum denudatorum, ac manibus, pedibus, capite, ac
(quod miserum est dicere) ipsis genitalibus truncatorum, quos illi,
qui prius dolosa Ducis Ardennæ persuasione fugerant, alijs ho-

stem persequentibuś sic mutilauerant, haud dubie memores iniuriarum, ac stuprorum sibi suisque ignominiose illatorum. A

Illa nocte Episcopus cum exercitu suo in villam, quæ Hanut dicitur, veniens, ibi iacuit, & eam spoliauit succenditque. Et cum fortiter castrum impugnaret, malo & inutili vsus consilio, eos qui intus erant iuramento sibi astrinxit, iisdemque in eo relictis illius deditionem accepit.

Sequenti autem die cum vellet exercitum versus Louanium dirigere, Comite Lossensi fortiter instante, vt oppidum quod Liewes dicitur primo dirueret, annuit & totam terram, quæ ex hac parte ad Ducem pertinet, eundo succendit, & sic ad Liewes peruenit. Tunc primo Trudonenses exierunt & villam Liewes spoliarunt & combusserũt, & quicquid in ea erat de lignorum materia tam in ædificijs quam munitionibus, in vsus suos transtulerunt. B

Diruto itaque Oppido Liewẽsi & exercitu quasi tripliciter multiplicato, cum sequenti die vellent versus Louanium procedere; venerunt ex Hoyo qui victualia in exercitum deferebant, conquerentes se ab ijs, qui in Hãnut erant, cæsos & spoliatos esse: quare exercitus iterum rediuit in Hanutum, aggerem eius diruit, turrim effodit, & vix petitione multorum obsessos permisit illæsos abire.

Nunc de numero occisorum & captiuorum volumus scribere (sicut ab eis, qui eos tumulauerũt, veridica relatiõe audiuimus) hic fuit. Occisi sunt adiunctis his qui Tungris, & veniendo & redeundo ceciderunt, duo millia & quingenti; captiuorum verò numerus nobis adhuc est præ multitudine incognitus, non autem ijs qui eos ad grauissimam redemptionem coëgerunt. C

Dux autem videns se confusum esse, & populum suum fugientẽ à facie venturæ iræ, terramque suam sub potestate Episcopi constitutã esse, accessit ad Comitem Ferrandum Flandriæ, eumque humiliter cœpit implorare quatenus omnimodis laboraret, vt Episcopus à sua terra recederet & ipse duos filios suos obsides daret, quoad Episcopo sicut prius promiserat, satisfaceret. Quantam verò ibi cõfusionem à Flãdrẽsibus Dux passus est eidem insultãtibus, longũ enarrare esset.

Comes igitur Ferrandus statim cum Comite Bononiæ ad Episcopum accessit, & magna cum instantia treugas vsque ad proximum Purificationis beatæ Mariæ festum obtinuit, accepitque Episcopus duos filios Ducis obsides, & sic recessit. D

Fuit autem Episcopus in terra Ducis diebus decem & triginta, duas villas ei combussit, & sic victor existens, per Dei gratiam, Leodium redijt. Et consilio cum maioribus diligenter habito vix obtinuit, vt adhuc ad laudem resumerentur organa, quæ propter spoliationem ciuitatis à perfido Duce fuerant suspensa.

His omnibus non interfui, sed à veridicis relatoribus audiui, qui interfuerunt, quia eodem tempore eram Mosellæ constitutus in fratrum procuratione.

A Omnibus istis finitis ac miseris Amalechitis, id est, Brabantinis, alijs semisepultis, alijs verò in foueis, quæ marlariæ dicuntur, proiectis, canes comprouinciales turmam fecerunt, cadauera mortuorum effoderunt, eosque indifferenter comederunt, & in tantam pinguedinem conuersi sunt, vt in rabiē conuerterētur: ita vt vix vnus vel duo & nisi plures essent & quidem armis muniti per terram illā auderent transire.

Nec illud volumus tacere, quod Hoyenses, cum Liewes destrueretur, inuenerunt in quadam Ecclesia imaginem Saluatoris in asino sedentis, eamque rapientes, & vehiculo imponētes, secum cum magno gaudio Hoyum reduxerunt, & deuotissime in Ecclesia sancti Sepulchri collocarūt, vnde in prouerbium venit, quod Deus Brabanti-

B norum in castrum Hoyense venerat.

Ex parte vero nostra, ceciderunt tantummodo viginti septem, inter quos Anselmus miles de Fleron cecidit vicinus & cognatus noster, qui, sicut putamus, à nostris proprijs sunt interfecti, propter cōfusionem linguæ Romanæ & teuthonicæ, quia se inuicem non noscebant, sed quoscunque prostratos inueniebāt passim interficiebāt.

Aliqui etiam ex nostris fuerunt capti, qui ad redemptionem etiam vicissim coacti sunt.

Anno 1214. inter Episcopum & Ducem Brabantiæ, in purificatione B. Mariæ virginis soluuntur treugę, predictus autem Episcopus & Comes Lossensis ad bellum iterum se præparant.

C Comes Flandrensis interea Ducem Brabantiæ ad satisfaciendum Episcopo & Ecclesiæ Leodiensi inducit, & Dux se redditurum Episcopo quindecim millia librarū alborū, & centū libras Leodienses ad opus Ecclesiæ, suis duobus filijs relictis obsidibus, cōstāter promisit.

Nec multò post videlicet pridie Calēd. Martij Dux Leodiū venit, & tam ipse, quam tota sua terra absolutionem obtinuit, Ecclesiam intrauit, crucifixum de terra releuauit, ante corpus B. Lamberti humiliter procubuit, & clericis cantantibus antiphonam *Magna vox* ipse orationi incubuit. Inde surgens, præsentibus magnatibus, qui ibi aderant, tam Episcopum, quam Comitem de Loz osculo pacis suscepit: & sic vnde venerat redijt.

D

De gratiarum actione completa victoria.

CAPVT CXII.

IAm hora diei illius nona aduenerat, & ecce conuersus Cisterciēsis ordinis Ionathas nomine intrauit Leodium, & frangens potius verba quam proloquens, pondere gaudij nimio suos interrumpente sermones, populo acclamauit: Quid est fratres, quid agitis? Brabantini hodie ceciderunt in acie, quia & ego vidi abduci ex prælio

Ionathas conuersus ord. Cisterc primum Nuncium victoriæ Leodiū defert.

lio plaustra onusta de spolijs impiorum. Quo audito nuntio ad maiorem Ecclesiam fit concursus omnium, pulsatisque signis Ecclesiæ, *Te Deum* decantabāt. Cùm autem vna chori pars vnū illius hymni decātaret versiculum, altera præ gaudij magnitudine lachrymas proferebat. Fundebantur ergo lachrymæ ita plenæ gaudijs, vt ipsas excederent, quas coëgerat effundere prædictum excidium Ciuitatis. Sed quid plura memorem? Lætitiæ magnitudinem calamus non sufficit ad scribendum. Neque enim per vrbem tantum huius triūphi dilatabatur gaudium, sed vbicumque rumor iste innotuit, diœcesim vniuersam.

Canitur Te Deū & gratia Deo persoluuntur.

Magna in populo lætitia.

A

ANNOTATIONES.

Hanc gratiarum actionem Aegidius hausit ex Auctore vitæ S. Odiliæ lib. 3. c. 12.

B

Reuersus Episcopus, obsidet Hanutum.

CAPVT CXIII.

REuersus autem Episcopus, posuit castra sua contra Hanut. Qui autem in turri erant, se quantocius reddiderunt, quos quia à turri non expulit, factum est illi in scandalum; nam qui in turri remanserant, nostro exercitui deferri victualia prohibebant.

Episcopus capit & solo æquat Hanutū.

C

Quo cognito Præsul cum suis ad locum redijt, & constructis machinis ipsum obsedit per dies aliquos, tandemque rebelles eijciens, turrim solo tenus coëquauit, & inde progrediens, plures villas campestres vastauit incendio, eam, quæ Liewes dicitur, omnimodis redigens in fauillam. Huius ergo potentiæ Barbarorū nullus audens resistere, solum fugæ præsidium expetebant.

Liewes & plures alias Ducis villas campestres vastat incendio.

ANNOTATIONES.

Et hoc caput hausit idem Aegidius ex Auctore vitæ S. Odiliæ lib 3. c. 12. §. Reuersus autem Episcopus.

D

Dux videns vastari terram suam, corrumpit promissis Comitem Ferrandum & Episcopum.

CAPVT CXIIII.

MEnsis autem Octobris die vicesima Comes Ferrandus Francorum Rege à terra sua repulso, apud Pyton cum magno descendit exercitu, terram Ducis Barbari vastare deliberans, vt suæ

Comes Ferrandus terrā Ducis vult vastare.

A suæ, quam Episcopo promiserat, satisfaceret sponsioni. Dux autem hinc inde suorum videns interitum, fugit ad ipsum Comitem quærens inducias, & veniam de commisso. Super cuius palliata hypocrisi Flandrienses indignati proceres: Eya (inquiunt) Renardus monachus factus est. Nihilominus tamen Dux multam spopōdit pecuniam, dans ei in obsidem primogenitum filium quem habebat. Cuius promisso corruptus, ex consilio Comitis Boloniæ, conuenit Episcopum, qui etiam corruptus est pecunia sic promissa. Reuertenti autem Pontifici de terra Brabantiæ, qui à festo Calixti vsque ad vigiliam beati Seuerini in ea moratus est, indignati sunt maiores Ecclesiæ dicentes: Claudite ei fores Ecclesiæ, qui ductus pecunia nobis à B Deo patroni nostri meritis collatam victoriam noluit adimplere, siquidem ità eorum mens super hoc fuerat conturbata, quod vix eos flecteret ad organa resumenda.

Dux Brabātiæ multā spondet pecuniam.

In crastinum autem cum fuisset reconciliata Ecclesia, tunc primum illa macula de altari ablata est, de qua longe superius mentio facta est.

Reconciliatur Ecclesia.

Crucifixi attamen imago cum reliquijs in medio remanserunt, donec ea Dux barbarus propria manu compulsus est releuare.

Imaginem crucifixi Dux cogitur à terra leuare.

Exercitibus vero bellatorum hinc inde reuersis ad propria, computati de barbaris ad tria interempti millia, excepto illo qui etiam corruerat exercitu peregrino: Quorum quidem corpora superstites C tumulabant, sed ea nihilominus noctis silentio canes vt comederēt egerebant.

ANNOTATIONES.

Aegidius hausit hoc cap. ex Auctore vitæ S. Odiliæ lib. 3. cap. 13. Vide quoq; Reinerum S. Iacobi sup. ad cap 111. §. Dux autem videns se confusum esse.

Dux publicam Leodij agit pœnitentiam.

D CAPVT CXV.

PORRO antequam ad nos Dux satisfacturus descenderet, raptus quidam vir Dei in spiritu vidit virum canitie venerabilem super aram Trinitatis sanctæ in maiori Ecclesia alba indutum candidissima, & proprijs calceamentis, quæ illic vsque hodie conseruantur decentissime calceatum. Sciens autem hunc pium esse martyrē, vt eum melius posset inspicere, ascendit in lapidem: & ecce martyr ipse proprium suum feretrum, alterumque Theodardi martyris, supradictas quoque aliorū reliquias, in loco de quo ea vir beatus prius viderat cecidisse, proprijs manibus resignabat.

Visio sancti viri.

Vnde post modicum temporis Dux Flandrensi Comite compellente

Dux aduoluitur genibus Episcopi, & releuat reliquias de puluere.

lente venit Leodium, Præsulique & maiorum domus pronus vestigijs tandem absolutus est, omnes manu propria præfatas releuans reliquias de puluere pauimenti. A

Tanta autem ad spectaculum hoc populi frequentia conuenit, vt volentium conscendere chori ostium nimium importuna infringeret multitudo: à qua vir Dei opprimi refugiens, prout ipse præuiderat, ascendit in lapidem, ipsas reliquias disposite & per ordinem vbi erant antiquitus considerans relocari.

At vero Ducis complices Ciuitatem ingredi non valentes, sed inibi humiliationem sui Domini deplorantes, à foris expectabāt. Quorum quidem olim tam superba fuit proteruia, vt cum Tungrensem, vt scriptum est, obsedissent Ecclesiam, mutuo loquerētur. Deus regat cælestia, & sit Rex cælorum, Deus noster reget terrestria constitutus Rex & Dominus terrenorum. B

Osculatus Epūm redit ad propria dolos gerēs in pectore.

Dux itaque osculatus Episcopum & Comitem Ludouicum, redijt ad propria, dolos assuetos gerens in pectore, paratus ostendere, si tēpus voto suo congruere perspexisset.

ANNOTATIONES.

Hausit hoc caput Aegidius ex auctore vitæ S. Odiliæ lib. 3. cap 13.

C

Rex Romanorum Otto persuasus à Duce vastare Leodium, mirabiliter impeditur.

CAPVT CXVI.

Ottoni Regi fidelitatē simulat præstare.

Mense Aprili subsequente Otto Rex ab Augusto fugatus, Rhenum transilire compulsus est. Quo appropiante Coloniam Dux Brabantinus aduentu eius cognito, vt per eius auxiliū, manum iterato in nostram mitteret diœcesim, fidelitatem ei se finxit facere illam euacuans, quam ab eo socer suus receperat Rex Frācorum.

Venit illo tempore Ioannes Rex Angliæ illius Ottonis patruus, mareque pertransiens Normanniam est ingressus, auditoque quod suus Rhenum transisset cōsanguineus, fratrem suum Guilhelmum, qui longus dicebatur gladius, misit ei obuiam, multam quoque dedit pecuniam, volens ex ea congregari exercitum, vt hoc facto veniret ei in auxilium cum Rege Franciæ congredi cupienti. D

Inducit Ottonem vt fidelitatem à Leodiensibus exigat aut eorum patriam deuastet.

Itaq; vicesimo & octauo die mensis eiusdē, quo festiuitas agebatur triumphi de Bullon, super Mosam fluuium ex aduerso Traiecti innumerabiles sunt acies congregatæ. Quapropter Dux voto suo tempus conueniens venisse existimans, suasit Regi Ottoni scilicet, vt inde non recederet, quoad vsque Leodiensem Episcopum & Ludouicum Comitem

A Comitem voluntati suæ subijceret, alioquin eorum terram prælijs aut incendio deuastaret. Resistendi vero robur non habens Episcopus, cum ex eo sibi magnum immineret periculum, conuocauit intra vrbem quos habere poterat suæ partis Principes, totam relinquens diœcesim ad auxilium martyris reuerendi.

Die vero ducto ad vesperam totus Ottonis exercitus transiuit Mosæ fluuium, vt summo diluculo super nostram irruerent Ciuitatem. Patet nunc quænam fuit nubes illa densissima, à qua lamentis & precibus se petebat, vt dictum est, vniuersitas liberari. In illius diei articulo, celebrante viro Dei, non est nostrum dicere quanto qualiue sit perfusus impetu lachrymarum. Beata quoque mater eius dum similibus inuigilaret precibus, pium vidit martyrem armis vestitum clarissimis, & quod gestabat scutum aureum contra perfidos extendentem.

Ottonis exercitus transit mosam vt super Ciuitatem Leodiensem irruat.

B Missis autem ab Ottone qui explorarent Leodium, relatum est quod è contra Pontifex congregasset acies in immensum, statimque super suos timor tantus cœpit irruere, vt eum, quem transuadarant, fluuium cogeret retransire.

Timor maximus irruit in exercitum Ottonis.

Rursusque ad explorãdum missi sunt alij, qui auditis per vrbis ambitum tubarum clangoribus, ad instantiam Præsulis suas acies inuisere cupientis, & eas desuper muros ad vrbis custodiam ordinantis, renunciauerunt Regi dicentes: Qui sapiens est fugiat, ecce enim Episcopus cum infinito populo appropiat, vt nos perdat. Quo audito pedites terga dedêre fugientes.

C Rex autem dimissis peditibus secum fecit tãtummodo milites remorari, mittensque quosdam, iussit vocari Episcopum, à Ludouico Comite, qui interim aderat, fidelitatem cupiens extorquere. Cui ille: Cum venerit (inquit) Episcopus, si mihi consenserit, faciam quod præcipis. Tunc iratus Rex circumstantibus ait: Sinite Ludouicum, sinite; qui absque nutu Præsulis quicquam non audet facere. At Guilhelmus dictus longus gladius, vt quid, ait, vltra viuimus? Valet ne Romanorum Principi transitum iste sacerdotulus inhibere? Cui Ferrandus Flandriæ Comes, qui cum ducentis militibus ad Regis venerat auxilium, quid frater, ait, sic loqueris? Neque enim omnes terræ tuæ Pontifices tantæ sunt fortitudinis sicut iste. De terra certe D sua cito habet mille milites præparatos ad prælium, cũ simus & nos feoderati sui, & multi quos hic video nobilium. Ad quem indignatus Guilhelmus: Pereat, ait, qui tantam potestatẽ contulit Sacerdoti.

Rex mittit ad Episcopum qui exigant ab eo fidelitatem.

Ferrandus Comes Flandriæ cõprimit Guilhelmi insolentiam.

Hæc autem mutuo loquẽtibus venire vident Episcopũ cœtu multorum nobiliũ circundatũ, susceptoque illo honorifice iurauit Rex quod infra bienniũ nihil mali patraret in Episcopio; sed Ducis consilio cito huius iuramenti rupisset vinculum, si non esset prece nostri martyris, vt patebit postea, ipsius potentiæ cornu fractum. Cessauit autem huius mali initiata quassatio mensis Aprilis die 29. in qua etiam victoriæ de Bullon agitur memoria.

Venit ad Regẽ Epũs multorũ nobilium cœtu circundatus.

Rex Episcopo quid promiserit.

Dux dat primogenitam filiam Ottoni Regi in coniugem, & quare.

Subsequente autem mense Mayo Dux Mariam primogenitam suam Ottoni dedit in coniugem, vt de nostra diœcesi quandoque ad libitum plenam reciperet vitionē. Hanc filiam, vt dictum est, Aquisgrani in exordio sui regni iam desponsauerat, ipsaque ibidem in Cathedra Regali diademate insignita extiterat, cum ageret nonum suæ ætatis annum. A

ANNOTATIONES.

Et hoc totum caput hausit Aegidius ex Auctore vitæ S. Odiliæ lib. 3. c. 14.

Rex Otto, Dux Brabantiæ & alij principes frustra proponunt Clerum Leodiensem suis bonis spoliare, & perdere. B

CAPVT CXVII.

Conspiratio Ottonis Regis & aliorum Ducū & Principum contra Episcopum & Clerū Leodiensem.

ANno autem gratiæ 1214. mensis Iulij die 12. apud Niuellam, quæ sanctæ Gertrudis dicitur, congregati sunt totius tyranni prouinciæ, Otto Rex, Dux Brabantiæ, Dux etiam Henricus Ardennæ, Comes Flandrensis, & Comes Boloniæ, pium volentes martyrem, sicut vir Dei præuiderat nocte, de suis allodijs, si sors daret victoriam, spoliare: condixerant enim quod reuersi de Francia, contra quam dimicare statuerant, omnes à nostra vrbe Clericos expellerent, & eorum saisitis redditibus, Rex in ea thronum suæ gloriæ confirmaret. Quæ est enim, dicebant, vtilitas Deo non seruiens Cleri tanta multiplicitas? Rex ipse dicebat, In minori Ecclesia duobus clericis, in maiori, quatuor constitutis, mihi reseruabo totius dominium Ciuitatis. C

Otto partitur bona Ecclesiæ Leodiensis pro suo arbitratu.

Oppidum itaque Hoyense, & castrum de Muha Duci dedit Brabātiæ, Dyonantum etiam Comiti Boloniæ, alijs alia pro sua distribuēs voluntate. Allodium autem Haynoniæ coram Rege adiudicatum Episcopo, donatum est Comiti Flandrino.

ANNOTATIONES.

Hausit Aegidius hoc caput ex auctore vitæ S. Odiliæ lib. 3. cap. 15.

Idem quoq; refert Chronicon Magnum Belgicum his verbis. Anno Domini 1214. in Iulio, in Niuella S. Gertrudis congregati tyranni, scilicet Otto rex, Dux Brabantiæ, Dux Ardennæ, Comites Flandriæ & Boloniæ, condicunt reuersos se de Francia, contra quam dimicare statuerant, Clericos è Leodio expulsuros, & eorum bonis confiscatis, ibi thronum gloriæ suæ Regem Ottonem defixurum. Otto etiam Rex Castrum de Muha & Hoyum dederat Duci Brabantiæ, Dyonantum Comiti Coloniæ: alijs alia distribuens, & sibi Leodium retinens, sed super his Episcopus præcauit. D

A

Supradicti principes omnes à Rege Franciæ cum paucis militibus debellantur meritis S. Lamberti martyris.

CAPVT CXVIII.

Eiusdem mensis vero die 26. sæpedicti Principes suas congregatas acies in confinio Flandriæ, multiplicatis populis terræ superficiem visi sunt operire. Noster autem Episcopus super his sibi præcauens in futurum, à profectione tali subtraxit quos potuit B Ludouicum Comitem, & etiam Waleranum, datis ei ex assensu Capituli quibusdam suæ mensæ allodijs, quæ Aspre & simplex via dicta sunt. *Ottonis Regis exercitus.*

Quamplures quoque præsulis videntes astutiam, ad præfatos Principes timuerunt ascendere, ne ipsis absentibus, remorati cum Præsule suas possent terras incendio deuastare; nemo enim à Rheno vsque in Flandriam à nefando exercitu subtrahi præsumpsisset, nisi prædicti Præsulis astutiam timuisset. *Multi timore Episcopi subtrahunt se ab hac profectiõe.*

Erat autem tunc temporis contra Regem Angliæ suas dirigens acies Rex Francorum, qui præfatum Ottonem timens ex aduerso sibi velle occurrere, ad dimicandum contra Anglos primogenito suo, C Ludouico scilicet, robur dimisit exercitus, & electis inde tantum quadringentis militibus, venit ad quendam fluuium, & cum suis quantocius transuadauit. Porro vt ea quæ procul à nostris agebantur viro Dei innotescerent, apparuit ei per visum gloriosi nostri Lamberti rubicundum feretrum parumper ad terram Franciæ inclinatum. Matri quoque suæ, quæ super his instabat assiduis precibus, ipse martyr apparuit, armis quidem indutus clarissimis, & ipsum regnum Franciæ vultu intuebatur placidissimo optimè galeatus. *Rex Franciæ cum quadringentis tantum militibus transit quendam fluuium & ibi operitur Regem Ottonem.*

Flumine autem vt præmisimus transuadato, ad suos conuersus Rex: Expectate, ait, hic donec reuertamur ad vos, assumptisque secum paucis, abijt Regis Ottonis exercitum inuestigans. Cuius signo D cognito, aduersæ clamauerunt acies. *Cum paucis explorat exercitum Ottonis.*

Philippus autem tumultuantem populum audiens, se fugere simulauit: quem confuse Otto persequens suis hinc inde disruptis ordinibus, ad præfatum deuenit fluuium, Rex autem Philippus præcesserat, & suos ad præliandum prouocans aiebat: En videtis charissimi quod nos persequatur hostilis immanitas, & fugere non valemus habentes fluuium ex aduerso. Nunc igitur cum vobis sit res pro corona Franciæ viriliter est certandum. Cumque apud Dominum non sit difficile paucis dare victoriam, fides non deficiat, sed metum abijcite, illius inuocantes nomen & auxilium, qui pridie de barbaris hostibus suam dignatus est diœcesim liberare. His dictis, suis ad bella præ- *Simulat se fugere.* *Suos ad fortiter præliandum prouocat.*

la præparatis, tres fecit ordines in nomine Deificæ Trinitatis. Quos hostilis cuneus præparatos intuens fecit ipse similiter, & pariter cōuenerunt. Duobus autem Francigenarum grauiter quassatis ordinibus, cognouerunt nouissimi se virtute sua non posse resistere, & sicut docti fuerant, nostrum pium martyrem, beatumque Dionysiū Francorum Apostolum in cordis angustia, & voce corporea viriliter inuocarunt. A

Quo audito nomine mox, mirum dictu, ruit hostilis immanitas, & cedens prælиantibus confuse in fugam conuersa est.

Quidam autem Francigena Ottonem intuitus, vt viuum eum caperet, cui insidebat sonipedem interemit. Ipse tamen in equum releuatus ab altero fugit de acie, Duce barbaro comitante: quos diu B Franci persecuti sunt, captis ex eis iam sex comitibus, de quorum numero erant Comes Boloniæ, & Comes Flandrēsis. Sed neque tantum hi soli capti sunt, imo & multi Principes de terra Brabantiæ, Haynoniæ & Flandrensi, adductisque coram Rege captiuis, interrogauit eos dicens: Quis vos cepit? Quis (inquiunt) nisi vos, Domine Rex Francorum? Quibus ille, vt erat ei mos iurandi: Per lanceā (ait) sancti Iacobi non est ita, sed patronus Legiæ, quē suis volebatis spoliare allodijs, in nostram Coloniam vos redegit. Horum autē omnium rumor venit Leodium, vnde & gauisi sunt. Et hoc quidem plenariè viro Dei fuerat præostensum.

Otto Rex cum suis fugit.

Multi capiuntur.

Rex Galliæ S. Lamberto martyri victoriam tribuit.

Misit autem breui elapso tempore Dux barbarus ad Regem Franciæ Legatos, plurimum illi congratulari se simulans pro prædicta victoria de Ottone. Rex autem duas remisit ei scedulas clausas sigillo Regio sigillatas, quarum Dux primam aperiens, nihil in ea scripturæ reperit, in secunda autem legit sententiam huiusmodi verba cōtinentem: Sicut prior scedula scriptura fuit vacua, ita est Dux vacuus fide & iustitia. C

Dux Brabantiæ simulate scribit Regi Galliæ.

Lepide respondet.

Eodem tempore erat in Ciuitate sancta mulier Odilia nomine, de qua in nostra historia aliqua diximus, quæ in Ecclesia beati Lamberti quadā nocte orationi vacabat, cui martyr beatus Lambertus in habitu venerando apparuit, quasi sub vno solis radio suam illi manifestans Ecclesiam, totam quidem roseam, preciosi scilicet colore sui sanguinis laureatam, & ab eo hoc accepit responsum: Hæc est quam Dominus meo consecrauit sanguine, de Ottone quoque ac Duce barbaro quam per me cepit victoriam, ipse perficiet. D

Odilia mulier sancta videt victoriam de Ottone & Duce Brabantino.

ANNOTATIONES.

1. *Hausit Aegidius hoc caput ex auctore vitæ S. Odiliæ l. 3. c. 15. Renerus S. Iacobi de hac victoria sic loquitur*: Otto & Comes Flandriæ Ferrandus, Comes quoque Boloniensis, & eorum complices, adunato innumerabili exercitu, Regem Franciæ impugnare volentes, positis insidijs à Rege debellantur, & capiuntur. Otto & Dux Brabantiæ cum alijs pluribus

A pluribus vix fuga euaserunt; sed Comes Ferrandus Flandriæ, & Comes Boloniensis, ac alij plures tam de Brabantia, quam de Flandria, & diuersis locis perpetuo carcere tenentur. Profuit nobis ista eorũ confusio; quia si eis res feliciter successisset, nos exterminare disposuerant: & aduentum Frederici Regis vnanimiter impedire volebant. Benedictus Deus qui non dereliquit nos sperantes in se.

Adstruit idem magnum Chronicon Belgicum sic enim ait: Cũ vero Rex Franciæ fluuium cum suis transisset, & eos Borone vinceret, fugit Otto, sex milibus captis, & alijs occisis: victoriam vero Rex adscripsit patrono Legiæ scilicet S. Lamberto. Et in breui Dux Brabantiæ misit nuncios Regi Franciæ, congratulari se simulans pro victoria, cui Rex Franciæ misit duas scedulas clausas sigillo Regis, quarum pri-
B mam Dux aperiens nihil in ea scriptum reperit: in secunda autem legit hæc verba, sicut prior scedula scriptura fuit vacua, Ita & Dux vacuus fide & iustitia.

2. Eodem tempore erat in ciuitate:] *Istam visionem sanctæ Odiliæ hausit auctor noster ex auctore vitæ Sanctæ præfatæ cap. 16. §. Orante quoque pro Rege.*

De Vniuersali Synodo, cui Hugo interfuit, & pace patriæ Leodiensi reddita.

C

CAPVT CXIX.

ANno gratiæ 1211. celebrata est sancta vniuersalis Synodus in Ecclesia S. Saluatoris, quæ Constantiniana vocatur, mense Nouembri, præsidente Innocentio Papa tertio, pontificatus autẽ eius 18. anno, in qua fuerunt Episcopi quadringenti duodecim, inter quos fuit Hugo Leodiensis Episcopus.

Hugo Episcopus interest Synodo vniuersali quadringentorũ & duodecim Episcoporum.

His diebus Fredericus Rex collectis Principibus & Optimatibus regni, cum magna gloria Aquisgrani die beati Iacobi, in Ecclesia beatæ Mariæ in Regem coronatur & consecratur, & in cathedra Re-
D gali sublimatur. Peragrata autem omni prouintia, cum ad introitum venisset Brabantiæ, sciens Dux quod nullam de commissis consequeretur veniam, si vltra vellet resistere, cauto ductus consilio, se cũ filio primogenito subdidit per omnia Regiæ ditioni, quos ab eorum Rex secum adducens finibus, reuersus est ad propria, prius tamen in omni pacis & libertatis gaudio nostra diœcesi restituta.

Fredericus Rex coronatus Aquisgrani venit in fines Brabantiæ.

Babantiæ Ducem secum abducit.

ANNOTATIONES.

1. Anno gratiæ millesimo ducẽtesimo decimo quinto celebrata est sancta vniuersalis Synodus:] *Fuit 12 œcumenicũ cõsiliũ Lateranẽse, omniũ quæ*

vnquam fuerunt in Europa celeberrimum, contra errores Abbatis Ioachim; interfuerunt duo Patriarchæ, Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus. Archiepiscopi tum Græci, tum Latini 70. Episcopi 400. Abbates 12. Priores conuentuales 800. simul omnes patres. 1285. Legati Romani & Græci Imperatoris: Oratores Regum Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, Hierusalem, Cypri, &c. Eo in consilio actum est de 70. capitibus contra hæreses, & ad mores atque statum Ecclesiasticum pertinētibus. Vide Tomum tertium Conciliorum. A

2. *Hoc tempore sub Innocentio tertio exorti sunt multi ordines religiosorum. Dominicus Calaguritanus Hispanus instituit ordinem Prædicatorum, cuius ordinis suo tempore feruntur fuisse 4143. cœnobia. Franciscus Asisiates Italus ordinem Minorum. Ita scribunt Palmer. & Platina. Huius adhuc viuentis tempore 90. millia cœnobiorum fuisse scribit Sabell. Emead. dec. 9. lib. 9. Gregorius 9. Dominicum auctorem fratrum Prædicatorum octennio post eius mortem (nam obijt anno 1220.) &* B *Franciscum Minorum biennio post eius mortem (nam è vita migrauerat anno Domini 1226.) sanctorum cathalogo ascribit. Ita scribit Tritbem. in Chronic. Hirsaug. S. Clara conciuis Diui Francisci, ab eo edocta, ordinem auspicatur, qui ab ea sancta Clara vocatur. Ita Volater. Alexander 4. eam in numerum Sanctarum virginum retulit anno Domini 1255. Hoc quoque tempore, sub Innocentio Pontifice Carmelitarum ordo, cuius Prior in monte Carmelo erat Cyrillus Græcus, tunc ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano regulam certam accepit. Ordo quoq; Eremitarum S. Augustini. Ordo S. Trinitatis inchoatur à Ioanne Martha, & Felice Anachoreta. Ita scribit Gag. lib. 6. Polyd. lib. 6. de inuent. cap. 21. Hæc forte diligentius notamus, vt videas in proxime sequentibus, quam breui tempore fauore, Zelo, & ope* C *Pontificum nostrorum hi ordines per diœcesim Leodiensem cum ingenti fidei & religionis fructu recepti, & dispersi fuerint.*

3. His diebus Fredericus Rex collectis Principibus:] *Hausit quæ hic de Frederico, & pace nobis reddita habet ex auctore vitæ S. Odiliæ l. 3. cap. 16.*

Renerus S. Iacobi de aduentu Frederici contra Ducem Brabantiæ sic loquitur. In festo Bartholomei, quæ dies Dominica fuit, venit Fredericus ex insperato Traiectum. Feria 2. in Wonck & Baffenge sua tentoria fixit. Et qualiter hæc loca vastauerit, præsentium scriptor, qui eo tēpore loci illius Præpositus fuit, his versibus exprimit.

Regalis turma consumpsit nocte sub vna
Nostrum far totum, lar fregit, & omnia secum D
Atque pecus traxit vbi Rex tentoria fixit,

In loco qui Cuisnon & Hamal dicitur iacuit, & quia in Brabantiam ire disponebat, Henricus Dux ad eum territus venit, & captiuum se reddidit, quousq; filium suum obsidē daret, & alios de terra sua, quos Rex habere vellet. Idem fecit Dux Ardennæ, & Rex vtrumque secum duxit. Feria quinta Rex Fredericus redit Traiectum. Feria 6. mosam pertransijt. Sabbatho Episcopus Leodiensis cum maximo suo exercitu similiter mosam transijt, & se Regalibus copijs iunxit; Falkembourg obsidetur eius terra deuastatur: & Treugæ vsque ad festum S. Remigij accipiuntur. In natiuitate S. Mariæ virginis Iulia-

cum

A cum ab exercitu Regis, & Leodiensi obsidetur & deuastatur; cuius Comes tandem cum Rege pacificatur.

De morte Regis Ottonis.

CAPVT CXX.

QVæ cùm audiret Otto, timẽs fugit è Colonia, & in Brunswyck multo tempore commoratus est. *Otto Rex fugit è Colonia.*

B Anno autem gratiæ 1218. cùm in suo deambularet secretario, tantam, vt dicitur, sumpsit copiam electuarij laxatiui, quod disrupta viscera cogeret ebullire. *Mors Ottonis ignominiosa.*

ANNOTATIONES.

Renerus D. Iacobi notat hoc anno 1218. Hugonem Episcopum ministrasse Ordines in Ecclesia S. Lamberti, sabbatho ante Natale Domini. Et anno sequenti dedisse Ordines in eadem Ecclesia, prima hebdomada quadragesima. Nec video Episcopos hucusque vsos Suffraganeo.

C

Decretum Capituli de memoria beati Lamberti in qualibet hebdomada facienda: & institutio luminaris ad eius feretrum.

CAPVT CXXI.

A Cæde Barbarorum diœcesano reuertente exercitu, decretum est ex communi consensu Capituli, vt in omni hebdomada apud maiorem Ecclesiam beati Lamberti agatur memoria, sicut & in sabbathis de beata statutum est Virgine, prout supra tẽpore D Alberti Episcopi descripsimus. *Qua occasione fit memoria martyris singulis septimanis.*

Cùmque per maiorem incuriam in hebdomada quę post albas sequitur, hoc intermisisset obliuio, & ipse homo Dei de quo supra mẽtionem fecimus, sicut in visu præuiderat, de prædictis Clerũ argueret, statutum est, vt deinceps transactis mox festis paschalibus nunquam intermittatur huius Sancti sui memoria patroni, cuius prece & meritis, à iugo Barbarorũ sic eos absoluit Dominus, sicut eodem tempore ab Ægyptiorum dominio in magno Paschæ transitu Israël dignatus est liberare. *Exod. 12.*

Venit quoque interim ad Dei virum Ioãnem Abbatulum cognomine, qui in Ecclesia S. Lamberti Sacerdotali fungebatur officio, de quo supra mentionem in quibusdam locis fecimus, prouecta quædã mulier

Ioannes Abbatulus emit reditus pro luminari S. Martyris.

mulier ob animæ suæ suorumque remedium terram quam habebat alicui dare volens Ecclesiæ, accepta tamen super hoc leui summa pecuniæ, qua suis erat debitoribus obligata. Cui ille: Si terram (inquit) istam ad opus luminaris trium solemnitatũ, scilicet, Natiuitatis beatæ Mariæ virginis, & Catharinæ martyris, & triumphi beati Martyris, quem scripsimus, deputare volueris, præsto erit pecunia quã petis. A

Qui se habet cum muliere.

Consensum mulier Sacerdoti præbuit, & terram suam super aram Ecclesiæ solemniter reportauit, breuique elapso tempore mulier super illa donatione pœnituit, & oblatam à viro pecuniam accipere recusauit. Ille autem non intendens auaritiæ, mulieri reliquit quod dederat: Et de alia pecunia quam penes se habebat reditus annuos in vsus luminaris comparauit, ad supradictum triumphi festum faciendum. B

Hugo victus precibus Ducis, memoriam triumphi de Steppes abolere nititur, sed Cleri instantia vsq; in hodiernum diem tertio idus Octobris continuatur.

CAPVT CXXII.

Hugo rogatus à Duce prohibet fieri memoriam triumphi de Steppes.

Vir Dei luminaria præparat.

Festiue satis vigiliæ decantantur.

ANno autem 1219. rogatus à Duce Pontifex ipsa triumphi vigilia intrauit Ecclesiam festum ipsum prohibens vltra fieri, quod iam per septennium fuerat celebratum, conuocatisque maioribus & assensum voto suo præbẽtibus, sic recessit. Sacerdos autem iam dictus festum ipsum sic perire non sustinens, ipsa coram omnibus eidem festo luminaria præparabat. Et vt coniectoris veritas probaretur, qui feretrum tangi & pene prosterni præuiderat, quamplures qui festum moliebantur destruere, ad eum huiusmodi verba proferebant: Vt quid hæc præparatio luminariũ, cum de triumpho hoc nulla amplius futura sit mẽtio? Quibus ipse: Et si festũ non vultis celebrare, luminaria saltem præparem non debet aliquis prohibere. In vesperis itaque illa die cum turbatione maxima psalmodia cantata est. Vt autem hymnus insonuit, tantæ reminiscentes victoriæ, reliquum synaxis cum suspirijs peregerunt, pulsatisque ad vigilias signis solemnibus, paratisque luminaribus festiue satis Dei nutu vigiliæ decantantur. C D

In illius autem diei diluculo, cum super his Odilia venerabilis matrona & Spiritu sancto prophetico plena Dominum precaretur, in venerando habitu, & sphera clarissima beatus ei martyr apparuit, qui suam subintrans Ecclesiam, tetram cateruam Dæmonum quæ inibi latitabat, procul à loco expulit, mausoleumque quod suum corpus continet, illa qua erat circumdatus totum operuit claritate

Facto

A Facto igitur mane Clerus vnanimiter conuenit Episcopum, prohibitioni factæ nequaquam vltra consentiens, & sic reuersus ad Ecclesiam solennitatis residuum, hoc est, missam & vesperas, celebrius quam potuit executus est. Ex eo autem tempore triumphi huius annua facta est memoria 3. idus Octobris, & licet, prout dictum est, diu pependit in dubio, vicit tamen iniquorum nequitiam, seruorum Dei precum instantia. *Clerus solenniter memoriam triumphi de Steppes celebrat.*

ANNOTATIONES.

Circa hoc tempus, hoc est, secundum magnum Chronicon Belgicũ, anno huius Hugonis vigesimo septimo, in festo penthecostes Vniuersitas Hoyensium tam senes quam iuuenes masculini sexus, antiquos ludos, vestibus mulierum induti, reducunt ad memoriam: habebãt enim præcellentes personas secundum diuersitates locorum, Impe- B *ratorem, videlicet, Regem, Ducem, Comitem, & Abbatem. Quidam eorum erant armati loricis & galeis fulgẽtibus, gladiosq; nudos portantes in manibus suis: pellifices habebant pellicea grisea, & vulpina deforis pilos habentia, & omnes alij prout poterant ad modũ mulierum erant adornati, qui quolibet die festi penthecostes nullo domi remanente, ibant processionaliter bini & bini ad plateas cantãdo, & ad diuersa loca extra oppidum choreas ducendo.*

De quibusdam alijs quæ tempore Hugonis acciderunt.

CAPVT CXXIII.

C ANno Domini 1222. Henricus septimus filius Frederici secũdi, qui ante duos annos Romæ in festo S. Ceciliæ ab Honorio Papa in Imperatorem fuerat consecratus ipso patre consentiẽte & procurante, consecratus est in Regem Aquisgrani ab Engleberto Coloniensi Archiepiscopo dominica ante ascensionem Domini, scilicet octauo idus Maij, cui interfuit Dominus Hugo Episcopus Leodiensis. *Henricus septimus consecratur in Regem Aquisgrani.*

Post duos vero annos cum in æstate siccitas foret præ nimio calore in festo beati Iacobi & Christophori Dominus noster emisit vẽtum validum de thesauris suis, qui concussit aristas triticeas, quæ maturæ erant, & per totam Teuthoniam, Alemãniam, Franciã, & vsque D Hispaniam excussa fuerunt grana, pro quo in sequenti æstate tanta caristia secuta est, quod modius bladi vendebatur 26. florenis Leodiensibus, & lupi exeuntes de syluis irruebant in homines, etiã, vt dicitur, infantes asportabant à matribus præ angustia famis. *Magna per Europam granorum caristia.*

Et in sequẽti festo beati Petri ad vincula prima vigilia noctis Aquisgrani exsurrexit ignis vehemens, qui Ecclesiarum palatia, ac totam Ciuitatẽ combussit: In quo incendio fuerunt oppressi 30. Ciuitatenses, exceptis peregrinis, de quibus ignoratur. *Aquisgranum incendio perit.*

Anno Domini 1225. defuncta sine liberis Comitissa de Muhal Gertrude, quæ fuit filia Comitis Alberti, Hugo Episcopus fidelitatem

 & homi-

A pertinentijs suis sicut in litteris eorundem Metensis Episcopi & Capituli sui cōtinetur, approbamus, & auctoritate nostra cōfirmamus, attendentes in hoc euidentem vtilitatem Leodiensis Ecclesiæ, & cōditionem ipsius in hoc fieri meliorem. Tenor literarum talis est.

Ioannes Dei gratia Metensis Episcopus Vniuersis Christi fidebus ad quos litteræ istæ peruenerint notum fieri volumus imperpetuum quod pensata vtilitate Episcopatus nostri & Ecclesiæ nostræ eiusdem Capituli nostri accedēte consensu, & præhabito super hoc tractatu communi cognoscentes hoc Episcopatui nostro expedire, nec in damnum Ecclesiæ vel Episcopatus nostri aliquod attemptari, sed conditionem Episcopatus & Ecclesiæ nostræ fieri meliorem, so-
B lemnem permutationem fecimus cum Capitulo Leodiensi de villa Sainctron, quæ erat allodium nostrum cum omnibus appenditijs & iustitia, banno, districtu, homagijs nobilium, & aliorum clericorum & laicorum, & hominibus vltra mosam manētibus, & vniuersis cōmodis, nihil nobis retinentes in omnibus prædictis, sed nec in dono Abbatiæ de Sainctron, aut inuestituris Abbatiarū, videlicet de Wachére & de Hastires, quę omnia transire volumus in eandem permutationem cum vniuersitate, pro curia B. Lāberti de Maidieres cum omnibus appēditijs & pertinentijs suis, & omni iure ipsius, superadditis nobis duobus millibus librarum Metensium ex parte Ecclesiæ B. Lamberti Leodiensis, in vtilitatem Episcopatus nostri cōuersis: de
C quibus nos omnibus deuestiuimus, ipsam Ecclesiam Leodiēsem Dominam facientes, & ei Dominium & possessionem tradentes de cōsensu & auctoritate Capituli nostri Metēsis: Simili modo Dominiū & possessionem prætactæ curiæ de Maidieres cum omnibus appenditijs & pertinentijs, & omni iure ipsius ab eodem Capitulo Leodiēsi recipientes Episcopi sui accedente auctoritate & cōsensu. Vt igitur hæc rata & inconuulsa maneāt, præsentē paginā sigilli nostri appēsione duximus roborandam, datum anno Domini 1227. mēse Mayo.

Iacobus Prime p. Decanus, totumque Capitulum Metense omnibus has litteras inspecturis veritati subscriptæ fidem adhibere vniuersitati vestræ notum fecimus, quod commutationem quam
D fecit venerabilis Episcopus noster Ioannes cum Capitulo Leodiensi de villa de Sianctron cum omnibus appenditijs suis tam in dono Abbatiæ quam in hominibus, & hominijs vltra mosam manentibus. Similiter & de inuestituris Abbatiarum videlicet de Wachere & Haistieres pro curia S. Lamberti de Maidires cum omnibus appēditijs suis, vtilitatem & commoditatem vtriusque Ecclesiæ euidentē attendentes ratam & gratam habemus, & eam sigilli nostri impressione confirmamus. Actum Metti anno gratiæ 1227. vt autem hæc nostra approbatio rata permaneat, præsentem paginam sigilli nostri appensione duximus roborandam, datum anno Domini 1227. mense Iunio.

De assensu

Archiepiscopum Remensem. Testatur quoq; Renerus D. Iacobi, sic enim ait: D. Hugo Leodiensis Episcopus eligitur in Archiepiscopum Remensem sed precibus Cleri & populi Leodiensis deuictus electionem recusat. A

3. Videns conuersum quendã Alnensis cœnobij Symonem:] *Vitam huius Symonis nuper ex veteri M. S. Codice Abbatiæ Alnensis edidit in lucem Franciscus Moschus Armentariorum in Flandris Curio, ex qua (quod ad rem præsentè facit) disco eum habuisse gratiã à Deo cognoscendi cogitationes & voluntates hominũ. Sic enim in ea non lõge ab initio légitur.* Sũmo Deũ vidẽdi desiderio tenebatur vir S. vnde 7. annos cõtinenter hoc petijt vt Deum videre mereretur: quo tempore demum expleto factus in exstasi, quum ab angelis duceretur, in arbore pulcherrima vidit aues rostris suis dependentes & Dominum collaudantes, eique ab angelo dictum est, quod spiritus essent illic ad finem vsque sæculi permansuri, cumque iam ante conspectum Domini se sisteret, hanc ab eo vocẽ audiuit; Quia creatorem tuum videre desiderasti, hanc tibi gratiam largior, vt consciẽtias plurimorum cognoscas. Et statim vidit omnes homines adstare coram Domino, & singulorum conscientias, ac si in libro legeret, nouit. Vnde multos ad agnitionem veritatis & bonam frugem adduxit. *Cum igitur Hugo Symonem conuersum videret, & cuperet ex eo Dei in hac sua perplexitate voluntatem cognoscere, pressus Abbatis voluntate, & Hugonis præcepto, tacite dixit illi Episcopatum illum tenere debere ad quem affectuosius inclinabatur, videbat enim Dei gratia, qua donatus erat, illum affectuosius inclinari in Leodiensem. Iacobus de vitriaco S. R. E. Cardinalis & Patriarcha Hierosolymitanus Occidentalis hystoriæ cap. 14. sic Beati huius viri, suppresso licet nomine, meminit.* Vidimus (*inquit*) fratrem, quendam mirabilem à Deo gratiam consequutum, dum enim aliquis peccata sua confiteri noluisset, Deus illi peccata, quæ non erant per confessionem detecta, reuelabat, vt ad confitendum induceret peccatorem. *Sic Vitriacus.* B C

Qualiter Oppidum S. Trudonis acquisiuit.

CAPVT CXXV.

D

Castra de Muha & VValefue iungũtur Ecclesiæ Leodiensi.

HVius quoque Hugonis industria Leodiensi postmodũ Diœcesi immensa peruenit commoditas. Nam castra illa duo de Muha & de Waleue, de quibus supra diximus, per eius solertiam nostræ sunt diœcesi perenni iuncta fœdere, quorum confirmatio à Summo tum Pontifice Honorio, & ab augustis quoque patre & filio, nec non & multis alijs Satrapis & Principibus sigillo insolubili sagaciter est firmata.

Factus est præterea anno Domini 1227. quidam ad pacem Leodiẽsis

A ſis Eccleſiæ contractus, dum ſancti Trudonis oppidum, quod Metenſi Eccleſiæ olim beatus confeſſor Trudo contulerat, Leodienſi eſt Diœceſi per venerabilem Hugonem perpetuo ſociatum, annuente Ioanne Metenſi tunc Epiſcopo, & maioribus Eccleſiæ præfatæ, cum omnibus ſuis pertinentijs & omni integritate qua illud poſſederat Epiſcopus & Eccleſia Metenſis, cum iuriſdictione etiam duarum Abbatiarum Walcidiorenſis & de Haſterijs, nec non & ſancti Trudonis. Pro his omnibus tradita eſt curtis de Bertehem & de Maderijs, & alij redditus, quos ſanctus Lambertus tenebat in Metenſi Diœceſi, additis inſuper duobus milibus librarum Metenſis monetæ. Cuius rei contractus cum ab Apoſtolico confirmatio quæreretur, & iam ipſa Metēſis Eccleſia quod fecerat ſatageret reuocare; nihilominus quod B Domino diſponente pene conſummatum fuerat, omnino in reliquum non potuit irritari. Illo enim tempore virtute venerabilis & nunc piæ memoriæ Conrardus Cardinalis in ſupremo conſtitutus ſpiritu, qui pene à cunabulis beati Lamberti educatus erat ſtipendijs, aſtanti ſibi ſummo Pontifici affirmabat factum iſtud vtrique Eccleſiæ fore proficuum, conuerſuſque in preces, en à te inquit pater ſancte hoc vnum & vltimū fieri deprecor & exopto, vt partis vtriuſque ceſſante calumnia, quod factum eſt ſigilli tui inſtanti munimine roboretur perpetuo permanſurum. Quo fauorabiliter annuente, mox ab eo, dein à præfatis Principibus bullatis cyrographis contractus illius oppidi ſempiterno robore confirmatur.

Oppidum S. Trudonis vnitur Eccleſiæ Leodienſi.

C Sunt autem hæc omnia facta ad pacem Leodiēſis diœceſis, poſtquā dictum Hugonem Antiſtitem à Remenſi electum Eccleſia ad Sedem priſtinam inſolubilis charitas, & potens bonorum virorum oratio reuocauit.

Eodem anno Henricus Rex filius Frederici Imperatoris Aquiſgranum veniens Dominica qua cantatur, *Iudica me*, celeberrimam Curiam habuit Teuthonici regni cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, & alijs nobilibus. Affuit etiam Ferrandus Comes Hanoniæ & Flandriæ, qui per 12. annos Pariſijs in captiuitate à Rege Franciæ detentus fuerat, & priori anno abſolutus. Ibi à Colonienſi D Archiepiſcopo Henrico vxor ipſius Regis, filia Ducis Auſtriæ regali benedictione conſecrata, & coronata in Sede regia collacata fuit. Ibi quoque prædictus Ferrandus in præſentia Regis ac procerum repetijt partem terræ Hānoniæ à Domino Hugone Epiſcopo, quam eidē tradiderat donec Ducis Barbari fallax promiſſio compleretur, vt ſupradictum eſt, & quicquid vltra ſortem receperat per ſpacium quindecim annorum: Cuius petitionem Epiſcopus petijt determinari per miniſteriales aulæ Regiæ. Qui habito conſilio cum principibus qui aderant, ſententiatum eſt, quod Epiſcopus non tenebatur pignus reddere, neque illa quæ in eo receperat, pro eo quod dictus Comes dictam terram ab Epiſcopo tenebat in feudum.

Ferrandus Comes Hannoniæ duodecim annis carcere detentus liberatur.

Hugo Epũs recipit fidelitatẽ & hominium terræ de Muha.

& hominium terræ absque omni contradictione recepit, & castella de Muha & de Waleue ingreditur 14. Calend. Aprilis feria 4. ante pascha floridum. Quod audiens Dux Henricus Louaniensis, ira cõmotus Curiam apud Francfort adiens, Episcopum ad Curiam citari fecit, nec tamen aduersus eum præualuit. A

ANNOTATIONES.

Anno Domini 1225. defuncta sine liberis:] *Non difficile est aduertere Aegidium historiam hausisse ex Reynero S. Iacobi sic enim loquitur Reynerus*: Defuncta sine liberis Comitissa de Muha Gertrude filia Comitis Alberti, D. Leodiensis Episcopus Hugo fidelitatem & homagia Castellanorum, & hominum terræ asque omni coactione recepit, & Castella Muha & Waleue sine aliqua contradictione ingreditur 14. B Kalend. Aprilis feria 4. ante pascha floridum. Henricus Dux Louaniensis audit hoc, & fremit, irascitur, & minatur, Curiam apud Francofort Imperialem adiens, Episcopum ad eam citari fecit per quarentenam.

Hugo in Archiepiscopum Remensem eligitur, sed miro modo in Episcopatu Leodiensi manere præeligit.

C

CAPVT CXXIIII.

ANno sequenti cum ablato de medio Archipræside vacaret Sedes Remensis Ecclesiæ, ad quam pater venerabilis Hugo iam dudum anhelauerat, electorum votis in vnum concurrentibus, prædictus Hugo pastoris loco subrogandus eligitur, electusque requiritur, vt spreto quamcitius Leodiensi baculo honoris tanti gloriam non differat acceptare. Hic igitur dignitatum constitutus in biuio, & ignorans quid eligeret, quidue respueret, misit ad Dei famulũ Ioannem abbatulum, vt precibus assiduis interpellaret Dominum pro se & pro imminenti articulo dignitatum.

Hugo electus in Archiepisc. Remensem, petit pro se orari.

Orationis cuius tantam in se sensit efficaciam, vt licet secus dispo- D neret, prima Sedes tamen sic hærebat animo, quod vir Dei nequibat illam relinquere, nec à beati martyris obsequio separari.

Magna efficacia orationum Ioannis Abbatuli.

Vnde & quotiens veniret Leodium, maioris Ecclesiæ valuas semper post noctis vigilias aperiri iubebat, vnoque contentus comite sacri corpus adibat martyris, & ipsum Dei virum Ioannem inuisebat effundẽsque preces flebat vberrime, siquidem illi licet nimijs sæcularibus implicato negotijs Dominus concesserat gratiam lachrymarum. Tunc conferebant ad inuicem de statu caduco præsentiũ, de vanitate sæculi, de futurorum gloria, & de peruigili pastorum regimine

gimine. ô quam pij Zeli loquenti ad Præſulem viro Dei inerat plenæ libertatis auctoritas; ſed nec perfectæ ſubiectionis patiens humilitas deerat audienti, cum nec loquentem premeret auctoritas audientis, nec charitas audientem offenderet arguentis. Sed nec ille tantum palpans vitia, virum tantæ dignitatis, in quibus opus erat, timebat arguere, nec audebat iſte reſiſtere tantæ ſermonibus ſanctitatis; libenter enim audiebat eum, & audito eo multa faciebat.

Igitur vt præmiſſum eſt, à Remenſium ipſe Præſul nuncijs accerſitus nocte illa, qua mane parabat aſcendere, expletis vigilijs intrauit Eccleſiam, altarique appropians, cui reuerendi ſupererant martyris reliquiæ, à lachrymis ſe continere non poterat, & ad Dei ſeruum qui prope ſedebat vultum côuertens, flebilem complosis manibus, ſe illius proſtrauit veſtigijs, omnique fæmineo ſexu factus humilior, cum non poſſet ad plenum verba formare ſingultu nimio rumpête ſermones, nutu tamen quo poterat precum illius ſuffragia intentiſſimè precabatur.

Facto autem mane Dyonantum adijt, illic enim vtriuſque diœceſis nuncij conuenerant pomposis altercationibus pro rapina Præſidis ad inuicem diſceptantes. Francigenis quidem auorum progeniem, & dulce ſolum patriæ natalis memorantibus, pars altera ſimpliciter glorioſum Martyrem ipſius pene ex matris vtero nutricium, triumphumque de hoſtibus, & gentem pacificam conferebat.

Remenſium & Leodienſium pro Hugone altercatio.

Inter aduentantes autem ipſe Pontifex videns conuerſum quendam Alnenſis cœnobij Symonem nomine, virum ſcilicet vitæ ſanctæ, & famæ laudabilis illum ſciſcitabatur attentius, diuinæ voluntatis notitiam à viro cupiens extorquere. Cumque ille perſonas maioris nominis & ſanioris conſilij ſciſcitandas proponeret, nihilominus Præſul fratri de voluntate Abbatis proprij, qui tunc forte aderat, præcepit, vt ſi ſciret, Domini non differat edicere voluntatem. Ad quæ frater: Voluntatem, ait, Domini ſi ſcire & adimplere deſideras, illius Eccleſiæ regimen non contemnas, ad quam tuus præcipuè ſpiritus affectuoſius ſe inclinat. Et mox ille. Ceſſet ergo, ait, partis vtriuſque calumnia, nam & ego alibi cuiuſlibet honoris gloria refutata, Leodienſem baculum ob amorem beati Lamberti corde tacito prælegi.

Hugo Epũs cõſulit Symonem conuerſum Cœnobij Alnenſis.

Conſilium Symonis conuerſi Alnenſis.

Hugo illi acquieſcit.

Quod verbum Leodienſes rapientes ab ore Pontificis, vocibus mox altiſſimis, *Te Deum* intonantes, confuſis Francigenis, retentum ſic Leodij cum ſumma lætitia Antiſtitem reduxerunt.

ANNOTATIONES.

1. *Totum hoc caput ferè verbotenus deſumptum ex ſecundo libro cap. 3. auctoris Anonymi vitæ S. Odiliæ, de quo ante quædam diximus.*

2. Cum Ablato de medio Archipræſide.] *Hugonem fuiſſe electum in*

A rogamus omni affectu, quatenus eundem fratrem nostrum venerabilem Leodiensem Episcopum benigne tanquam Dominum vestrũ recipiatis, & ei fidelitatem & homagium quam feceratis Episcopo Metensi, cum ab ipso sitis absoluti, faciatis, scientes quod nos prædictam commutationem confirmauimus, inhibentes nihilominus ne quis ausu temerario contrauenire præsumat.

Meminit & huius contractus auctor vitæ S. Odiliæ scriptor huius temporis lib. 2. c. 4. vbi fit mentio retractationis, quam Metenses Romæ moliti sunt, sed frustra, facere.

Meminit & Renerus S. Iacobi his verbis Dominus Episcopus Hugo acquirit ab Episcopo & Ecclesia Metensi medietatem Oppidi S. Trudonis, cum omnibus suis pertinentijs & omni integritate qua illud possederat Episcopus & Ecclesia eadem Metensis, nec nõ adhuc iurisdictionem duarum Abbatiarum S. Trudonis & Hastiers. Pro quibus omnibus tradita est curtis de Bertehem & alij reditus, quos S. Lambertus tenebat in Metensi Diœcesi: additis insuper duabus milibus libris Metensis monetæ.

B

De vltimo ipsius anno quo illi mors diuinitus denunciatur, nisi decreta quædam reuocet.

CAPVT CXXVI.

C

ANno Domini Hugonis vltimo personaliter ipse sanctam Synodum celebrare instituit, decretumque in ea sanciuit veteranis Legiæ priuilegijs contrarium. *Hugo Episcopus sancit quadã priuilegiis contraria.*

Cuidam autem sacerdoti per Spiritum innotuit, Domino reuelãte, præfatum Antistitem intra anni circulum migraturum si non quod promulgauerat quãtocius irritaret. Quod scriptum in scedula ab eodem Præsbitero transmissum est Antistiti per manum admodũ doctæ vetulæ mulieris: illi enim die quadam basilica palatio contigua egredienti cautè satis obuians, scriptum illud obtulit, & clam recessit. Propter commeantes autem legẽdi Præsul non habens copiã, inde præterijt, & ingressus thalamum, sedens & relegens quod clausum diu tenuerat, furore rapitur incredibili, & tanquam qui mori refugeret, cogitur exclamare: Currite, ait, currite, maledicta reuocetur anus. Quæ minimè reperta est, nam satis edocta fuerat, vt in legatione hac moram facere deuitaret. Ipse vero Pontifex ne cuiquã innotesceret, furiosis dentibus chartulam laniauit. Hoc autem hominẽ Dei Ioãnnẽ Sacerdotẽ non latuit, nam & qui visum viderat, & qui chartam scripserat supradictam, hæc omnia eidem per ordinem retulerat. *Nunciatur illi mors nisi illa reuocet.* *Furore rapitur incredibili.*

D

Igitur orbita solaris cursum suum nondum perfecerat, & ecce vt præfatæ visionis prophetia flebilis impleretur, Præsul ipse moritu-

Ioannes Abbatulus adest Episcopo, sero errorem suum agnoscenti.

rus Hoyum deuenit, decumbensque lectulo ægritudinis cum iam viuere desperaret, aduenien̄s præsbiter præfatæ scriptor scedulæ, conspectui eius astitit, tenorem huiusmodi commemorans ex obliquo. Et æger: Heu, ait, quam sero super hoc commisso pœnitui. Tūc Sacerdos. Quod credere tunc, ait, Domine noluisti, nunc te patientem videre nobis miserrimum est. A

ANNOTATIONES.

Hausit Aegidius hoc totum caput verbotenus ex auctore vitæ sanctæ Odiliæ lib 2. cap. 30.

B

De prophetia quadam & obitu Hugonis Episcopi.

CAPVT CXXVII.

Erat illo tempore in vrbe prouectæ ætatis sancta quædam prophetissa mulier, de qua in huius libri termino aliquid proposui memorandum.

Hugo monetur redire Leodiū velit restitui sanitati.

Putat esse somnium.

Moritur Huy.

Astat morienti Iacobus de Vitriaco Aconensis Episcopus.

Hæc itaque seruo Dei Ioanni Sacerdoti mandauit per interpretē, quatenus infirmanti Præsuli suggereret, si vellet potiri sanitatis gratia, ipsum debere Leodium descendere, alioquin non posse euadere mortis articulum imminentem. Qui Hoyum veritus ascendere, C cuidam ex illius domesticis hoc indixit negotium, ipsum diligenter instruens, qualiter sanitatis æger obtineret remedium, si descendere non tardaret. Ille vero talibus non intendens, & verba viri somnia existimans, vt vera prophetissæ probaretur sententia, non delatus Leodium, in castro Hoyensis oppidi omnibus rebus suis tam exterioribus quam interioribus ad se & ad Episcopatum pertinentibus laudabiliter, & honeste dispositis, deuotissime & plenarie assecutus omnia sacramenta sanctæ Ecclesiæ, assistente Magistro Iacobo Aconēsi Episcopo, electa sepultura sua in valle sancti Lamberti Cysterciensis ordinis, quam ipse ædificauerat, extremum inter manus astantiū spiritum exhalauit 2. Idus Aprilis, hora sexta anno Domini 1229. feria 5. in cœna Domini, delatusque est die parasceues Leodium per de- D fluum Mosæ alueum, vsque ad cœnobium sancti Iacobi, ibique ab vniuerso Clero & populo, nobilibusque patriæ cum magno luctu & eiulatu exceptus, delatus est in Ecclesiam sancti Lamberti, vbi cum maximis exequijs vsque ad feriam secundam iacuit.

Factumque est, cum de loco sarcofagi inter primos Ecclesiæ quæstio fluctuaret, secus aram beati Materni, quam in maiori Ecclesia idem consecrauerat, per Capitulum præcipitur sepeliri. Quo cognito vir quidam religiosus obstupuit, & vltra quam credi potest admirans, dicebat intra se: Num alibi sepeliri poterit quam quo mihi à

A Domino per eundem ostensum est? Talia eo cogitante, mutato, Dei nutu, repente Maiorum consilio, locus prior recluditur, multumque illo dignior ante altare Sanctorum Cosmæ & Damiani vbi beatus Lambertus martyrio coronatus est, sicut vir Dei præuiderat, accelerante sarculo aperitur, vbi à Domino Iacobo Aconensi Episcopo, Abbatibus diuersorum ordinum, proceribusque, Ducibus & Comitibus totius patriæ sepelitur 16. Calendas Maij in crastino paschæ anno Domini 1230, super cuius sepulchrum in lamina cuprea hoc exaratum est epitaphium.

Sepelitur ante altare SS. Cosmæ & Damiani.

Francia me genuit, cathedrauit Legia, morum
Me decorauit apex, sensus, gena, sanguis auorum.
Hugo fui Petra ponte satus, locus iste relictum
B Corpus habet, capiunt vermes è corpore victum,
Sic perit orbis honor, sic defluit omne decorum,
Posce Deum lector vt me locet arce polorum.

Vir iste magnificus ante duos annos obitus sui disposuit testamētum suum, & penes aliquos Abbates Cystercienses deposuit vsque ad triginta duo milia marcharum vel amplius, vt hac pecunia pars restituatur eis, à quibus non iuste tulerat, residuum vt conferretur in eleemosinam monasterijs, Ecclesijs, pauperibus, viduis, orphanis, religiosis vtriusque sexus, & leprosis in toto Episcopatu. Quod pietatis opus electi Abbates fideliter impleuerunt.

Restitutio eius & eleemosinæ.

ANNOTATIONES.

C

1. Sancta quædam prophetissa mulier:] *De hac muliere & prophetia agit quoq; auctor vitæ S. Odiliæ lib. 2. cap. 5.*

2. Spiritum exhalauit 2. Idus Aprilis, hora sexta, anno Domini 1229:] *Liber Ecclesiæ Leodiensis ex quo legūtur commemorationes confratrum & aliorum fidelium defunctorum, ad primam sub* Pretiosa, *Ponit commemorationem Hugonis tertio idus aprilis, sic enim ibi legitur.* Tertio idus Aprilis commemoratio Domini Hugonis Episcopi nostri de Petra Ponte, pro quo habemus duodecim Marchas et dimidiam Marcham Leodiēsem de aduocatia de Castelin et de Pōdreleur; Item habemus apud Rurechous 20. modios speltæ qui distribuūtur oībus pauperibus in die obitus sui.

D *Hoc eodem anno ordinat recipi in Diœcesim Leodiensem religiosos ordinis prædicatorum vt ex hisce eius litteris super ea confectis patet,* Hugo Dei gratia Leodiensis Episcopus vniuersis præsentes literas inspecturis in Domino salutem. Vniuersitati vestræ notum facimus, quod nos pro salute animę nostræ, et pro succursu animarum nobis cōmissarum, et pro religione in Episcopatu nostro permouenda et conseruanda, de consilio bonorum virorum concessimus et ordinauimus, quod in Ciuitate Leodiensi recipiatur conuentus fratrum ordinis prædicatorum qui ibi commorentur, et legant de Theologia, et per totū Episcopatum Leodiensem disseminent verbum Dei et confessiones

audiant et absoluant confitentes. Cuius rei executores constituimus venerabilem fratrem nostrum Iacobum Aconensem Episcopum, & dilectum nepotem nostrum maiorem Præpositum Leodiensem vel alterum eorum si duobus interesse nequiuerint. Dat. anno Domini 1229. feria quarta post palmas. *Ex lib. chartarum Ecclesiæ Leodiensis.* A

3. Sepelitur 16. Calend. Maij in crastino pascæ anno Dñi 1230:] *In hoc eodem cap. habes obijsse 1229. feria 5. in cœna Domini. Reynerus S. Iacobi dicit* Anno Domini 1229. paschali die 17. Calend. Aprilis feria 5. in cœna Domini, obijt in castello Hoij Dominus Hugo Leodiensis Episcopus deuotissime, & plenarie assecutus omnia sacramenta sanctæ Ecclesiæ: à Domino Iacobo Episcopo Aconensi. Petierat sepeliri in valle S. Lamberti, sed à Præposito & Clero Leodiensi, sepultus est in maiori Ecclesia Leodiensi *vides ex calculis superioribus inconstantiam calculi temporis, & auctorem non adhibuisse operi suo extremam manum.* B

4. Vir iste magnificus ante duos annos obitus sui:] *Adstipulatur Idē Reynerus hiis verbis:* Duobus annis ante obitum fecit testamentum deposuitque apud diuersos Abbates ordinis Cysterciensis triginta duo milia marcharum, quarum partem voluit reddi his, à quibus minus iuste aliqua tulerat, residuum vero monasterijs, Ecclesijs, pauperibus, viduis, orphanis, religiosis vtriusque sexus, & leprosis in eleemosinam distribui mandauit. Succedit illi in Episcopatū Ioannes Præpositus.

C

Quædam visio de ipso Hugone.

CAPVT CXXVIII.

Post mortem apparet.

FActum est vt paulo post decessum ipse Hugo Episcopus cuidam religiosæ personæ apparuerit sibi gratū asserens quod migrasset à sæculo, nam licet in locis torqueretur pœnalibus, mortis tamen euaserat sententiam sempiternæ.

Conqueritur Cysterciensis ordinis & aliorū pro se orationē tepescere.

Cumque Cystercienſis ordinis aliorumque multorum ordinum pro defuncto Præsule tepesceret oratio, cuidam suo familiari sacerdoti religioso in vigilia penthecostes prope cellam astitit, virumque Dei quiescentem in lectulo rugitum magnum proferens querulus excitauit. In cuius testimonium cum ipse quendam dormientem ibi inuocaret puerum, ille graui somni depressus inertia rugitū huiusmodi non audiuit. D

Hugo purgatorij pœnas superat.

Expleto vero abhinc quinque annorum spatio, Sacerdos ille, leui detentus in extasi, ipsum Præsulem vidit suo illo grato decumbentē in lectulo, se autem illi tanquam ministrum assistere, cui Pontifex inter verba flebilia taliter loquebatur: Omnes, ait, fili bone derelicto paupere recesserunt à me, tibi soli relictus sum, tu adiuua me. Et ille

A ille: Iuuabo (inquit) vtiq; si mihi à Domino virtus suppetit & facultas. Ab illo ergo die tantum ad preces pro anima ipsius conualuit, vt quotiens pro eo orare intenderet, non quasi agonizans orabat prolixius, sed totus plenus lachrymis se gaudebat mirabili spiritus dulcedine ebriari.

Vnde factum est, vt post modici temporis interuallum rapto isti in spiritu astitit, ipso prosequente Præsule multorum Pontificum turbam prælucidam, quorum Dux quidam præuius sic alloquitur speculantem: An nescis bone Sacerdos quisnam iste sit qui nobis præcedentibus infulatus insequitur? Quo respondente hunc suum esse Dominum Hugonem patrem & Episcopum, mox suis prouolutum B genibus iubetur absoluere, absolutumque in partem dexteram benedictionis gratia, qui ad læuam consederat vsque modo, transportatum videre.

Ab illo ergo tempore per spiritum viro Dei innotuit partem purgatorij omnimodam prædictum Antistitem transcurrisse.

ANNOTATIONES.

1. *Et hoc totum caput Aegidius hausit ex auctore vitæ sanctæ Odiliæ lib. 2. cap. 5. sub finem.*

2. *Florebant circa hæc tempora, in Diœcesi Leodiensi multi, præclari viri, & sanctißimæ mulieres, de quibus hoc loco aliqua notare, neq; iniucundum, neq; inutile fore* C *existimaui. Inter alios excelluit Iacobus de vitriaco qui allectus sanctitate Mariæ Ogniacensis, de qua postea aliqua dicemus, relicta Sarbona & Ecclesia parochiali quam Lutetiæ Parisiorum habebat, Ogniacum super Sambram Diœcesis tunc Leodiensis venit, ibiq; factus Canonicus regularis, dictæ Mariæ familiaris, eius precibus multas à Deo gratias obtinuit. Hic deinde factus Episcopus Achonensis & inde Apostolica auctoritate translatus, factus est Episcopus Tusculanus Ecclesiæ Romanæ Cardinalis. Tandem Romæ mortuus in Ogniacum ossa sua referri voluit, vbi etiam hodie requiescunt. Hic plurima ingenij, doctrinæ, & virtutum suarum monumenta scripto reliquit: Scripsit libros sermonum de tempore & de sanctis, quæ partim typis excusa, partim M. S. in varijs bibliothecis diœcesis nostræ, & præsertim Cruciferorum Hoy-* D *ensium habentur. Scripsit præterea sermones ad omnis status homines: Scripsit quoq; historiam orientalem, & librum de sanctis mulieribus Diœcesis huius Leodiensis; De quibus etiam ex eius verbis postea quædam referemus.*

Floruit quoq; eo tempore venerabilis vir Magister Ioannes de Niuella Decanus Ecclesiæ S. Lamberti Leodiensis, qui spretis mundi diuitijs & honoribus regularis vitæ habitum Ogniaci quoq; accepit: floruit quoq; Thomas Cantipratanus, qui in libro apũ narrat se vidisse dictum Ioannem, eumq; animarum tunc pereũtium saluti miro modo deditum fuisse præsertim in administratione sacramenti pœnitentiæ. Cum enim (*inquit Cantipratanus*) in infirmitatem grauem incidisset, & in agonia constitutus esset, eo vespere, cuius nocte sequenti defunctus est, ecce vir vagus & nudus ex his quos ribaldos vocamus in exteriorem partem domus venit, qua ille interius decumbebat, rogauit ille vagus de con-

de confessione loqui sancto viro, sed ei respõsum est quod non posset. Mœsto autem illo abeunte ex circumsedentibus quendam aduocat vir beatus: reducite illum (inquit) ad me, quem repulistis. Hoc audito mirati & confusi omnes hominem reduxerunt, qui cum omni diligentia facta confessione, & absolutione suscepta recessit: Dixit omnibus vir sanctus, nollem pro mille marchis auri me hominem non audisse. Et quo fructu? vix enim per quartam partem Leucæ secessit vir à domo, & repentina morte percussus cecidit in terram defunctus. Nec mora sequenti nocte viro sancto migrante ad Dominum, accidit quod subiungo. In vlterioribus partibus Angliæ quidam vir bonus & sanctus prædicationis officio præeminebat. Eo autem in statione publica prædicante, quædam peccatrix amarissime contrita, vt potuit in populo cum lachrymis exclamauit, dicẽs; Miserere mei serue Dei, audi me miseram, & à peccatis absolue. Tũc ille vt potuit, eam compescuit, & vsque post finitum sermonem expectare præcepit. Quid plura? Iterum post paululum cum clamore surrexit, & petit mox audiri. Sed cum iam finiendum sermonem promitteret prædicator, illaque parum quiesceret, surgit iam tertio, clamat horrifice, cadit in faciem, & expirat. Turbatus ergo non modice cum populo prædicator, orat omnes præsentes cum lacrymis orare Dominum, vt alicui quid sit factum de anima peccatricis ostendere dignaretur. Interim per tres dies clausus in cellula prædicator, nil dormiuit, neque gustauit, sed continuus in oratione permansit. Tertia ergo nocte anima defunctæ lucidior super solem apparuit prestolanti: adsum (inquit) anima pro qua oras, ab omni pœna soluta sum, nihil restat, nisi ad superos solum euolare: tunc illo nimirum interius hæsitante, respondet anima. Hoc tibi sit signum quod non deciperis. Quidam Magister Ioannes in partibus Brabantiæ in Monasterio de Oignies Leodiensis Diœcesis, ista nunc hora obijt: & sicut in vita semper circa afflictos & pauperes pius fuit ita & nunc cum post mortem ante locum purgatorij in quo cum innumerabili multitudine detinebar, eius felix anima deferretur, & ibidem multos recognosceret, quorum auctor salutis extiterat, pietate commotus pro eis suppliciter Dominum exorauit, vt à pœna purgatorij soluerentur. Nec mora exauditus à Domino, & non tantum pro illis, quibus orauerat, verum etiam pro me & multis alijs in cœlum cum maxima gloria est receptus. His dictis anima ab oculis mirantis euanuit. Ipse vero prædicator in transmarina statim directo nuncio cum litteris sicut anima pro signo dederat, diem horamque sancti viri migrantis inuenit.

Floruerunt quoq; quamplures sanctißimæ mulieres de quibus in hunc modum Iacobus de vitriaco Cardinalis scribit venerabili Domino Fulconi Episcopo Tholosano.

A PAter sancte pastor Tholosane nosti quia cum venires ad partes nostras te narrante audiui quod reliqueras Ægyptum in partibus tuis & transiens per desertum, terram promissionis in Leodij partibus inuenisti. Cum enim in partibus tuis multos de nostris cruce signatos contra hæreticos fide feruentes in tribulatione miram patientiam habentes, in operibus misericordiæ abundantes cognouisses, imo sicut mihi dixisti, quasdam mulieres magis pro vno veniali peccato lugentes, quam homines in partibus tuis pro mille mortalibus mirareris veniens ad partes nostras sicut *audisti sic vidisti*: immo & plus quam audisti, *vidisti enim & gauisus es* in hortis liliorum Domini multarum sanctarum virginum cateruas in diuersis locis, quæ spretis carnalibus illecebris & contemptis pro Christi amore mundi diB uitijs in paupertate & humilitate sponso cœlesti adhærentes labore manuum tenuem victum quærebant, licet parentes earum diuitijs multis abundarent. Ipsæ tamen *obliuiscentes populum suum, & domum patris sui* malebant angustias paupertatis sustinere, quam malè acquisitis diuitijs abundare, vel inter pomposos sæculares cum periculo remanere. *Vidisti & gauisus es* sanctas & Deo seruientes matronas quanto zelo pudicitiam iuuencularum conseruarent, & eas in honesto proposito, vt solum cœlestem sponsum desiderarẽt, salutaribus monitis instruerent. Ipsæ viduæ in ieiunijs orationibus & vigilijs & laboribus manuum Domino seruientes. *Vidisti & gauisus es* sanctas mulieres C in matrimonio Deo seruientes, filios suos in timore dei erudientes, honestas nuptias & thorum immaculatum custodientes, ad tempus orationi vacantes, & post in idipsum cum timore Domini reuertẽtes, ne tentarentur à sathana, multas etiam de cõsensu maritorum à laicis amplexibus abstinentes. *Vidisti &* miratus es, immo & valde cõtristatus quosdam impudicos & totius religionis inimicos homines prædictarum mulierum religionem maliciose infamantes, & canina rabie contra mores sibi contrarios oblatrantes.. Et cum non haberent amplius quid facerent, nomina contra eas fingebant sicut Iudæi contra Christũ ipsum *samaritanum* & christianos *Galileos* appellantes. Nec mirum etenim Ægyptij abominantur oues, & homines D tenebrosi & malitiosi innocẽtium simplicitatem derident inter epulas & potus, inter ebrietates & crapulas vitam abstinentium lacerãtes. Ipsæ autem mirabili patientia opprobria sustinuerunt, & persecutiones frequenter ad memoriam reducentes illud Euangelicum. *Si me persecuti sunt, & vos persequentur*. Sed quoniam scriptum est. *A fructibus eorum cognoscetis eos*: Quæ vere Deo adhæserint in deuastatione ciuitatis Leodiensis satis compertum est. Quæ enim ad Ecclesiam confugere non poterant, in flumen se proiecerunt magis eligentes sic mori quam damnum castitatis vel virginitatis incurrere. Quędam etiam in stercorarias sentinas prosilientes malebant extingui fœtore, quam spoliari virginitate. Itaque clemens sponsus sponsis suis dignatus est prouidere. Et in tanta multitudine non est inuenta aliqua

aliqua quæ mortem corporis vel detrimentum incurreret castitatis. A
Cum autem vna illarum sanctarum mulierum periculose laboraret in flumine, duo ex hostibus cum nauicula ad eam venientes, eam in nauim traxerunt, vti ei turpiter commiscerētur. Sed quid esset actura casta inter leones, agna inter lupos, columba inter accipitres cogitabat. Maluit iterum fluuio submergi, quam corrumpi; naui prosilijt inter vndas: Cumque nauis ex impetu salientis mergeretur, simul & illi duo mersi perierunt. Illa vero per Dei gratiam sine damno corporis aut animæ obsequente fluuio ad ripam peruenit. Mirandisque plus miranda succedunt. Cum diuturna & intollerabilis fames per triennium in regno Franciæ & in magna imperij parte à Deo inualuisset vt homines passim per villas & agros fame morerētur: Illi B
etiam qui prius diuites fuerant publice mendicare vel fame perire cogerentur; non est inuenta in tanta multitudine sanctarum mulierum in toto Leodiensi Episcopatu (licet omnia pro christo reliquissent) aliqua, quæ vel fame moreretur, vel publicè mendicare cogeretur. Sed iam ad personas singulares & singularia miracula descendamus, testem enim inuoco sanctitatem tuam, oculis enim vidisti mirabilem Dei operationem & in diuersis personis diuisiones gratiarū. Aliqua enim à Domino te certissime probante tantam gratiam accepit, vt peccata hominum, quæ per veram confessionem detecta non erant in multis personis perciperet. Et dum multis peccata oblita nunciaret, multos ad confessionem inuitans, causa salutis eorū post C
Deum extitit. Aliquas etiam vidisti mulieres tam speciali & mirabili amoris in Deum affectione resolutas, vt præ desiderio languerent nec à lecto per multos annos nisi raro surgere possent nullam aliam causam infirmitatis habentes, nisi illam cuius desiderio animæ earum liquefactæ, cum Domino suauiter quiescentes quanto magis spiritu confortabantur, tanto corpore infirmabantur clamantes corde licet pre verecundia ore dissimularent, *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Alicuius etiam mirabiliter & sensibiliter dū anima præ amoris magnitudine liquefieret, genæ corporales attenuatæ resoluebantur. Multis etiam ex fauo spiritualis dulcedinis in corde redundabat mellis sapor sensibiliter in ore, dulces lachrymas D
eliciens & mentem in deuotione conseruans: quædam etiam tantā gratiam lachrymarum perceperat, vt quotiens Deus erat in corde per cogitationem, lachrymarum riuulus fluebat ab oculis per deuotionem, ita vt lachrymarum vestigia in genis ex consuetudine fluēdi, apparerent, quæ tamen caput non euacuabant sed quadam plenitudine mentem refouebant, spiritum suaui vnctione decorabant & dulcorabant, corpus etiam mirabiliter recreabant, & tanto *fluminis impetu totam Dei ciuitatem lætificabant.* Aliæ verò extra se tanta spiritus ebrietate rapiebantur quod in ipso beato silentio ferè per totum diem quiescentes, dum erat *Rex in accubitu suo* non erat eis vox nequesensus ad aliqua exteriora, *pax enim Dei ita exuberabat* & sepeliebat sensus

Cantic. 2.
Psalm. 45.
Cantic. 1.
Philip. 4.

A & sepeliebat sensus earum, quod ad nullum clamorem euigilare poterant, nullam penitus corporalem læsionem etiam si vehementer perurgerentur, sentirent. Aliquam enim vidi, quæ fere triginta annis tanto Zelo sponso suo in claustro custodiebatur, quod nullus ei extra claustrum posset esse egressus, etiam si mille homines eam per manus trahere niterentur. Multoties enim exire conabatur, quibusdã etiã eam trahentibus, sed frustra; quia citius rumperetur. Vidi & aliam, quæ dum extra se frequenter viginti quinque vicibus in die raperetur, quæ etiã me præsente plusquã septies (vt credo) rapta est: In quocũque vero inueniebatur statu, in eo, donec reuerteretur, immobilis permanebat, nec tamen quantumcunque inclamaretur familiari eam spiritu sustentante cadebat. Manus eius quandoque in B aëre pendebant immobiles secundum dispositionem, in qua inuenta fuerat; quæ dum ad se reuerteretur, tanto replebatur gaudio quod *reliquijs cogitationum diem festum agentibus* gaudium interius plausu corporali cogebatur ostendere, sicut Dauid coram archa saltando iuxta illud. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Quædam verò in perceptione illius *panis qui de cælo descendit* non solum refectionem in corde, sed dulcem *super mel & fauum* sensibilemque consolationẽ percipiebat in ore, dum carnes veri agni à faucibus cordis, quas replebant, ad fauces corporis mirabili sapore redundabant. Quædam autem tanto desiderio *post odorem* tanti *sacramenti currebant*, quod nullo modo diu carere eo sustinebant, nullamque consolationem C vel requiem suscipientes, sed penitus languore deficientes, nisi de suauitate cibi illius animæ earum frequenter vegetarentur. Erubescebant hæretici infideles, qui cibi huius suauitatem nec fide, nec corde percipiunt. Noui autem quandam inter sanctas mulieres, quæ dum vehementer veri agni carnibus refici desideraret, verus ipse agnus non diutius eam languere sustinens, seipsum illi obtulit, & sic refecta conualuit. Vidi etiam aliam (mirabilem scilicet Christinam) circa quam tam mirabiliter operatus est Deus, vt cum diu mortua iacuisset antequam corpus eius in terra sepeliretur, anima ad corpus reuertente, reuixit, & à Domino obtinuit, vt in hoc sæculo viuens in corpore purgatorium sustineret. Vnde longo tempore ita miserabiliter à Dño afflicta est, vt quandoque se volueret in igne, quandoque D in hyeme in aqua glaciali diu moraretur, quandoque sepulchra mortuorum intrare cogebatur. Tandem in tanta pace peracta pœnitentia vixit, & tantam à Domino gratiam promeruit, vt multoties rapta in spiritu animas defunctorum vsq; ad purgatoriũ, vel per purgatoriũ sine aliqua sui læsione vsque ad superna regna conscendere conspiceret. *Hactenus Aegidius. Vitam Christinæ mirabilis, de qua paulo ante Iacobus Vitriacus, scripsit Thomas Cãtipratanus: fuit hæc Christina patria Brustemiensis sanctæ memoriæ virgo, de qua admiranda in vita eius reperies. Obijt in monasterio S. Catharinæ extra muros Trudonenses, sed post septem annos reliquiæ cum monasterio paulo remotius sunt translatæ in Milem-pagum, quem tunc monialibus cum iurisdictione*

ctione dabat Domina Pervvetensis. Habes eius vitā apud Surium tomo tertio. Scripsit idem Thomas & vitam beatæ Lutgardis virginis, cui familiarißimus fuit, libris tribus, in quibus quantum claruerit virtutū splendore, prophetiæ spiritu, & miraculorū donis lector cognoscere poterit: exstant libri apud Surium tomo tertio ad diem Iunij decimam sextam. A

De electione & consecratione Ioannis Episcopi.

CAPVT CXXVIIII.

SEpulto Domino Hugone Episcopo feria secunda in paschate, quæ fuit 16. Calend. Maij, anno Dominicæ incarnationis 1230. vt dictum est, præfixo electiōis die ab vniuerso Clero, Ducibus, & Comitibus, & nobilibus alijs militibus, & à plebeis in crastino ascensionis Domini, scilicet 9. Calend. Iunij pridie Vrbani Papæ, quādo ver finitur, & æstas oritur, absque vllius contradictione eligitur in Episcopum Leodiensem Dominus Ioannes secundus maior Præpositus filius sororis Domini Hugonis Episcopi, vir honestus & castus, qui Leodiensem rexit Ecclesiam annis 8. B

Ioānes de Apia eligitur in Episcopum.

Hic in quadragesima sequenti ordinatus est. Sacerdos à Domino Waltero Episcopo Tornacensi, sabbatho *Sitientes* die SS. Perpetui & Fœlicitatis in castro Tudiniensi, & in crastino, scilicet, Dominica in passione consecratus in Episcopum à Domino Henrico Remensi Archiepiscopo, & in octaua penthecostes celebrauit solemnem primā missam in valle S. Lamberti, anno Domini 1231. primam vero Synodum tenuit in Nouo monasterio Hoyensi in hebdomada Trinitatis. Ibi Theodericus sancti Iacobi nonus Abbas diem clausit extremū. C

Ordinatur sacerdos.

Consecratur in Episcopum.

Celebrat primam missam, & primā Synodum.

ANNOTATIONES.

Asque vllius contradictione:] *Adstipulatur Ioannes Presbiter, Chronicon magnum Belgicum, Gemblacense, & alij nostrates scriptores.*

D

De fœdere Gregorij noni Episcoporum & Principum contra Fredericum Imperatorem, & turbis Leodij per quendam Nuncium Apostolicum excitatis.

CAPVT CXXX.

HVius temporibus tanta per orbem vniuersum insonuerunt prælia, vt non solum bellorum ciuilium adinuicem insaniret vesania, verum qui Romanum regere videbatur imperium Fredericus

Vniversus prope orbis prælijs infestatur.

ricus in sanctam non timuit desæui re Ecclesiã. Cuius certe stultitiã *Fredericus in sanctam sæuit Ecclesiam.*
A Summus Pontifex Gregorius nonus multorum Antistitum vallatus auxilio, non prece, sed prælio compescere satagebat.

Considerans itaque & perpendens quod in maris medio quassaretur turbinibus agitata Petri nauicula, in omnem terræ semitam ad eos quos sui iuris esse cognoscebat, suos misit nuntios, sub veritate fidei omnes sibi confœderans, vt oportuno tempore præualeret indomitam Regiæ dignitatis retundere disciplinam, *Gregorius init fœdera cum principibus christianis.*

Quorum vnus peragratis superioribus Alemanniæ partibus, Otto scilicet sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus Cardinalis, postmodum Episcopus Portuensis, venit Leodium, Dominica in septuagesima in qua canitur Tractus *commouisti Domine terram & contur-*
B *basti eam*, quæ erat septimo Kalend. Februarij anno præscripto 1231. vt Ioannem tunc Præsulem Romanæ Ecclesiæ fœdere consimili copularet. *Otto nuntius Apostolicus venit Leodium.*

Hic cum inter cætera etiam inter Clerum patrimonij Iesu Christi fieri præciperet scissionem, præcisis volebat stipendijs sub parsimoniæ studio pauperes coëquare diuitibus, opulẽtosque consentire humilibus, seruata in omnibus paritate. Qua visa iniuria, Clerici non ferentes præbendas sibi minui, Aquensem Præsidem, qui Regis vices in hoc defenderet, aduocarunt. *Mirum Nuncij consilium.* *Clerici Aquensem præsidem aduocant.*

Huius aduentu cognito: Otto cum ipsius vrbis Antistite Ioanne festinauit egredi, fugientemque taliter Ciues non maleuole, sed sim-
C plici intuitu comitantes, Præsulem visi sunt effugasse. *Otto cum Ioanne Antistite fugit.*

Nactus ergo Diabolus tempus voto suo conueniens, volebat vt prædicti auctoritate nuntij, Missæ sacrificium, per quod solum contra eius tyrannidem nostra crebro triumphauit Ecclesia, suspenderetur, & vt posset sanctam Sedem Leodiensem in fauillam redigere, immisit in cor Nuntij, qui nullo prosequẽte fugiens recesserat, quatenus cunctis exclusis à Legia sacramentis fidei, solis tantum pueru-lis sacramentum baptismatis conferretur, prostrato etiam per omnes Ecclesias in pauimenti puluere crucifixo. Huius facti notitia cũ ad thronum regni peruenit, dictos ciues, scilicet virum Regi contra-
D rium cum honore suscepisse indebito, mox à sui sinu consilij probatum exponens tyrunculum: Vade, inquit, vade, non parcat oculus tuus, quin à sanctuario incipiens omnes illos perdas apostatas, qui me nolunt regnare supra se, sed & vrbem cum bonis omnibus vastandam gladio publicabis. Cui Leodium venienti occurrit Dux Ardennæ, sciscitatusque super hoc, inane respondit & friuolum esse quicquid in Regis Curia diuulgatum fuerat, sed potius ipsos Ciues in Regis præconium sæpedictum Papæ nuntium cum suo Pontifice expulisse. *Diabolus arripit occasionẽ turbarum.* *Strophe Diaboli.* *Dux Ardennæ Regis mandatum eludit.*

Quod factum licet falsum, approbat & furibundus adijt Antistitem, eique, quem promulgatæ contra vrbem credebat auctorem sententiæ, sub Regis Imperio regalia interdixit. Sicque factum est,

vt quod nostris Ciuibus prouenire debuerat in augmentum dedecoris, mira Dei clementia mutatum est in gloriam ampliorem. Fuit ergo in Legia subruẽda insultationis Diabolicę sub facto huiusmodi prima hæc congressio. A

Regali vero repatriãte tyrunculo onerato satis in deportandis ciuium Regi muneribus, diabolus totius auctor sceleris cum sancta sede martyris bellum parabat repetere, bellum vtique opprobrij amplioris. Huius enim instinctu Pontifex transmissis literis omnem Clerum admonuit ab vrbe recedere, seque velle domos & castra publicare neque propterea diffidere, quod illis abundanter tribuere ad vescendũ posset, qui olim gregem Israel pauerat in deserto. Quod si mox in clericorum domos laicali irruente insania fieret dissentio, Antistes ipse deforis adueniens, totam in potenti brachio cum populo subuerteret Ciuitatem, illius enim auctoritate vtebatur & potentia, qui cum suis crebro domesticis conferebat de Sede nostræ Diœcesis alio transferenda. Hæc quoque fuit congressionis Diabolicæ aduersus sedem martyris insultatio repetita.

Noua Diaboli stropha.

Exod. 17. Psal. 77.

B

Maioris autem Ecclesiæ Decanus Ioannes antequam missam à Pontifice chartam perlegisset, vnus loquens pro omnibus, contra tenorem literarũ Sedem Apostolicam intrepidus appellauit. Perlecta autem chartula qui aderant Clerici loquebantur ad inuicem & dicebant. Palatia nobis & castra sufficiunt, sed si rursus manna velit pluere Deus ignoramus. Fraudatus ergo sua spe hostis ille callidus, tertio impetijt Ciuitatem, impetijt autem sic. C

Decanus Diaboli Stropham eludit.

Erat in vrbe vir potens ad cuius nutum totius Reipublicæ tũc spectabat negotium, cuius frater in partes secedens Hasbaniæ cuneos decidit in hostiles, quorũ inermis armatæ succumbens manui vulneratus eodem die occubuit, anno Domini 1231. 15. Calend. Iunij die dominico quando celebratur octaua penthecostes: frater audito eius funere cum suis complicibus reperiens apud Leodium quendam militem consanguineũ homicidæ, licet huius ignarũ sceleris, statim in eius exarsit interitũ. Flagitijs hisce patratis bellum enorme tanto crudelius, quanto vicinius hinc inde exortum est, vt propter latentes insidias nullus auderet ingredi vel egredi Ciuitatem. Fuit vero hæc triplicatæ nequitiæ in vrbis excidium Diabolica inuentio.

Noua Diaboli stropha.

Exoritur bellum enorme.

His ita se habentibus factum est, vt illis in pacem redeuntibus qui totius Christiani obtinebant Principatum regiminis, Fredericus augustus summo Pontifici nullo pacto reconciliari voluit, nisi prius illam tam crudelem faceret relaxari sententiam, & Leodiensi pacem pristinam redderet Ciuitati. D

Missis ergo ex abrupto literis nullo quidem hominum, sed solius Dei procurante clemẽtia, venit ad nos nuntius ex Summi Pontificis mandato, omni dilatione postposita ipsam absolui præcipiens Ciuitatem.

Mittitur Nuncius, qui factũ alterius renouat.

Quo audito alter legatus, qui in nostræ adhuc Diœcesis morabatur

A tur confinio ad suum palliandum dedecus, duobus statim Leodium missis Abbatibus de ordine Cysterciensi, duram illam reuocauit sententiam, & absoluto populo, volens nolens, pacem, quam tulerat, coactus est reddere Ciuitati.

ANNOTATIONES.

1. Huius temporibus tanta per vniuersum orbem insonuerunt prælia:] *Godefridus monachus ad S. Pantaleonem Coloniæ scripsit diligentissime annales ab anno Domini 1162. vsq; annum 1237. hic ad hunc annum sic ait.* Per idem tempus infra quadragesimã in Coloniẽsi, Treuerẽsi, Moguntina, prouincijs & maxime in Diœcesi Leodiensi plurimæ guerræ emergunt, propter quas incursus bellorũ, deprædationes, & incẽdia multa fiũt.

B 2. Postmodum Episcopus Portuensis:] *Hystoriam totam huius Nuncij Apostolici pariter referunt Gesta Abbatum S. Laurẽtij, Ioannes Presbiter, Chronicõ Gemblacense, & alia recensiora.*

De quibusdam quæ huius Pontificis tempore acciderunt.

CAPVT CXXXI.

C TEmporibus istius venerabilis viri Ioannis in loco qui Graueria antiquitus dicebatur, vbi duo flumina Mosa & Outa in vnum conueniunt fundata est Ecclesia in honorem B. Mariæ, qui locus tanti nominis excellentiæ cædens, & nouum nomen assumens, insula B. Mariæ vocatur, & est: vbi primũ canonici regulares fuerunt, postea fratres de ordine scholarium constituti sunt, qui vsque hodie ibidem religiose degentes, in Dei seruitio perseuerant. 1

Templũ Scholarium.

Huius quoque antistitis tempore inchoata est Ecclesia fratrum minorum cum appenditijs suis iuxta Ecclesiam S. Iacobi, in loco, qui Trestes vocatur, nec non & Ecclesia fratrum prædicatorũ in Insula: Ecclesiæ, inquã, sensu & rebus pauperes; sed virtutibus & sensu locupletes, quæ cœlesti pabulo redundantes, patriam reficiunt abundãter, tanquã paradisi promptuaria verbum Dei delectabiliter eructãtia ex hoc in illud. D

Fundatio fratrum minorũ & prædicatorum.

ANNOTATIONES.

1. Fundata est Ecclesia in honorem B. Mariæ:] *Præter enarratas hic fundationes reperio & hoc tempore fundatas subsequentes Ecclesias.*

Primo Codex Aegidij in marginali annotatiõe sic habet: hoc in tempore. 1. secundo Episcopatus Domini Ioannis anno fundatum est cœnobium quod dicitur Grande pratum ordinis Cysterciensis in assumptione B. Mariæ virginis, à Margareta Comitissa de Vienna de bonis Philippi Comitis Namurcensis sui fratris, sicut ipse constituit pro remedio animæ suæ, cum esset crucesignatus contra Albigenses & in

itinere obierit sepultusque fuerit Vacelles. Huius primus Abbas extitit D. Ioannes vir religiosus & humilis, qui multis expensis factis & apparatu, die eodẽ quo cingulo militiæ accinctus erat, ordine Cysterciensi in Villari se accinxit, relicta vanitate sæculi. Tertio autem Episcopatus Ioannis anno, Deo inspirante, Nonnæ de Soliers ordinis S. Augustini assumpserunt ordinem Cysterciensem, quarum prima Abbatissa nobilis & religiosa Domina Isabella de Bonem consanguinea dicti Episcopi extitit. *Idem astruit magnum Chronicon Belgicum.* A

Hoc quoque tempore (*inquit idem Chronicum*) fundatum est claustrum quod dicitur Vinea nostræ Dominæ, à Reynero priore Belli fageti ordinis S. Augustini, qui de consilio Ioannis Episcopi vnam partem bonorum suorum Clero dedit, & alteram monialibus, quæ post ordinem Cysterciensem susceperunt. B

2. De ordine scholarium:] *Ab his scholaribus Leodiensibus fundati sunt duo Prioratus de Lieyvis & Houffalize. Quo nomine prior scholarium Leodiensiũ est eorum immediatus visitator. Ita nostratia Chronica.*

3. *Anno Domini 1234. hic Ioannes Episcopus fundauit monasterium Cruciferorum in Hoyo quod primum & initiale est totius ordinis. Circa idem tempus translatum est Monasterium S. Catharinæ extra oppidum S. Trudonis ad locum de Milem quem locum nobilis Domina de Pervvis cum iurisdictione temporali legitima donatione contulit. Translatum est tunc ad eundem locũ corpus sanctæ & mirabilis Christinæ de qua ante mentionem fecimus. Ita Gesta Abbatum S. Laurentij.* C

4. Huius quoque tempore inchoata est Ecclesia fratrum Minorum:] *Chronicon Magnum Belgicum:* Anno, *inquit*, Domini 1234. ædificãtur Monasteria Prædicatorũ, & Minorum in Aquisgrano, Traiecto, Hoyo Louanio S. Trudone, Niuella, Namurco, Dyonáto, Mechlinia, & tunc Episcopus Ioannes villã de Sittir pro duobus millibus marcharũ acquisiuit, quam Walerano suo Mariscalco in feudũ dedit.

De bello Ioannis Episcopi contra Comitem VVallerанum & eiusdem Ioannis obitu. D

CAPVT CXXXII.

Bellum Episcopi cõtra VValleranum.

ORta etiam his diebus contentione inter Ioannem Episcopum & Comitem Waleranum causa Castri, quod Smaragdus vel Pilans vacca ab incolis terræ illius vocatur, non longè distans à fluuio Mosæ & oppido Dyonanto, Ioannes Episcopus castrum cum exercitu magno tam Leodiensium quam Flandrensium aliorumque Nobilium obsedit, cumque obsessos iam pene in desperationem adegisset morbo correptus ignorante exercitu Dyonantum proficiscitur, vbi post paucos dies in damnum totius patriæ diem clausit extre-

Episcopus moritur

A extremum ſexto Nonas Maij, anno Domini 1238. præſidente Sedi Apoſtolicæ Gregorio huius nominis nono, Imperante Domino Frederico ſecundo, regnante in Alemannia Henrico ſeptimo prædicti Frederici filio.

Corpus vero eius à Dyonanto nocte delatum eſt, & in valle S. Lãberti honorificè ſepultũ, occulte tamen, ne de tãti viri exanimatione obſeſſi animarẽtur, & de exercitus noſtri perturbatione ſuperbirẽt hoſtes eorum. Proceſſu vero temporis ab Abbate eiuſdem loci ſuper ſepulchrũ eius & circa, decenter exaratum eſt hoc epitaphium. *Sepelitur in valle S. Lamberti.*

Quem ſplendor morum, generoſus ſanguis auorum,
Famaque dotauit, quem Legia pontificauit.
B Quem pia mens, quem larga manus, caro munda beatum
Clamabant, ipſum tegit hic lapis incineratum.
Francia me natu, decorauit Pontificatu
Legia, clarorum ſanguis generauit auorum.
Mundus diuitias dedit, & cumulauit honores,
Auxit amicitias, famam populique fauores.
His ſimul acceſſit quod habent hæc tempora raro,
Mens ſincera, manus larga, pudica caro.
Seruet ab inde ratum qui me videt incineratum
Quam cito iucundi marceſcunt gaudia mundi.
Ergo Legia da lachrymas de morte Ioannis
C Qui te bis binis rexit cum quatuor annis.

ANNOTATIONES.

Pilans vacca:] *Vulgo pouluaiche.*

De electione, confirmatione & conſecratione Guilhelmi Valẽtini in Epiſcopum Leodienſem, & eius obitu.

D CAPVT CXXXIII.

POſt deceſſum autem Domini Iohannis Epiſcopi celebratur electio circa feſtum beati Ioannis Baptiſtæ, in qua electione pars quædam in Dominum Ottonem Præpoſitum Traiectenſem & Maioris Eccleſiæ canonicum conuenit, altera vero pars in Dominũ Guilhelmum valentinæ Eccleſiæ electum, fratrem Comitis Flandriæ virum bonum & honeſtum conſenſit. *Diſſentio in electione Epiſcopi.*

Quid plura? Properant ad Curiam viri prænominati cum adiutorijs ſuis, ventilataque electione coram Summo Pontifice & Cardinalibus venerabilis Guilhelmus à Summo Pontifice confirmatus in Antiſtitem Leodienſem, præſente Archiepiſcopo Colonienſi Conrardo *Itur ad curiã Romanam.* *Confirmatur à S. Pontifice Guilhelmus Valentinus.*

rardo, Frederico Imperatore tamen non consentiente, sed inflexibiliter fouente partes Ottonis. Pro quibus refrenandis controuersijs Rex Francorum Ludouicus iunior Romam fertur misisse Legatos, ad Frederici, & Summi Pontificis animos mitigandos, & ipsos ad vnitatis & pacis concordiam reuocandos. Qua de causa præfatus Guilhelmus noster iam Episcopus in partibus illis moram fecisse dicebatur. Interea vastabatur grauiter Episcopatus Leodiensis à vicinis prædonibus vndique emergentibus, dimicantibus enormiter inter se villis Episcopalibus, quibusdam partes Ottonis, alijs ex aduerso partes Wilhelmi tueri & confouere nitentibus: quia, vt legitur, *non erat tunc Rex in Israel, sed vnusquisque quod bonum in oculis suis videbatur faciebat.* A

Fredericus imperator fouet partes Ottonis.

Rex Francorũ dicitur studere concordiæ

Iudic. 17.

His ita se habentibus, venit Leodium Conrardus filius Frederici præfati pro parte Ottonis, eum in Cathedra Episcopali informiter intronizans, volensque vt ciues ei fidelitatem sicuti Domino suo & Episcopo facerẽt & iurarẽt, illis simpliciter & sagaciter respondẽtibus se ei promptissime & libentissime fidelitatẽ debitam exhibituros quem mater Ecclesia in Episcopum canonicè suscepisset. B

Conrardus venit Leodium & intronisat Ottonem.

Inter hæc fama discurrente Dominum Guilhelmum à Summo Pontifice Gregorio confirmatum & consecratum in Antistitem, nec existẽte qui Episcopatui interim in tribulationibus subueniret, expectabatur fere per annum nouus Episcopus à Clero & populo ardenti desiderio, sed heu quam cito voluẽte rota fortunæ fraudati sunt à Desiderio suo: cum enim idem esset venerabilis Antistes in reditu itineris tam periculosi, in damnum totius Episcopatus Leodiẽsis, in partibus transalpinis diem clausit extremum anno Domini 1239. mense Octobri, præsidente Sedi Apostolicæ Gregorio. Cuius tam obitus quam sepulturæ locus ista scribentibus huc vsque manet incognitus. C

ANNOTATIONES.

1. Pars quædam in Dominum Ottonem:] *Adstipulantur Gesta Abbatum S. Laurentij.*

2 Altera vero pars D. Guilhelmum:] *Guilhelmus inquit Brustem.* Antequã sciret de sua electione ad Episcopatum Leodiensem erat Cremonæ in præsidio pro parte Imperatoris aduersus Lombardos. Qui etiam cum sibi adiunctis burgundionibus placentinos bello vicit plurimis occisis ac vulneratis, & plus mille captis. Eaque occasione regalia sua ab Imperatore obtinuit auro sigillata ad quemcumque Episcopatum sub Imperio eum eligi contingeret, nullo certo loco præfixo. D

3. In partibus transalpinis diem clausit extremum:] *Chronicũ Tungrense asserit in lombardia villa de Bresse à cubiculario suo intoxicatum fuisse. Brustemius dubitanter de ea re loquitur, sic enim ait:* Ferebatur ab aliquibus quod à cubiculario suo in villa de Bressa regionis Lombardiæ dato veneno fuerit extinctus.

4. Hucus-

A 4. Hucusque manet incognitus:] *Aegidius in annotatione marginali sic habet.* Sed postea transportatus est in Sabaudiam terram suæ natiuitatis, & in cenobio ordinis Cysterciēsis Cathacumba vocato iuxta suos parentes honorifice sepultus, qui dictum claustrum fundauerunt. *Magnum Chronicō Belgicum paulo aliter scribit.* Wilhelmus in reditu à Curia eodem anno obijt, & in Zelandia sepultus est in Monasterio Cathacumba Cysterciēsis ordinis, in solo scilicet suæ natiuitatis iuxta suos parentes, qui prædictum fundauerunt monasterium.

De electione Roberti Langonensis in Episcopum Leodiensem.

B

CAPVT CXXXIIII.

ANno igitur Dñi 1240. statuta est dies electionis noui Episcopi circa festum omnium Sanctorum.

Erat tunc tēporis in Francia Dominus Iacobus Prænestinus Episcopus, S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Apostolicæ Sedis Legatus quondam Abbas trium fontium ordinis Cystercij. Hic auctoritate sibi commissa Ecclesiæ Leodiensi sub pœna excommunicationis inhibuit, ne sine consilio suo, & assensu procederent ad electionē, cuius auctoritas valde fatigauit electores. *Iacobus Prænestinus inhibet procedi ad electionem nisi sit præsens.*

Tandem statuta die in præsentia dicti legati, electoribus in electio-
C ne desudantibus, in tres personas diuisa fuerunt suffragia, quorum nomina coram Domino legato & Capitulo deposuerunt, Robertū videlicet Langonensem Episcopum, Gaufridum Cathalaunensem Electum, fratrem quoque Domini Guilhelmi supradicti Leodiensis Episcopi. *Eligūtur tres.*

Hortatu igitur & consilio Domini Iacobi legati & maiorum Ecclesiæ Leodiēsis qui conuenerant, Dominus Robertus, Sede Langonensi resignata, eligitur 68. Episcopus vir nobilis genere, cui fratres erant Dominus Radulphus Virdunensis Episcopus, & Dominus Ioānes de Torota Balliuus Campaniæ. *Consilio Iacobi Legati Robertus Langonēsis constituitur Episcopus.*

Erat hic Robertus etiam in lege diuina satis eruditus, ingenio sagax, astutus in verbis, multis bonis decoratus moribus, & tanquam
D decoris domus Dei dilector ardentissimus, in præcipuis & pretiosis Ecclesiæ ornamentis multum extitit curiosus. *Robertus in lege diuina eruditus.*

Sed quia nemo ex omni parte beatus, fertur aliquanto tēpore maculam in gloria sua posuisse, & ambitionis & auaritiæ neuo sorduisse: cum enim in electione Remensis Ecclesiæ vnus ex pluribus esset nominatus, vt haberet abūdātius vnde partis suæ causā foueret, sedi propriæ multa fertur detraxisse, hominibus quoq; suis & domibus religiosis, & præsbiteris Episcopatus sui in exactione pecuniaria satis infestus extitisse, incōgrue dignitatē affectās, quā nō potuit obtinere, *Dilexit decorem domus Dei* *Ponit maculā in gloria sua.*

quia eam cœlestis medicus saluti eius nouerat non expedire: sed & ista non tam cupiditate propria, quam prauorum consilijs venenosis depravatus fertur exercuisse. A

Instituitur festum D. Lamberti cum ante fieret tantum eius cõmemoratio.

Hic super omnes gloriosi martyris & patroni nostri Lamberti in vniuerso orbe gloriam dilatauit. Nam instinctu diuino, & hortatu venerabilis Ioannis Decani S. Lamberti obtinuit à generali Capitulo Cysterciensi, vt per ordinem vniuersum singulis annis prædicti martyris festũ solemniter celebraretur, de quo antea simplex tantummodo fiebat commemoratio.

Cogitent omnes, & dicant quæ voluerint. Ego credo & fidenter fateor dictum Episcopum gloriosi martyris gloriam longè amplius ampliasse (qui non in vnius tantum regionis angulo, sed in omni natione quæ sub cœlo est tot milia militum eius obsequijs non inuite sed deuote in perpetuum famulantium illi acquisiuit) quam si mille militum homagia ei subiugasset. In hoc namque facto non laudis transitoriæ plumas appetijt; sed fælici sagacitate sibimet prouidit, vt sua inposterum ob hoc apud Superos esset præsentia in honore, & apud nos memoria in benedictione. B

ANNOTATIONES.

1. Hic super omnes gloriosi martyris:] *Inter alia præclara huius Roberti Gesta, duo singulariter eminent, vnum quod hic refert Aegidius, quod à generali Capitulo Cystercienſi obtinuerit, vt per ordinem qui iam per vniuersum orbem christianum dilatatus erat festum B. Lamberti martyris solemniter celebraretur, cum antea de eo tantum commemoratio fieret. Alterum quod primus omniũ festiuitatem corporis & sanguinis Domini per Diœcesim Leodiẽsem, cum antea nusquã celebraretur, fieri mandauerit. De cuius festiuitatis prima & vera origine, progressu & varijs gratiis, quibus illam Summi Pontifices exornarunt ex historijs & documentis autenticis breuem commentarium aliquot capitibus distinctum conscripsi, quem, ne filum hystoriæ nimium interturbarem, sub finem huius tomi reieci.* C

2. *Anno 1242. hic Robertus consecrauit Ecclesiam Prædicatorum Leodij vna cum Guidone Cameracensi, ac Rasone quondam Laudunensi ipsis Idibus Augusti, vt notat Codex Aegidij aureæ vallis in margine. Et consonant originales literæ ipsius Roberti Episcopi, quas Prior domus Prædicatorum nobis videndas exhibuit, in quarum sigillo, in vna parte est imago ipsius Roberti Episcopi sedentis in Cathedra, cum inscriptione in circunferentia, Robertus Langonensis Episcopus Leodiensis; in altera parte est imago eiusdem Episcopi flexis genibus & manibus iunctis orantis, cum inscriptione in circumferentia sigilli, Miserere mei Deus.* D

3. *Eodem anno, secundum Gesta Abbatum S. Laurentij, Robertus Episcopus Leodiensis celebrauit Synodum in Capitulo Leodiensi, in qua facta est controuersia inter Abbatem Gemblacensem, & Abbatem S. Trudonis, super sedibus eorum, quæ sic determinata est.* Robertus Dei gratia Episcopus Leodiensis vniuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis in Christo salutem. Quoniam labentium temporum cursus eorum, quæ geruntur, memoriam

moriam non seruant contra obliuionis incommodum, prouidendũ
A est remedio scripturarum, ne quæstiones concordia vel iudicio terminatæ, in recidiuæ quæstionis scrupulũ relabantur: Hinc est quod cum coram nobis in Synodo nostra Leodiensi contentio verteretur inter Abbatem S. Trudonis ex vna parte, & Abbatem Gemblacensem nostræ Dięcesis ex altera super sedibus eorum in nostra Synodo statuendis; præsente Venerabili Patre B. quondam Episcopo Lãsensi Præposito, Decano, Archidiaconis Leodiensibus, de consilio & voluntate quamplurimorum aliorum Leodiensis Diœcesis per sententiam definiendum pronunciamus Præpositum S. Lãberti ad dextrum, & Abbatem Gemblacẽsem ad sinistrum, & immediate Abbatem S. Trudonis debere sedere, & post dictum Abbatem, Abbatem
B S. Laurentij Leodiensis. Datum & actum feria quinta post Trinitatem anno Domini 1240. *Has literas seruat Abbas S. Trudonis.*

De siccitate quæ Roberti tempore accidit, & miraculo beatæ Mariæ virginis.

CAPVT CXXXV.

C TEmporibus huius Roberti facta est siccitas immensa, ita vt fructus terræ ab omnibus pene desperarentur, cõuenientibusque in vnum senioribus Cleri & populi, de communi consilio diuinam clementiam decreuerunt exorandam, & ieiunio triduano indicto, trinam processionem ab omni Clero & populo nudis pedibus & in laneis celebrari statuerunt, scilicet feria secunda, & quarta, & sexta. *Indicitur triduanũ ieiuniũ & trina processio.*

Conueniẽtibus igitur cunctis in Ecclesia beati Lamberti, assumptisque Sanctorum reliquijs cum corpore beati Theodardi Episcopi & martyris, & Sanctæ Madelbertæ virginis cum diuinis laudibus, & lachrymosis supplicationibus, ad Ecclesiam Apostolorum prima die perrexerunt, secunda ad sanctum Leonardũ, 3. ad sanctum Ægi-
D dium.

Cumque prima die, scilicet feria secunda adhuc esset in Ecclesia Apostolorum missa celebrata, quidam Sacerdos Deo dignus vidit in visione chorum Sanctorum Apostolorum vna cum beato Theodardo quasi orationi incumbentem diuinam exorare clementiã. Gloriosam quoque virginem quasi precibus eorum contradicentem, eo quod in ipsa processione Clerus de ea solemnem non fecisset cõmemorationem, sed quando in processione solemnis de ea fieret cõmemoratio, scirent procul dubio preces eorum à filio suo clementer exaudiri, & plebis infortunio misericorditer subueniri. Quid plura? Iteratur processio feria 4. pergiturque ad S. Leonardum & *Visio viri sancti.*

 comme-

Duplicatur cõmemoratio B. Mariæ virginis & ex tēpore obtinetur pluuia.

commemorationem beatæ virginis, quam in processione pristina A omiserant, duplicata deuotione resumunt, inchoantes voce dulcisona antiphonam beati Bernardi *Salue Regina*, vbi protinus affuit diuina clementia, ille siquidem fons, & fluuius misericordiæ, qui de vteri virginalis egressus est paradiso ad irrigandam vniuersam terrã, noluit genitricis suæ laudatores diutius fraudari desiderio suo, sed vehementi inundationis impetu lætificauit Ciuitatem suam. Cum enim paulo ante mira extitisset aëris serenitas, subito tanta inundatio pluuiæ erupit, vt fere omnes qui in ipsa processione aderant hac illacque dispergeret ad petenda tegminis beneficia. Meritis ergo & precibus gloriosæ virginis, & beati Theodardi & Sanctorum cœlum dedit pluuias, & terra dedit fructum suum, & *omnis plebs vt vidit, dedit* B *laudem Deo*, qui est benedictus in sæcula. Nomen vero prædicti Sacerdotis ipso superstite ex industria reticemus, ne ipsi verecundiam generemus, & ne nos ab ipso tanquã secreti delatores iudicemur; Scietur tamen, Deo disponente, in tempore oportuno: laudabitur enim Ducis virtus, sed cum peruenerit ad triumphum: nauigantis quoq; fœlicitas, sed cum venerit ad portum. Tunc enim laudantem inquinare non poterit adulatio, nec laudatum elatio.

ANNOTATIONES.

Temporibus huius Roberti:] *Adstipulantur Gesta Abbatum S. Laurentij quæ eandem hystoriam pene de verbo ad verbum referunt, sicut & Magnum Chronicum Belgicum.* C

De eius obitu & sepultura.

CAPVT CXXXVI.

Moritur fossis

POstquam Robertus in magna securitatis & pacis tranquillitate per aliquot annos rexisset Episcopatum, apud Castrum Fossense in contritione maxima, & deuotione, fine bono quieuit in Christo anno Domini 1246. præsidente Sedi Apostolicę Innocentio 4. 17. Kalend. Nouemb. & in Alna monasterio Cysterciensis ordinis D honorifice sepultus est.

Alnæ sepelitur.

Processu vero temporis per manum Reuerendi viri Stephani Abbatis Clareuallis, de Alna ad Claram vallem transfertur, vbi prius sepulturam elegerat, dum Sedi præesset Langonensi, & ibidem ante altare sancti Andreæ sepelitur. Floruit idem Robertus sub Apostolicis Hugone, qui & Gregorius nonus: Iofrido, qui & Celestinus 4. Senebaldo, qui & Innocentius 4. vacauitque Episcopatus fere per annum.

Transfertur in Claram vallem.

ANNO-

A

ANNOTATIONES.

Adstipulatur his omnibus Magnum Chronicon Belgicum. Hoc eodem anno *(inquit idem Chronicon)* 1. 1246. obijt pia Christi virgo Lutgardis de Tūgris Leodiensis Diœcesis, cuius corpus iacet in cœnobio de Aquiria monialium Cystercienſis ordinis prope Bruxellam in Brabantia Cameracensis Diœcesis.

B

De electione Henrici tertij Fratis Comitis de Guelria.

CAPVT CXXXVII.

Roberto igitur Pontifice viam vniuersæ carnis ingresso, præficitur Ecclesiæ Leodiensi Henricus tertius huius nominis, ætate adolescens, forma egregius, genere nobilissimus, frater videlicet Ottonis Comitis Guelriensis, quem præfecit Petrus dictus Caputius diaconus Cardinalis S. Gregorij ad velum aureum, & legatus S. Romanæ Ecclesiæ, anno Domini 1247. sexto Calendas Octobris: de quo quid scribere debeamus, certum nundum habemus, præter C id quod satis dignum memoria duximus, videlicet, quod vsque in finem *anni Domini 1251.* quando calamo silentium imposuimus Episcopatum rexerit adolescens, & incōsecratus, & quod Ecclesiæ Romanæ filius & fautor extiterit fidelissimus. Cui ad honorem Ecclesiæ Leodiensis conferat Omnipotens odium iniquitatis, & incrementa virtutum Amen.

Petrus Caputius Legatus sedis Apostol. præfuit Ecclesiæ Leodiensi Henricus huius nominis tertius.

Henricus Episcopus Ecclesiæ Romanæ filius & fautor fidelissimus.

ANNOTATIONES.

Quem præfecit Petrus dictus Caputius Diaconus Cardinalis:] *Adstipulantur Gesta Abbatum S. Laurentij his verbis.* Interim Frederico Imperatore Romanam Ecclesiam in manu valida persequente, Papa D in adiutorium Ecclesiæ alium Regem eligi disponebat, & vt circa locum ad eligendum Reges antiqua consuetudine deputatum auxilio compareret, wilhelmum Hollandiæ Comitem, Henricum fratrem Comitis Guelriæ ex duabus sororibus Ducis Brabantiæ procreatos, vnum in Regem, & alium in Leodiensem Episcopum concipit sublimare: Horum promotionibus per Petrū Caputij Diaconum Cardinalem S. Georgij ad velum aureum, quem Papa ad hoc delegauerat, procuratis.

A

Conclusio auctoris.

CAPVT CXXXVIII.

DE cætero rogamus vos dilectissimi Ecclesiæ Leodiensis familiares nostri & amici ista lecturi, ne ea tanquam à ruricolis agrestibus fabarum & olerum comestoribus edita oculo obliquo & corde stomachanti respiciatis; sed tanquam à filijs vestris balbutientibus & idiotis Aureæ vallis totis visceribus Ecclesiæ vestræ gloriam & honorem affectãtibus stylo simplici prolata, spiritu quoque simplici recipiatis, & quicquid in eis superfluum inueneritis aut B
vitiosum, discretionis vestræ lima corrigatis, iterum atque iterum flagitantes quatenus pauperum amicorum vestrorum vestri iugiter memorum, vestra charitas immemor nequaquam existat. *Insipientes*
2. cor. 11. *facti sumus ista scribendo, sed vos coegistis nos.*

FINIS.



IOANNIS HOCSEMII A

VITA EX EIVS SCRIPTIS.

IOannes Hocsemius patria Leodiensis in parochia Hugardiensi natus fuit anno Domini 1278. mense Februario, vt ipse de se loquens testatur huius libri cap. 11. his versibus.

Mille duceanteno bis quarto septuageno
Anno sum mundo natus sub mense secundo.

Hic ingenio acri, aperto, & lepido praeditus, vt passim videre est in eius scriptis, B
cum humanioribus literis, artibus arithmetica, Geometria, poëtica, philosophiæ, & iurisprudentiæ Louanij, & Aurelijs insignem nauasset operam, publice ius professus fuit, & tandem Canonicus & Scholasticus Leodiensis, nec non Ecclesiæ D. Petri Leodiensis Præpositus effectus. Cum Leodij sub id tempus bella intestina perstreperent, iussu Adolphi & Engelberti à Marcka Pontificum Leodiensium, nec non Capituli Leodiẽsis multas iuris infirmationes pro tuitione iurisdictionis Ecclesiæ Leodiensis, nec non varias Epistolas ad summum Pontificem, Cardinales, Regem Galliæ, Ducem Brabantiæ, & alios scripsit: pluresquoq; Legationes ad eosdem feliciter obiuit. Scripsit quoq; diligenter varia opuscula, & in his Digitum florum vtriusque iuris sub ordine alphabeti, Flores auctorum & philosophorum, nec non Gesta Pontificum Leodiensium ab Henrico Geldriensi, in quo Aegidius Aureæ vallis desiit, vsq; ad Engelbertũ C
à Marcka

Et ea quidem quæ sua tempora præcesserant ex libris, monumentis, & chartis Ecclesiæ Leodiensis recolligens breuiter scripsit: verum quæ suo tempore acciderunt, Gesta scilicet Adulphi & Engelberti à Marcka, sicut sibi optime perspecta, ita etiam liberiore calamo vere, & plene, fuseq; depinxit. Idemq; sicut litteris, ita & pietati, & cultui Diuino non parum deditus fuit. Monstrat hoc semicapella, quam in Ecclesia Leodiensi extruxit, & dotauit, vt ex his versibus in eadem capella muro affixis adhuc hodie videre est.

Hocsem quem Genuit Io. Struxit semi capellam
Hanc aquilæ solus dotando Scholasticus aram
Præpositus sancti Petri legumque professor
Centum ter decies Domini ter quinque ter annis D
Donati festo fuit ara sacrata Ioannis.

Desiit scribere anno Domini 1348. mense Iunio. Qui deinde Chronica Leodiensis Ecclesiæ scripserunt, sua illius auctoritate confirmant, Auctor, seu Collector Magni Chronici Belgici, Bruistemius, Placentius, Kratepolius, &c. & alij.

A IOANNIS HOCSEMII CANONICI LEODIENSIS LIBER PRIMVS COMPLECTENS

GESTA PONTIFICVM LEODIENSIVM AB HENRICO GVELRENSI, VSQVE AD ADVLPHVM à Marcka.

B

PROEMIVM LIBRI.

Cap. I.

CVm à promotione bonæ memoriæ Henrici de Geldria huius nominis tertij Leodiensium Episcopi, vsque ad præsens dum cœpi denigrare papyrum, cursus annorum octuaginta septémque defluxerit, quibus in nostra contigêre diœcesi mirabilia multa, Gestaque famosa, præsertim Adulphi de Marcka in præsentiarum Leodiensium Episcopi, digna memoriæ commendari: satis miror, quod ab exordio Tungrensium, Traiectensium, & demum Leodiensium, Gestis Pontificum vsque ad præfati Henrici tempora vrbanè C digestis, descripta sequentis historia temporis in publicum non processit.

Sed vt dicit Seneca in proëmio declamationum *quotidie decrescunt ingenia, & nescio quâ iniquitate naturæ se retro tulerit eloquentia. siue luxu temporum, siue cum præmium rei pulcherrimæ cecidisset, translatum est certamen ad turpia, quæstu ingentia; nec in vnius rei labore, nisi lucri forte gratiâ vigilatur: &* *Quare pauci scribant.* *enim scripta legantur à paucis, laborãtis in vanũ manus se retrahit à scribendo.* Marnarius. *Quæ scribuntur, à paucis leguntur, dum dicuntur vera, vix creduntur.* &c. *Marnarius.* vnde quidam versificator sic intulit.

Si veluti quondam scriptor, vel scripta placerent,
In noua scribendo multi velut ante studerent.

Ingenioli siquidem proprij considerans paruitatem, & balbutiẽ D tis linguæ defectum, dum acta temporis mei, lapso iam triẽnio scribere decreuissem, timens detractoris, vel potius deridentis dente morderi, opus aggredi non audebam: tandem considerans quod *liuor alta petit infima spernens*, & idcirco nullus ad inuidiã styli tantusculi debeat incitari, malens *cum pauperculâ æs minutum in corbanam mittere,* *Mar. 12.* 1. XXIIII. q. I. c. odi, Lucæ XXI. Marci XII. quam steril i vola templi visitare limina; & mentis conceptum conatu quodam depromere vagiendo, quam cæteris promptioris ingenij laborare nolentibus, meritò recitanda tacere. *Homero namq; bono dormitante quandoq;, scribit raucus* *Luc. 21.*

Theseida Codrus, hoc est, historiam Thesei. Vnde scribit Iosephus. *Quidam me doctrina superant, voluntate vincuntur.* A

Igitur ex diuersis quaternulis quædam corruptè narrata, in distinctionibus maximè temporum, quibus acta dicuntur; & ex aliorum Gestis regnorum, quæ mea tempora præcesserunt; nec non de libro chartarum Ecclesiæ nostræ (ex datâ quarum plerumque temporum digestorum veritas indagatur) inter vrticas rosam quæritans, non sine sudore, quo verius potui, hoc opusculum compilaui. Vbi vero præcise non potui Gestorum tempora reperire, conijciens tamen ex diuersis, quibus annorũ spatijs oportuit euenisse, anni loco sic ponam, his temporibus, vel huius Episcopi tempore talia contigerunt. B

Vnde hausit auctor quæ scribit.

Diligenter annotat Gestorum tempora.

Et ne circa discretionem temporum, præcedentis videlicet, & sequentis, error quicquam valeat perturbare, attendendũ est, quod à tempore cuius memoria non existit annorum natiuitatis Domini cumulatio, siue cuiuslibet anni succrescentis initium in cereo consecrato paschali, hactenus appensâ depingi tabulâ consueuit, & ab illâ horâ annus dominicus inchoabat. Sed quia Romana, & Colonięsis Ecclesiæ Leodiensis metropolitica sedes, in die Natalis Domini annorũ ponebant principia singulorum; cuiusmodi diuersitate plures occurrebãt difficultates, & frequentes errores, ne diutius in hoc irrationabiliter membrorũ à capite discreparet, statutum est, vt in natiuitate Domini nuper præterita, qua 1333. vsq; ad pascha sequẽs scribi iuxta morem pristinum debuisset, anticipando tempus anni deinceps initium capiatur. Hac ergo supputatione, anno Domini 1334. mense Februario, calamum, vt præconcepta depingerem, apprehendi. C

Annus deinceps à natiuitate Domini inchoatur.

Quo ãno cæpit Hocsem scribere.

ANNOTATIONES.

1. Satis miror quod ab exordio Tungrensium, Traiectensium, & demum Leodiensium Gestis Pontificum vsque ad præfati Henrici tẽpora vrbane digestis:] *videlicet per Harigerum, Anselmum, & Aegidium Aureæ vallis, quorum scripta hactenus prosequuti sumus.*

2. Descripta sequentis historia temporis in publicum non processit:] *Ioannes Præsbiter, qui floruit circa annum Domini 1350. conscripsit Gesta Pontificum Leodiensium, orsus quoq; cum nostro Hocsemio ab Henrico de Geldria sic enim ille in præfatione sui libri.* Cum mihi Ioãni Præsbitero auctori quarti libri Gestorum Põtificum Leodiensium affectus deuolutus esset audire & legere vitas sanctorum, & super hoc me supplicãte à quibusdam personis religiosis Ecclesiasticis quandoque mihi de vitis sanctorum quamplurima volumina concessa fuissent, accidit quod inter ea liber Gestorum Pontificum, quem Dominus Aegidius Aureæ vallis monachus Cysterciensis ediderat, in manus meas cecidit. In quo quidem libro quidam alter, quam dictus Aegidius, etiam Aureę vallis monachus, & ex vrbe Legia natus, conscripserat metrice Gesta D

A sta Henrici Geldrensis Leodiensis Episcopi. Quæ cum legissem ecce mox meus animus ad hoc deuolutus est, quod dicta metra in Historiam redigerem, & vna cum ipso nuda Gesta dictorum Pontificũ conscriberem. *Hactenus ille; verum Hocsemius pluribus rationibus à nobis prælatus fuit, & typis in lucem editus. Primum enim illum tempore præcedit, & viciniora ætati suæ conscribit; cœpit enim (vt loquitur hoc capite) denigrare papyrum, scribendo videlicet, octuagesimo septimo anno à Morte Henrici de Geldria, floruit namque sub Adulpho à Marcka anno 1312. Cum Ioannes presbiter floruerit demum anno 1350. vt statim diximus. Deinde Hocsemius, vt pote Scholasticus Leodiensis à se Gesta pleraq; omnia certissime scribit: ille ab alijs Gesta, & per alios scripta minus certa cõpilauit. Tandem Hocsemius eruditione & eloquentia clarissimus latine etiã, diserte, & eleganter quæ concepit describit: ille ita barbare & obscure, vt quid velit plerisq; in locis magis suspicari liceat, quam intelligere. Vt merito veteres Codices Monastery Tungrensis, Groesbeckii, & aliorum post scripta Aegidij Aureæ vallis, non Ioannis presbiteri, sed Hocsemij scripta subnectant, sicut & nos hic facimus.*

B

3. Raucus Theseida Codrus:] *Codrus fuit rudis Poëta, & ideo dicitur raucus. Sic Iuuenalis poëma suum incipit.*

Semper ego auditor tantum nunquamne reponam
Vexatus rauci toties Theseide Codri.

C

De electione Henrici Geldrensis 69. Episcopi Leodiensis, consecratione summi altaris Ecclesiæ sancti Lamberti, & quibusdam externis.

CAPVT II.

ANno Domini 1246. bonæ momoriæ Roberto Leodiensi Episcopo viam vniuersæ carnis ingresso, propter discordiam electorum vacante Leodiensi sede per annum, Frederico huius nominis Imperatore secundo iam ante biennium per Papam Innocentium quartum imperio destituto, & Lantgrauio Thuringiæ per procurationem & mandatum eiusdem summi Pontificis in Regem D Alamaniæ coronato, & cito post ab hac luce substracto; Frederico Romanam Ecclesiam in manu valida persequente, Papa in adiutorium Ecclesiæ alium Regem eligi disponebat, vnde prudenter considerans ad propositum posse suum peruenire facilius, si circa locum ad eligendos Reges antiqua consuetudine deputatum auxilia compararet: Wilhelmum Hollandiæ Comitem, & Henricum Fratrem Ottonis Comitis Geldriæ ex duabus Ducis Brabãtini sororibus procreatos, vnum in Regem, & alium in Leodiensem Episcopum cõcepit sublimare. Horum namque progenies ab antiquo proauorum claro regali semine propagata, & stipata militari potentia diuiti, electionis Regiæ locum, vrbem Aquensem videlicet, propinquior ambiebat

Henrici Episcopi genus.

Sũmus Pontifex procurat electionem & confirmationẽ Henrici Episcopi & quare.

 biebat

biebat, vnde promotionibus horum per Dominum Petrum Caputij, A sancti Georgij ad velum aureum præsbyterum Cardinalem, quem ad hoc Papa delegauerat, procuratis, Henrici huius per Conradum Coloniensem Archiepiscopum electio confirmatur; & à S. Materno 69. B. Lamberto 41. Episcopus finaliter numeratur.

Henricus dispensatur ne fiat sacerdos & administrat.

Anno ergo Domini 1247. sexto idus Octobris, hic iuuenis moribus & ætate, sub duobus Apostolicis, Innocentio prædicto, & Alexandro 4. ante consecrationem suam, Leodiensem dispensatiue rexit Ecclesiam, ad sacerdotium non promotus. Cum igitur Aquenses moniti per Papam vt electionem Regis admitterent, & in hoc sibi per contumaciam rebellarent, eorum, propter hoc, loco cum incolis interdicto, & demum contra ipsos tanquam fautores Frederici, B sicut asserebat, hæretici, & inimicos fidei, in remissionem suorum Christi fideles peccaminũ viuificæ crucis insigniri charactere, prædicationibus inuitasset; Idem Wilhelmus signo sibi crucis assumpto cum cæteris vrbem prædictam cum legato, & ducentis ferme millibus ex diuersis prouincijs collectis sub anno Domini 1248. mense Mayo Aquis per sex menses potenter obsedit. At Aquenses animose sua mœnia defendebant, Fredericum in suum adiutorium, velut arturum cum Britonibus expectantes. Tunc vbi flumen vrbem pertransiens effluit, agger immensus erigitur, quo recalcitrante percussum paulatim regurgitare cogitur, loci submersionem incolis minitando: sed caute Ciues hauritorijs cito rotis ad remedium præparatis, ad partem aptam eminentia fluminis deriuantes, aduersariorum C ingenia deludebant. Sed tandem per sex menses inediâ fatigati, certis Electo pactis portas aperiunt, cum amplius resistere non valerẽt. Eodem anno Calendis Nouembris die dominico, adhuc Frederico

VVilhelmus in Regem Romanorũ coronatur

viuente, & tunc ad hoc misso Guiliermo sanctæ Sabinæ Pontifice, Cardinale, Ecclesiæ Romanæ legato, Electus in Regem Alamaniæ coronatur.

Anno Domini 1248. tertio idus Maij in die Ascensionis Domini sanctus Ludouicus Rex Franciæ, Rex Cypri, cum legato sedis Apostolicæ, Achaiæ & quam pluribus Prouinciarũ Principibus, muniti crucis almæ signaculo, trãsfretare cœperunt in subsidium terræ sanctæ. Deinde tertio idus Iunij sexta feria, obsident Damiatam: Dominica vero sequẽti, Turcis Damiatæ custodibus, nescitur quo casu, perterritis, relictis omnibus aufugerunt, captaque taliter ciuitate post D paululum Rex Ludouicus suis amissis capitur: sed paulo post immẽso redemptus pretio, spe frustratus ad propria remeauit.

Maius altare Ecclesiæ Leodiensis quanta solemnitate cõsecratum.

Anno Domini 1250. Calendis Maij, à Petro Rhotomagensi Archiepiscopo Apostolicæ Sedis legato maius altare Leodiensis Ecclesiæ, Rege Wilhelmo; Cifredo Maguntino, Arnoldo Treuerensi, & Conrado Coloniensi Archiepiscopis, nec non Iacobo Metensi, Gangerico Cathalanensi Episcopis; & Electo Leodiensi Henrico præsentibus, in honorem B. Mariæ semper virginis, sanctique Lamberti

A berti martyris consecratur.

Hæc circa tempora Henricus electus contra Mosonium Archiepiscopij Rhemensis oppidum exercitũ congregauit, occasione cuiusdam turris per Archiepiscopum editæ, quæ terræ Bullonij nocumẽta ferebat: sed iuuenis adhuc Electus Comitis Lossensis dicitur blanditijs infecto negocio remeasse, cum iam in foribus oppidi deditio videretur.

Henricus Episcopum Mosonũ obsidet, sed à Comite Lossensi deluditur.

Anno Domini 1251. Cum Fredericus secundus Imperator Parmã ciuitatem sibi magis exosam fortiter obsideret, per Legatum sedis Apostolicæ, Parmensium adiutorio, perditis omnibus, quæ secum adnexorat, vincitur, & fugatur: Qui non multo post graui morbo correptus in Apulia debita naturæ persoluit.

B Eodem anno obijt Guilhelmus Comes Flandriæ sine liberis, cui Guido eius Frater successit.

Eodem anno Conradus Rex Alemanniæ, Filius Frederici secundi Imperatoris: quem viuens huic regno præfecerat, ipso mortuo, vt regnum Siciliæ patris sui susciperet, per mare venit Apuliam, & capta Neapoli, muris eius destructis, anno sequenti cum infirmari cœpisset, miscente venenum proditore decessit.

Anno Domini 1252. mense Nouembri moritur Regina Franciæ Blanca Filia Regis Castellæ, eius filio sancto Ludouico adhuc in trãsmarinis partibus existente. Ista Blanca, de qua multi garriunt, fuit mulier magnanimis; sed quia filij sui patre orbati octauo anno ætatis suæ existentis, contradicentibus Duce Burgundiæ, & Petro, dicto malo clerico Comite Britanniæ, cum eorum fautoribus quasi omnibus regni Francorum proceribus, tutelam administrabat; cõpulsa fuit sedis Apostolicæ & Innocentij Papæ quarti postulare auxilium, nec non vocare de transmarinis partibus Ioannem Filium Comitis Viennæ, Regem Hierosolymorum ad custodiendum cum ipsa Francorum regnum. Cuius rei proceres inuidia excitati, contra eam furtiue libellos diffamatorios spargentes in vijs & plateis, detractionis improbissimæ excitauerunt scandalum, vt castissimæ reginæ imponerent velut commune carnis ludibriũ. Quod Dominus inultè diutius non sustinuit, quoniam ipsa omnes inimicos suos bellis attriuit, & humiliauit, semper præsens inter bellatores, & in diuersis partibus nouem victorias obtinuit; Auinionem ciuitatem & Prouinciam cepit. Tandem ingressa ordinem Cysterciensem Fœliciter migrauit ad Christum, in monasterio Mali duni Diœcesis Parisiensis, quod ipsa dum viueret fundauerat nobilissimè, sicut in præsenti videtur.

Blanca Regina Franciæ mater S. Lodouici moritur.

Castissimæ Reginæ imponitur commune carnis ludibrium.

Deo vindice triumphat & bellis atterit omnes aduersarios.

Ingreditur ordinẽ Cysterciẽsẽ & fœliciter migrat ad Dñm.

C … D (margin letters)

Eodem anno manfredus Imperatoris Frederici naturalis filius, Conradini eius nepotis ex Conrado suo filio dudum sub patre Rege Alemaniæ pædagogus, hæredem regni Siciliæ mortuum falso publicans, Conradinum, sibi regni eiusdem imposuit diadema; Cuius tãdem dominium obtinuit cum thesauro. Propter hoc in præiudicium

Excommunicatur ab Alexandro Papa.

Ecclesiæ Romanæ patratum, ab Alexandro Papa excommunicatur, A
& contra ipsum magnus exercitus nihil proficiens destinatur.

ANNOTATIONES.

1. Frederico huius nominis Imperatore secundo iam ante biennium per Papam Innocentium 4. imperio destituto:] *Porro causa depositionis principales in Conc. Lugdunensi exprimuntur & habentur c. ad Apostolica. De sent. & re iud. in 6. videlicet* periuriũ, Pacis reformatæ frequens violatio, dñorum Cardinalium captiuatio, multorum prælatorum submersio. Quod insuper prælatos ab Ecclesiarum regimine destituit, cruces aureas, thuribula preciosa, & calices, pãnos aurifrygiatos, & sacros Ecclesiarum thesauros diripuit, clericos angarijs, & perangarijs afflixit, qui non solum trahebantur ad iudicia sæcularia, sed B
& cogebantur subire duella, incarcerabantur, & decollabantur, & in patibulis suspendebantur; papales sententias se non curare asseruit. Nomen Mahometi in templo Hierosolymis in sua præsentia venerari, & proclamari permisit; & familiaritate detestabili Sarracenis coniunctus, ipsos in quotidianis obsequijs tenuit: possessiones Ecclesiæ Romanæ, scilicet Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoletanum, Beneuentum in Apulia Archiepiscopatum habentem 24. Episcopos Suffraganeos diruit, & alias Thusciæ ciuitates. Præterea iniquitatem in excelso locutus est, ponens in cœlo os suum: dixit enim audiente Lantgrauio Henrico: tres seduxerunt totum mundum, Moyses Hebræos, Iesus Christianos, & Mahomet Sarracenos: C
Quamobrem si Principes institutionibus meis assentirent, ego multo meliorem modum viuendi, & credendi cunctis nationibus ordinarem. Hoc postremum diluit ipse Imp. apud. Pet. de Viue. 1. cap. 31.

2. Papam Innocentium 4] Iste Innocẽtius ante Sigebaldus filius fuit Dñi Ghiberti de Flisto Comitis Louaniẽsis, Ianuẽsis natione, nobilis & litteratus valde in vtroq; iure, vt apparet in glossis super decretales, quas existens Senonis per nouẽ annos de omnibus dubijs, & quæstionibus iuris sui tẽporis, cum peritissimis disputando compilauit. *Hæc Hocsemius in Marginali annotatione.* C

3. Et Lantgrauio Thuringiæ:] *De hoc sic habes in additionibus ad Lambertum Schafnaburgensem.* Anno Domini 1247. Henricus Lantgrauius Thuringiæ Rex eligitur: qui electus in Regem, iuxta Rhenum cum magno exercitu cum Conrado filio Frederici quondã Imperatoris conflixit, & eum cum suo exercitu apud Franckfurt vicit & fudit. Eodem anno præfatus Lantgrauius post secundam profectionem in Sueuiam, ad propria reuersus, immatura morte obijt perfluuio vẽtris, sepultus iuxta Ysenachum.

4. Aquenses per contumaciam rebellarent:] *Meyerus sic paucis rebellionem & tandem deditionem aquensium describit.* Guilhelmus, *inquit*, Hollandus, quem diximus Cæsarem designatum, opum suarum quærẽs firma-

A firmamentum, duxit vxorem filiam Otthonis Ducis Brunonicensis. Aquisgrani vrbem Frederico deuinctam sub calend. Mayas obsedit. quam coëgit tandem ad deditionem, redimitusque est ibi, de more, prima imperiali tyara, die primo calend. Nouembrium. *Hactenus Meyerus. Quanta vero in coronatione istius Guilhelmi facta fuerit solemnitas, qui principes tum Ecclesiastici, tum saculares huic electioni, & summo Pontifici fauentes interfuerunt, si quis nosce desiderat, legat Chronicum Gemblacense.*

5. S. Ludouicus Rex Fráciæ:] *Hāc & secundā ad terrā S. Ludouici profectionē sic paucis describit Molanus in natalibus SS. Belgij ex horis Romanis, & Flādriæ historijs.* Lodouicus confessor Rex Franciæ, duodecim annos natus, patre amisso & in Blanchæ matris sanctissima disciplina educatus, B cum vigesimum annum attingeret, in morbum incidit: quo tempore cogitauit de recuperanda possessione Hierosolymorum. Quamobrem vbi conualuisset, vexillū ab Episcopo Parisiensi accepit, deinde mare cum ingenti exercitu traijciens, primo prælio Sarracenos fugauit. Sed cum ex pestilentia magna militū multitudo perijsset, victus ipse captus est. Rebus postea cum Sarracenis compositis, liber Rex exercitusque dimittitur. Itaque Aconem profectus, in ea Agarenorum vrbe, multos ad fidem christi conuertit: præterea aliquot Christianorum vrbes refecit suis sumptibus. Interim mater eius migrat è vita: quare domum redire cogitur, vbi totum se dedit pietatis officijs: nam multa ædificauit & monasteria, & pauperum C hospitia, beneficentia egentes subleuabat: frequens visebat ęgrotos, quibus ipse non solum suis sumptibus omnia suppeditabat, sed etiā quæ opus erant manibus ministrabat: vestitu vulgari vtebatur: cilicio ac ieiunio corpus assidue affligebat. Sed cum iterum transiuisset bellum Sarracenis illaturus, iamque castra in eorum conspectu posuisset, pestilentia decessit in illa oratione: *Introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Eius corpus postea Lutetiam Parisiorum translatum est. Ipse clarus miraculis à Bonifacio octauo in SS. numerum est relatus. *Hactenus molanus. Alia præclara eius Gesta Genebrardus in suo chronico prosequitur quibus apparet quam dissimilis fuerit Imperatoribus & regibus sui temporis perpetuo in iurisD dictionem & iura summo Pontifici debita inuolantibus. Sic enim ille* Ludouicus multa in Regni vtilitatem instituit: dignitates & officia noluit esse venalia: blasphemis & in vanum iurantibus nomen Dei, cauteriū in fronte inussit: lupanaria prohibuit. Vetuit magistratibus in toto suæ iurisdictiōis tractu aut fundos emere, aut liberis sacerdotia procurare, aut eos collocare nuptui: histriones aula exegit; multa cœnobia, & valetudinaria partim condidit, partim instaurauit, & ditauit: beneficia Ecclesiastica noluit conferre, sed ius illud restituit collatoribus ordinarijs iuxta antiquos Ecclesiæ canones. *Gagu. lib. 7. Chronic. Frant.*

Cum ei instituendi pastores à Pontifice potestas facta fuisset, ad idque diploma Legatus Roma rediens, attulisset. Quod mea, inquit, Romæ

Romæ negotia strennue obieris, laudo, quod mihi à Pontifice munus hoc retuleris, non probo. Intelligo enim quanto cum periculo animæ meæ, & regni id susciperem: ac protinus diploma in ignem coniecit. *Broimard. Cancel. in eius vita.* A

Dominus Ludouicus nolebat se immiscere collationibus sacerdotiorũ, dicens: sat mihi est coram Deo de temporalibus mihi creditis, non etiam spiritualibus rationem reddere. *In libello virga directionis pag. 32. Scripsit nostro tempore vitam eius Clictouaus anno 1516. potißimum (vt ait) ex opusculo Godefridi de Bello loco ordinis Prædicatorum, qui viginti annis confeßionum sancti Lodouici fuit auditor. Clictouaus cum bulla canonisationis excusus est Parysiis. Vide quoq; si placet, Surium pag. 906.*

6. Maius altare Ecclesiæ Leodiensis:] *Adstipulatur Ioannes Præsbiter, & Chronic. Gemblacense.* B

7. Fredericus Imperator debita naturæ persoluit:] Anno Domini 1250. Fredericus Imperator in quadã ciuitate in Apulia mortuus est, &(*vt inquit Antonius*) per Manfredum filium suum illegitimum cusino super eos posito suffocatus. *Vide quoq; Chronic. Citisense.*

8. Conrardus Rex Alemanniæ:] Conrardus audita morte patris cum grandi militum copia profectus, regnum Apuliæ velut hæreditarium ingressus est, & cum illud pacifice suscepisset, proximo deinde infirmatus anno, à medico, qui eum curare debuerat, Manfredo fratre suo insidiante, venenum pro remedio datum suscipiens, mortuus est. *Ita Chronic. Citisense.* C

De varijs dissentionibus & tumultibus qui initio Episcopatus Henrici in ciuitate Leodiensi acciderunt.

CAPVT III.

Villicus & Scabini proscribũt famulum Canonici S. Crucis.

ISTis temporibus inter Clerum & laicos primum, deinde inter populum & insignes est exorta dissentio; & demum soli populares commouentur contra Electum, Canonicos, & insignes. Nam cum Famulus cuiusdam Henrici Canonici sanctæ Crucis quendam enormiter vulnerasset, & ne caperetur ad Ecclesiæ confugisset asylũ, villicus & Scabini hunc contra Canonicorum priuilegia proscripserunt; & propter hoc excommunicantur, & supponitur Ciuitas interdicto. Et cum nec ad instantiam Electi vellent, quod fecerant, reuocare, Rex Wilhelmus Traiecti tunc residens anno Domini 1252. Idibus augusti, super hoc facto mandat inquiri, sicut hoc patet in libro chartarum. Et inquisitione facta, productisque priuilegijs, Rex istorum reuocauit sententiam Scabinorum: ipsis mandans, quatenus dictum famulum pristino perfrui patiantur honore; sed per eos mandatis regalibus non paretur. Et cum villicus Aquensis Leodium D

Rex Wilhelmus aduertens lædi priuilegia cleri iubet reuocari sententiã Scabinorũ.

A dium casu veniens, quendam forte sibi cerneret inimicũ in foro publico hunc interficiens, ipsum, nullo detinente, equum scandens liber abscessit. Hinc magnus clamor popularis exoritur, quod libertas loci deperit propter negligentiam præsidentis: quod percipiens electus, qui tunc aberat, Leodium properat; Clero, maioribus, & popularibus conuocatis, coram cunctis proposuit, quod ex alto dominio paratus erat sic delicta corrigere, quod in vnam simul diues & pauper possint conuiuere ciuitatem, & hoc populo postulante; è contrario villicus, & Scabini, ac Insignes volunt quod omnia fiant Iudicio Scabinorum. Interim quodam de populo clamitante, cum per Archidiaconum silere iussus, nec sic latrare desisteret, hunc virga percussit, qui furibundus recessit vociferans quod Clerus Burgẽ- B ses interficere niteretur; & currẽs ad arma cognatos congregat, cãpanæ pulsantur, magnusque tumultus oritur in plebeis: Percussus ostia nititur infringere percussoris, sed recessit prohibitus per amicos. Iam electus aufugerat obserando ostia, & audito strepitu campanarum, Canonici mensis aufugêre relictis. Hinc electus, & Clerus commoti, ciuitate relictâ, & interdicto suppositâ, recesserunt bona sua secum, & thesauros Ecclesiæ deportantes, vnde planctus Hieremiæ meruit recitari. *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo, facta est quasi vidua Princeps Prouinciarum & Domina gentium sub tributo.*

Villicus aquensis ciuem occidit vnde crescit dissentio.

Thren. 1.

Sopitur discordia.

Anno Domini 1253. in octaua Martini 14. Calendas Decembris sopitâ discordiâ redit Clerus. Cui & nudis Ciues pedibus vadũt C obuiam accensos cereos deportantes, ipsum vsque ad Ecclesiam comitando: & in signum amendæ nouem amas vini in festo B. Martini singulis annis soluere promiserunt; Iurantes ibidem Scabini, quod nunquam pro quocunque delicto Canonicorum famulos condemnabunt. Demum campanis resonantibus *Magna vox laude sonora*, canitur, & recedunt.

Alexander Põtifex Ecclesiã Leodiensem multũ dilexit.

His temporibus Alexander 4. natione campanus, Papa creatur, qui præfuit annis septẽ, & cessauit papatus tribus mẽsibus, quatuorque diebus. Iste enim Alexander Ecclesiam Leodiensem in magno fauore habuit, & dilexit.

Oritur noua briga inter populares & Clerum.

Post Cleri reditum inter populares ex vnâ parte, & totum residuũ Ciuitatis cum clero ex alterâ, oritur noua brigâ.

D

ANNOTATIONES.

Nam cum famulus cuiusdam Henrici Canonici S. Crucis:] *Ioannes Præsbiter qui circa hæc tempora scripsit, paulo apertius & particularius factum hoc refert, quod quia fons est & origo multorum malorum inde sequutorum, verbotenus referemus. Sic ergo ille inquit*: Heu fomes liuoris & superbiæ vnde infinita mala postmodum emersa sunt, tunc exorta est à laicis contra clerum in Ciuitate Leodiẽsi pro quodam famulo Henrici Canonici S. Crucis, cum iuuando suum Magistrum læsisset quendam laicum

ictu pesulli, qui vnus est ex illis baculis inhibitis in lege Leodiensi dicente. *Si quis lædat aliquem ex cultello, reus percussor ex lege forensi percutiatur.* Quare Scabini seruum Canonici proscripserunt, quod fuit in præiudicium Canonicorum, cum lex fuisset eis quondam data ab Imperatore Henrico quarto sub chyrographo munito, & corroborato sub sigillo, dicens, *Canonici reprehendant & corrigant forefacta seruorum, suorum, ne potestas laicalis eis manum apponat.* Querimonijs ergo super his factis à Canonicis ad Guilhelmum Regem Alemanniæ amore Henrici nostri Electi ipsius consanguinei, vt puta eius materteræ filij, reddidit seruo Canonici libertatem, litteratorie mãdans Scabinis, vt incongruum iudicium ab eis in seruum Canonici factum reuocarent. In quos, cum recusarent mandatum Regis adimplere, sententia à Canonicis lata est, nec non & Ecclesiæ parochiales Leodienses suppositæ sunt Ecclesiastico interdicto.

2. Et cum villicus Aquensis:] *Et hanc occasionem & originem malorum, quæ subsequuta sunt in ciuitate & patria Leodiensi refert quoq; totidêm fere verbis Ioannes Presbiter, & ex eis Chronic. Gemblacense, & alia. De tumultu pacato, qui exortus fuit occasione villici, sic loquitur Ioannes Presbiter:* Tandẽ vero tumultu pacato mox Electus exit ab vrbe, cõminans oĩbus, qui tumultum excitauerãt, insuper & canonici sequuti sunt eum, quorum instinctu ab Electo sententia lata est in ciues, & tota Ciuitas supposita est Ecclesiastico interdicto, sed post pusillum tempus, pace inter eos reformata, Scabini obligati sunt in perpetuum Ecclesiæ S. Lamberti quolibet anno in festo S. Martini ad persoluendum octo amnas vini. *Et paulo post.* Post reditum vero Canonicorum Scabini timentes ne Electus propter eorum forefacta diruat suas domos, cum tunc esset mos in Ciuitate prosterni ædes malefactorum, quare & vt ipsi fortiores fiãt contra Canonicos, prius communitate acquisita, pro sua parte elegerũt in ciuitate Idolũ quendam Henricum de Dionanto nomine, quẽ Magistrum super populum constituerunt, vt eum compellat libertatem seruare vrbis, cogentes ipsum Henricum iurare eandem libertatem firmiter seruare, & defendere populum cõtra eorum Electum & alios quoscumque. Insuper statuerunt fieri in ciuitate Vicenas, ordinando, vt quæque vicena esset subdita sub quodam ductore, vt per hoc si necesse esset, plebs posset citius coadunari, & in hostes bella mouere. Hoc Scabini ad conculcandum Clerum faciebant; sed retortum est in caput eorum. *Hactenus Ioannes Presbiter.*

A

De multiplici Principatuum genere, & causis transmutationis corundem.

CAPVT IIII.

HIc veniam flagito, quod historiæ metas digrediar, causas enim cur huius Electi tempore, inter insignes, & populum bella primum intestina processerint, demonstrare conabor. Quod si lectorem ad historiam tædeat festinantem, ista pertransiens ad primam literam saltum faciat capitalem. *Populares autem, &c.* Vegetius libro primo de re militari epithomata satis vrbana conscripsit, quorum in secundo capitulo dicit ita. *Constat quidem in omnibus locis ignauos & studiosos nasci; sed tamen & gens gentem præcedit in bello: & plaga cœli ad robur non tantum corporum, sed & animorum valet plurimum, quo loco ea, quæ à doctissimis hominibus comprobata sunt, non emittam. Omnes nationes quæ vicinæ sunt soli, nimio calore siccitatis amplius quidem sapere, sed minus sanguinis habere dicunt, & propterea constantiam, & fiduciam non habere pugnandi, quia metuunt vulnera, quia exiguum sanguinem se habere nouerunt; Contra septentrionales populi remoti à solis ardoribus inconsultiores quidem, sed largo sanguine redundantes, sunt ad bella promptissimi.* Hæc ille traxit de 7. politicorum Aristotelis c. *Quales autem.* Hæc est causa cur in meridionali plaga contra Reges, aut Tyrannos populus non insurgit: Prudentes enim pericula præuident, quæ timidi defectu sanguinis perhorrescunt. Eligunt ergo secure viuere potius, & seruire. Septentrionalis vero populus, cuius metas gens nostra participat, iniusta non admittit imperia, propter quod apud nos principatus iugiter permutantur. Sicut in 3. politicorum libro colligitur, Tria sunt genera Principatus; aut enim vnus est omnium Dominus, aut plures, pauperes, aut diuites, & sunt pauci. Et istorum quodlibet duplicatur, aut enim bonum est regnum, vel est malum: Si per bonum regatur vnicum, Rex dicitur propriè, siue Princeps: Si malus, ad proprium semper non ad subditorum respiciens commodum, dicitur esse Tyrannus. Si per multos disciplinatos, seu bonos ciuitas regitur, siue regnum, Tymocratia dicitur, & quia talis est omnium optima, vocatur etiam generali nomine politia; si vero tale regimen careat disciplina, Democratia vocatur, atque demus, talis populus nuncupatur. Aut per paucos prudentes & bonos, & tale regnum Aristocratia nomen à virtute meretur; Ares enim dicitur esse virtus: Aut pauci præsidentes solum lucris inhiant, de bono publico non curantes, & tales obligarticè principantur. Et sic sex vniuersaliter principatuum genera colliguntur. *Hæc per Aristotelem dicto libro.* De primo exemplum videtur dari posse in Romulo, cuius virtute primo

Digressio authoris petita venia.

Septentrionales iniusta non admittunt imperia & quare.

Tria genera Principatus.

Vniuersaliter sex genera Principatuum colliguntur.

Exempla singulorum

creuit excellentia Romanorum; de secundo sume Superbum Tarquinium in exemplum, & omnes hodie breuiter terræ Reges; sed cum olim exactis ab vrbe Regibus per tribunos quinque regebatur populus, de tertio sit exemplum, vt hæc *ex ff. de origine Iuris*, colliguntur; de quarto patet exemplum hodie vbicunque populus principatur. Exemplum vero quinti, septem sapientes Athenis, quorū prudenti regimine Tyranni potentes Dionysij, cum pacis gratiâ reformādæ obsides peteret sapiētes, de lupo, qui causâ concordiæ cum pastoribus canes petijt, propositâ Æsopi fabulâ, fraudē Dionysij deluserunt, vt hoc per Valeriu maximū recitatur. Sextum patet hodie vbicūq; Scabini, seu pauci diuites principatur. Isti tamē principatus ad inuicem permiscentur, nec vnquā purum membrū inuenies prędictorum. Difficillimum enim est medium seu optimum inuenire; malum etiam si sit integrum importabile destruit & seipsum: Sicut in complexionibus corporis humani distinguuntur quatuor qualitates, quæ tamen in omnibus corporibus necessario sunt permixtæ, alióquin melancholicus purus non posset viuere, cum eius complexioni attributæ qualitates, frigidum, atque siccum, vitæ principijs cōtraria demonstrentur. Ita videmus apud nos ad præsens vnū Episcopum paucos diuites cum populo pariter principari; quem principatum ante victoriam huius Episcopi de Marcka infra Ciuitatem per 14. annos quasi solus per se populus occuparat. Transmutantur autem huiusmodi Principatus maximè propter duo: propter æquale simpliciter, quod populus irrationabiliter semper quærit: statuēdo namque pœnas contra delinquētes semper æquales faciunt, dans alapam rustico limina sancti Iacobi visitat; nec plus emendæ Archidiaconus, vel quiuis vituperatus nobilis obtinebit, quam scurra vilissimus, vel iniuriatus Oligarchicus, à plebeio: sed & dignitatem quærunt diuites excessiuè, nam sicut in libro quinto politicorum, capitulo primo, probatur, *duplex est æquale secundum numerum hoc, aliud est secundum dignitatem siue rationem, vt tria secundum numerum excedunt duo, & hæc vnum; ratione vero quatuor duo, & hæc vnum: æqualis enim pars duo ipsorum quatuor, & duorum vnum. Si autem diuites essent virtuosi bonum publicum diligentes, iustissimè seditiones facerent populo totaliter æquale quærenti, nam secundū rationem inæquales simpliciter huiusmodi esse decet; quia vnus eorum debet iudicari vtilior x. rusticis, seruit enim reipub. cum equis & familia, vbi plebeius solus est. Sed quoniā nobilitas & virtus in paucis, nobiles enim & boni nusquā centū. Egeni autem in multis locis plurimi.* Hæc ille. Isti autem quia plures, & sic numero fortiores, volunt secundum numerum honores participare ciuiles; Illi vero quia secundum dignitatem excedunt, in nullo populares honorum participes esse sinunt: Et sic oligarchia & democratia regimina duo pessima, & seditiosissima oriuntur; attamen securior magis & minus seditiosa democratia, quam oligarchia. Nam oligarchici duas faciunt seditiones, vnam, ad populum, & aliam, à se inuicem

Principatus ad inuicē permiscentur.

Qualis Leodij Principatus ante victoriam Episcopi à Marcka.

Principatus maxime propter duo transmutantur.

Exēpla nostratia.

A nuicem diffidentes; quod apud nos, ne do lõge petamus exẽpla, videmus: populus autem tantũ ad insignes, nũquam enim de Principatu ad inuicem disceptarent, & sic orta seditione frequenter, si vincant ad tempus diuitiæ principantur, donec noua seditione vincantur. Et sic vtrobique iniusta petentibus Principatus continuo transmutantur. Sed & alias multas causas ponit ibidem philosophus, docetque cautelas, quibus Tyranni, & Oligarchici diutius in Principatu perseuerant, populum sub pedibus retinentes. Quod si iuste per Principes regerentur, seditiones nunquam facerent populares; Occupati nãque pro victu quærendo, nequaquam quærunt ab initio principari. Ante tempora vero Electi huius propter Imperatoris potentiam, Ciues seditionem pro Principatu facere non audebant: sed nuper Im- B peratore Frederico deposito, imperio desolato, pro solo Rege seu Tyranno mille surrexerunt Tyrannuli, & sic apud nos quælibet Ciuitas tyrannizat: Sunt enim Oligarchia, & Democratia, species Tyranniæ. Nunc ad Propositum reuertor.

Si populares iuste per Principes regerentur seditiones non facerent.

Ante tempora Henrici quare nullæ apud nos erant seditiões

ANNOTATIONES.

1. *Hoc capite auctor ponit generales diuisiones politiarum, & causas mutationis earum, conseruationis, & corruptionis; qui hæc latius videre cupit, videat Aristotelẽ lib. 5. & 6. politicorum. & ibi Christ. Iauellum, & Vitum Iosium. Plat. lib. de republ. & maxime octauum, & de Legibus, ac lib. ciuili, vel de regno D. Thom. lib. 4.* C *de regim. Principum, Franciscum patritium in libris de institutione reipub. & alios: plures enim de his nostro tempore diligenter scripserunt.*

2. Timocratia dicitur:] *A pretijs dicta vt scribitur in 2. Aethicorum, quia est pretiosior & rarior inter omnes.*

3. Democratia vocatur:] *Demus seu δῆμος. græca sunt vocabula, quæ translator posuit, quia latinum simile non inuenit.*

4. Ante tempora vero electi huius:] *Quod apud nos tempore Henrici Geldrensis qualibet ciuitas tyrannisaret: & aliam causam adfert Magnum Chronicõ* D *Belgicum dignam sane consideratione, his verbis.* In aliò quodam Chronico Leodiensi reperi Henricum illum contra Principes secus Episcopatum ius patriæ tanquam potentem bene defendisse: sed intra patriam suam aggrauasse, & potissimum Clerum, cuius libertates tempore eiusdem Episcopi intendentis magis militiæ, quam Ecclesiæ, pro magna parte perierunt, quæ temporibus prædecessorum suorum bene seruatæ erant.

A

Quod quidam populares eloquentia cuiusdam Henrici de Dionanto decepti duos sibi constituerunt Magistros & multas turbas excitarunt.

CAPVT V.

Populares eloquentia Henrici de Dionãto decepti duos constituũt sibi magistros.

POpulares autem considerantes antiqua se seruitute depressos, eloquentia cuiusdam Henrici de Dionanto decepti, quærentes quod æquale numero, tantum, nec dignitati deferentes, duos constituêre magistros, qui libertatem ciuium tuerentur, & hoc se iurarent fideliter effecturos; & à Scabinis exigunt consimile iuramentum. Quod cum Scabini facere non curarent, Henricus populi demagogus & ductor vicenarios per ciuitatem ordinat, vt cuilibet vicenario viginti homines assignentur, per quos populus possit facilius congregari; Et sic euenit vt dum Insignes suos excedunt terminos principando, à non suis terminis excedantur, *vt de Pe. habetur no. C. In quibus causis cesset longi temporis præscriptio l. hæreditatem in verbo non possit.* B

Margareta Comitissa Flandrensis bellum gerit contra filium suum.

Hoc anno 4. nonas Iulij Margareta Comitissa Flandrensi contra filium suum Ioannem de Auennis belligerante, cum Florentius Comes Hollandiæ partes foueret forte Ioannis, & propter hoc, eadem Comitissa contra Hollandiam misisset exercitum, Flandrenses per Comitem Hollandiæ deuincuntur 60. millibus hominum interfectis, & captis quam pluribus, proiectis armis reliqui fugiunt denudati; vnde sibi per campos braccas fecisse de pisorum fruticibus referuntur. Cumque Comitissa dolens, Carolum Comitem Pictauiæ ac Andegauis, Fratrem Regis Franciæ, postmodum Regem Siciliæ, in adiutorium aduocasset, Ioannes filius eius Electi nostri Leodiensis implorat auxilium. Cui electus annuens petit exercitum à Scabinis, qui spe prębendarum pro natis suis, suffragium sibi spondent. Sed Henricus ductor populi contradicit, non enim, ait, pro causis extraneis, sed pro patria, pro Iuribus Electi, & Ecclesiæ bellare tenemur. Propter quod Electus offensus à Ciuitate recedit, populum cum minis maximis diffidando. C

Filius implorat auxilium Episcopi.

Cumque paulo post pro vini assisia ciues fuissent in Capitulo congregati, exortis verbis cum quidam procacior cæteris Henrico de Dionanto humilitatem generis, & quædam alia exprobasset, & ad cultellum apposita manu minitaretur eidem, euolat fama Henricũ ab hoste peremptum, clamor exoritur, curritur ad arma, Ecclesiæ ostia obserantur, accurrens populus ostia frangit, exit Henricus se sanum indicans, & sic turbatio conquieuit. At Canonici maioris Ecclesiæ monent, vt excessum emendet, plebs obedit ostia noua reparans,

A parans, nudis pedibus, flexisque poplitibus veniam flagitãdo: Actores vero sceleris virgarum verberibus emendantur, Electus tamen hos excommunicat, ciuitatem, & populum interdicens, donec sibi de tanto facinore satisfiat. At Præpositus maioris Ecclesiæ fouens populum ad sedem Apostolicam appellauit, sed Electo appellationi non deferente, & præsbyteris Electo parentibus, appellatio Præpositi non profecit.

Electus interdicto subijcit Ciuitatem.

Hermãnus de Salmis Canonicus Leodiensis tunc asseruit finitam fore ceruisiæ firmitatem, propter quod ab exactione desistere commonentur, sed Henricus per quinquennium adhuc asserens fuisse concessam contra monitorem, sedem Apostolicam appellauit. Tũc B idem Henricus præceptum Scabinis iterat, quatenus iurent seruare ciuium libertatem; alioquin maturius à Ciuitate recedant: Scabini vero iurare nolentes, cum penatibus migrauerunt. Hic, sicut prius Electi iussu pars maxima Canonicorum ciuitate relicta discessit, mãsionem constituens in Namurco: Præpositus & Cantor cum quinque Canonicis remanserunt, quare statim Electus Præpositum & Cantorem suis extra ciuitatem redditibus spoliauit: Hinc dissensio cruenta succedit. Raptores hinc inde desæuiunt; & flammis ædificia crepitantibus aduruntur.

Noua dissentio ratione firmitatis ceruisiæ.

Dissentio cruenta.

Denique demagogus Henricus Hoyenses, & Sanctitrudonenses in adiutorium ciuitatis allicit, pro patriæ, sicut asserit, libertate tuẽda, qui vicenarios adinstar Leodiensium instituunt, vt sic promptius, C quando necesse fuerit, congregentur. Tunc Electus altiori mente turbatus, multos ex his capit, & incarcerat, varios insultus faciens in rebelles. At Hoyenses Leodium venientes rapiunt quicquid in Canonicorum domibus inuenerunt: de quo non immerito Canonici conqueruntur. Demum vero per Petrum Caputij Legatum conuocatis apud Traiectum partibus, pax iterum reformatur. Tunc ad Ciuitatem omnes exules reuertuntur præter Scabinos Leodienses 4. quos Sanctitrudonenses in guerra ceperunt, & liberare recusant, nisi sibi cuncta restituantur ablata. Excommunicatos Electus absoluit, & reuocat interdictum: Sed quia pro se, vel Scabinis inhonesta D concordia videbatur, organa non resumuntur; sed tandem per Legatum hæc dissensio sopita quiescit in octaua sancti Nicolai, anno Domini 1254.

Henricus Demagogus aduocat Hoyenses & Trudonẽses.

Petrus Caputius legatus pacem reformat.

Inhonesta videtur cõcordia Electo.

Hoc anno in Maio præcedente. 11. die, secunda feria, Wilhelmus Rex commisso cum Frisonibus bello nauali, gloriosissimè triumphauit, Frisonum sex millibus interfectis, & paulo post obsedit Valentiniam cum centum millibus armatorum; sed reuertitur nihil agens.

Wilhelmus Frisones bello nauali vincit.

Pace vero sicut præmittitur concordata in Hoyo sex adolescentes de populo noctu dicuntur effregisse tabernam, & tabernarium vulnerasse: sed quia Scabini hos non vocatos tribus edictis, vt moris est, nec rite conuictos, bannire præsumpserant, noua discordia inter plebem

Noua discordia inter Scabinos & plebem.

plebem exoritur & Scabinos. Hoc Henricus Dionantensis percipiens Hoyum adijt, Scabinos alloquitur, suadet vt adolescentes reuocent, sed incassum; vnde Hoyenses cum Leodiensibus euellunt vineas, domos destruunt, & incendunt torcularia Scabinorum. Hinc Electus furore commotus, excommunicationis, & interdicti sententias contra Leodienses conscribi præcipit, & Hoyenses: sed cum non inueniretur qui Leodium mandata deferret, tandem per puerũ & Fœminam diriguntur; Prædicatores, & minores literis à puero clam receptis, organa suspenderunt: sed cum præsbytero sancti Huberti dare literas voluisset, deprehenditur, ablatis sibi literis capitur, carceratur, pane cibatur & aqua. Hic iterum Canonici pro parte à Ciuitate recedunt, interdictum ne violare cogantur. A

Henricus Episcopus fert excommunicationis & interdicti sentẽtias cõtra Leodienses & Hoyenses.

Denique Hoyenses castrum Waremiæ combusserunt, Sed Canonicis maioris Ecclesiæ super hoc conquerentibus, Castrum reparare promittunt, sed Electus propterea non pacatus, contra Leodienses, Hoyenses, Dionantenses, Sanctitrudonenses, Brabantiæ Ducis, Fratris sui Geldrensis, Iuliacensis, Lossensis Comitum, & aliorum plurium auxilia procurauit, vnde villas de Hugardis, de Bauenchien, & mechliniam Duci pro stipendijs obligauit. Canonici vero maiores in Leodio residentes, hoc reputantes illicitum Ducem admonent, vt villarum occupationem Ecclesiæ derelinquat; quod cum Dux facere recusaret, excommunicatur, *Media vita* cantatur, terræ imagines prosternuntur. Hoyenses interim, quia custodes castri de Muhal spoliabant ipsis alimenta ferentes, Castrum impetunt, resistunt custodes; ex quibus quinque peremptis Hoyenses recesserũt incolumes, & habentes obuios Leodienses Hasbaniam peragrant, aduersariorũ domos vndique conflagrando. Denique Leodiensis Electus omniũ suorum exercitu conglobato, per Ducem Brabantiæ obsedit Sanctitrudonenses, qui territi Electo se certis pactionibus reddiderunt. Tunc Sororius Electi, Comes Iuliacensis versus Muhal properat cũ Hasbanis: Et cum Hoyenses castrum Waremiæ, vt præmittitur combussissent, ad propria reuertentes inter Antejum, & Vinamont, in eos pugna commissa, Hoyensibus terga vertentibus, Præfatus Comes hos insequitur fugientes; sternuntur, truncantur, necantur, & reliqui capiuntur, anno Domini 1255. 4. Idus Augusti, in die S. Laurentij. B C D

Episcopus exercitũ congregat.

S. Trudonenses Episcopo statim se dedunt.

Hoyenses fugiunt & cadũtur.

Et cum Electus insultũ Leodiensibus facere niteretur, quibusdã de suis confossis vulneribus, difficultate prohibitus inde recessit, & apud Vothem castra metatur: At ibidem Scabini pro tribunali sedentes, Henricum Dionantensem, cum pluribus suis fautoribus, tãquam effractores ædiũ proscripserũt. Tunc populus instinctu Dionantensis domos funditus destruit Scabinorum, de quarum trabibus & lapidibus Dionantensis sibi nouam fabricat mansionem.

Demagogus proscribitur. Destruit domos Scabinorũ.

Postmodum verò pacis actores apud Leodium pro concordia laborare cœperunt, sed magistri nolebant attendere, nisi Scabinorum condemp-

A condempnatio reuocetur: dicebant enim, quod si sic Scabinis liceret extra consuetum locum sua proferre iudicia, delinquentes pariter & Insontes pro sua libidine condemnarent. Tandem conueniũt in hunc modum, quod eligantur quatuor probi viri, qui de cuiuslibet forefactis inquirant & emendentur ad arbitrium eorundem, vicenarijs, & confœderationibus dissolutis; addito quod Electus pauperem sicut diuitem iudicabit, quanquam Scabini apud Vothem, cũ necesse fuerit, iudicio valeant præsidere. Et cum Electus præpositũ suosque sequaces ab hac pace vellet excludere, sicut hos Leodienses tribulationis habuêre participes, ita quietis & esse volentes, qui per Semigalensem Episcopum, Electi vice, irregulares, quia violauerãt interdictum, denunciati fuerant in Synodo Traiectensi, huic concordiæ renuunt consentire.

Agitur de concordia certis cõditionibus.

Henricus Episcopus non vult comprehendi Præpositũ & sequaces.

B His auditis Electus sæuire grauius cœpit in hostes: vnde sequenti die septem de Leodiensibus in vindemia sunt perempti: Denique Leodienses offerunt Regis Iudicio se velle submittere, vt cum Iurisperitis communicato consilio, si repertum fuerit, quod extra consuetum valeant locum de Iure proferre Iudicia, valeat quod est actũ; sin autem, quod factum est irritum iudicetur.

Hẽricus sæuit in Leodienses.

Super his vero pendente tractatu infestantis insidiæ non quiescunt: nam ab incauto Frater Magistri Ciuitatis, cum quatuor in vineis ab hostibus capiuntur: vnde Leodiensium concione turbata ad Regem binos de singulis mittunt ordinibus, vt oppressis Regia pietate pacem statuat, flagitantes.

C Interim dum Electus forte transiret ad antrum, quo quindecim Leodienses secandis lapidibus insistebant, in hunc animosè, sed inconsultè nimis facientes insultum, 4. nonas octobris, tribus ex his fugientibus, duodecim capiuntur.

Illi pacem flagitant.

Cernentes itaque populares, quod infaustè continuo sua facta procederent, sex de suis, conductu Comitis Iuliacensis, Hoyum destinant, vt quos litis habuêre consortes, à pacis commercio non excluderent, cum illis de concordia pariter tractaturos. Interim fama vulgatur Electum pacem cum Hoyensibus statuisse. Tunc omnes clamare cœperunt, quod pacem, quam fecerunt Hoyenses, vellent ipsi similiter obseruare. Et cum nollet Electus adiudicationis quo-

Popularibus infaustè omnia cedunt.

D modolibet sententiam reuocari, spondentibus pacis tractatoribus, quod peracta concordia condemnatos in integrum restitui prece, vel pretio à Maiestate regia procurarent, Henrico Dionantense lachrymando rogante quod cum reliquis ponatur in pace, cum ipsorũ causa fuerit condemnatus; & respondente populo quod pro posse iuuabit eundem, infausta Ciuitas honestam prius pacem repudians, in festo B. Dionysij cum Electo conuenit, spreto consilio Dyonensis, exclusis Præposito, Cantore, Symone, Ioanne, præsbyteris atque clero, qui contra voluntatem Electi apud Leodium, recedentibus alijs, remanserunt.

Demagogus cũ lachrymis pacem petit. Ciuitas honestâ pace repudiata inhonestã amplectitur.

Hæc pax apud Bierſez 2. Idus Octobris denuo confirmatur; & popularibus iuramento firmantibus, quod fideles erunt Electo, eius parendo mandatis, Excommunicationis, & interdicti ſententiæ relaxantur: Et porta S. Walburgis Electo traditur, ita tamen quod per Comitem Loſſenſem quatuor militibus munietur, donec de forefactis fuerit arbitratum, mille viris, de parendo arbitrorum ſententiæ, fideiuſſoribus conſtitutis. A

Porta S. Walburgis electo traditur.

Tunc magiſtri, videlicet Henricus de Dionanto, cæterique abiudicationis paſſi ſententiam, conductu ſaluo ciuitatem relinquere compelluntur, & quinto Calendas Nouembris Electus ad ciuitatem reuertitur cum Canonicis, militibus, & Scabinis.

Henricus Epiſcopus reuertitur in Ciuitatē.

Hic attende quod iſtis temporibus Canonici contra Epiſcopum, & quoſcunque iniuriatores ſuos, organa ſua ſuſpendere conſueuerunt; ſpinis, & vrticis Sanctorum imagines inuoluendo: ſed Gregorius decimus Papa, qui, dum eſſet Canonicus & Archidiaconus Leodienſis, iſtos abuſus viderat, iniuriam aboleuit Imaginum, & talis ceſſationis immoderantiam refrenauit, per conſtitutionem ſuam, *Cum Canonici, de officio Ordinarij, 6. decretalium.* B

Gregorij 10. Papæ conſtitutio contra iniuriam quæ fieri ſolet imaginibus.

Vnde ſecundum hanc conſuetudinem, cum Leodienſes Electo promiſſam ſoluere pecuniam non valerent, & Electo conniuente Aſſiſiam, ſeu malatoutam ſuper venalibus poſuiſſent, Cleri maioris querulosa ſuccedit argutio, quod eius ita præſumptuosè priuilegia violentur, diſtrictè præcipiens, quod vniuerſaliter organa ſuſpendátur. Sed cum Ciues mundum ab incepto deſiſterent, abſque diuinis extra cæmiteria defunctorum cadauera tumulantur. C

Malatouta ſuper venalibus contra priuilegia cleri.

Hoc anno in Conuerſione Pauli Wilhelmus Rex eſt à Friſonibus interfectus.

Denique cum Electus rebellionis antiquæ non immemor Trudonenſes inuaderet, ſuper hoc Duci Brabantiæ conqueruntur, mediáte quo cum eodem fuerant concordati. Adueniens autem Dux Trudonenſibus inhibet, ne quid ab eis detur Electo, ſpondens quod aduerſus hunc defendet eoſdem: Propter quod Electus, & quia Dux paſcua communia occupabat, & noualia præsbyteris auferebat, ipſum Excommunicationis ſententia innodauit, procurans ſuper ipſum *mediâ vitâ* cantari; ſed demum pax reformatur Trudonenſibus quietatis. Electus metuens ne ſcandalum oriatur, inhibet ne de cætero ſuper venalibus exactio capiatur, & maiori Eccleſiæ pecunia reddatur inde recepta, præcipiens quod Leodienſes duorum inter ſe millium librarum collectam faciant, pro rata fortunæ ſuæ quolibet perſoluente. D

Epiſcopus excōmunicat Ducē Brabantiæ & quare.

Fit collecta pro rata fortunarū cuiuſque.

Decanus maior conqueritur quod homines Eccleſiæ pro collecta inæqualiter ſunt taxati; murmur exoritur, & clam Henricus Dionantenſis per duodecim de populo reuocatur, ſed ab vno illorum dicto Kokars proditus: In feſto ſanctæ Gertrudis Henricus redijt Dionantenſis, huic armati vadūt obuiam, patrem populi ſalutantes:

Murmur exoritur.

ſed

sed Scabini cum pluribus ex prouiso veniunt, ipsumque nitũtur ca-
A pere, sednon possunt. Treugæ per Decanum & Canonicos procu- *Demagogus salutatur pater populi.*
rantur.

Sequenti die Dionantensis timens clam recedit ab vrbe. Domus *Sequenti die fugit.*
Dionantensis, & plures eius fautorũ Principalium diruuntur, multi
de populo capiuntur, & carceribus mancipantur; vnus eorum pro-
cacior, sellarius Gerardus, dictus Bassiers in patibulo de trabibus do- *Gerardus dictus bassiers suspenditur.*
mus Dionantensis, in eminentiori loco, retro fratres minores ere-
cto, suspenditur, vbi pendens de foro poterat intueri, in festo sancti
Benedicti 12. Calendas Aprilis. Tunc Electus quatuor bonnaria mu- *Henricus Episcopus portã S. VValburgis muro circumcinxit.*
ri à porta S. Walburgis versus orientem diruit, & fossata repleuit,
portam, S. Walburgis muro circumcinxit, & valuas turris lapidibus
B obturauit, ponte facto leuatili versus vrbem, quo per gradus descen-
debatur ad illam; de quo Scabini non immerito doluerunt: plebs vi-
dens Electi potentiam sibi de promissa pecunia satisfecit; condem- *Plebs Episcopo satisfacit.*
nantur qui partem fouerant Dionãtensis. Pecunia, de venalium exa- *Organa resumuntur.*
ctione recepta tempore interdicti, ad constructionem castri dona-
tur Electo. Tunc in die annunciationis B. Virginis organa resumũ-
tur, 8. Calendas Aprilis.

Anno Domini 1256. vt Electus mechliniam, Hugardis, & Bauen- *Episcopus impetrat vigesimum denariũ cleri.*
chien, quas Duci pro mille trecentisque marchis obligauerat, dum
eos contra rebelles suos fouerat, recuperare valeret, vicesimam par-
tem Cleri redituum à sede Apostolica impetrauit. Quam cum in Du- *Dux Brabãtiæ resistit in suis terris.*
C catu niteretur exigere, Dux firmauit iuramento, quod si quis Electo
vicesimam soluerit, decimam exiget ab eodem: & sic Brabantiæ Cle-
rus Electo vicesimam soluerę contradicit, & ne procedat ad senten-
tias sedem Apostolicam appellauit.

Hoc anno mediante S. Ludouico Rege Franciæ Flandrenses & Hol-
landenses conuertuntur ad pacem.

Deinde pace simulata Sanctitrudonem Electus ingreditur armata *Hẽricus Episcopus vindicat se de Sanctitrudonensibus & quomodo.*
multitudine subsequente, & Scabinis depositis, illorum loco alios
subrogauit, per quos priuantur honore dirutis eorum domibus, qui
sibi magis fuerant aduersati. Hoc metu perterriti ditiores cum suis
mobilibus aufugerunt: Iratus Electus iuramento confirmat, quod
D nisi profugi reuertantur, eorum dirui faciet mansiones: Portam
versus Brabantiã aggere claudit; versus Traiectum turrim trabibus
erigit, hanc muniens & fossatis. Dux à torneamento rediens, & præ- *Rursus dissensio & pax inter Ducẽ Brab. & Henricum Episcopum.*
missa percipiens, exercitum congregauit: Electus è contrà, cogna-
torum auxilia, se muniens, aduocat; sed citò desijt hæc tempestas:
nam ex pacto restituuntur ablata, abiudicatio firma manet; si tamen
& passi sententiam reuertantur, ipsis in pace remanere licebit, quo
minus per iustitiam infestentur: Electus turrim nouam firmare po-
terit, & munire, ne Trudonenses iterum valeant rebellare.

Hoc anno Imperatrix Constantinopolitana Namurci residens
exactione Burgenses nititur aggrauare, propter quod clam ad Comi-

Castrũ Namurcense biennio obsidetur & qua de causa.

tem Luchilburgensem per illos nuncij diriguntur persuadentes, vt A maternam hæreditatem veniat accepturus; qui nimio repletus gaudio illuc militiam dirigit, quam Namurcenses circa mediam noctem natiuitatis Dominicæ intromittunt, ab his castrum die crastina obsidetur, sed castro bene munito in biennium obsidio est protracta.

Richardus Regis Angliæ frater in Regem Alamaniæ cõsecratur.

Anno Domini 1257. in die ascensionis Domini 16. Calend. Iunij Richardus Regis Henrici Angliæ frater Comes Cornubiæ ditissimus, qui per pecuniam electionem sibi parauerat, in Regem Alamaniæ Aquisgrani per Conradum Coloniensem Archiepiscopum consecratur.

Henricus Episcopus fit præsbiter consecratur in Episcopũ

Anno Domini 1258. Richardus Rex venit Hoyum cum magna B nobilium comitiua.

Eodem anno, præsbyter noster Electus ordinatus, in Episcopum consecratur.

Eligitur Abbas Stabulensis.

Eodem anno idem à monachis Abbas eligitur Stabulensis, seu potius postulatur.

Obijt Lodouicus primogenitus Lodouici Regis Frãciæ.

Eodem anno mense Ianuarij obijt Ludouicus primogenitus Ludouici Regis Franciæ, deinde Philippus filius eius dictus Cor Leonis, filiam Regis Aragonum, Isabellam nomine, duxit in vxorem, ex qua genuit Philippum Regem pulcherrimum, & Carolum eius fratrem. Ex isto Carolo natus est filius Philippus, qui nunc dum hæc scribo, anno videlicet 1335. Regni Francorum sceptra tenebat.

Ioannes de Auenis venit soluturus obsidionẽ castri Namurcensis.

Frãco de VVesemale biẽnio exacto Castrũ dedit.

Hoc anno, videlicet 1258. Cum Ioannes de Auennis Comes Hanno- C niæ, asserens castrum cum terrâ Namurcensi ad suum Dominiũ pertinere, ad soluendum obsidionem maximo exercitu præparato venisset, tandem factâ concordiâ Lutzilburgensis Comitatum Namurcensem à Comite Hannoniæ releuauit in feudum. Cumque Dominus Franco de Wesemale Bastardus castri capitaneus illud animosè biennio defendisset, deficientibus omnino victualibus, cũ iam loco panis equorum suorũ coctum sanguinẽ comedissent, In die Vincentij Castrum reddidit obsidenti: Qui cum scrutatus fuisset singula loca, Capitaneo testatur honorẽ, in Castro tantum panis non inueniens, vnde puer famelicus quietari lachrymans potuisset.

ANNOTATIONES. D

1. Populares autem considerantes:] *Quæ de creatione duorum Magistrorum & varijs turbis & seditionibus subsequutis hic subijciuntur confirmantur à Ioãne Præsbitero, Chronico Gemblacensi & reliquis posterioribus.*

2. Henricus populi demagogus:] *valde proprie vtitur hoc vocabulo; Demagogi enim apud Athenienses nuncupabantur duces quidam vulgi popularem auram aucupantes, homines populariter factiosi. Budaus in lege Venditor. Comment. præd.*

CAPVT

A

De institutione Venerabilis sacramenti per Vrbanum 4. quondam Leodiensem Canonicum facta instinctu cuiusdam reclusæ Leodiensis, & quibusdã externis in oriente per nostros patratis.

CAPVT VI.

ANno verò Domini 1259. (vel forte 1260. cum tunc secundum quosdã Vrbanus præesse cœperit) Henricus Episcopus, instinctu cuiusdam reclusæ iuxta Ecclesiã S. Fidis, cui de sacramento B fuit ostensa visio, Vrbano Papæ quarto (cui nihilominus hæc nota fuerat, cum dudum fuisset Canonicus Leodiensis) super hoc suas literas destinauit, quibus inductus Papa hoc festum instituit celebrari: quod ex tunc à Leodiensibus est receptum; & postmodum continuè per plures Ecclesias in Germania, & Francia à Clero & populo celebratum, sed demum per alias vniuersaliter recipitur Ecclesias, cũ Ioannes Papa 22. constitutionem Vrbani super hoc factam, quæ incipit, *Transiturus de hoc mundo ad patrem*, (quam Clemens Papa quintus obseruari districte præceperat, ab omnibus in Concilio Viennensi) fecisset cum cæteris clementinis constitutionibus celebrari.

Vrbanus Papa q. Canonicus Leodiensis instituit celebrari festum venerab. sacramenti.

Primo Leodij celebratur.

C Hoc anno 1259. Constantinopolis, quæ dudum per Gallicos capta fuerat, & Venetos, per Paleologum Græcorum vi prælij euincitur ab ijsdem.

Constantinopolis vi prælij capitur per Paleologum.

Eodem anno Florentinis & Lucanis Senenses impugnantibus, Senenses de ipsis fortuito triumpharunt, ex aduerso sex millibus hominum interemptis.

His temporibus Vrbanus quartus natione Gallicus, Trecensis, Iacobus de Curto palatio dictus, nobilis, literatus, & facundus, Archidiaconus Leodiensis, postea Patriarcha Hierosolymitanus, deinde Cardinalis, in Papam eligitur, qui præfuit tribus annis, mense vno, diebus tribus, & cessauit papatus mensibus quinque.

Iacobus Trecẽsis Archidiaconus Leodiensis fit summus Põtifex.

D Anno Domini 1260. Rex Hungariæ cum xl. millibus equitum, inter quos equorum septem millia ferro coopertorum fuisse dicuntur, quos de Saracenis & Orientalibus partibus congregauerat, Regem Bohemiæ impugnauit, de quo tandẽ Rex Bohemiæ triũphauit, vnde fugiẽtibus Hungaris, in quodã fluuio, absque peremptis, quatuordecim millia hominum fuisse submersa dicuntur.

Rex Hungariæ à Rege Bohemiæ vincitur.

Anno Dñi 1263. Vrbanus Papa quartus exercitũ Saracenorũ, quẽ in patrimoniũ Romanæ Manfredus Ecclesiæ miserat, suffragio Crucesignatorum potenter abegit: & regnum Siciliæ, quod per violentiam occupabat Manfredus, Carolo Andegauensi Comiti, sancti Ludouici Regis Franciæ fratri contulit, vt eriperet ab eodem. Iste Carolus filiam Comitis Raymundi prouinciæ habuit in vxorem,

Vrbanus Papa exercitum saracenorum potenter abigit.

Ex vno vtero quatuor reginæ vno tẽpore regnant cum potẽtioribus regibus vniuersi orbis.

& ab isto Comite maior Principum occidentis exiuit progenies, quæ per diuersa matrimonia istis tẽporibus dispersa est in plures principes Christianos: quia iste illustris Comes & potentissimus quatuor habuit filias; primogenita fuit Marguareta, vxor, sancti Ludouici Regis Franciæ: Secunda Beatrix, vxor Caroli prædicti; tertia vxor Henrici Regis Angliæ, & mater Eduardi Regis fortunatissimi, patris Eduardi infortunati, patris istius Eduardi qui nunc regnat in Anglia: Quarta fuit vxor Richardi fratris Henrici prædicti, postmodum, vt dictum est, Alamaniæ Regis. Sic ex vno vtero quatuor Reginæ simul, & vno tempore regnauerunt cum potentioribus Regibus vniuersi orbis. A

Cometes apparet.

Vrbanus moritur & disparet

Anno Domini 1264. Cometes, qualis nunquam, tunc apparuit ab Oriente cum magno fulgore consurgens, vt ad medium hæmisphe-rij comam perlucidam protrahebat; & tunc vrbanus Papa cœpit protinus infirmari, quo plus tribus mensibus ægrotante defuncto, euanuit & Cometes. B

Anno Domini 1265. præfatus Carolus pro regno Siciliæ sibi dato, nauigio venit in Apuliam; & bello campestri Manfredum vita, regnoque priuauit, & obtinuit Siciliæ Principatum.

Clemens 4. Põtifex summus eligitur.

Vita Clementis PP. à puero laudabilis.

Hoc anno Clemens quartus in Papam eligitur, qui præfuit annis tribus, mensibus nouem, diebus 21. & cessauit papatus annis tribus, mensibus duobus, diebus decem. Hic autem natus fuit de Oppido sancti Ægidij in prouincia, de genere mediocri, cuius vita à puero tota fuit laudabilis & exemplaris, fuit enim in iuuentute optimè literatus in Iure ciuili, & optimus Aduocatus, demum legum professor, vxoratus, & factus Iudex Regis Franciæ in patria sua, gradatim ascendens in Consiliarum Regis est assumptus, deinde factus Episcopus Aniciensis, deinde Archiepiscopus Nerbonensis, deinde Cardinalis Sabinensis, deinde Papa sanctissimus. Hic habuit vnam filiã nomine Cæciliam, quam multi magni nobiles de prouincia ab ipso petierunt in vxorem: quos deridens dicebat, vos non petitis Cæciliam sed Papam; Filia mea non est, sed Guidonis Fulcodij, cuius nequaquam filiam petere deberetis. Hanc autem noluit maritare, sed mediocriter eidem prouidens, quamdiu vixit voluit viuere honestè in quodam Monasterio monialium in Ciuitate Nemausensi. Habuit etiam vnum fratrem Rectorem Ecclesiæ cuiusdam parochialis, honestum virum, & sanctæ vitæ, quem sobriè diligebat: hunc autem noluit altius promoueri, nisi quod vnam meliorem parochiam, dimissa alia eidem concessit; nullum de suo sanguine altius extulit, sed de Eleemosinis suis mediocriter sustentauit eos, qui indigebant: Rectus fuit adeo in omnibus vt nulli Regi, vel Principi deferret, & ideo ab omnibus diligebatur, & timebatur, maximè à sancto Ludouico, quondam Domino suo, qui ad inuicẽ de sanctitate vitæ crebris exercitationibus consolabantur, & in bonis actibus quilibet finiuit vitã multis miraculis coruscando. De quo B. Ludouico pro eo quod eius C

Quid responderis petentibus sibi dari filiam eius in matrimonium.

Amatur à S. Ludouico Rege Franciæ.

Vterque miraculis claret.

sancta

A sancta Gesta in partibus nostris Germaniæ ita communicata non sunt sicut in Francia, aliqua sub compendio essent dicenda ad eruditionem & exemplum modernorum Principum ac etiam Prælatorũ, si tempus pateretur.

ANNOTATIONES.

1. Instinctu cuiusdam reclusæ iuxta Ecclesiam S. Fidis:] *Vrbanum 4. instituisse festum venerabilis Sacramenti instinctu B. Euæ reclusæ ad S. Martinum Leodij, ex professo ostendimus in tractatu historico de prima & vera origine festi corporis & Sanguinis Domini, quem ad calcem huius secundi tomi imprimi curauimus: ostendimus quoq; S. Iulianam primam fuisse, cui Deus hoc mysterium huius festi reuelauit, nonnullas præterea sanctas virgines, vt Elysabetham Hoyensem reclusam, &* B *aliam ad sanctum Remaclum in suburbio Leodiensi fuisse huius mysterij conscias. An vero fuerit alia reclusa iuxta Ecclesiam S. Fidis in altero suburbio Leodiensi, quæ huius quoq; mysterij fuerit conscia, & promotrix, hucusq; non legi nisi apud hunc auctorem nostrum.*

2. Quod ex tunc à Leodiensibus est receptum:] *Quando, vbi, & quo ordine istud festum ab Ecclesiis receptum fuerit ostendimus in tractatu nostro, de quo ante aliquid diximus.*

3. His temporibus Vrbanus quartus:] *Consonat ijs quæ in tractatu de origine festi corporis Domini notauimus.*

4. Anno Domini 1264. Cometes qualis nunquam tunc apparuit:] *Adstipulantur chronica: Augustense per Mathæum Mareschalcum Canonicum Bappenheimensem* C anno Domini 1264. Cometes, *inquit*, tam nobilis apparuit, qualem tunc nullus viuens ante vidit. Ab oriente enim cum magno fulgore fulgens, vsque ad medium semi vesperum versus occidentẽ comam perlucidam protrahebat, & licet in diuersis partibus mundi forte multa signauerit, hoc tamen vnum compertum est, vt cum plus quam per tres menses durauerit, ipso primum apparente, Papa Vrbanus cœpit infirmari, & eadẽ nocte, qua Papa expirauit, & Cometes disparuit. *Et paulo post.* Sequenti anno Cometam priori anno visum multa incommoda subsequuntur. In diuersis namque regionibus inter Reges & Principes cædes hominum multæ fiunt. Mortali- D tas quoque hominum & pecorum non mediocriter est sequuta, &c. Quæ apud auctorem nostrum vera esse reperies.

5. De quo B. Ludouico:] *Ludouici vitã perstringit Bonifacius octauus: Scripsit eandem Iodocus Clictoneus anno 1516. potissimum, vt, ait ex opusculo Godefridi de Bello loco ordinis Prædicatorum, qui viginti annis confessionum S. Ludouici fuit auditor. Clictoueus cum bulla excusus est Parisiis. Item de eo Surius pag. 906.*

CAPVT

De obsidione Oppidi Mechliniensis & alijs bellis per Henricum Episcopum Gestis, de arce S. VValburgis per Leodienses astu quodam capta & euersa, & quibusdam alijs.

CAPVT VII.

Henricus Episcopus cingit obsidione Mechliniam.

Turrim apud VVyc diruit.

ANno Domini 1267. Cum Ducis auxilio Mechlinia rebellaret Episcopo, Idem valido exercitu cingens obsidione Mechliniam, defectu victualium circa principiũ hyemis negotio redijt imperfecto. Et cum ab obsidione reuerteretur, offensus turrim, quam Dux apud Wyc in Traiecto fundauerat, funditus diruit, & castrum suum de Monteforti in terra Guelriæ de turris huius lapidibus instaurauit. Et solus, & in solidum Iurisdictionem exercuit in Traiecto. Sed & castrum Domini de Iacea, Hirgia dictum, expugnando prædauit, Dominum eius ad obedientiam compellendo. B

Conradinus capitur eiusque caput sententia cuiusdam iudicis amputatur.

Anno Domini 1268. Conradinus, ex Conrado Rege Alamaniæ sub Imperatore Frederico patre suo, nepos Frederici. Filiusque Conradi, cum exercitu maximo Teutonicorum, Lombardorum pariter, & Thuscorum, Romam veniens velut Imperator magno desiderio recipitur à Romanis. Et assumpto secum Senatore vrbis Henrico Fratre Regis Castellæ, auitum Siciliæ regnum recuperare desiderans, venit in Apuliam, & cum Carolo duro campestri bello dimicans, cum nobilibus multis capitur, eiusque caput sententia cuiusdam Iudicis amputatur: Quod factum contra Ius bellicum Principibus videbatur, nam in victorijs capto misericordia iam debetur maximè in quo pacis perturbatio non timetur, *vt in decretis legitur 20. 3. q. 2. c. noli.* Sed huius Iudex, capite dimisso, sententiæ, caudam forsitan alteri iunxit legi dicenti, quod miles turbator pacis est capite puniendus, *ff. de re militari, l. vltimâ, in fine.* Sed Iudex voluntatem creditur magis regiam, quam Iuris forte sententiam persequutus, propter quod Guido Comes Flandriæ, qui tunc aderat, ascendenti forte gradus huic obuius Iudici, à se percussum capite clauâ deiecit, inquiens, In tam nobile caput sententiam non proferes amodò tam crudelem. C D

Castrũ S. VValburgis astu à Leodiensibus capitur & diruitur.

Anno Domini 1269. Cum per gradus castri S. Walburgis satellites Episcopi ad ciuitatem pro libito descendentes Ciues premerent contra pristinam libertatem, accidit custodes die quadam in ciuitate nuptijs quibusdam interesse, in castro solâ muliere relictâ ponte leuato: Ciuitatis Rectores sui videntes propositi tempus aptum, præmittunt quendam, vt canistrum vuis refertum Castri custodibus præsentaret; sed muliere pontem dilabi non sinente, Canistro portitor ad pon-

A ad pontis pedem relicto, in proximo se abscondit. Tunc mulier ponte demisso canistrum arripit; accurrens autem portitor alios, pontem occupans, acclamauit: tunc omnes pariter congregati castrum funditus destruxerunt, vnde guerra pristina renouatur, qua Hoyenses, Dionantenses, & Sanctitrudonenses Leodiensibus assistebant: Sed mediante Margaretâ matre Comitis Flandriæ, quæ forte Namurcum venerat, à ciuibus datis Episcopo tribus millibus marcharum Leodiensium, quibus turrim redimere poterant, vti dicebāt, Pax nouissima confirmatur.

Guerra pristina renouatur. Pax confirmatur.

Anno Domini 1270. Cum sanctus Ludouicus Rex Franciæ, qui laboribus & captiuitate pristinâ non perterritus, pro recuperatione terræ sanctæ cum multis nobilibus & Prælatis denuo transfretasset, B vnus de duobus filijs Regis quos adduxerat Ioannes tristans, pestilētiâ, quæ circa mare vigebat, occubuit; quæ post Legatum Papæ, ac ipsum Regem Franciæ, cum nobilibus multis assumpsit: cum iam & Carthaginem prope Tunitium manu valida occupassent, tunc frater eius Carolus Rex Siciliæ, pro quo Ludouicus miserat, superuenit, qui cum Saracenos inciperet impugnare, Saraceni perterriti pepigerunt, & solutis expensis Rex Tunitij Regis Siciliæ tributarius est effectus.

S. Lodouicus Rex Franciæ cum multis alijs peste moritur.

His temporibus Guido Comes Flandriæ cum Namurcum obsedisset, quod ad se pertinere dicebat, Ioannes Comes Hannoniæ Filius Ioannis de Auennis asserens quod Comes Lutzilburgensis illud C in feudum tenebat ab eo, obsidionem soluere properabat; sed factis matrimonijs concordantur, Guido namque Flandrensis cum comitatu Namurcensi filiam Comitis Lutzilburgensis accepit vxorē, cuius etiam soror Comiti Hannoniæ copulatur, à quo Guido dictum Comitatum in feudum releuauit.

Guido Comes Flandriæ Namurcum obsidet & quare. Mox initur cōcordia.

Anno Domini 1272. parum ante natiuitatem Domini, vel 1273. post natale (prout data tunc mutatur in curia Romana) Gregorius decimus de Placentia, Archidiaconus Leodiensis, de genere vicecomitum, quæ est nobilis domus inter cæteras Placentinas, cum esset vltra mare peregrinationis causa, in Papam eligitur, qui rexit annos quatuor, dies decem, & vacauit Ecclesia dies decem.

Gregorius Archidiaconus Leodiensis in Papā eligitur.

Anno Domini 1273. Richardus Rex moritur, & Rodulphus Dux D Austriæ in Regem Alamaniæ coronatur.

Rodulphus Dux Austriæ in Regem Alemaniæ coronatur.

ANNOTATIONES.

1. Cum Ducis auxilio Mechlinia rebellaret Episcopo:] *Totam hanc historiam refert similiter Ioannes Prasbiter, & post illum Chronicon Gemblacense & alia posteriora.*

2. Anno Domini 1269. cum per gradus Castri S. Walburgis:] *De castro Episcopi astutia capto & destructo idem referunt supranominatus Ioannes Prasbiter, & Chronicum Gemblacense.*

3. Anno Domini 1272. Parum ante Natiuitatem:] *Intelligentur clarius quæ deinceps sequenti capite de hoc Henrico Episcopo subijciuntur, si hic inseramus, quædam, quæ anno præcedenti, hoc est 1271. illi contigerunt.* Anno Domini (*inquit Chronicũ Tungrense*) 1271. die 10. Maij Hẽricus Episcopus violauit Berthã filiam Cõrardi dicti Coen le Frison, qui ferebat arma Dominorum de Pratis & de Iuppilia. Vnde nobiles de Prato, qui antea fuerant Episcopo amici fideles, facti sunt inimici mortales: vnde altera die facta est querela in Capitulo Leodiensi, sed dum Theobaldus de Placentia Canonicus & Archidiaconus eum increparet, Henricus Episcopus eum cum pede calcauit: sic quod illi de Prato voluerunt inuadere & occidere ibidem Episcopum, Theobaldo Archidiacono prædicto prohibente, qui Theobaldus post quatuor dies, iter versus curiam Romanam accepit, ad informandum Papam super excessibus Henrici Episcopi Leodiensis. Tunc illi de Prato quia Episcopus à Leodio recessisset destruxerunt castrum sanctæ Walburgis præter portam, quæ adhuc est: dum autem Archidiaconus Theobaldus vltra viterbium processisset, obuiauit Marchioni de Frerare, qui eum Leodij quærere venerat, quia Papa esset electus, & ipso admirante Romã perrexit, & in Papam est coronatus ipso die Epiphaniæ, & Gregorius decimus est vocatus, & vacauit sedes ab anno 69. quando Clemẽs obijt. Tũc Papa Gregorius misit Hẽrico Episcopo epistolã, quomodo si ab excessibus & inconuenientijs suis cessaret Episcopatum suum possideret, quam Epistolam Henricus Episcopus misit Capitulo Leodiensi, comminando eis de reditu suo in breui, & de vindicta sumenda de inimicis.

Quod accusatus Episcopus à suo populo de varijs insolentijs citatur personaliter à Gregorio 10. ad Concilium vniuersale Lugduni, vbi non expectata sententia Episcopatui cedit.

CAPVT VIII.

Henricus Episcopus Episcopatu priuatur.

ANno Domini 1274. Gregorius decimus Pontificatus sui anno 2. Lugduni vniuersale, pro passiagio terræ sanctæ, Concilium congregauit; ad quod dum fuisset hic Episcopus personaliter euocatus, & Leodienses, Hoyenses, Dionantenses, ac Sanctitrudonẽses hoc perpenderent, destinant ad Concilium, qui de insolentijs ipsum & deflorationibus virginum accusarent. Cum Papa vellet procedere contra ipsum, petijt, an vellet cedere, vel sententiam expectare: Qui sperãs obtinere gratiam, annulum resignauit; sed inanem hunc Papa permisit abire: Quod ideo (licet non verisimiliter) dicebatur, quia dudum, cum idem tunc esset Theobaldus Archidiaconus Leodiensis, occasione quadam in capitulo Episcopus pedem leuasset,

Caussa depositionis parum verisimilis.

A ſet, vt eius pectus impingeret, vel impegit. Hic licet illiteratus eſſet, & viueret diſſolutè, per probos tamen & literatos viros ſpiritualia gubernabat, & patriam ab hoſtibus viriliter defendebat. Hic poſt depoſitionem ſuam duodecim vixit annis. Huic Papa ante priuationem ſuam pulchram deſtinauit epiſtolam, cuius tenor ſequitur in hæc verba.

ANNOTATIONES.

Sed inanem hunc Papa permiſit abire:] *Quod hoc verſu quidam vetuſtus ſcriptor non ineleganter expreßit.*

Qui fuit ante Comes, Dux, Marchio, ſimul & Abbas,
B De thalamo Papæ tantúmodo præsbiter exit.

Epiſtola pia & erudita, quam Gregorius Pontifex ſcripſit Henrico antequam eum Epiſcopatu priuaret.

CAPVT IX.

DEbet vnuſquiſque cui Dominicus grex committitur, & cura imminet animarum, ſuper gregem ipſum (*diſt. 81. cap. oportet*) vigilias aduerſus nequitias ſpirituales obſeruare: nam vi-
C gilias ſalutares eſſe, nullus ſanæ mentis ignorat, quia reuera plus vigilare, plus viuere eſt. Quid eſt tam morti ſimile quam dormientis aſpectus? aut quid tam vita plenum, quam forma ſeu conditio vigilantis? Indulgendum quidem ſomno eſt, vt quis corpus reparet, nō ſoluat; vt vires reuocet, non eneruet. Quænam ars, quod opus, officium, ſeu poteſtas, quæ non vitæ lucubratione proficiat, & quæratur? *Plus vigilare plus viuere eſt*

Nauta enim vigilando calles tranſit inuios, & nocturno veſtigio ad lucroſi portus votiuam peruenit manſionem: Paſtor ſibi totum denegat dormiendi tempus, ne qua lupis, ſuffragāte ſomno, graſſan-
D di in gregem occaſio præbeatur: viator etiam ſolers, æſtus, per noctis ſemitas, ſolis præuenit, & actum diei prouidentius deputat manſioni: miles quoque in caſtris ſuperuenientes impetus nocturnos ſolita pernoctatione propellit: At Rex in procinctu peruigil callidi hoſtis præcauet inſidias, & euitat.

Si itaque tantæ exiguntur vigiliæ, vbi de temporalibus agitur & caducis, euidenter apparet, quod ſollicitudinis oculus claudi non debet, vbi fructus ipſarum perquiritur animarum. Tenetur ergo quilibet pro gregis ſui cuſtodia ſummoperè vigilare Prælatus: Sed lumbis præcinctus: Tota enim in præcingendis lumbis cura mandatur, totum in conſtringendis ipſis à Dei filio ſtatuitur Ius præcepti: addito tamen lucernarum ſolatio, ſine quo nec noctis aperitur obſcuritas, *Oculus ſollicitudinis claudī non debet vbi fructus quæritur animarum.*

 tas,

Lumbi præcingendi ante omnia & quare.

tas, nec venientis diei clarescit aspectus. Sed cur lumbos potissime nominat, cur tanta iubentis auctoritas lumborum signanter efficit mentionem? Hoc profecto accidit, quia in lumbis est tota penè humani lapsus, & humanæ fragilitatis occasio: Propter quod principaliter ipse Dei filius (*Lucæ duodecimo, & habetur de pœnitentia, distin. quinta, capite qui sanctus*) lumbos præcingi iubet baltheo castitatis, totumque carnis pendulum, fluidum, resolutum constringi mandatur ligatura virtutis, vt carne succincta liberior ad Deum ipsi Prælato pro subditis sit accessus. Nam tunc non carnis corruptela, non mole corporis prægrauatus, inter Deum & subditos eosdem seipsum, iuxta etymologiam nominis, pontem facit: Offert namque ipsi Deo tanquam mediator legitimus populi preces & vota; & per ipsum tanquam pontem medium, benedictio eius reportatur, & gratia. Ingratis enim improperat diuinæ bonitatis beneficia, contemnentibus potentiæ seueritatem insinuat, vtrisque tamen studet indignantis placare feruorem; nunc hominum infirmitatem, nunc diuinæ prætendens magnitudinem pietatis.

In pastore non sufficit conscientiam mundam habere.

Oportet lucernas ardentes tenere.

Constringenda ergo est ipsa caro continentiæ cingulo, ne effusa vitijs ac toto peccatorum grauata pondere, cælestibus ipse Prælatus pro se ac subditis insistere minus possit. Sed nec quidem carnis impetus refrænare, paruulos ad petram elidere (*De pœnitentia distinct. tertia, capite in salicibus*) & quod maius est conscientiam mundam habere non sufficit in pastore; Imo vltra id oportet vt lucernas in manibus habeat, tum ex eo quod Lucernæ semper in testimonium innocentiæ tempore nocturno portantur, tum etiam, quia sicut vitijs amicæ sunt tenebræ, ita lucernæ semper sunt criminum inimicæ. Nec tamen istud satis est in Prælato, nisi ipse deferat lucernas ardentes, quia & si lucere est vanum, ardere parum; ex his tamen duobus conficitur quid validum & perfectum. Nam quid lucernæ ardentes, nisi exempla in ipso Prælato vitæ sanctitate præclara, quæ dum fomentis operum, misericordiæ oleo, ac charitatis inflammantur ardore, ipsum Prælatum talem exhibent, & ostendunt, quod dici potest merito forma gregis (*dist. 95. c. Esto*) ac populi sui salus.

Henricus Episcopus de præmissis nihil habes.

Recensentur aliquot eius crimina.

Dolere itaque merito, & gemere debes, & potes, & nos vice tuâ, cum te syncere diligamus, non amaricari non possumus ex eo, quod si vera sunt quæ de te dicuntur, non tanquam Pastor, sed Idolum nihil obtines de præmissis, quia gregis tui profectibus non inuigilas, nec intendis. Zona continentiæ non inhæret lumbis tuis, nec exempla vitæ, sed mortis transmittis ad subditos, quos tyranne prosequeris non complecteris charitate. Quæ vero publice de tua dicuntur persona, & si non omnia, aliqua tamen tuis pro tua salute aspectibus volumus tenore præsentium præsentari, vt saltem rubore perfusus, spiritum iuxta desiderium nostrum emendationis assumas, reddasque te talem, quod nobis de tua correctione gaudentibus, plorandi te

A di te mortuum, culpaque prostratum de cætero necessitas non incumbat. Accepimus namque non sine multa mentis amaritudine, quod tu Episcopali grauitate prorsus abiecta, symoniæ, incontinentiæ, alijsque varijs & diuersis criminibus irretitus, voluptatibus & desiderijs carnis te totaliter deputas, ita quod tam ante promotionem tuam, quam etiam post, quamplures filios & filias procreasti. Qui etiam in operibus mortis gloriam tuam ponens, & quandam Abbatissam ordinis sancti Benedicti tibi publice constituens concubinam, dum sederes in quodam conuiuio coram omnibus qui tunc aderant impudenter confessus fuisti, te infra viginti duos menses quatuordecim filios suscepisse, quorum aliquibus in minori constitutis ætate beneficia Ecclesiastica cum curâ, vel sine
B curâ contulisti, & ab alijs procurasti conferri: Alijs etiam filijs tuis vtriusque sexus, quos matrimonialiter nobilibus & potentibus procurasti coniungi, bona tui Episcopatus mobilia & immobilia assignando.

Abbatissam habet concubinam.

Bona Episcopatus pro dote assignat prolibus

Ad maiorem quoque tuæ damnationis cumulum in quodam manerio tuo, quod Parcus vulgariter nuncupatur, quandam monialem monasterij sanctarum virginum eiusdem ordinis diu tenens, alias mulieres eidem moniali associare curasti; & cum ad locum illum accedis, relictis exterius illis quos tecum Ducis solus ingrederis ad easdem. Præterea cum in cœnobio quarundam monialium Diœcesis tuæ, Abbatissæ regimine destituto electio Abbatissæ Cano-
C nicè celebrata fuisset, tu huiusmodi electione cassata quandã puellam natam nobilis viri . . Comitis de . . cuius filio quandam filiam tuam in vxorem tradideras, in Abbatissam ibidem præficere præsumpsisti, quæ postmodum ex te sibi incestuose concipiens nuper peperisse dicitur in totius scandalum regionis. Ad hæc cum quædam alia monialis, quam sollicitaueras tuæ prudenter non acquiesceret voluntati, quidam clericus frater ipsius monialis, te promittente sibi quod de beneficio prouideres eidem, monialem prædictam, cui mendaciter suggesserat quod ipsam ad quandam villam duceret causa visendi consanguineos quos habebat in ea, ad quod-
D dam manerium tuum fraudulenter adduxit, quæ iam ex te dicitur concepisse. Sicque nominatus clericus præbendam in Ecclesia Leodiensi ex collatione tua extitit assecutus. Insuper autem tres filios, quos genuisti de prædicta moniali sanctarum virginum fecisti recipi in Ecclesiâ tuæ Diœcesis in clericos & in fratres, duas similiter filias ex eadem moniali suscipiens, earum alteram A. Filio eiusdem Comitis tradidisti in vxorem, cui possessiones emptas de bonis Ecclesiasticis pro mille quingentis marchis argenti diceris contulisse. Porro cum pro Ecclesiæ debitis, quibus Episcopatum tuum obligatum dicebas, vicesimam Ecclesiasticorum redituum Ecclesiarum tuæ Ciuitatis, & Diœcesis tibi obtinuisses ab Apostolica sede concessi, tu ipsa vicesima non contentus in qualibet Ecclesia tuæ Ciuitatis

Fit incestuosus scandalo totius regionis.

Filiam dat Comiti in coniugẽ & dotem assignat tantam.

 & Diœce-

& Diœcesis fructus dimidię præbēdæ, prætextu terrarū Ecclesiæ Leodiēsis, quas obligatas mendaciter asserebas, percipis annuatim. Et tā A
prædictam vicesimā, quam eosdem prouentus congregas; vt ex eis prædictos tuos filios locupletes, prout eo patet, quod quadam vice dum ægrotares, palā asseruisti id dumtaxat cordi tuo esse molestius, quod male de negocio tuorum cogitaueras puerorum. Illud etiam non duximus omittendum, quod si aliqui super prouisionibus suis de beneficijs ad tuam collationem spectantibus Apostolicas literas impetrant, tu ipsos vti huiusmodi literis aliqualiter non permittis; & si contra fecerint, eos personaliter capi, & carcerali facis custodiæ mancipari, in grauem Apostolicæ sedis iniuriam, & contemptum. Et quod ita sit, manifestè conuincitur ex eo quod dilectum B
filiū A. clericū, natum nobilis viri Comitis de .. turpiter eijci fecisti de ipsa Ecclesia Leodiensi, resignare compellens eundem quendam Archidiaconatum, qui sibi in eadem Ecclesiâ ex eiusdem Sedis gratiâ competebat: Ad hæc tu libertatem & immunitatem Ecclesiasticam, quantum in te est, euacuare contendens, sæculares, ac etiam religiosos, Clericos atque laicos, indebitis exactionibus aggrauas. Et si forte aliqui personarum suarum periculum vitare volentes ad Ecclesiam confugiant, ipsos puniendos facis extrahi exinde violenter in derogationem Ecclesiastici iuris, quod super hoc in illis partibus laudabiliter obseruatur. Iura quoque Ecclesiarum aduersus nobiles, qui ea sæpius occupant, non defendis: Et in exercenda tempo- C
rali iusticia, prout ad te pertinet, omninò negligens & remissus existens, fures, homicidas, & malefactores alios deprehensos pro commissis excessibus puniri, dummodo tibi ab eis persoluatur pecunia, animaduersione debita non permittis. Quid plura? Horas Canonicas, maximè cum eas nescias, & illiteratus existas, in animæ tuæ periculum prætermittens, laicalibus & interdum purpureis vestibus te induis, zonis argenteis, & deauratis vteris: ita quod te non prælatum, sed potius militem repræsentas. Ha Deus! Si hæc vera sunt, imò quia sine aliqua dubitatione pro veris habentur, quid faciet populus Leodiensis tibi commissus, quem non salutis pabulo reficis, sed inficis perniciosis exēplis? Grex iste Leodiensis quomodo inue- D
niet pascua, quæ tu pastor ignoras? quomodo dirigetur per viam, quam tu Dux eius non tenes? aut quomodo à contagione curabitur, quâ tu eius medicus es infectus? non enim *mundatur aliquid ab immundo* imò qui sordes vult alienas diluere, mundas manus debet habere (*1. q. 1. c. necesse est.*) Ha Deus, si populus iste indigeat gratia Dei, quomodo eam, quam tu non habes, sibi poteris precibus impetrare? nam *peccatores non exaudit Deus*, & dum Reus ad intercedendum mittitur, ad deteriora irati Iudicis animus prouocatur. (*xlij. distinct.*) Ha deus! cur tu sic es famæ prodigus, & salutis oblitus, quod obseratis interioris hominis auribus, diuinæ comminationis tonitruum non attendis? Clamat enim quæ non mentitur scriptura. Et quid clamat? *Quod exiguo*

Apostolicas literas contēnit.

Ecclesiasticam libertatem & immunitatem enarrat.

Fures, homicidas, & alios malefactores pecunia corrupτus solerat.

Eccli. 34. c.

Ioan. 9. c.

A *exiguo debetur misericordia, sed potentes potenter tormenta patientur* (viij. q. 1. c. Illud) *& graue iudicium imminet his qui præsunt*: nam si manus hominis euaseris, ipsius tamen Dei, pro tantis excessibus manus effugere non valebis. O quam terribilis est in iudicio ipse Deus; nam furor est Zelus ipsius. In die vindictæ non parcet; non acquiescet cuiusquam precibus, non verebitur vultum potentis, & in muneribus non flectetur. Tu vero qui gregem ipsum sic pereundo perimis, si inest tibi, tãquam homini, aliquid rationis, si qua scintilla diuini timoris imminet cordi tuo, si deuotionem aliquam ad nos habes, ingredere saltẽ nunc in cubiculum mentis tuæ, & diligenter attende defectus, quos circa officium pateris, pastorales, ac maculas quibus respergeris, tãquam vitiorum sentina: tunc si tuam salutem non negligis, sed velis salubriter ab huiusmodi labe curari, & tam seuerũ declinare iudicium animarum quasi *vnigeniti fac tibi planctum*: lamentatrices aduoca, vt super mortuum & abiectum lamentum doloris assumant, & terram pro te lachrymis irrigãtes, tibi veniam impetrent, antequam tartarus rapiat, & exterioribus tenebris inuoluaris festina conuerti ad deum; noli tardare, ne si in mora fueris, iam non sit locus remedio, ex quo vitia fuerint in mores conuersa, non enim longè sunt lamentatrices hominum, sed inueniuntur Leodij scilicet mulieres, & viri religiosi, qui profundis gemitibus sua, & aliorum sæpè peccata deplorant, quorum si velis, suffragijs poteris vtiliter adiuuari. Nec te quidem oblectatio deinceps peccati seducat, quia æternũ est, quod cruciat, & si sit momentaneum quod in ipso peccato delectat, nec te florida iuuentus decipiat, longum tibi ad pœnitendum spatium temporis promissura, quia res Deus humanas ita celeri citatas turbine versat, vt nemo quantumcunque iuuenis iam sibi possit crastinum polliceri. Protinus itaque tuæ prouisurus saluti aduoca medicum animæ tuæ languoribus congruentem, cuius salubri consilio sic cõmissa fletibus diluas, quod ea vlterius non committas; orationi quoque insistere, vacare ieiunio, & misericordiæ operibus studeas inseruire, quia si horum munimine vallatus persistiteris, Diaboli iacula, mundi machinas, & carnis dementes impetus, tanquam bellator dominicus, non poteris formidare: nam ieiunio cogitur caro seruire spiritui, oratione tentator fugatur, & fluentis misericordiæ in persona proximi ipse Deus se asserit visitari. Circa diuinum quoque ac Pontificale officium sic te sedulum & deuotum exhibeas, quod licet tuæ seruitutis sit debitum, eo tamen ipsi Deo fiat acceptius, quo & deuotius fuerit persolutum. Denique renoueris spiritu mentis tuæ, *vt veteri homine*, qui ambulauerat iuxta desideria carnis suæ, prorsus *deposito, nouum induas hominem qui creatus est in iustitia & sanctitate*, vt per hoc tam subditi tui quam etiam alij conuersationem tuam bonam videntes glorificent ipsum Deum. Et ex fragrantia bonorum operum fiat eis *odor vitæ in vitam*, quibus prior fueras *odor in mortem* exigẽtibus culpis tuis. Quod autem ad præsens sic scribimus, officium nostrum, cum

Deus

Sap. 6. c.

Exhortatur ad penitentiam.

Zach. 12.

Leodij sunt viri & mulieres Religiosi qui sua & aliorũ peccata deplorant.

Vacandum orationi ieiunio & operibus misericordiæ.

Vetus homo deponendus & induendus nouus.

Coloss. 3.

2. Cor. 2.

Deus nos licet indignos speculatorem domus Israel deputarit, hoc A
requirit, quia si tibi non denũciauerimus vt à via tua mala auertaris,
Ezech. 3. & viuas, *sanguis tuus est de nostris*, testante scriptura, *manibus requirendus*.
Gregorij Papæ amor erga Episcopum & Ecclesiam Leodiensem. Sed profectò nos ad id non tantum ipsum inducit officium, imò & charitatis synceritas, quam ad tuam personam & Ecclesiam tibi cõmissam specialiter habemus, quæ nos circa salutem tuam, & honorem dictæ Ecclesiæ sic sollicitos efficit & attentos, quod tunc quiescere seu silere non possumus, vbi tibi, & eiusdem Ecclesiæ ex præmissis casum seu iacturam conspicimus imminere. Tu ergo *in mansuetudine spiritus, quod tuam potest saluare animam*, reuerenter suscipias verbũ nostrum paternum, exauditione quidem dignum. Sicque diligenter illud adimpleas, quod nobis desiderantibus tuam salutem ad gaudium, tibique secundum vtrumque hominem cedere possit ad profectum. B

Iacobi 1.

De Ioanne Enghiensi Episcopo Leodiensi.

CAPVT X.

ANno Domini 1274. In eodem Concilio Lugdunensi, Henrico Geldrensi deposito, Ioannes de Enghien Tornacensis Diœcesis & eiusdem Ecclesiæ Tornacẽsis Episcopus (quem transferendo in Leodiensem Ecclesiam commendat eximiè idem Gregorius, vt sub bulla ipsius penes nos retenta perhibetur) nobilis ac honestus, & forma conspicuus, 42. à Beato Lamberto, à Beato vero Materno 70. Leodiensis Episcopus per eundem Gregorium subrogatur, Abbatia sibi tradita Stabulensi, In vigilia omnium sanctorum Leodium veniens multis nobilibus comitatus. C

Gregorius Pontifex commendat Ioannem Enghiensem.

ANNOTATIONES.

1. Ioannes de Enghien:] *Variè nominatur, Gesta Abbatum Stabulensium sic nominant Ioannes de Argiuis. Alia Chronica Ioannes Agnius, Alia Angus, vel Anguijs.*

2. Nobilis ac honestus:] *Fuit secundũ Gesta Abbatum Stabulensium nepos Regis Francorum & doctor Theologus. Huic Rodulphus Romanorum Rex, vt eadem Gesta testantur, impensè fauit, condonationes aliorum Episcoporum indulsit & priuilegia non modica concessit. Quæ omnia confirmantur ex chartis Ecclesiæ Leodiensis quæ sic habent.* D

ROdolphus Dei gratia Romanorum Rex semper augustus Vniuersis Imperij Romani fidelibus præsentes litteras inspecturis imperpetuum.

Ad vniuersitatis vestræ notitiam volumus peruenire. Quia nobis nuper

A nuper in ciuitate nostra Oppenheim pro tribunali sedentibus in cõspectu Regiæ nostræ maiestatis sententialiter extitit iudicatum, omnium astantium applaudente caterua, quod contra priuilegia, libertates, & iura, quæ à diuis Imperatoribus & Regibus Romanis nostris prædecessoribus inclitis, ac à nobis concedi contigit Ecclesijs nostræ ditioni subiectis nullius inferioris tribunalis auctoritas aliquas posset proferre seu promulgare sententias ipsis priuilegijs, libertatibus & iuribus præiudiciales aliqualiter, aut nociuas. Qua vtique data & approbata sententia, honorabili viro Alexandro de Bruneshouij Canonico & procuratore almę Leodiensis Ecclesię postulante, constãter à nobis sententiatum specialiter fuit ibidem iudicio non dispari, pari forma. Quod villico & scabinis Leodiẽsibus aliqua prorsus non B adesset aut posset adesse facultas contra immunitates, priuilegia, libertates, & iura eidem Ecclesiæ Leodiensi, ac alijs Leodiensibus Ecclesijs à diuis prædecessoribus nostris Imperatoribus & Regibus Romanis indulta sententias aliquas proferendi, seu contra eadem aliquo modo, vel impetu veniendi.

Huius autem requisitioni & prolationi sententiæ interfuêre præsentes hi, quorum nomina subsequuntur: Venerabilis E. Wormaciẽsis, & H. Tridentinensis Episcopi, & Wormaciensis, & Spirensis, Decani, Carinthiæ & de Cotokin Duces, E. Comes de Katzenellinboghen, R. Comes Hyrsictus, H. Comes de Vriburch. Ph. de Hoeunk, & Th. filius eiusdem Ph. de Bosand, & complures alij.

C Nos itaque prænotatam sententiam, vt pote Deo & hominibus acceptabilem, approbantes, & cupientes inuiolabiliter obseruari dilectis & fidelibus nostris Villico & scabinis Leodiẽsibus, sub obtentu gratiæ nostræ suique honoris, præsentium serie firmiter damus in mandatis, ne erga clerum eiusuè familias in præiudicium priuilegiorum suorum à nostris, vt dictum est, prædecessoribus indultorũ, innouatorum, & confirmatorum à nobis, ex certa scientia vllas deinceps audeant promulgare sententias, per quas eis aliquod præiudiciale dispendium quomolibet inferatur. Si enim, quod absit, secus euenerit, quicquid in contrarium attentauerit quorumcunque præsumptuosa temeritas, hoc edicto regali decernimus irritum prorsus & inane, illosq;, vel illum, cõtra quos, vel contra quem fortassis hu-D iusmodi sententias proferri cõtigerit, per easdem in aliquo non ligari: Sed si per aliquos de familia cleri Leodiẽsis, excessus aliqui fuerint perpetrati, per illos quorum interest de huiusmodi excessibus cognoscere ipsis volumus indicari, iuxta quod in priuilegijs earundem Ecclesiarum Leodiensium plenius est expressum.

In cuius rei testimonium præsens scriptum exinde conscribi & nostro maiestatis sigillo iussimus communiri. Datum apud Oppenheim 4. Idus Septembris indictione tertia, anno Dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, regni verò nostri anno secundo.

Et ego Simon Rayneri imperiali auctoritate, & nunc officij Archidiaconatus Bononiensis notarius publicus tenens, videns, & legens A praemissum scriptum in littera non corruptum, non cancellatum, non abolitum, cui appensum cum rubea cordula de serico erat sigillum in forma rotundum, integrum, non confractum, nec diminutũ in aliqua parte sui, habens imaginem coronatae regiae maiestatis in sede sedentem, ac tenentem in manu dextera sceptrum regale, cuius summitas ad modum lilij est impressa, in sinistra quoque pomum rotundum immediate cum cruce desuper ad modum & morem regalium sigillorum, cum circumscriptione tali Rodolphus Dei gratia Romanorum Rex semper augustus, ad instantiam venerabilium virorum Dominorum Decani & Capituli ac cleri Leodiensis prout in B originali inueni, nullo diminuto, vel addito quod sensum immutet, fideliter & publice exemplaui.

Item aliâ confirmatio eiusdem Rodolphi Regis Romanorum super libertate cleri Leodiẽsis ab Henrico quinto Imperatore concessa data per copiam sub sigillo Officialis Leodiensis.

Vniuersis praesentes litteras inspecturis Magister Iacobus Castanea Canonicus & officialis Leodiensis salutem in Domino & nosse veritatem.

Noueritis nos litteras infrascriptas non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua sui parte viciatas, veroque sigillo sigillatas, prout prima facie apparebat vidisse, tenuisse, & legisse in hec verba.

Rodolphus Dei gratia Romanorum Rex semper augustus vniuersis C sacri Romani imperij fidelibus in perpetuum.

In excellenti specula Regiae Maiestatis ordinatione diuina foeliciter constituti ad prospiciendum vtilitati fidelium perspicacitatem oculorum longè lateque diffundimus, Ecclesiarum indemnitatibus praecauendo praecipue, ac earundem commoditatibus iugiter insistẽdo, vt per lubricum huius vitae transcursum salubriter transeuntes aeternae beatitudinis praemia consequamur.

Nouerit igitur praesens aetas, & successura posteritas; Quod dilecti fideles nostri Praepositi, Decani, & Capitula tam maioris, quam aliarum Ecclesiarum ciuitatis Leodiensis nostrae celsitudini humiliter supplicarunt, vt eorum priuilegia ipsis & Ecclesię Leodiensis à diuis Imperatoribus & regibus Romanis praeconcessa, etiam specialiter D quoddam priuilegium eisdem à clarae memoriae Henrico quinto Rom. Rege clementer indultum, cuius tenorem de verbo ad verbũ praesentibus annotari iussimus, innouare, confirmare, & declarare de regali munificentia dignaremur.

Tenor autem priuilegij ipsius est talis.

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis: Henricus Dei gratia quintus Romanorum Rex notum sit vniuersis, *vt habetur sub Oberto pag. 54.*

Nos igitur ipsorum benignis supplicationibus inclinati tam priuilegium.

uilegium ipsum, quam alia eis & eidem Ecclesiæ ab ipsis Imperatori-
A bus & regibus Romanorum in imperio legitimè institutis concessa auctoritate regalis culminis innouam⁹, & eis & per eos eidē Ecclesię confirmamus: quendam articulum in priuilegio ipso contentum de speciali nostra munificentia declarantes, videlicet, vt si alicuius Canonici seruiens, qui in conuictu suo sit aliquid in ciuitate peccauerit, nullum forense iudicium sustinebit nisi publicus mercator fuerit, sed in refectorio S. Lāberti, scilicet maioris Ecclesiæ à Forēsi potestate iudicabitur ad satisfaciendū secūdū quātitatem ipsius delicti, vel si quicūq; reus fuerit Dñi sui conductu cuius cliens est renuerit intrare refectoriū satisfaciet iudicio pariū suorū claustraliū seruiētium, & sunt claustrales, custodientes chorum & Capitulum Eccle-
B siarum & feretrum sancti Lamberti, ac thesaurum Ecclesię, pistores, pincernæ, & huiusmodi alij in ipsis Ecclesijs Leodiensibus speciala officia obtinentes, monente & mandante villico Præpositi maioris Ecclesiæ Leodiensis. Et cum per huiusmodi pares suos rite condemnati fuerint malefactores prædicti iudicio sæculari tradantur pro meritis recepturi.

Vniuersis igitur & singulis sub interminatione gratiæ nostræ, & specialiter villico & scabinis Leodiensibus, qui tunc sunt & erūt pro tempore sub obtentu honoris sui, pręsenti edicto mandamus quatenus contra huiusmodi libertatem, & priuilegiorum Leodiensium Ecclesiarum continentiam prout eis à nostris prædecessoribus Im-
C peratoribus & Regibus sunt indulta, & innouata & confirmata à nobis, nil penitus audeant attentare, seu contra libertates easdem siue clericos siue familias eorum in præiudicium libertatum huiusmodi sententias aliquas promulgare, sed ipsas Ecclesias patiantur concessis libertatibus & priuilegijs cum omni integritate ac illæsione gaudere.

Sub obtentu igitur gratiæ nostræ & pęna etiam priuationis sui honoris vniuersis & singulis districtius inhibemus ne aliqua persona alta vel humilis, Ecclesiastica vel sæcularis contra huiusmodi confirmationis, innouationis, declarationis ac inhibitionis nostrę tenorem
D ausu temerario venire præsumat.

Quod qui facere pręsumpserit præter grauem indignationem nostram, ac honoris priuationem, cētum marchas auri puri componet, & medietatem fisco nostro, & reliquam medietatem Ecclesiæ læsæ persoluet.

In huius rei testimonium præsens priuilegium exinde conscribi & sigillo maiestatis nostræ iussimus communiri.

Huius rei testes venerabiles Eb. & frater Henricus Wormaciensis & Tridentinensis Episcopi, de Decle & Karinth Duces, E. de Lymighen & de Catzennelleborghe, & R. de Bomenburgæ Comites H. Comes de Vriburch. Ph. de Hohennels & Th. filius eiusdem Ph. de

 Bolan-

Bolandia, & alij quamplures. A

Datum & actum in Oppenheim, anno Dominicæ incarnationis millesimo ducētesimo septuagesimo quinto, indictione quarta, idus Septembris, regni vero nostri anno secūdo. In cuius rei testimoniū, nos officialis Leodiensis supradictus litteris præsentibus sigillum officialitatis Leodiensis duximus apponendum.

Quod huius tempore parua occasione graues exorti fuerunt tumultus.

B

CAPVT XI.

ANno Domini 1275. Cum progenies castri de Bello forti fidelis Episcopo, & Episcopatui fauorabilis extitisset, quia Baillivus Condrosij Ialain villam Domini Ioannis de Gones, fratris Domini de Bello forti & Domini Rigaldi de Falais, vna vacca prædauerat, proinde discordia grauis exoritur Episcopatui pernociua.

Parua occasione grauis discordia exoritur.

Nam tribus prædictis fratribus Episcopatum infestantibus, Hoyēses mansiunculam dicti Ioannis in palude iuxta Tytantiam destruxerunt, castrum de Gones incendio deuastantes, castrumque de Belloforti obsidione frustra cinxerunt. Tunc Episcopus castrum de Falais fecit per Bailliuum Hasbaniæ obsideri; Dominus vero castri se sentiens imparem castrum suum in feudum à Duce Brabantiæ releuauit. Et cum Dux magnum exercitum, vt obsidionem solueret, congregasset, exercitus Episcopi relicta sede discessit. C

Tunc pariter & reliqui Duo Fratres castra sua receperunt in beneficium à Comite Namurcensi, terram beati Lamberti martyris relinquentes, vnde cum Comes Namurcensis hortatu Fratrum istorum terram Episcopatus tentaret inuadere, Hoyenses adiuncto sibi pariter agmine militari terram Comitis igne, ferroque vastarunt: quare Comes perturbatus, Flandriæ Comitis & Ducis Brabantiæ subsidium postulans, exercitu multorum collecto nobilium se parat in exitium terræ nostræ. At Comes Lutzilburgensis, qui venerat in auxilium Flandriæ Comitis, villam de Cennaco pro libito spoliauit funditus & euertit 14. Calendas maij anno Domini 1276. Et in crastino 13. Calendas maij, Dominica qua cantatur *misericordia* Dux Brabantiæ, prædata Meeffia, residuum igne consumpsit. D

Hoyēses terrā Comitis Namurcensis vastant.

Eadem die Comes Namurcensis apud Warnans tentoria fixit, & ibidem triduo remanens castrum cum villa destruxit.

Mense vero sequenti, 5. Idus Maij marescalcus Episcopi Hoyensibus associatus terram Comitis Lutzilburgensis, quæ Rendarca vocatur capta præda vastauit, villas 30. comburens.

Terra Comitis Lutzilburgensis ab Hoyensibus vastatur.

Eadem die Dionantenses cum Namurcensibus conflixerunt. Nam cum

A cum præmoniti Dionantenſes quod Namurcenſes ipſos inuadere feſtinarent, aduocatum ſuum Dominum de Rupeforti celeriter aduocarunt; qui cum tunc lecto decumberet, Iakettum fratrem ſuum tranſmiſit eiſdem. Appropinquantibus autem in manu valida Namurcenſibus in campis obuiant Dionantenſes, qui ſtatim ſe ſentiūt impares ad congreſſum; & retractis loris, vnde venerant, reuertũtur. Quos aduerſarij inſecuti portas, qui poterant, intrauerunt. At cuſtodes portæ cum quantum ipſis placuit introiſſent, crate deſuper pendente demiſſa reliquos excludunt. Incluſos vero octoginta numero, Dionantenſes trucidarunt. Demum in Regem Franciæ compromittitur, qui partes arbitrio concordauit. *Octuaginta Namurcenſes trucidantur.*

Anno eodem Adrianus 5. Eccleſiæ Romanæ præficitur, rexitque
B ſolo menſe, nouemque diebus, & vacauit cathedra 28. diebus. Iſte Adrianus nepos Domini Innocentij quarti de Comitibus Louaniẽſi & de Fliſco filius, formoſus valde, & magnificus fuit, magnaque conceperat, & pro parte inchoauit, ſed non valuit ad coronationem peruenire morte celeri preuentus.

Eodem anno ſucceſſit Ioannes Papa 21. de Vlixbona Hiſpanus, & prefuit menſibus octo, die vna, vacauit Eccleſia menſibus ſex, & ſeptem diebus; ante Petrus dicebatur diuerſis ſcientijs decoratus, ſed elatus valde ingloriosè præcipitatus caſu deceſſit.

Anno Domini 1277. 16. Calend. Aprilis, Comes Iuliacenſis cum duobus filijs, militibus pluribus & armigeris marte doctiſſimis in-
C conſultè Aquenſium ſubeunt mœnia cum populo bellaturi; quibus pariter interemptis Aquenſium pauci gladios euaſerunt. Sed Waleramus de Falcomonte paternis cautus periculis, qui ſimili caſu à Colonienſibus fuerat interfectus, cum cæteris introitum diſſuadere non poſſet, ipſos dimiſit, macellum cum eis intrare recuſans *Comes Iuliacẽſis incõſulte ſubit Aquenſium mœnia.*

Anno Domini 1278. In medio Februarij prout in noſtra Diœceſi tunc anni Dominicæ incarnationis in paſcate mutabuntur, fui natiuitatis exordium conſecutus, vnde verſus. *Aetas auctoris*

Mille ducenteno, bis quarto ſeptuageno
Anno, ſum mundo natus ſub menſe ſecundo.

D Hoc anno Nicolaus 3. natione Romanus, de domo Vrſinorum in Papam eligitur in die ſanctæ Catharinæ, qui præfuit anno vno, menſibus nouem, diebus ſex.

ANNOTATIONES.

1. Anno Domini 1275. cum progenies caſtri de Belloforti:] *Tumultus occaſione vaccæ vnius exortos fideliter hic narrari teſtatur Ioãnes Prasbiter, qui eadem licet barbaris verbis refert, teſtatur & Chronicon Gemblacenſe.*

2. *Magnũ Chronicõ de his clare multa paucu verbis exprimit, ſic enim habet.* Anno 1276. tres fratres caſtri belli fortis, multa mala Epiſcopatui Leodiẽſi pro ſola vacca, per Balliuũ Cõdroſij ſpoliata intulerũt quorum

primi duo dominium suum à Comite Namurcensi,& tertius à Duce Brabantiæ releuauerũt. Quapropter Comes Namurci & Flandriæ, A cum Duce Brabantiæ terram Episcopi Leodiensis intrauit,& multas villas igne & ferro deleuit. Similiter & Dux Lutzemburgensis ex alia parte intrans, Cennacum,& Oppidanos, qui in Ecclesiam beatæ Mariæ fugerant, simul cum Ecclesia & toto oppido igne combussit: quo eodem modo combusta atque vastata est Messia à Brabantinis, qui in auxilium dicti Comitis Flandriæ venerant. Sed tres illi filij diffidentiæ, iura B. Lamberti vsurpare intendentes, omnino non euaserunt impuniti. Nam Dux Lutzemburgensis postea in curia Regis Alemanniæ decollatus: Dux Brabantiæ ictu lanceæ interfectus: & Comes Flandriæ in captiuitate Regis Franciæ detentus est. B

De combustione Cennacensis Oppidi Ioannes Præsbiter hos habet versus.

Vrsmari festi gens Cennaci memor esto
Anno milleno bis centum septuadeno
Sex quoque portasti mala, nam succensa fuisti

3. Demum in Regem Franciæ concordarunt:] *Philippum scilicet vt notauit Brusthemius. qui duodecima septembris sic partes arbitrio concordauit, vt sopito negotio vaccæ,&c. Domini de bello forti, Fallaiz & Genes sua allodia, vt prius, ab Episcopo releuarent.*

4. Diuersis scientijs decoratus, sed elatus valde ingloriose præcipitatus casu decessit:] Vir fuit literatus (*inquit Chron. Hirsang.*) sed in C rebus gerendis parum prudens. Moritur Viterbij, noua super eum camera ruente. In philosophia & medicina eruditissimus erat, & multa scripsit, è quibus summula quædã extat, quam thesaurum pauperum appellant, medicinæ non inutilis.

5. Pauci gladios Aquensium euaserunt:] *De qua re Chronicon Gemblacense hos versus refert.*

Enses Aquenses senserunt Iuliacenses
Gentes elatæ Gertrudis nocte Beatæ
Anno millemo C. bis eptaque septuadeno.

6. *Anno Domini 1250.* Dñs Grisellus cantor Ecclesiæ Leodiensis (*vt* D *annotauit Brustemius*) in curte sua de Motta in aurota ædificauit prioratum Guilhelmitarũ. In quo quidem loco ipse ordinauerat de reditibus sufficienter assignatis sustentari debere octo Sacerdotes senes & impotentes, qui propter debilitatem suis forte non possent nutriri præbendis, quos tamen ob honorem sacerdotij non deceret mendicare. Quibus & hanc præfixit legem quod si futuris temporibus irregulariter & dissolute viuerent, Capitulum Leodiense auctoritate accepta eos amoueret, & vt indignos & ingratos priuaret, aliosque religiosos de quacumque regula approbata illuc introduceret. Quod sic postea factum est & introducti sunt ibi fratres ordinis Guilhelmitarum, subrogati de alio eiusdem ordinis Monasterio dicto de Biẽhafay

A hasay in Ardēna, & hoc tempore Domini Ioannis de Flandria Episcopi huius successoris. Idem Grisellus cantor fieri fecit vitream fenestram in Ecclesia Leodiensi rotundam versus palatium. *Idem Brusthemius.*

De captiuitate Episcopi, eius morte & sepultura.

CAPVT XII.

B CVm Henricus de monteforti dudum Leodiensium Episcopus ab hoc tunc Episcopo Ioanne summam repeteret satis magnā, quam expendisse se dudum cum fuisset Episcopus conuersam in vtilitatem Ecclesiæ asserebat, & hanc soluere Episcopus denegaret, tandem die statuto apud Hugardis villam Episcopi ad tractandū de concordia conuenerunt, Episcopus vero parcens expensis, cum paucis illuc venit inermis. Et cum in domo quadam, dicta Brule, aqua circumcincta, in parochia natiuitatis meæ Hugardis, crederet esse securus, per satellites Henrici noctu capitur, & in caballo cum stricta sella positus abducitur festinanter. Qui cum pinguis esset angustia sellæ, & succussoris inconsueta ventilatione deficiens, ante portam Monasterij de Helencinis equo depositus, alijs recedentibus C remansit ibidem, & in diluculo spiritum exhalauit, anno Pontificatus sui 7. ab Incarnatione Domini 1285. in festo beati Bartholomæi.

Henricus dudum Episcopus Leodiensis repetit pecuniā ab Episcopo Ioanne Enghiensi.

Patria Hocsemij.

Et quia libertates Ecclesiarum dudum fuerat conatus infringere, propter quod contra ipsum diu cessauerunt à diuinis, in maiori non sinitur Ecclesia sepeliri, sed in Ecclesia sanctæ Mariæ sub muro ad latus, quo pacis iudicio præsidere solent Episcopi, tumulatur.

Ioannes Enghiensis non sinitur sepeliri in maiori Ecclesia & quare.

ANNOTATIONES.

Cum Henricus de monte Forti:] *Quæ de iniuriosa & impia morte illata* D *Ioanni Enghiensi Episcopo per Henricum depositum hic recitantur, conformia sunt ijs quæ Ioannes Presbiter habet, & post illos omnia nostratia Chronica. Et quod miserrimum ne verbum legimus quo tantum sacrilegium Episcopo viro pio & sancto imo vero toti Ecclesiæ illatum, correctum dicatur.*

CAPVT

A

Quod eius ossa cum ossibus Adolphi de VValdege, & Ioannis de Apia Episcoporum Leodiensium postmodum transferuntur in Ecclesiam S. Lamberti.

CAPVT XIII.

HVius tamen ossa postmodum cum bonæ memoriæ Adolpho de Waldege Episcopo Leodiensi ad preces eius extremas trãslata sunt, & ante maius altare secum pariter tumulata.

Et cum eodem anno, quo præsentia scribebam, concordatũ fuisset, vt fœlicis recordationis Dominus Ioannes de Apia dudum Leodiensium Episcopus apud Monasterium vallis S. Lamberti sepultus ad nostram maiorem transferretur Ecclesiam, tria marmora æreis tegenda laminis horum trium supponenda corporibus præparantur, quorum iam vni perfecto Epitaphium cum duobus versibus de Chronica prædicti Ioannis de Apia transsumptis, alios feci quatuor in tumuli circumferentiâ exarari: Post finem illius versus antiqui. Quem Legia Pontificauit sequitur. B

Versus Hocsemij in circumferẽtia tumuli Ioãnis de Apia.

Apia quem pauit natum, mors impia strauit
Cunctis deflenda, maij tunc prima Kalenda
M. quater. x. annis c. bis. i. bis deme; Ioannis C
Hujus in hac fossa sunt condita corporis ossa,
Annis qui sancte præsedit ter tribus ante.

Alteri vero laminæ superponendæ Domino Ioanni de Enghien Epitaphium sex versuum duntaxat inserui, quia circunferentia primæ laminæ nimis videbatur literis occupata, & hi sex sufficere videbantur.

Versus Hocsemij in circumferẽtia tumuli Ioannis Enghiensis.

Iunge decem cubicè quater & bis. bisque quadratis,
His vnum subice, post partum virginitatis
Annus colligitur Io. de Enghien quando moritur,
Hic vi dum capitur præcessoris, sepelitur,
Septem præfuit is annis moderamine mitis,
Finem fecit ei dum festum Bartholomæi. D

Cubicus numerus est qui habet longum, latum, & profundum, sicut decies decem decies .1. mille.

Quadratus qui habet longum, & latum, vt decies decem sunt centum, & ista bis sunt ducenta, & bis quater decem sunt octoginta, addito vno est annus 1281. Tertio vero tumulo hos versus contexui insculpendos.

Versus Hocsemij in circumferentia tumuli Adolphi de VValdege.

De Waldege natus iacet hic Adolphus humatus,
Qui vixit gratus, anno minus hic cathedratus,
Nobilis, elatus nil; sit sine fine beatus.

M. C.

A M. C. ter & Iota bis, annos coniunge notabis
Post ortum Christi sua dum mors incidit isti
Semper Iustitiæ cupido, sub luce Luciæ.

De Ioanne Guidonis Episcopo Leodiensi, & quibusdam alijs externis.

CAPVT XIIII.

B ANno 1281. assignata die ad prouidendum Ecclesiæ, duo Canonici Buchardus de Hannonia, & Wilhelmus de Aluernia ad Episcopatum in discordia eliguntur, quibus in Curia super electionibus suis mutuo litigantibus, Ecclesia plus anno pastore viduata remansit. Tandem per Papam Martinum 4. electione vtriusque cassatâ, interim Guido Comes Flandriæ nuncios ad curiam destinauit, per quos Episcopatum Leodiensem Ioanni filio suo Metensi Episcopo impetrauit, & Metensem Buchardus præsulatum obtinuit. *Ioannes Guidonis fit Episcopus Leodiensis.*

Pons lapideus Traiecti fieri cœpit hoc anno.

Anno Domini 1281. Martinus 4. Gallicus Turonensis in festo cathedræ viterbij in summum Pontificem coronatur. Hic fuit Symon titulo S. Cæciliæ præsbiter Cardinalis.

Itaque Ioannes filius Guidonis Flandriæ Comitis & Namurci,
C vir nobilis, humilis, & modestus, doctor decretorum, metensis Episcopus, ad Leodiensem transfertur Ecclesiam, à beato Lamberto 43. Pontifex computatus. Hic primum venit Leodium anno Domini 1282. in vigilia omnium sanctorum. Hoc anno in festo Bartholomæi bibitur nouum vinum.

His temporibus crux contra Petrum Regem Arragoniæ prædicatur, quam Philippus Rex Franciæ, cor leonis dictus, contra voluntatem filiorum suorum Philippi Formosi, & Caroli tunc assumpsit, quia Petrus erat auunculus eorundem. Rex vero profectus in Arragoniam cum infinitis nobilibus & armigeris de diuersis mundi partibus congregatis, penuria victualium, reuertitur nihil agens, pluribus in via defunctis. Tunc Rege Nauarræ cõsanguineo Reginæ
D Francorum Blancæ mortuo, sed à filia Iohanna nomine, hærede regni Nauarræ, Comitatuum Campaniæ & Briæ relictâ, quam Philippus Formosus primogenitus Regis Philippi dispensatiue duxit vxorem, ex qua Ludouicum Regem Nauarræ, Philippum Pictauiæ, & Carolũ marchiæ Comites, ac Iohannam speciosissimam Reginam Angliæ generauit. *Crux contra Petrum Regem Arragoniæ prædicatur.*

Nec sine mysterio dictum est, quod Rex Philippus istam Iohannã dispẽsatiue duxit vxorem, quia antea in tali gradu cõsanguinitatis, (& tamen nõ attinebant sibi ad inuicem in tertio gradu) non fuerat

Honorius Papa 4. difficulter dispēsat in gradibus consanguinitatis.

dispensatum cum Regibus Franciæ, de quo tempore memoria haberetur, nec tunc tanta necessitas videbatur; vt dispensari debuisset, quam dispensationem Dominus Honorius Papa 4. difficulter concessit, nihil boni ex illa prouenire prædixit: Quod impleri videtur, quia nullus hæres in regno ex isto coniugio existit, qui ad posteros filios masculos regnum perduxerit, quoniam ipsi tres filij eorum, scilicet Ludouicus, Philippus, & Carolus sibi successiuè per obitum succedentes, quamuis quilibet eorum masculum genuerit, tempore tamen mortis suæ nullum masculum, sed tantum filias reliquerunt, sicut præsentia tempora oculis manifestant. Rege tamen Franciæ adhuc in expeditione Arragonica existente, memorabile quid accidit, quod hic mihi placuit recitare.

A

B

Mirabilis pactio Caroli Regis Siciliæ cum Rege Arragonum.

Cum Rex Arragonum Petrus regnum Siciliæ Ecclesiæ Romanæ feudum occupasset, & propter hoc Papa Martinus 4. excommunicasset eundem, & sententialiter Arragoniæ regno priuasset, Carolus possessione regni Siciliæ destitutus cum Rege Arragonum talem iniit pactionem quod eorum quilibet, cum centum in planis Burdegalensibus cum galeatis militibus conueniret, anno Domini 1283. Iunij prima die. Et si quis Regum victus fuerit perpetuo foret infamis & priuatus honore, vno solo seruiente contentus, & ad præfixam diem non veniens, pœna periurij plecteretur eadem. Tunc Rex Carolus collegit ex diuersis prouincijs milites in bellicis rebus expertissimos, inter quos terræ nostræ Leodiensis tres electi fuerunt; Dominus de Hemmericourt, Dominus G. de Haneffe, & Dominus Walterus de Mumalia; & de Brabantia, Dominus Franco de Wesemale, bastardus, de quo supra fecimus mentionem: quorum singulis singulos Rex magnos dextrarios destinauit. At Petrus Arragoniæ Rex prudenter considerans non esse tutum se suis credere capitalibus inimicis, misit ad Regem Angliæ tunc præsentem, coram quo fuit huiusmodi sponsio confirmata, petens ab eo quatenus si potens esset ibidem in euentum, quo si vinceret inimicum, ipsum à Papæ, Regisque Francorum violenta potentia liberare, hoc intimaret eidem: Cumque iam communiter diceretur quod Papa, tanquam duella prohibita pactiones huiusmodi reprobasset, Rex Angliæ remandauit eidem, quod in se periculum non assumit. Tunc Petrus præcedenti die qualicunque modo cum Burdegalensi marescalco equo sedens velocissimo adductis tabellionibus & testibus effert se paratum secundum pacta procedere, dummodo sibi promissa securitas tribuatur. Tunc equum calcaribus perurgendo recessit, nec ad diem comparuit assignatam; cum sibi marescalcus quod non sufficeret respondisset: tunc Rex dextrarios, quos cōmilitonibus suis miserat, nimis paruifice remandauit; & cum Dominus de Hemmericourt præsentatum sibi reddere recusaret, minitantibus, qui missi fuerant, quod ostia frangerent, dextrarium exigunt ab inuito.

Carolus eligit ex diuersis prouincijs expertissimos in arte militari ex quibus tres Leodiēses electi fuerunt.

C

Petrus Arragoniæ Rex refugit ad Regē Angliæ contra potentiam Papæ & Regis Frācorum.

D

Anno Domini 1284. Dominica die, septima die mensis Ianuarij;

secundum

A secundum vsum Rom: Curiæ; sed 1283. secundum quod tunc anni Domini in pascate mutabuntur, præfatus Rex Carolus in Domino requieuit. *Rex Carolus moritur.*

Eodem anno Henricus de monteforti dudum Leod: Episcopus moritur, & apud Ruremunde cum suis patribus sepelitur. *Henricus de monte forti dudum Leodiensis Episcopus moritur.*

Anno Domini 1285. mensis Aprilis die 2. Honorius quartus natione Romanus in summum Pontificem est electus, præsedit annis duobus, die vno, & vacauit sedes mensibus decem, diebusque duobus.

Huius anno primo cum in octobri Rex Franciæ Philippus, propter magnanimitatem suam cor Leonis dictus; pater Philippi Regis formosi cum armatorum immensa multitudine Cathaloniam aduenisset, dedita sibi tunc ex pacto Ciuitate Gerunda, cum personarum, rerumque suarum, in transitu maximè montium Pirenæorũ, maximo reuertitur detrimento, quintoque die mensis octobris subtrahitur ab hac luce. *Rex Franciæ Philippus cor Leonis agnominatus moritur.*
B

Tanta enim fuerat aëris intemperies, quod inde orta est duplex pestilentia, videlicet corruptio aëris quæ homines respirando suffocabat, & tanta multitudo muscarum grandium, quæ morsu venenoso homines & iumenta grauiter molestabat, & per posteriora intrabat intestina: ex quibus incommodis totus pene exercitus est deletus, qui faciliter totam Arragoniam & Cathaloniam, nisi Philippus primogenitus Regis Philippi prædicti, partem Petri Regis Arragonum auunculi sui, Fratris videlicet Reginæ Isabelis matris ipsius, fouisset, sicut postmodum veritas detexit.
C

Eodem anno Philippus formosus filius eius in Franciam rediens in Epiphania Domini Rhemis consecratur in Regem.

ANNOTATIONES.

1. Anno Domini 1281. Ioãnes Filius Guidonis Flandriæ Comitis.] *In anno electionis, & aduentus in Ciuitatem Leodiensem consentit Ioannes Præsbiter, fuit enim electus anno 1281. & sequenti venit Leodium. Idem quoq; asserunt Gesta Abbatum S. Laurentij quicquid dicant quædam vulgaria Chronica, sic enim illa loquũtur.* Anno Domini 1282. in vigilia omniũ SS. recipitur in Episcopum Ioannes filius Comitis Flandriæ vir nobilis, humilis & honestus, doctor decretorum. Hic ordinauit statuta Synodalia, &c.
D

2. Pons lapideus Traiecti:] *Idem astruit Ioannes Præsbiter. Magnũ Chronicon Belgicum refert ad annum præcedentem his verbis* Anno Domini 1280. pons lapideus Traiecti exstrui cœpit, & quarto anno post, Hoij.

3. *Anno 1285. secundũ Ioannem Præsbiterũ, Chronicon Gemblacense, Brustemium, & alios, transfertur corpus sanctæ Odiliæ virginis & martyris ex cœtu vndecim millium virginum ad Ecclesiam fratrum Cruciferorum Oppidi Huyensis. Hæc sacratissima virgo in sarcophago marmoreo iuxta Ecclesiam Gereonis sepulta latuit in corde terræ per annos mille & quadraginta octo adusq; quintum annum Domini Iohannis Flandrensis Episcopi Leodiensis cuius sacræ reliquiæ hoc ordine inuentæ sunt. Erat in*

Parisiensi cœnobio fratrum Cruciferorum Frater conuersus quidam dictus Ioannes de oppa simplex & illiteratus, sed iustus & timẽs Deum, in lege Domini meditans die ac nocte, non vacãs à colloquijs diuinis & oratione; huic nocte quadam quiescenti quasi in extasi posito apparuit regia quadam virgo vultu venerabilis scemate redimita splẽdidißimo signaculo sanctæ Crucis insignita: Quæ & admirantem ac stupentem ita affata est. Ego sum (inquit) de beata Vrsulæ consortio vna clarißima de decem generosis illius nobilis Britãnicarum exercitus virginum ductricibus rectricibusque denaria & præpositiua, habẽs millenas Virgines sub mea militia, quas & Domino dedicaui, & ad martyriũ simul incitaui, fuiq; natione Britannica Maromei tũc tẽporis famosi Regis filià, & Regis Angliæ ex sorore eius patris videlicet Etherei B. Vrsulæ spõsi cõsobrina, nomen habens Odilia ad solatiũ sanctißimæ castißimæq; præfatæ Virginis Vrsulæ tradita olim cum eadem pluribusq; alijs elegantißimis Deo destinatis virginibus commartyrizata, nũc cum eisdem in cœlis coronata; à Deo autem misericorditer ordini & collegio fratrum S. Crucis in perpetuam patronam, promotricem & propugnatricem data sum & delata. Deinde adiecit: Surge ergo frater acquiesce visioni, aperi festinanter meum monumentum quod certis tibi indicijs demonstrabo. Vade ad Vrbem Agrippinam Coloniam inquirens iuxta sancti Gereonis Ecclesiam ciuis opulenti nomine Arnulph domum. In suo etenim Viridario subtus pirum cameræ domus suæ contiguam in tumba subterranea ac marmorea ossa mea reperies. Et quia amatrix sanctæ crucis in vita semper extiti, idcirco assume tecum corpusculum meum & in primario sanctæ Crucis cœnobio iuxta Hoyum oppidum transferas, quod est omnium tui ordinis caput conu ntuum. Quæ omnia simplex suo priori exposuit, & tandem obtenta ab eo licentia sacræ virginis monita, & si cum difficultate maxima, compleuit. Inuenta est cum sacro corpore ollula quædam in qua charta erat continens eiusdem Virginis & genus & martyrium. Rediens prædictus frater cum sacris reliquijs & cyrographo ac literis Domini Gifridi Coloniensis Archiepiscopi gestorum fidem pandentibus, confecto pedetentim itinere, venit ad Cœnobium Dominarum ordinis Cisterciẽsis quod Vetus vinetum vulgariter Viuegnis dicitur, non distans procul ab Herstallio, vbi monialis quædã paralytica dum sacrum feretrum deuote tangeret repẽte sanata est. In crastinum vero transita vrbe Leodio hora vespertina Hoyum oppidum deuenêre, atque in basilica sancti Petri Apostolici in suburbio Hoyẽsi cum feretro pernoctarunt. Sequenti vero die cuncti fratres sanctæ Crucis loci illius cum maximo cleri populiq; tripudio sanctis reliquijs decenter obuiantes, ad Collegiatam Ecclesiam diuæ virginis detulerunt. Mulier autem quædam infirma alienis manibus deducta in ipso itinere dum feretrum tangit coram omnibus plenã sospitatem recepit; nouißime. Te Deũ laudamus *illic cãtato, sacras reliquias ad Ecclesiam fratrum sanctæ crucis locum vtiq; prælectum asportant, vbi vsq; in hodiernum diem multis coruscans miraculis veneratione digna honoratur. Præter prænominatos auctores venit nouißime ad manus meas officium diuinũ, quod in Ecclesijs Huyensi, Leodiensi, & alijs eiusdem ordinis fieri quotannis solet cum nouem lectionibus, in quibus antedicta hystoria pene de verbo ad verbum habetur.*

CAPVT

A

De Malatouta quam nobiles inuito Episcopo & populo leuare voluerunt, & quibusdam alijs.

CAPVT XV.

EOdem anno scilicet 1285. Insignes Leodienses super venalibus malatoutam leuare cœperunt, contra Cleri & populi voluntatem, propter quod Episcopus cum Curia sua, totusque Clerus Hoyum se circa festum B. Dionysij transtulerunt, per annum & mẽses decem remanentes ibidem. Tandem anno Domini 1287. inter festum S. Laurentij & assumptionem B. Mariæ facta concordia reuertuntur. Fuit autem forma concordiæ quod quo ad 18. annos tunc futuros de sola cereuisia firmitas leuaretur, nullis alijs, quam ad muros, fossata, calciatas, põtes faciẽdos & reparãdos, vsibus applicanda: Quo tamen tempore Insignes de hac exactione parum in vsus publicos conuerterunt, nisi quod strato foro fontem fistulis plumbeis in medio conduxerunt, turricula sicut apparet venuste desuper fabricata.

Nobiles contra Cleri & populi voluntatem leuant malatoutam.

B

Forũ Leodiẽse lapidibus sternitur, & fonte fistulis plũbeis exornatur.

His temporibus S. VVarnerus à Iudæis in Parasceue martyrio coronatur: Et statuta noua Synodalia in generali synodo in maiori Ecclesia publicantur.

C

Noua Statuta Synodalia.

Postmodum Episcopus vbi venabatur in syluis circa Bullionem à quibusdam solus inuentus capitur, à quibus per quinque menses continuo detinetur, tandem exacta ab eo, vt fertur, magna pecuniæ summa, cum iuramento quod nunquam proderet exactores, reuertitur cum immenso suorum gaudio liberatus.

Episcopus in sylua capitur.

ANNOTATIONES.

1. Insignes Leodienses super venalibus:] *de ista malatouta & transmigratione cleri ad Oppidũ Hoyense meminit quoq́, Ioannes Presbiter, Gesta Abbatum S. Laurentij, & alij consequentes.*

D

2. Et statuta noua Synodalia:] *Ioannes Presbiter hanc Synodum refert ad annum millesimum ducentesimum octuagesimum octauum & de ea sic loquitur.* Eodem anno Ioannes noster Episcopus vniuersis Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Præpositis, Archidiaconis, Decanis, conuentibus, Capitulis, ac Ecclesiarum Rectoribus, & Prælatis, Clericis, ac alijs suæ Ciuitatis ac Diœcesis coram se & capitulo Leodiensi conuocatis fecit Synodum generalem dicens. Nos auctoritate Pontificali malitijs obuiare & libertati Ecclesiasticę, & Ecclesiasticarum

personarum ciuitatis & diœcesis nostræ Leodiensis prouidere in quantum poterimus cupientes, ac generali synodo de consilio & voluntate Capituli nostri maioris Ecclesiæ Leodiensis constitutiones synodales nostrorum prædecessorum vna cum nostris constitutionibus quas in præsenti Synodo statuimus & constitutionibus nostrorum constitutiones synodales, quas in ipsam compilationem nostram redigimus, resecatis alijs superfluis, approbamus & ratificamus & vna cum nostris constitutionibus præcipimus inuiolabiliter obseruari. Tunc statuta synodalia illic facta & in libellis redacta dißeminata sunt per nostram Diœcesim Ecclesiasticis personis, videlicet Archidiaconis Decanis & curatis Ecclesiarum. A

3. *Hic idem Episcopus anno Domini 1287. pacem procurauit inter clerum & ciues mediatore principe Ioanne Duce Lotharingiæ, quæ vulgo* la Paix de Clerque *vocatur. Quæ incipit*, Nous le Preuost, le Doyen & les Archidiacres, *& finit*, Donné comme dessus est dict: *Quam non inserimus quia est in manibus omnium.* B

Eodem anno iniuit idem Episcopus concordiam cum Ioanne Duce Brabantiæ, quæ fuse descripta habetur lib. 4. Chartarum Ecclesiæ Leodiensis.

4. In Syluis circa Bullionem:] *A quibus & qua occasione captus fuerit Ioannes Præsbiter sic exprimit.* Vulgatum est à multis quod Luxemburgensis cum suis fratribus instinctu Comitissæ Namurcensis eorum sororis, & nouercæ eiusdem Ioannis Episcopi, eum imprisonarunt, quia forte idem Episcopus in auribus suæ nouercæ præfatæ aliquod nefas ab ipsa perpetratum reprehenderat, quare animo irato suis fratribus conquesta fuerat. C

De bello famoso apud Castrum de VVaronc.

CAPVT XVI.

Bellum Famosum apud Castrum de VVaronc.

ANno Domini 1288. die sabathi, nonas Iunij, in die Bonifacij bellum apud castrum de Waronc famosum committitur & insigne. Cuius aliquid succincte per ordinem explicabo. Cum Dux Brabantiæ Ioannes huius nominis primus Ducatum Limburgensem erga Comitem de monte, cui ex successione legitima competebat, certa summa pecuniæ comparasset; & Comes Geldriæ cũ suis fautoribus, terram ducatus cum castris per violentiam detineret, Dux multorum sibi suffragia procurauit. Et primo pepigit cum Episcopo nostro Ioanne tali forma, quod quam cito Dux terrã Limburgensem recuperare valeret, Castrum de Rode quod ad Leodiensem pertinebat Ecclesiã, quodque Limburgenses occupauerant violenter, reddere promisit Episcopo ipsum ad possessionem pacificã reducendo, donec Dux proprietatem castri euincere potuerit corã Iudice competenti & super hoc suas dedit literas Episcopo sigillatas, D

Dux Brabãtiæ iniit pactum cũ Episcopo.

quæ

A quæ in Archiuio nostræ Leodiensis Ecclesiæ conseruantur.

Dux igitur exercitum colligit multis nobilibus exornatum, in quo fuit S. Pauli Comes cum cæteris Ducis consanguineis de Francia bellicosis; de monte, de Loz Comites, ac tota militia patriæ Leodiẽsis, quam illuc misit Episcopus ex condicto. Dux vero, Ciuitatis Coloniæ adiutorium nihilominus expectabat. In auxilio vero Comitis Geldriæ Coloniensis Archiepiscopus, Comes Lutzilburgensis cum suis fratribus, & Dominus de Falcomonte fuerunt. Dux autem inter castrum de Waronc, vbi inimici fuerant congregati, & flumen adiacens cum suo se conclusit exercitu, vt cum fugere non possent de necessitate bellarent. Cum autem pars Ducis aduersa bellatores haberet fere tertia parte numero potiores, de victoria nimium confide- B bant. Tandem circa tertiam horam signo dato ad inuicem collidũtur, fortiter hinc inde bellatur. Tandem Teutonici plures partis aduersæ iam se vicisse credentes more suo ad spolia versus Ducis tentoria properabant. Demum cum vsque horam nonam strenuissime dimicassent, nec percipi potuisset quæ pars potior videretur, superuenientibus etiam qui de Colonia Duci auxilium spoponderunt, Dux ab hoste triumphat, & ex parte Comitis Geldriæ duo millia & quingenti pręter captos & confossos vulneribus ceciderunt. Quo Lutzilburgensis Comes deuenerit ignoratur. Waleramus pulcherrimus hominum Frater eius, & Frater Coloniensis Archiepiscopi cum cœteris in prælio ceciderunt. Waleramus de Falcomonte so- C lus de principibus fugæ compendio liberatur: Comes Geldriæ ac Archiepiscopus cum multis nobilibus ac alijs, catenis & vinculis, quas in perniciem Ducis parauerant, constringuntur: Archiepiscopus Comiti de monte traditur, & Dux cum suis captiuis ad propria cum gaudio remeauit; de cuius parte soli duo nobiles ciciderunt, scilicet Dominus de Zelem facetissimus miles, & Bertholdus de Mechlinia, qui postea viuus aut mortuus non est visus. Comes Geldriæ per annum & amplius in vinculis detinetur, quem tunc detentum in Louanio recolo me vidisse. Tandem Comes castra ducatus Limburgensis Duci tradidit, maximam pecuniam superaddens, & à vin- D culis liberatur. Tunc Episcopus à Duce conuentiones de Rode postulat adimpleri, sed Dux fecit irritum, quod promisit.

Tota nobilitas patriæ Leodiẽsis in exercitu Ducis.

Dux apud flumen sua castra locat & quare Exercitus Ducis Geldriæ.

Dux Brabãtiæ de hoste triumphat.

Comes Geldriæ & Archiepiscopus cathenis cõstringuntur.

Comes Geldriæ per annum & amplius detinetur in vinculis

Hic Episcopus in castro fecit Hoyẽsi nouam aulam magnis sumptibus fabricari, & vastam turrim Basini scalijs operiens, mansiones infra distinxit.

Episcopus nouã aulam & turrim in castro Hoyensi ædificat.

Eodem anno quo Dux apud Waronc suos vicerat inimicos, in Augusto castrum Falcomontis obsedit: adhuc namque Waleramus Duci, qui bello præfato manus eius euaserat, rebellabat: Sed & Isabella Flandriæ Comitissa soror dudum Comitis Lutzilburgensis in bello contra Ducem sicut præmittitur interfecti, terræ dotisq; suæ Namurcensis Dominum de Falcomonte præfecit, vt per hoc Ducẽ grauius infestaret. Qui cum valida manu terram Ducis inuaderet, dominus

minus de Melyn cum gente, quam de remanentibus in Brabantia potuit congregare, cum Domino de Falcomonte congreditur, & interficitur ab eodem. Dux vero timens de periculo terræ suæ rediijt obsidione soluta. Demum inter filium Lutzilburgensis Comitis Hēricum, qui fuit postmodum Imperator, & filiam Ducis facto matrimonio pax firmatur, hoc procurante Regina Maria Franciæ relicta Regis Philippi vocati Cor Leonis, qui rediens de exercitu Arragonū vt dictum est superius in Propinguiano decessit, sorore dicti Ducis, muliere discreta, & formosa, & toti generi suo valde vtili, etiam post viri sui decessum: sicut diuersa coniugia, confæderationes, & amicitiæ, quas ipsa procurauit, manifestant. A

ANNOTATIONES. B

1. In die Bonifacij bellum apud Waronc famosum:] *Clare & eleganter famosum hoc bellum depinxet Meyerus Annalium Flandriæ lib. 10. ad annum 1288.* Eodem anno, *inquit*, quinto die Iunij ferijs D. Bonifacij insigni potitus est victoria Ioannes Dux Brabantiæ pugna illa Voroncana in agro pugnata Agrippinæ Coloniæ, contra Reginaldum Geldriæ Comitem, vbi tres fratres Henricum Valerannum, Balduinum Luceburgenses Principes nostra Isabella bello cœsos amisit, quos multis lachrymis longo tempore luxit; capti autem fuêre Sifridus Agrippinensis Pontifex, Valerānus Falcobergensis, & ipse Comes Geldriæ cum alijs non paucis. Causa belli erat Comitatus Limburganus, quē victor Brabantus retinuit per hanc victoriam, ac quandam præcedentem emptionem, quanquam Irmingardim sororem & hæredem Henrici Limburgici recens defuncti Gelderus haberet in matrimonio, quæ mulier post triennium è viuis excessit, accepitque tum Geldrus vnam è filiabus domus Flandriæ. Sunt qui Guidonem hic partes iuuisse prodant Gelderi, quamuis Brabantus eius esset gener, sed certo mihi non constat. Is Henricus Luceburgensis Isabellæ nostræ Germanus, qui hic occubuit, pater erat Henrici Cæsaris Augusti, in Italia (vt postea dicemus) toxico necati. C

2. In castro Hoyensi fecit nouam aulam:] In fundamentis huius structuræ, (*inquit Ioannes Presbiter*) inuenta est quædam moneta habēs imaginem Anthonij Pij quondam Imperatoris & superscriptiones in hunc modum. Erat caput in medio nummi optime factum, & in circuitu capitis scriptum; Anthonius pijssimus Imperator. Hic Cæsar, prout inuenitur in antiquis Chronicis scriptū, anno Dominicæ incarnationis 148. scilicet anno decimo ipsius Imperij veniens ad partes Galliæ Belgicæ super Mosam, tandem peruenit Hoyum, videlicet anno quadragesimo septimo à conuersione Hoyensium ab idolatria ad Christum, cum vidisset situm Oppidi & rupis admirabilis concepit animo, vt dictum Oppidum ampliaret castrumque super rupem construeret. De quibus Oppido & Castro Papa Gregorius 10. D

dixisse

A dixisse fertur, quod in toto mundo tam bonum castrum cum tam bono Oppido, vel tam bonum Oppidum cum tam bono castro non posset reperiri. *Hactenus Ioannes Presbiter, qui plura de hac re prosequitur, sed sunt alterius loci & temporis.*

De migratione Monachorum Cornelij montis, & Castri cum Episcopo permutatione.

CAPVT XVII.

B EOdem anno mense Aprili cum monachi Cornelij montis per gentes Ducis Limburgensis longo tempore nimis fuissent hospitalitate grauati, de consensu Superiorum suorum cum Episcopo ad locum habitationis Fratrum minorum Leodiensium, vnde migrauerant, in manibus Episcopi remanentem, de Castro cũ Episcopo permutarunt, quo loco nunc monachi Domino famulantur. *Monachi Cornelij montis migrant & de castro cum Episcopo permutãt.*

Eodem anno Nicolaus Papa 4. Tusculanus, ordinis fratrum minorum, prius Episcopus Prænestinus, Romæ apud S. Sabinam eligitur die 5. Februarij; qui præfuit annis quatuor, mense vno, diebus 17. & vacauit Ecclesia annis duobus, mensibus tribus, die vno.

Anno vero Domini 1271. Gentes Ducis Brabantiæ, qui sub alio C Duce solebãt incidere largas corrigias de coreo monachorum, permutationi eiusmodi inuidebant: Duci persuadent vt per eos hæc inuidia vindicetur. Cuius iussu siue permissu in crastino ascensionis Domini diluculo castrum cum centum viginti equitibus ambiunt; ex quibus triginta duo cæteris promptiores scalis ascendunt turrim castri latenter intrantes, vt illic socios tutius expectarent, & Portas aduenientibus aperirent. At vxor Waltheri de Iupilia Castellani prior excitata strepitu, maritum euigilat, qui festinanter absque braccis & caligis parmam induit & galeam, vxore se iuuante, Securi id est dolabra conclauis ostium obserauit, donec missa pedissequa super inferius proclamante, casus hic Leodiensibus nunciatur; Accurrẽs D autem populus obuios habuit, qui de hostibus forinsecus remanserunt, habitoque congressu per populum, duobus armigeris partis aduersæ interemptis cæteri aufugerunt, Reliqui qui turrim ascenderant capiuntur, & Episcopo transmittuntur. Tunc temporis Episcopo decumbente, pater eius Guido quasi mamburnus patriam gubernabat, qui de captiuis pauperioribus missis 15. Dionantum, fecit illis capita detruncari, timebat enim propter captiuorum potentes amicos in partibus propinquis iustitiam exercere; Reliquos vero ditiores in Castro Namurcensi vinculis mancipauit. Sic effrænata cupiditas in perniciem sæpe vertitur ambientis, non sine magno *Gentes Ducis Brab. permutationi inuident.* *Triginta duo latẽter turrim intrant.* *Leodienses cædunt Brabantinos auxiliarios*

Reip. frequenter seu Principis detrimento: vnde summopere decet attendere Principem quo zelo collaterales eius, dum sibi consulunt moueantur. A

Principes decet attendere quo Zelo consiliarij moueantur.

Eodem anno Acon Ciuitas transmarina per Saracenos & Babiloniæ Soldanum obsessa per 40. dies continuis insultibus expugnatur, & redigitur in fauillam: & eodem anno Damiata capitur ab eisdem.

Anno Domini 1292. Rodolpho Rege Alamaniæ viam vniuersæ carnis ingresso, Adolphus Comes de Nassaou Aquisgrani in Regem Alamaniæ consecratur, in festo B. Ioannis Baptistæ. Et eodem anno in die Calixti 2. Idus Octobris Ioannes Episcopus apud Anheue propè Namurcum defungitur, Pontificatus sui anno decimo: & eius corpore apud Abbatiam de Fluis in Flandria deportato cum patribus suis requiescit. B

Episcopus moritur.

ANNOTATIONES.

1. Gentes Ducis Brabantiæ:] *Quid mouerit parentes Ducis Brabantiæ vt Castrum hoc inuaderent tangit Ioannes Presbiter his verbis.* In permutationē hanc existimabāt sibi iniuriam factam, quia in Abbatia Cornelij mōtis habuerant quasdam exactiones, & hospitalitates de consuetudine. *Et prosequitur historiam conformiter ijs, quæ recenset hic noster Hocsemius.*

2. Habitoque congressu per populum:] *Cædem hanc eodem modo Ioannes Presbiter & post illos Brusthemius & alij recensiores.*

3. Apud Anheue prope Namurcum defungitur:] *Sic legit Codex autographicus: quidam legunt Anheÿ, & dicunt castrum esse prope Namurcum.* C

4. Apud Abbatiam de Fluis vel Flines:] Est Monasterium monialiū per ordinem Cysterciensem valde excellenter extructum prope Duacum, iuxta quem lateraliter ante maximum altare honorifice visitur sepultus quidam Episcopus Cameracensis. *Sic Chronicon Gemblacense.*

5. Defungitur:] Vacatque sedes Episcopalis 4. annis: Sub quo intermedio tempore cum apud Traiectum chorea duceretur, nec sacerdoti sacramentum Eucharistiæ deferenti debitum honorem exhiberent, subito ponte ligneo, in quo erant fracto, circiter ducēti in Mosæ flumine demersi perierunt. *Ita notauit Brusthemius.* D

De Hugone de Cabilone, & de discordia quæ in electione superuenit.

CAPVT XVIII.

Discordia in electione.

TVnc die præfixa ad prouidendum Ecclesiæ de pastore duo iterum in discordia eliguntur: Guido scilicet de Hannonia, & Wilhel-

A Wilhelmus Bertholdi de Mechlinia magister theologicæ facultatis: Sed Guidonis electio per Archiepiscopum confirmatur, propter quod Wilhelmus sedem Apostolicam appellauit. Guido vero receptus ab omnibus castra sasiuit, & velut Episcopus in omnibus administrans, pro se gubernatore relicto, sedem Apostolicam visitauit. Tunc ambobus se coram Papa Nicolao 4. præsentantibus, Nicolaus indiscussa lite decessit. *Nicolaus Papa decedit*

De regalibus à Guidone lite pendente pueriliter impetratis.

B

CAPVT XIX.

ANno Domini 1293. Guido statim post pascha reuersus spe deceptus inani, temporalia spiritualibus anteponens, anno sequenti, scilicet 1294. lite pendente, à Rege regalia pueriliter impetrauit, super hoc reportans literas tenorem, qui sequitur, continentes. *Guido decipitur. Lite pendente pueriliter impetrat regalia.*

Adolpus Dei gratia Romanorum Rex & semper augustus vniuersis sacri Romani Imperij fidelibus præsentes literas inspecturis gratiam suam & omne bonum. Romani Imperij celsitudo consurgens *Tenor literarum.*
C antiquitus, & fundata mirificè super nobile fundamentum excellẽtiæ prærogatiua qua viguit columnis meruit stabilibus, & egregijs ædificiorum iuncturis indissolubiliter adornari: Inter quas quidem Illustres Principes ad totius operis machinam supportandam, vt columnas voluit potiori præstantia præeminere; vt quo vberius gratiæ priuilegijs insigniri se sentiunt, eo amplius debeant in obsequiosæ vicissitudinis retributione gratuita cæteris præclarere. Sane cum venerabilis Guido electus & confirmatus in Episcopum Leodiensis Ecclesiæ, Princeps noster dilectus ad Celsitudinis nostræ præsentiam accedens in Werflr. Romano Imperio, & nobis obsequiosæ deuotionis signa prætenderit, & omnimodæ obeditionis insig-
D nia præsentarit, nos propter hoc ipsum tanquam nostrum & Imperij Principem ad beneuolos applausiuæ dilectionis admittentes amplexus, regalia feuda Principatus Pontificalis Leodiensis Ecclesiæ quam obtinet, de liberalitate regia, & exigente iustitia concessimus, & eundem Guidonem Electum & confirmatum sceptro regio inuestiuimus præsentialiter de eisdem, administrationem temporalium & Iurisdictionem plenariam Principatus eiusdem Ecclesiæ prænotatæ Electo & confirmato præsentium serie committentes, præsentibus talibus &c. Quocirca mandamus, &c. quatenus eidem obediãt in omnibus & pareant reuerenter. Datum Werflariæ 12. Kalend. Iulij, Indictione 7. anno Domini 1294. Regni vero nostri anno 3.

Huius Electi tempore Henricus Comes Lutzilburgensis postmodum Imperator, filiam Ioannis primi Ducis Brabantiæ, inter eos pace reformata, duxit vxorem. Et hoc tempore, sed prius, Ioanni filio Ducis eiusdem filia Regis Angliæ matrimonialiter copulatur. A

Hoc insuper tempore Guido Comes Flandriæ ac Namurci captiuos quos viuente adhuc Episcopo in Cornelio monte ceperat, & in castro suo Namurci tenuit compeditos, ad impetrationem Ducis Brabantiæ liberauit.

Bellum inter Dionantiũ & Boniniam. His temporibus Guidone prædicto promissam pecuniæ summã pro debitis filij sui à Dionantensi repetente, inter ipsum & patriam Leodiensem, & maxime inter Dionãtum & Bouiniam exoritur dura guerra. His etiam temporibus Rex Franciæ Vasconiam & Burdegalim & penè totam terram sibi citra marinam Eduardi Regis Angliæ subiugauit: propter quod Eduardus nauigio veniens seditione cruenta terras Regis Franciæ maris littora igne ferroque deuastat, & in mari cuncta prædatur, ita quod tunc maris Dominus dicebatur. B

Bellum inter Reges Franciæ & Angliæ.

De Bello inter Comitem Hãnoniæ fratrem Episcopi & Valencenenses & quibusdam alijs externis.

C

CAPVT XX.

Bellũ inter Comitem Hannoniæ & valencenas. Tempore Guidonis huius Electi Leodiensis, inter Comitem Hãnoniæ & oppidum Valenchinis exorta discordia, incendijs & seditionibus se inuicem fatigabant, cumque Comes Flandriæ Valencenensibus venisset in adiutorium cum exercitu copioso, Guido Electus immodico Leodiensis patriæ stipatus agmine militari, Buchardus Metensis Episcopus, & Episcopus Cameracensis, omnes Comitis Hannoniæ fratres, eidem in auxilium cum gente, quam adducere potuerunt, aduenerunt; sed pace facta, traditis Comiti de Valencens huius choreæ ductoribus, quos postmodum perpetuo & diro carcere macerauit, ad partes suas armatorum agmina sunt reuersa. D

Pax cõponitur.

De petro eremita ad Pontificatũ euecto. Hoc anno, 5. die Iulij Petrus de Murione dictus, Anachorita in Eremo solitarius, & pater noui ordinis, penè secundum regulam priorum patrum Ægyptij, religiosissimus & simplex valde consecratur in Papam: Qui multas fecit gratias indiscrete, sicut inducebatur per fraterculos ordinis eius, qui comitabantur eundem. Iste dum seipsum ad tantum onus inutilem reputaret, prout verum erat, quia dum quibusdam vnum sibi consulentibus benè vel male fecisset, à parte contraria super hoc reprehensus, contrarium faciebat, & iterum

Se ineptum & vere reputat.

A iterum ac iterum reuocabat, & omnibus complacere cupiens, pluribus displicebat, & semper cedere cupiebat, sed ab hoc ipsum quidā Cardinales & sui Fratreculi retrahebant. Tandem consilio aliquorum, forte sui successoris, dum, an Papa cedere posset, in dubium verteretur, cum in manibus fieri debeat cessio superioris, nec sit in mundo Papa Superior, de fratrum suorum consilio statuit & decreuit Papam oneri cedere posse & honori. Cuius constitutionem Bonifacius Papa octauus successor eius inter cæteras innouauit, quæ incipit. *Quoniam aliqui curiosi.* Et ne amplius impediri posset instructus porrecto sibi breuiculo renunciationis verba propria continente, in consistorio sedens, cæteris ignorantibus, ex abrupto legit breuiculum & recessit, Cum per 5. menses, & 8. dies Sedi Apostolicæ B præfuisset; & vacauit Ecclesia vndecim diebus.

Hoc anno pons lapideus Hoyensis in crastino Petri & Pauli Apostolorum cepit exordium, aureo numismate Florentino primo submisso lapide consignato. *Pons lapideus Hoyensis quando cæpit.*

Eodem anno cum Henricus Comes Barrensis Eduardi Regis Angliæ filiam desponsasset, cuius aliam Regis filiam IoannesBrabantiæ Ducis primi Ioannis Filius habebat vxorem, & apud Barrum prope Lotharingiam, à quo BarrensesComites traxerunt sui titulum Principatus, nuptijs huiusmodi fuisset solemnissima festiuitas proclamata, præfatus Dux Ioannes primus; qui iam pridem huius contemplatione virginis vehementi captus amore in intimis iaculo veneris C penetrātissimo fuerat sauciatus, illuc ardenti nimium desiderio properauit. Sed cum non solum veneris incentiuum, sed etiam appetitus gloriæ vexaret eundem; & in viâ die quadam taciturnus incederet, quasi versus de materia contexeret imperata, vnus de familiaribus hunc interrogat, vt quid sic mussitando procederet, huic respondit commotionem inter duos Reges hanc maximam cerno, quam proprio continens pugillo compressam ipsam pacificabo, pro libito tantaque munera consequemur abinde, quod perpetuo diuitijs affluemus. Audiui tunc temporis militem Ducem ista se audiuisse dicentem; quanquam Dux idem hanc sponsam eius accensam reciD proce desiderio voluntariam rapere & vxorem ducere proponebat: Sed aliter ab alto disposuit qui dissipat consilia Principum, & cogitationes reprobat populorum: Nam Dux insidens equo maximo ludis intentus Herculeis, sponsa spectante cum cæteris arrepta lancea dextrarium calcaribus perurgendo, obuiat militi, qui tunc de pari dimicat cum eodem, quibus dextrariorum cursibus collisis ad inuicem, lacerti Ducis musculo hosta perfesso militis, Dux equo depositus, 5. nonas maij in die Inuentionis S. Crucis anno 1294. cum tristitia multorum diem clausit extremum.

Solēnitas nuptiarum.

Deus dissipat consilia Principum.

Dux hasta militis perfossus moritur.

Hic animosus & in armis promptissimus extra patriam suam magnificus videbatur; & quia munera donabat extraneis affluenter, & sumptus maximos faciebat, credebatur virtutis medium attigisse.

Sed exactio quam in subditos exercebat, huius metas largitatis docuit transuolasse: Sunt namque prodigi, teste philosopho, propter velle consumere acceptiui: Et sic euenit, vt qui sine mensura debita largiendo esse cupiunt liberales, deficiente quod effluant, in rapacitatis, & auaritiæ vitium dilabuntur. A prodigo namque A

Labitur exiguo quod partum est tempore longo.

Eduardus vastat terras Regis Franciæ.

His nuptijs Barensis Comes cum Eduardo Rege Angliæ percusso fœdere confines Regis Franciæ sibi terras inuasit, incendijs prædaque vastando, quod Rex Franciæ postmodum damnis illi maximis compensauit.

Bonifacius prædecessoris gratias reuocat.

Eodem anno Bonifacius Papa 8. qui prius Benedictus Cardinalis, in vigilia natalis Domini in summum Pontificem est electus. Hic B animosus nimium omnes prædecessoris sui gratias reuocauit, & humiliare regnum Franciæ nitebatur, de quo suo loco inferius aliqua recitabo. Præfuit annis 8. mensibus 9. diebus 18. Et diebus 11. vacauit Ecclesia.

ANNOTATIONES.

Hoc anno 1294. die 5. Iulij Petrus de murone dictus:] *Adstipulantur omnes, sed inter alios clare Henricus Steronis in suis annalibus.* Celestinus quintus de terra laboris natione, prope Sullonem fuit electus die Iunij . . . seditque menses quinque, dies quinque, & vacabat sedes dies decem. Hic prius vocabatur frater Petrus de Murrone, ordinis qui C dicitur S. Damiani, sub regula S. Benedicti, degebat in magna austeritate vitæ, multos habens discipulos in illis circumuicinis partibus, quibus ipse præerat quasi pater. Huius electio admiranda fuit: persistiterant enim Cardinales per duos annos, & amplius, fixi & diuisi in voluntatibus, nequeuntes concordare, & tandem audita de sanctitate fratris huius Petri, ipsum elegerunt in Perusio, quo Cardinales transtulerunt se de Roma post obitum Nicolai quarti. Et miserũt Cardinales in die electionis suæ decretum ad ipsum, qui tunc erat in partibus Abrucij in habitaculo suo colens Deum, & postmodum venerunt ad ipsum, & in Aliquilia, in Ecclesia S. Mariæ de Colomadio in festo decollationis S. Ioannis Baptistæ consecratus & coro- D natus fuit. Deinde iuit Neapolin, vbi fecit vnam ordinationem Cardinalium magnam, inter quos erant duo de ordine suo. Hic homo Dei in sæcularibus rebus minus expertus, Theologiæ, & orationi deditus fuit, elegitque magis abiectus esse in domo Dei, & habere secum; vnde edita prius à se constitutione, *Quod Papa possit papatus cedere*, ipse in vigilia S. Luciæ Neapoli in conspectu fratrum Cardinalium resignauit Papatus onus & honorem, deponẽs ibidem Papatus insignia; & exuit se Papatus indumentis, & post cessionem suam latere voluit, & redire ad eremum sicut prius: sed comprehensus in fuga permissu Bonifacij successoris sui reductus fuit, in castro Fumonis in custodia Bonifacij Papæ retentus; ne deinceps ab aliquibus tunc dubitantibus,

A bitantibus, vtrum Papa Papatum posset resignare, in scandalum ipsius Bonifacij & Ecclesiæ pro Papa haberetur. Hic prius & posterius dictus fuit frater Petrus de Murrone, & postea superuixit annum, menses quatuor. Hic multis claruit miraculis, & à Clemente quinto Papa sub nomine S. Petri canonizatus fuit.

Quod Bonifacius Papa electiones VVilhelmi & Guidonis annullarit, & de perditione Castri de Mirvvart.

B

CAPVT XXI.

ANno Domini 1296. Bonifacius electiones selectorum Wilhelmi & Guidonis examinans, cassauit vtramque: sed Wilhelmo viro literato ac nobili de Vltraiectensi Ecclesia tunc prouidit, & Guidoni, quia contra constitutionem, *10. de Electione, Auaritiæ cacitas, lib. 6. decret:* ante confirmationem legitimam lite pendente ministrauerat, nihil dedit. Quia tamen multa quæ gesserat & præbendas cótulerat, quæ sine scandalo retractari faciliter nequiuissent, contra constitutionem prædictam, omnia rata manserunt, adinstar Barbarij Philippi, qui dum olim Prætor vrbis effectus sententias plu- C rimas protulisset, & fuisset inuentus postmodum esse seruus, & per consequens Prætor esse nequiuerit, gesta sua inconuulsa, vtilitatis causa publicæ permanserunt.

VVilhelmus fit Episcopus Vltraiectensis.

Et cum Comes Hannoniæ frater suus terram de Mirevvart Ecclesiæ feudum erga vasallum de consensu Electi & Capituli comparasset, tali conditione quod Ecclesia infra certum tempus illam pro eodem pretio recuperare valeret, & Capitulum ad hoc summam vndique maximam collegisset, hanc Guido mutuo recepit ab Ecclesia, & consumpsit in lite: & sic Ecclesia terræ pretium perdidit atque terram. Tunc Bonifacius Hugoni de Cabilone consanguineo Du- D cis Burgundiæ Leodiensis Ecclesiæ contulit præsulatum.

Mirevvart perit Ecclesiæ Leodiensi & quomodo.

ANNOTATIONES.

Et cum Comes Hannoniæ frater suus:] *Eandem alienationem & prodigalitatem Guidonis recenset quoque Ioannes Presbiter & post illos Brustemius.*

CAPVT

 A

De Hugone per Bonifacium Papam ad Episcopatum euecto, & compromisso quodam quo grauiter læsa est Ecclesia Leodiensis, nec non quibusdam externis.

CAPVT XXII.

ANno igitur 1296. Hugo 44. à B. Lamberto Leodiensium Episcopus eodem anno venit ad Ecclesiam & honorabiliter à Leodiensibus est receptus. B

Hoc anno bladi caristia, & quarta vini 27. Turonēsibus vēdebatur, quod nunquam antea fuerat visum.

Discordia inter Episcopum & Ducem Brabantiæ ratione Oppidi Traiectensis.

Cum Dux Brabantiæ in præiudicium Ecclesiæ Oppidi Traiectēsis dominium occupasset, & propter hoc inter Episcopum & Ducem fuisset exorta discordia, & demum per ipsos fuisset in arbitros compromissum, arbitri talem sententiam protulerunt, quod locus antiquæ villæ Iurisdictionis esset Episcopi hoc excepto, quod omnes incolæ loci censam capitalem B. Petro Louaniensi cum sua familia soluentes, & cætera vltra villam veterem ampliata ad Ducis dominium pertinerent, & sic Ecclesia per hoc arbitrium enormiter fuit læsa, nam homines loci censum soluunt quasi cōmuniter sancto Petro. C

Moderatio monetæ.

Hic Hugo apud statam iuxta Hoyum monetam ære permixtam paulatim diminuens fabricauit, ita quod in fine vnum Leodiensium tales duo denarij compensabant : Et cum grossus Turonensis antiquus Regis Franciæ sex Leodiensibus equipenderet, vix hunc valorem tales denarij 16. attingebant. Quare diuites pro 6. denarijs census debiti grossum vnum vel nouos denarios 16. exigebant: Censiti vero nisi nouum denarium pro veteri soluere voluerunt: Et propter hoc in patria magna dissensio est exorta. Tandem iudicatum est à Scabinis quod grossus Turonensis pro 8. Leodiensibus, & duo de talibus denarijs, qui singulis paruis Turonensibus æquipollerent, pro vno Leodiensi denario soluerentur : Et ex hoc Communitates adhuc amplius commouentur. D

Hoy seditio inter nobiles & populum.

Hoc tempore in Hoyo inter insignes & populum seditio maxima furit.

Et Rex Franciæ Philippus Ludouicum primogenitum suum Nauarræ fecit Regem, qui Marguaretam filiam Ducis Burgundiæ duxit vxorem.

Secundo genitus Philippus Comes Pictauiæ Ioannæ filiæ Atrebatensis Comitissæ Relictæ vxoris Otteletti de Burgundia Comitis matrimonio copulatur.

Carolus

A Carolus vero vltimogenitus Regis, sororem vxoris Philippi Fratris sui Blancam prælibatæ Comitissæ filiam desponsauit.

His temporibus Comes Flandriæ contra Dominum suum Regẽ Franciæ Anglorum Regi fœdere se coniunxit, mediante futuro matrimonio quod de filio Regis & Comitis filia facere intenderunt. Sed Rege Franciæ præmunito, vbi sponsa ducebatur ad spõsum, insidijs positis, captiuatur, quæ post modicum tempus in captiuitate decessit: Et sic inter Flandrenses & Francigenas guerra inexorabilis excitatur; Et cum Flandrenses Dominum suum tepide adiuuarent, Rex Oppidum Insulam in Flandria subiugat, & Duacum. Itaque pace facta Comes Guido reddit se captiuum, & in captiuitate post annos aliquot diem clausit extremum. *Comes Flãdriæ cõtra D. suum Regem Franciæ.* *Rex prouidet.*

B Per idem tempus inter Philippum Franciæ Regem, & Eduardum Regem Angliæ mediante Ioanna filia speciosissima, quam Eduardo filio Regis Angliæ dedit vxorem, inter ipsos concordia confirmatur, cui pax Comitis Barensis coniungitur post maxima damna, quæ passus est per Francigenas, cum illi non posset Rex Angliæ subuenire. Rex vero Eduardus nobilissimo & maximo totius Angliæ Prælatorum, Comitum, ac Baronum, & militum comitatu ad Bolloniam supra mare transfretans in Franciam venit, & eidem Rex Franciæ cum maximo apparatu occurrit in campis, ibi se ad inuicem salutãtes tertio die sequenti Isabellam prædictam ante altare recepit in vxorem; & durauit solemnitas nuptiarum per 11. dies. In quo festo C fuerunt tres Reges, videlicet Angliæ, Franciæ, & Nauarræ Regis Franciæ primogenitus; & quatuor Reginæ, Duces, Principes, & Comites, absque Baronibus, & Castellanis, 56. milites verò vltra tria millia numerati; & nobilissimarum matronarum, & puellarum permaxima multitudo: Et singulis Donaria multa ex Regis Francorum munificentia largiuntur. Ex illa Ioanna secundus Eduardus tertium genuit Eduardum, qui matris adiutorio patrem postmodum captiuauit, & regno priuauit, vt post hæc suo narrabitur loco. *Cõcordia inter Reges Franciæ & Angliæ.* *Solẽnitas nuptiarũ maxima.* *Donaria inuitatis data.*

His temporibus Carolus Philippi Regis formosi frater qui filiam Imperatricis Constantinopolitanæ vxorem duxerat, ex illa causa Constantinopolitanum repetebat Imperium, & cum iam Alpes transisset cum ingenti armatorũ & nobilium apparatu, Barensi Comite D & vxore sua & nobilibus multis alijs in via defunctis, reliquis morbo laborantibus, necessitate compulsus, ad propria remeauit. *Carolus Cõstãtinopolitanum repetit imperium.*

Anno Domini 1298. Adolphus Romanorum Rex contra Ducem Austriæ Albertum Rodolphi Regis filium & monoculum secunda die mensis Iulij cum multis nobilibus cecidit interemptus, Cui Albertus eius interfector successit in regno. *Adolphus vita & regno priuatur.*

O vera prudentis antiqui sic dicentis sententia: Sæculi leges telæ sunt aranearum, debilia retinent, fortia transmittentes, vnde versus istos contexui. *Sæculi leges sunt veluti telæ aranearum.*

Sunt mundi leges quod texit aranea rethe,

Fortia transmittit, debile quodque capit.

Ecce quod vniuersales mūdi leges indignum iudicant interfectorem succedere interfecto, & tamen hic Regem suum interficiens in regno successit eidem: Sed potentibus omnia iam licere videntur, vnde recitāte Valerio maximo, Pirata quidam captus ab Alexandro, & interrogatus ab eo vt quid mare infestum haberet, præclarè respondit, vt quid tu toti mundo infestus? Illud in modica exercui nauicula, quo tu mundum commoues vniuersum: vnde magna regna esse magna latrocinia comprobantur. Indè frequenter euenit, vt quod in alio potentior exequitur, ab alio patiatur inuitus. Vnde Boëtius, Busiridem accepimus necare hospites solitum, ab Hercule hospite fuisse mactatum. Quænam est ista potentia? Qui quod in altero potes, ne id alter in te valeat efficere non possit. Cuiusmodi sententiam monoculus iste, suo fine, argumento valido confirmauit, vt videre poteris inferius loco suo. Igitur monoculus iste eodem anno in festo B. Bartholomæi Aquisgrani suscipit regni Alamaniæ diadema. A B

ANNOTATIONES.

1. Cum Dux Brabantiæ in præiudiciū Ecclesiæ Oppidi Traiectēsis dñium occupasset:] *Quo pacto & qua ratione dominium hoc Dux Brabantiæ occuparit Chronicon Gemblacense sic refert.* Circa idem tēpus cum Guido noster electus iam regressus esset pro suo negotio ad curiam Romanam, in Traiecto mota est controuersia inter homines Episcopi & Ducis, C quia pars multum nostros opprimebat. Nostri vero nequaquam diu valentes hoc importunum ferre contra Brabantos se erigunt, & ecce ingens bellum actum est inter eos; sed quia pars Episcopi imminuta erat, & pars Ducis multiplicata, nostri non potuerunt diu ferre bellum, sed ad deditionem penitus positi sunt: quare Brabantini eos dirimerunt, quosdam ex eis occidentes, alios vulnerantes, & alios capientes, reliqui vero vbi potuerunt fugerunt. Tandem vi coacti Duci se tradiderunt, facientes illi homagium & B. Petro Louaniensi, relinquendo S. Lambertum, & ita Dux saisiuit quicquid iuris Episcopus habebat in Traiecto exceptis spiritualibus.

2. Arbitralem sententiam protulerunt:] *Hanc sententiam explicatius refert Ioannes Presbiter. Sic enim ille:* Cum Dux Brabantiæ in præiudiciū D Episcopi beatique Lamberti, Duci Ioanni querimoniam faceret, ex vtraque parte compromissum est in arbitros, quorum sententia super his ita pronunciatur. Totum Oppidum Traiecti & Wyck cum suis suburbijs sint in Dominio Ducis, exceptis duabus parochijs, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, videlicet S. Maria vbi olim nostra sedes fuit posita, nec non & S. Petrus existens in suburbio Traiectensi, qui quondam fuit hæreditas S. Lamberti sibi permanente ex parte suorum parentum. Item omnis alienigena .i. non progenitus in Episcopio, in quacumque parte Traiecti maneat, Dux semper habet.

A bet ipsum corrigere. Similiter omnis in Episcopio natus, vbicumque in Traiecto seu Wyck moretur eius correctio pertinet ad Episcopū. Mulier in Episcopio progenita, si nupta sit cum viro alienigena, in quacumque parte Traiecti seu Wyck commoretur, semper sit cum suis liberis sub correctiōe Episcopi, vir autem eius sit sub Ducis protectione: & similiter mulier aliena nuptui data viro in Episcopio progenito, vbicumque in Traiecto maneat semper sit cum suis liberis sub Ducis correctione, vir autem eius sit ab Episcopo corrigendus.

3. Monetam ære permixtam:] *Taxatur Hugo Episcopus de eadem re & à Ioanne Presbitero, & ab alijs qui hos duos scribendo sequuti sunt, Brustemio, Magno Chronico Belgico, Tungrensi, & alijs.*

B 4. In Hoyo inter insignes & populum seditio:] *Miram & cruentam hanc tragædiam depingit fuse Ioannes Presbiter, & post illum Chronicon Gemblacense.*

De cruenta guerra inter domum de Avvans & progeniem de VVarous.

CAPVT XXIII.

C HIs temporibus inter domum de Awans, & progeniem de Warous cruenta nimis guerra nascitur intestina: nam cum quidam armiger de progenie de Warous cum quadam diuite serua siue potius adscripta glebæ, quia propriè seruitus recessit ab aula, matrimonium contraxisset, & Dominus de Avvans, non proprie loci Dominus, sed quia maior in villa & aduocatus à Prunuensi Abbate Domino villæ, villam tenebat ad accensam, huic matrimonio dissentiret, hoc non obstante, mulieris prædictæ mobilia secum detulit violenter, propter quod Dominus de Avvans aduersæ partis braxinas & molēdina destruxit. Inde venenum exoritur, vnde postmodum cædes multorum hominum crudelissimæ prodierunt, sicut D suis locis inferius apparebit. Deinde cum Castellanus de Hozemont dicti Domini de Avvans consanguineus, contra Episcopum & rigorem Domini Ioannis fratris sui, quia, sicut asserebat, ipsum contra legem grauare voluit, rebellaret, idemque Ioannes animosus & doctus ad prælium exercitu collecto turrim de Hozemont diruere niteretur, ipsi Castellanus obuiat cum maiori satis numero bellatorū; Itaque tunc Dominus Ioannes lora retraxit; sed postmodum accinctus potentia grandiori præfatam turrim, & domum Eustachij dicti Franshons militis vnius de complicibus destruxit funditus & incēdit. Deinde Dominus de Avvans congregato magno amicorum suorum exercitu turrim de Sleins cuiusdam Balduini de genere de

Cruenta guerra inter domū de Avvans & progeniem de VVarous.

Origo cruentæ guerræ.

Diruitur turris de hozemont

Et turris de Sleins

Warous cum septingentis equitibus conatur inuadere; sed Episcopus suffragio Leodiensium obuians hunc compulit ad emendam: vnde cum cæteris suis adiutoribus ab Ecclesia S. Martini Leodiensiũ vsque ad maiorem cum processione processit Ecclesiam, & ipsorum quilibet nudipes, sola supercinctus tunica, nudo superpositam capiti sellam portauit equinam. Prius tamen propter dictas dirutiones præfatus Eustachius, Episcopo Leodij existente, campanam pulsando bannalem commouerat maximè ciuitatem, quamobrem Episcopus profugit apud Hoyum. A

Emenda datur Episcopo.

Huius Episcopi tempore ambo pontes Parisijs magnis constructi lapidibus & quadratis, ferramentis ex vtraque parte recuruis, infuso plumbo juncturis, vi sequanæ fluminis corruerunt; & qui vidit oculis hoc testatur, anno Domini 1296. in vigilia Thomæ, nec postea põtes de lapidibus restaurantur. B

D. de Avvans ab inimicis de VVaroux dimicãs trucidatur.

Anno Domini 1298. in die penthecostes, prima die mensis Iunij Dominus de Avvans cum suis inimicis de Warous in bello campestri dimicans trucidatur.

ANNOTATIONES.

Nam cum quidam armiger de progenie de Waroux cum quadam diuite serua matrimonium contraxisset:] *Cruenta huius guerræ originem paulo altius repetit Ioannes Præsbiter, sic enim ille.* Cum parentela de Avvans multas insolentias fecisset temporibus præteritis, nostra sede vacante, super illos de Warous & de Sclaisin, vt puta segetes eorum conculcasset, trabibus in transuerso segetũ ab equis distractis; nec adhuc tantum curabant Episcopo Hugoni obedire, vt amore sui darent eis aliquas treugas, Domino de Avvans procurante, prout communiter dicebatur, anno Domini 1297. tempore paschali, cum multi nobiles huiusmodi parentelæ essent in Castro de Avvans ibidem agentes munitiones suas contra inimicos; Hugo noster Episcopus instinctu Capituli Leodiensis, cum ad hoc exercitum magnũ cõgregasset, dictum castrũ obsedit; sed cum in dicto castro tũc essent cum Domino de Avvans probi milites, videlicet Nicolaus Dñs de Falais, Raso Dominus de Werfeseiz, Walterus eius auũculus Dominus de Momalia, Persandyo Dominus de Heneffia, Theodoricus eius frater Dominus castri de Serain, Lodouicus de borslet dictus Buthares Dominus clari montis, & quamplures alij, quorũ consilio de pace erga Episcopum tractatum est. Qua reformata Dominus de Avvans & quamplures alij milites in emendis Episcopo faciendis deportauerunt sellas equorum suorum super sua capita ab Ecclesia sancti Martini in monte populo spectante, vsque ad sanctum Lambertum sub corona. *Hactenus Ioannes Præsbiter.* C D

CAPVT

A

De seditione Hoyensi, malo remedio quod adhibuit Episcopus, accusatione Episcopi apud S. Pontificem, illius amotione, & substitutione Adolphi de VValdege.

CAPVT XXIIII.

ANno Domini 1299. inter insignes Hoyenses & diuites etiam populares, & commune vulgus seditione suborta, Scabini & *Seditio Huy.*
B fere omnes ditiores, cum vxoribus liberis & bonis mobilibus migrauerunt, cum Leodiensibus inito fœdere apud ipsos per bienniũ habitantes: Sed Episcopus communitati Hoyensi Scabinos nouos *Episcopus remediũ adfert.* instituit, & ciuitati rebelli Hoyensium opitulante communi, pro posse resistit: Conduxerat namque quosdam Bidarios à binis, quæ portant missilia, dictos, quos Isidorus non milites, sed velites à volitando vocatos insinuat, & quendam armigerum suum Bonifacium nomine præfecit eisdem: Qui discurrendo per patriam mercatores victualia ferentes Hoyum conducebant, eaque ducentes Leodium spoliando. Et cum quadam vice villas Ecclesiæ Leodiensis Puccy & Blarey inuaderent, illis resistentibus, prædauerunt eosdem, eorum C aliquibus interemptis: qui portati Leodium inter maiorem Ecclesiã & Capellam B. Mariæ virginis tumulantur, vbi canes eorum diebus pluribus quasi plangentes Dominorum funera remanserunt, & pietate moti homines ibi pascebant eosdem.

Eodem anno 1299. Rex Albertus monoculus, cum cuiusdam sui *Rex Albertus monoculus iusto dei iudicio trucidatur.* nepotis patrimonium occuparet, in die Philippi & Iacobi Apostolorum, ab eodem nepote suo iusto Dei iudicio trucidatur, testante poëta.

Nec enim lex æquior vlla.
Quam necis actores marte perire suo.

D Eodem anno Henricus Comes Lutzilburgensis in regno successit eidem.

Anno Domini 1300. die secunda Decembris inundatione mosa *Inũdatio Mosæ* tantum excreuit, quod antiquum Hoy pontem superfluens trabes auexit, quæ fluminis impetu defluentes arcum vnum pontis noui lapidei diruerunt.

Eadem hora vispiliones Leodiensium in monte Arbone asmarios Hoyensibus apportantes annonã spoliant, & saccis inscissis quod secum ferre non poterant effuderunt. Tunc in Hoyo clamatur ad arma, sed ponte diruto stipendiarij transire nequibant, & sic vispiliones cum præda recedunt.

Hoyenses Castrum Claremōtis expugnant. Eodem anno 7. Idus Martij Hoyenses castrum Claremontis expugnando cœperunt, & Dominum castri deduxêre captiuum imponentes eidem quod vispiliones Leodienses receptasset: Quod cum fuisset Leodiensibus nunciatum, equites laxatis frenis illos communitate sequente, cum Hoyenses nil metuentes reuerterentur ad propria, Leodienses caudam exercitus inuaserunt, vbi captis quibusdam, alijs confossis vulneribus 32. Hoyensiū ceciderunt, sex tantū de Leodiensibus interemptis: exinde tota patria contra Hoyēses & Episcopum cōmouetur. *Pœnas luunt. Patria commouetur.* Cōsiderātes autem Clerus & Ciuitas quod sub hoc Pōtifice negotia male procedebāt, nuncijs ad sedem Apostolicā destinatis de interfectione hominum Ecclesiæ apud Pucey, de falsa moneta, de spoliatione patriæ, hunc nostrum Episcopum accusarunt; *Accusatur Episcopus.* B Quo personaliter ad Curiam veniente, cum Papa prudens homo promptum videret scandalum, hunc ad Archiepiscopatum minoris valoris transtulit Bysuntium. *Pontifex prouidet.* A

ANNOTATIONES.

Anno Domini 1299. inter insignes Hoyenses:] *Breuis est & obscurus hoc loco auctor noster, Ioannes Præsbiter, & post eum Chronicon Gemblacense totam hanc tragœdiam, quæ destitutionis Episcopi causa fuit, clarius & explicatius referüt his verbis*: Eodem tempore mota est discordia inter conseruatores drappariæ Hoyensis & communitatem instinctu textorum eiusdem Oppidi, pro quorum parte dicta communitas erat. Quare dictis cōseruatoribus cum suis fautoribus confœderatis cum Scabinis & alijs maioribus huius villæ in hospitali sub castro vna die consilijs vtrarumque partium pro collocatione quadam existētibus, accidit quod ab inuicem cum seditione magna sunt separati, currentes ad arma. C Ægidius vero le Chockiers tunc villicus & Scabinus Hoyensis, acceptis secum quamplurimis armatis per Oppidum secedit, vt dictam seditionem commotam pacaret, prout asserebat, & per subtus Castrum ad portam de Spontim cognominatam perueniens, obuium habuit latorem vexilli panificum, quem vulnerando strauit, vexillum dissipans, cum suis monitis domū cum vexillo ire recusauerit. Deinceps per pontem ad pontem Domitiani reuertens, de signifero textorum sua iussa parui pendente idem fecit. D Quod communitas percipiens contra in seditionem vertitur clamando, ad Villicum, ad Villicū, qui nostros male tractat; Villicus vero respiciens ex aduerso multos cum magno tumultu & vexillo armatos properantes, quasi contra ipsum pugnaturos, & timens cum sua complice disparuit, fugiens istac illac. Tunc communitas quasdam domos suorum aduersariorum violando spoliauit. Itaque ergo dissentione seu contentione mota inter maiores imo verius ditiores totius villæ & reliquum vulgus, Scabini cum ipsis omnibus cum Leodiensibus confœderati, cum eorū vxoribus, familijs, & mobilibus, ac supellectilibus anno Domini 1299. in mense Iulio ab Oppido Hoyensi exeunt, Leodium

A dium diuertentes, vbi per biennium manſerunt. Hugo vero Epiſco-
pus Communitati conſentiens, in Oppido præfato alios Scabinos
fecit, & quicquid potuit Ciuitati ſibi rebellanti, cum communitate
prænominata ſibi opitulante, reſiſtit, ſpondens proceribus noſtris
Marciſcis dare magnam ſummam pecuniæ, vt ſibi ferrent auxilium
contra Leodienſes, obligando ſuper hoc eis caſtra, villas & bona S.
Lamberti in vadimonium, vtputa Comiti Hannoniæ Caſtrum Thu-
dini, Duci Brabantiæ Hugardiam & Bauenchiniam, Comitibus vero
Namurcenſi & Loſſenſi, ſingulis eorum ſingula bona B. Lamberti
obligata ſunt, Capitulo Leodienſi cõtradicente. Vaſtabat ergo vna-
quæque partium, videlicet maiores Hoyenſes in Ciuitate Leodienſi
B exiſtentes, & communitas Oppidi Hoyenſis vna multoties bona al-
terius, atque prædata eſt. Habebat Epiſcopus ſuis ſtipendijs berna-
rios & bidarios duo tela portantes qui cum quibuſdam communita-
tis Hoyenſis villas beati Lamberti ſcilicet Bluretum & Pucey præ-
dati fuiſſent, quoſdam homines perimendo, quæ res poſtmodum
Epiſcopo multum nocuit in ſua depoſitione in Curia Romana. *Et
paulo poſt.*

In anno Domini 1300. die ſecunda Decembris quidam maiores
Hoyenſium ab vrbe ſupra montem de Arbone aduentati, aſinarios
Hoyum blada apportantes ſpoliarunt, ſacculos bladi repletos per
medium ſcindentes. Tunc inclamato ad arma, ecce ſtipendiarij in
magna villa manentes veloci curſu equorum accurrerunt, ſed inuen
C to ponte diruto nequaquam vltra tranſire tentauerunt, quare prædi-
cti Hoyenſes cum ſuis ſpolijs, ſine impedimento Leodium ſunt re-
greſſi.

In eodem anno in diluculo diei communitas Hoyenſis cum manu
valida armatorum ab Hoyo exiens Caſtrum Clarimontis eodem die
oppugnãdo cepit, paucos in eo inueniẽs contradictores: Caſtro vero
capto ſpoliato & aliquantum inflammato Dominum Caſtri ſecus
Hoyũ in captiuitatem adduxit. Hoc Leodienſes intelligẽtes, quã ci-
tius potuerunt præfatam communitatem cum armis & vexillis in-
ſequuti, maioribus Hoyenſibus curſu veloci equorum eos præcedẽ-
D tibus: Cõmunitas vero Hoyẽſis hoc penitus ignorans & nil infortu-
nij in ſuo regreſſu æſtimans cum maiori parte Oppidum intraſſet,
ecce ſubito pars aduerſa Leodienſium iuxta nouam villam ſecus thi-
tanciam ſiluam exiens cum valida manu, vno impetu in poſtremos
communitatis irruit. Tunc ceciderunt mortui de communitate tri-
ginta duo viri præter vulneratos & captos, de Leodienſibus vero tã-
tum ſex. Ab inde commotus eſt fere totus Epiſcopatus contra com-
munitatem Hoyenſem & Epiſcopum, ac vno conſilio vſi ad Papam
nuncios dirigunt de Epiſcopo conquerendo, oſtendẽtes Papæ veſtes
ſanguine perfuſas illorùm de Blureto & Pucey, cum eſſent homines
ſpeciales Eccleſiæ B. Lamberti, quos ſtipendiarij Epiſcopi peremerãt
necnon & Epiſcopus caſtra villas & bona B. Lamberti proceribus

noſtris

nostris marciscis pro ingenti summa pecuniæ in vadimonium con- A
tulerat, & vt residuum patriæ nostri proceres destruerēt: vnde Hugo Episcopus ad mandatum Bonifacij Papæ citatus est personaliter, qui cum in eius præsentiam venisset à Leodiensibus Episcopio priuatur & deponitur anno Domini 1301. anno sexto sui Pontificatus, residente in vrbe romulea Papa Bonifacio octauo, quarto vero regni Alberti Regis Alemanniæ. Sed cum dictus Papa postmodum intellexisset quod Præfatus Hugo non suis culpis, imo obstare volens furori & tyrannidi nostræ patriæ saltem deliquisset, cum esset vir nobilis & boni testimonij, cōtulit ei Archiepiscopatum Bisuntinensem. *Hactenus Ioannes Præsbiter.*

B

De Adulpho de VValdege, & concordia inter Leodienses & Hoyenses per eum facta, nec non quibusdam alijs externis.

CAPVT XXV.

ET cum Adolphus de waldege præsens adesset in Curia, Papa de Leodiensium Ecclesia prouidit eidem.

Adolphus de VValdege Episcopus honorifice suscipitur à Leodiensibus.

Anno igitur Domini 1301. circa natiuitatē Domini, Adolphus de Waldege Canonicus Leodiensis Ecclesiæ, Zelator iustitiæ, ebriosus, iracundus 45. Leodiensium Episcopus reuertens Leodium recipitur cum honore. Inueniens autem patriam valde discordem, antequam vellet Hoyum accedere, tractauit de concordia inter partes: Cumque peteret vt ambæ partes in ipsum cōpromitterent, Leodienses de noui Prælati præsentia confidentes, & Hoyenses defensore priuati cum contradicere non auderent, in Episcopum compromittunt, sub pœna sex millium librarum Turonensium promittentes hinc inde firmiter obseruare quicquid Episcopus duxerit arbitrādum. Sic partibus taliter concordatis Episcopus Scabinos Hoyenses nouos deposuit, antiquos vero restituit. Secum hos Hoyum in aduētu iucundo reducens, & seditionis quosdam Principes eiecit ab Oppido ad voluntatem suam postea reuocandos; Adolphus vero sub pœna compromissi pronunciat quod Hoyenses tam pro suis excessibus, quam pro ipsius in concordia procuranda laboribus 6. millia librarum sibi soluere tenerentur. Et quoties aliqua partium ipsius arbitrium violauerit eandem pœnam incurreret ipso facto. Adiecit etiam quod pro libito suo Scabinos posset singulos destituere & in eorum locum alios subrogare: & quod Hoyenses vacante sede ad custodiendum castrum Hoyense non possent manus apponere: Item quod Hoyenses cum cæteris bannis ad exercitū cum Episcopo progredi debeāt, etiāsi aliæ villæ liberæ Episcopo exercitū nō concedāt.

Compromissum

Sententia arbitralis Episcopi.

Mulctantur Hoyenses.

C

D

Anno

A Anno vero Domini 1302. feria secunda post festum Iacobi Apostoli hanc arbitralem sententiam promulgauit, vt patet in libro Cartharum. *Arbitralis sententia Episcopi.*

His temporibus dum Iacobus S. Pauli Comitis frater vltimus, cum cæteris quos Rex Franciæ Brugis custodes reliquerat, Comite, sicut præmittitur, captiuato, tyrannizare cœpisset, & populum despotico principatu regeret, non regali; populus quadam die seditione commota, portis clausis, fractisque pontibus, multi nobiles, Iacobo prædicto paucisque secum euadentibus, trucidantur; vnde commotus Rex Franciæ maximo exercitu 8. millium equitum congregato Atrebatensi Comite belli Duce præfecto, hunc in Flandriam destinauit & apud Curtracum commisso prælio Francigenis ruentibus in fos-B satis, sicut boues ad victimam sine defensione mactantur: vbi Dominus Godefridus de Brabantia frater Ducis Ioannis primi Brabantiæ, & Ioannes de Virsoneius filius cum pluribus nobilibus 11. die mensis Iulij perierunt. Et quotquod euadere poterant non retrospicientes velut lepores aufugerunt. Tunc textor quidam qui Petrus Rex vocabatur tanquam demagogus gerebat Flandrensis populi Principatum, cui propter animositatem & industriam suam partem quandam de redditibus Comitis contulerunt, & ordinem ipsum faciunt assumere militarem. *Seditio popularis.*

C *Quod huius Episcopi tempore fere vbique populares in maiores insurrexerunt, & de causa commotionis Leodiensium.*

CAPVT XXVI.

HOc anno populares contra insignes quasi vniuersaliter eriguntur vbique: In Brabantia tamen cum insurgerent supplãtantur, sed in Flandria & Leodio longo tempore restiterunt. Hic vero causam commotionis in Leodio recitabo. *Fere vbique populares insurgunt contra superiores.*

Appropinquante termino 18. annorum, quo debebat cereuisiæ D firmitas terminari, Scabini considerantes qualiter quasdam expensas, quas de mandato populi fecerant, recuperare valerent, ne pœnas periurij, & excommunicationis, prudentes reputati viri, viderentur incurrere, diafano vetitum chlamide palliantes, Adolescentes potentiorum totius Ciuitatis instruunt, vt ipsi personaliter in signum vnanimitatis vnius coloris caputia deferentes super omnia venalia exigant malatoutam. Hi se nominari pueros de Francia faciebant. Ista cum Dominus Ioannes de Cambijs Decanus & Capitulum Leodiensis Ecclesiæ ferrent ægre, maiores ad Capitulum euocantes monent eos, vt desistant à talibus, quia Clerus hoc sustinere non pos- *Causa cõmotionis populi Leodiensis.* *Adolescentes potentiorum exigunt malatoutam.*

set: qui cum desistere non curarent excommunicātur, & supponitur Ciuitas interdicto. Decanus vero quamuis esset de maiorum genere procreatus, Artium Ciuitatis mechanicarum Gubernatores ad se clam conuocat, per quos Capitulum se plebi confœderat, & se spondent mutuo subuenire, & sic animati mangones armata manu carnes suas vendere inceperunt. Quibus rebus maiores animo consternati ad Capitulum reuertuntur, desistere spondent, vt absoluantur & organa resumantur: Et cum ablatorum prius restitutio peteretur, quidam ex eis proiecto caputio pignus dedit, illud pro ablatis facere sufficiens promittendo. Quibus non satisfacientibus, populus qui nuper vnum de Magistris creauerat popularem, quos ambos de maioribus eligere consueuerant, murmurare cœpit, & de leuatis per maiores retroactis temporibus exigit rationem. Quibus apud S. Bartholomæum conuocatis, populares à Scabinis quatuor sibi puncta exigunt sigillari. Primo quod nunquam de cætero collectam faciēt aut exigent firmitatem. Secundo quod nunquam vendent sine consensu populi pensiones: Tertio non concedent exercitum: Quarto quod nunquam dona Principibus largiētur: Scabinis vero paulatim recedentibus, populares properant ad tribunal, & captis quos illic inueniunt Scabinis, relictos effractis eorum ostijs, pariter adduxerunt, hosque sigillare quod petierant compulerunt. Peracta sunt hęc anno Domini 1302. sede vacante post mortem huius Adolphi.

Decanus & Capitulum se plebi confœderāt.

Mangones armata manu vēdunt merces.

Populus exigit quatuor pūcta sibi sigillari per Scabinos.

Illos compellunt.

A B C D

De quibusdam per Episcopum præclare Gestis.

CAPVT XXVII.

Hic Adolphus Lombardos vsurarios, quos Scabini Leodienses lucri gratia confouebant, armatus non clypeo, vel galea, sed mitra & baculo pastorali, fractis domorum suarum foribus à Ciuitate penitus extirpauit.

Adolphus vsurarios eijcit.

Cum Burgenses de fossis orta simultate cum Canonicis dicti loci posticum per quem Canonici descendebant ad villam lapidibus obturassent, & Canonici hac occasione migrassent, Episcopus hoc percipiens illuc properat causa concordiæ faciendæ: Et cum vidisset quod Canonici ad villam commode peruenire non poterant aliunde, per familiam suam arreptis ligonibus auulsit lapides antedictos. Tunc Fossienses contra Episcopum impetum facientes, ipsum ad domum suam confugere coëgerunt, quem sequitur communitas insultum ad Episcopi ostium faciendo. Sed cum familiares eius iactis lapidibus ipsos abigerent, quidam de foris arcu sagittam vestibus eius infixit. Quod Episcopus videns animo dixit irato, quod sagittam nequaquam eximeret, donec tam præsumptam superbiam vindicaret. Tunc de Hoyo mandauit armatos: hoc percepto Fossenses relictis.

Fossis discordia.

Adolphus se eo transfert.

Impetū in Episcopum faciūt.

Ira Episcopi.

ctis omnibus per abdita nemorum aufugerunt: Tunc Hoyenses in-
A trantes Oppidum ibidem per dies aliquot remanentes, consumptis
victualibus Fossensium, prædantes reliqua discesserunt. Fossenses
vero profugi tandem defalcatis eorum priuilegijs, & cuiusdam ne-
moris vsu priuati, ad gratiam Episcopi reuertuntur.

Fossenses fugiunt.

Episcopus priuat eos priuilegiis & nemoris cuiusdam vsu.

Cum adhuc in castro Tudinij custodes positi per mamburnum Comitis Hanoniæ tempore Domini Guidonis electi castrum ipsum reddere non curarent, illuc Adolphus properat, sed oppidani à custodibus superati villam nequibant reddere, neque castrum. Tunc Episcopo recedente cum pulsaretur campana bannalis, indignatus Episcopus reuertitur oppidi suburbia comburendo. Postmodum tamen Comes Hannoniæ custodes amouit à Castro.

Comburit suburbia Tudinensium.

B Hoc tempore custodes Castri de Mirevvart Comitis Hannoniæ terras Ecclesiæ de Riuonia, & de Nosoir quotidie spoliabant; Quamobrem Adolphus Episcopus illud Castrum funditus diruit, terramque castro subiectam suo Dominio subiugauit.

Castrum de Mirvvart diruit.

ANNOTATIONES.

Hic Adolphus Lumbardos vsurarios:] *Quid mouerit Episcopum vt inter tot curas statim vsurarios impeteret, & renitentibus quamuis Scabinis & ciuibus à Ciuitate pelleret, indicat Brustemius his verbis.* Eodem anno hoc est 1302. in Septembri recepta est bulla Papalis, quæ generaliter continebat
C Lumbardos & vsurarios extra ciuitatem eijciendos, quæ habetur capitulo, Vsurarum voraginem, lib. 6. & est Gregorij 10. in Concilio Lugdunēsi (qui quod Leodij Canonicus & Archidiaconus resedisset vsurarios Leodiēses nouerat) in qua inter cetera sic scribitur. *Hac generali cōstitutione sancimus, vt nec collegium, nec alia vniuersitas, vel singularis persona cuiuscumque sit dignitatis cōditionis aut status alienigenas, & alios non oriundos de terris eorum publice fenebrem pecuniam exercentes, aut exercere volentes, ad hoc domos in terris suis conducere vel conductas habere permittant, sed huiusmodi vsurarios manifestos omnes, infra tres menses de terris suis expellant, nunquam antiquos tales de cetero admissuri, &c.* Quare Adolphus Episcopus Lombardos quos Scabini Leodienses lucri gratia confouebant armatus
D non clypeo vel galea, sed Pontificali thyara & baculo pastorali fractis domorum suorum foribus à Ciuitate penitus extirpauit. *Magnum in hoc facto Episcopi zelum exprimit clarius & explicatius Magnum Chronicō Belgicum his verbis.* Idem etiam Episcopus Lombardos in suo Episcopatu fœnerari prohibuit, quos cum Leodienses in sua Ciuitate sustinere contra Episcopum vellent, Episcopus armatus armis Pontificalibus cum familia sua à palatio exiens, in oculis Leodiensium domos dictorum Lombardorū fregit, ac eos ab vrbe expulit, nec fuit qui huic facto contradiceret. *Hactenus Chronicon Belgicum.*

De eius testamento, receptis ab eo Ecclesiæ sacramentis, & morte.

CAPVT XXVIII.

Petit trāsferri ossa D. Ioannis de Enghien Episcopi.

EOdem anno Idus Decembris Adolphus de Waldege in lecto decumbens, facto testamento, rogauit, vt bonæ memoriæ Domini Ioannis de Enghien ossa in capella B. Mariæ sepulta trāsferrentur, & secum in maiori Ecclesia conderentur: & demum receptis Ecclesiæ sacramentis, in Domino requieuit Pontificatus sui anno primo, & ante maius altare maioris Ecclesiæ vna cum prædictis ossibus sepelitur. B

ANNOTATIONES.

1. In Domino requieuit:] *Ioannes Presbiter dicit famam fuisse Episcopum hunc veneno per Lombardos porrecto periisse, sic enim ille.* Adolphus cum persecutus fuisset Lombardos causa fœnerationis eorum, ipsum multum habebant odio, quare, vt dicitur, veneno intoxicatus est.

2. Et ante maius altare sepelitur:] *Super sepulchrum hoc exaratum est* Epitaphium.

De Waldege natus iacet hic Adolphus humatus, C
Qui vixit gratus anno minus hic cathedratus,
Nobilis elatus nil, sit sine fine beatus.
M, C. ter & iota bis, annos coniūge, notabis
Post mortem Christi sua dum mors incidit isti,
Semper iustitiæ cupido sub luce Luciæ.

De Theobaldo de Barro Episcopo Leodiensi, Ioanne mamburno eius fratre & quibusdam externis.

CAPVT XXVIIII. D

Wilhelmus de Atrebato eligitur in Episcopum.

Renunciat electioni de se factæ.

TVnc die præfixa ad eligendum Episcopum prætaxata, inter duos fratres de Horne Canonicos Leodienses ex vna parte, & Prępositū Ecclesiæ ex altera ad Episcopatū anhelantibus, & sic impedientibus inuicem se concursu, tandem magistrum Wilhelmū de Atrebato probum virum, sed ignobilem in Episcopum elegerūt: qui se tanto sentiēs imparem oneri electioni noluit cōsentire: tamē, vt interim de alio sibi prouideant, ad tempus deliberat Theobaldo de Barro Canonico Leodiensis Ecclesiæ tunc in Rom. Curia existente: Quem cum Canonici concordantes ad inuicem eligere concordassent

A dassent, magister Wilhelmus electioni renunciat de se factæ. Tunc Theobaldus eligitur in pastorem, & in Curia sibi electio præsentatur, & per Papam Bonifacium eodem anno eius electio confirmatur, & à B. Lamberto 46. Episcopus consecratur. *Theobaldus eligitur.*

His temporibus Bonifacius prædictus animosus nimis, omnia facta sua expediebat pro libito, nec fratrum suorum consilia sequebatur. Et quia videbat quod propter potentiam regni Franciæ suam non poterat exequi volũtatem, & cõsiderans Regis formosi simplicitatem, & quod totũ regni regimen à suis consiliarijs dependebat, ad Regis & regni humiliationem pro viribus nitebatur: Cũque prælatos regni ad concilium conuocasset, & Regis Consiliarij hoc præscissent, Franciæ prælatos congregãt, ibique tractantur quædam non B conuenientia voto Papæ: propter quod Papa commotus, Prælatis regni scripsit epistolam, cuius copia licet forte in aliqua parte corrupta, sequitur in hæc verba.

Bonifacius &c. verba delirantis filiæ quantumcunque desiderijs maternis infesta, quanta vis enormitate fœdata, nequeunt puritatem inficere piæ matris, & affectum in filiationis odium prouocare maternum: Cum in ipsa miseratione amor inueniatur maternalis, qui licet de miseratione doleat naturæ legibus filiali compatiendo. filijs in ipsa miseria consolatur. *Bonifacij Papæ epistola.*

C *Sane conturbata sunt vniuersa Ecclesiæ pia præcordia in auditu verborum, quæ sub fictæ consolationis pallio recitando quodammodo composita sunt, vt credimus, nomine prædilectæ filiæ Ecclesiæ Gallicanæ in matris immaculatæ opprobrium grande malum quasi ab amico causam quæreret recedẽdi, sed legitur quod frustra rethe iacitur ante oculos pennatorum. Ecce collectis ex parlamento Parisiis conuocato mendicatis suffragijs ne ad vocationem sedis Apostolicæ venirent eorum verborum compositores necessario concludere voluerunt, damna rerum & minas corporum præcipuè prætendendo.* *Prouerb. 1.*

Scimus equidem multorum relatione fidelium, nec latet apostolicæ D *sedis noticiam quæ & quanta fuerint in eadem concione narrata, & maxime quæ Belial Petrus Flote semiuidens, & mente totaliter excæcatus, & quidã alij prædicauerint sanguinẽ sitientes Christiani, qui charissimũ Philippũ Francorũ Regem illustrem trahere nituntur in deuiũ, pro dolor, propinquũ, cum tantæ Christianitatis sublimitas erroneo ducatu submergitur. Cui ducatus à cæcis miserabiliter ad mẽtis interitũ, nisi ex alto succurrat diuina pietas, propinquatur. Quod amarè luget mater Ecclesia circa salutẽ eius quærẽs remediũ, & meditatione sollicita contra tantæ maiestatis naufragiũ quærit portum.*

Verum vos fratres & filij si professionis vestræ debitum circumspectis considerationibus attendatis, cuius venenosæ fictionis suggesto in contemptũ tantæ matris, obedientiæ filialis neruum videmini contundere, ac debitum peruertere statum ordinis clericalis. Videmini siquidem secundum dicta eorum, spem ponere in terrenis, si timore terrenorum contemnitis cælestia, vel sepontis propter timorem Iudicum, Christi iugum. Multa præterea superba, iniqua, & schismatica in eadem fideli concione narrata fuerunt per Oratores eiusmodi, per quæ velle videbantur distrahere vnitatem Ecclesiæ, inconsutilem tunicam Domini nostri, quæ per nos videbantur reyci vel certe potius non audiri; quia vani nominis recitatur nec effugit vanitatem. A B

In vestram veruntamen excusationem aduertimus qualiter detractores præfati vt cæptum venenum aspidum festinanter euomerẽt in corde & corde loquẽtes, aliqui vix inter se moras loquẽdi gerebãt, verum præcipiti in momento temporis responderunt manna dulcedinis, & venenum aspidis infundentes in Ecclesiæ matris opprobrium & status proprij detrimentum; quia si verba eorum iusto librentur examine, eos esse Prælatos non indicant, sed indignos quibuslibet prælaturis: nec digni sunt regere, verum non immerito corrigendi. C

Psalm 13. Psal. 11.

Restat vt colligamus ex verbis quæ gesta fuerunt absque nostra sciẽtia machinatiõibus venenosis, vt & vos fictis coloribus ab vnione vniuersalis Ecclesiæ abducerẽt nequiter, vosq́; contra nos quos iniquitatis eorum volebant habere complices preuocarent: sed in vanum laborant & deficient iniquo scrutantes scrutinio sequaces tantæ superbiæ exequendo disponentes ab Aquilone sedem erigere contra vicarium Iesu Christi: Sed quoniam vt primus lucifer, cui non fuit hucusq́; secundus, cum sequacibus suis cecidit, corruet quantacunq́; fulciatur potentia & secundus. Nonne diu nituntur principia ponere, qui dicunt temporalia spiritualibus non subesse? D

Psal. 63. Herem. 14.

Hic iam dictis finem imponimus, Fraternitatem vestram in Domino exhortantes, vt spretis temporalibus & cõtemptis minis Iudicum, nobiscum ascendatis ad cor altum & exaltabitur Deus, qui dissipat consilia Principum, & cogitationes reprobat populorum: Pro firmo scientes quod obedientes gratuose videbimus, & contumaces pro qualitate criminis puniemus. Data, &c.

Psal 63. Psal. 32.

Duo Cardinales Petrus & Iacobus Papæ resistunt.

Cumque duo Cardinales Petrus & Iacobus de Columpna Consiliarij Regis Franciæ, Papæ in sua voluntate resisterent, & propter hoc orta discordia, Columpnenses Papæ cum sua potentia rebellarent, ipsorum

A ipsorum castra funditus diruit, ambos Cardinales priuatos palleis tanquam schismaticos, blasphemos, & hæreticos cõdemnauit, prout in eius patet constitutione, de scismaticis, lib. 6. *Papa eos condemnat.*

Qui tandem auxilio Regis Franciæ Duce Domino Petro de Nungareto milite & legum eximio professore eiusdem Regis summo Cõsiliario, Anagniam vnde Papa duxit originem, intrauerunt, & mirabile dictu cunctis sigillatim ciuibus effuso Regis thesauro corruptis Moriatur Papa clamantibus, Columpnenses Papam thesauro suo in eius præsentia spoliarunt. *Veniunt Anagniam. Corrumpũt omnes pecunia.*

Papa fremitum audiens timore commotus, ornamentis Papalibus infulatur, ad quem prædictus Petrus accedens, iubet vt cedat papa-B tui, alioquin imminere intimat sibi mortem. At Papa constanter maledixit eidem. Cumque timore veneni iam triduo ieiunasset, quidam de suis cocta sibi porrigit oua tria, quæ propter testarum integritatem veneni suspicione carebant; Cui Papa quasi alienatus, Talia, inquit, prandia tibi consueuimus ministrare. *Papæ insignis constantia.*

Interim populus deceptum se pœnitens, quamuis tarde, clamare, moriantur Columpnenses & Francigenæ inceperunt, & addentes continuo, Papa viuat. Et tunc Columpnenses, & Francigenæ profugerunt. *populus deceptũ se agnoscit.*

His Papa magnanimus versus in amentiam Romam perueniens cito post diem clausit extremum, Octobris die 12. *Papa moritur.*

C Eiusdem mensis 22. die Benedictus Papa 11. ordinis Fratrum prædicatorum, Hostiensis Episcopus, Romæ apud S. Petrum in Papam eligitur, benedicitur, confirmatur. Præfuit mensibus 8. diebus 16. & vacauit sedes mensibus 10. & diebus 28. Cardinalibus in vno conclaui, non quantum exigit constitutio, coarctatis.

Theobaldus igitur Episcopus Frater præfati Comitis de Barro magnis in Curia Rom. debitis obligatus, recedere non poterat nisi se prius à creditoribus liberasset: vnde Dominum Ioannem de Barro strenuum militem, & Petrum fratres suos præmisit Leodium: Et tunc idem Dominus Ioannes præficitur in mamburnum.

Anno Domini 1303. mense Iulio cum Traiectenses Episcopatus D patriæ rebellare cœpissent; mamburnus exercitu totius patriæ congregato, Traiectum versus Wyck, quæ pars terram respicit Falcomontis, portis, muris & fossatis totius Oppidi fortioribus, non caute forsitan insultibus impetit: vbi pluribus de parte sua perfossis vulneribus, & alijs interemptis, pro parte Ducis Dominus Wilhelmus primogenitus Domini de Cuc strenuissimi viri summi Ducis Consiliarij sagitta percussus interijt: Et à muris procul nil agentes aliud sunt abacti. *Traiectẽses rebellant patriæ Leodiensi.*

Eadem die cum de Leodio Petrus prædictus versus Traiectum tenderet, ab aduersarijs interceptus, socijs suis aufugentibus, abducitur captiuatus. *Acies Brabantina tendit versus Hasbaniã.*

Et eadem die tendit versus Hasbaniam quædam acies Brabantina,

cui

cui Ioannes & Arnoldus Harduemont fratres milites cum paucis omnis generis hominibus, quos adunare poterant, prope Latines viriliter occurrentes, prostratis aliquibus & captis quibusdam Brabantinis reliqui conuertũtur ad fugam. In hac victoria dicti fratres non immerito gloriam consequuntur. A

Ioannes & Arnoldus hardnemont fratres illam gloriose dissipant.

Exercitus vero mamburni cum Traiecti nil proficeret, & iam dicta fuisset victoria nunciata mamburno: comburendo reducit exercitum versus Hannutum, illud cum villis Ducis adiacentibus incendendo. Tunc Dux exercitu congregato inter Holloniam, Vmaliam, & viam regiam castra metatus, villasque vicinas in circuitu deuastãs incendio, nil aliud agendo, lora retraxit.

Eodem anno Theobaldus Episcopus circa festum omnium Sanctorum à Curia Rom: reuertens venit Leodium magna stipatus nobiliũ comitiua. Qui paulo post ab Hoyensibus summam 6. millium librarum exigit, in quibus prædecessor suus ipsos per sententiam condẽnauerat arbitralem: Et quia soluere differebant vias claudit, ne possint ad eos victualia peruenire; quo pressi collectam faciunt debitum persoluentes. B

Theobaldus exigit & accipit ab Hoyensibus sex milia librarum.

Anno Domini 1305. die 5. Iunij in die Pẽthecostes Bertrãdus vasco Episcopus Burdegalensis electus Perusij vocatus Clemens 5. Lugdunum veniens die veneris post Martini, sequenti Dominica apud S. Iustum in monte iuxta Lugdunum cum solemnitate maxima cõsecratur. Qui cum rediret innumerabili multitudine hominum subsequente, murus qui decliui montis terram defluam sustentabat infaustè corruit, Ducem Britanniæ cum multis nobilibus extinguendo; vnde Dominus Carolus Regis Franciæ frater contusus lapidibus cũ multis alijs vix euasit, vbi tunc Papa 12. Cardinalibus antiquis totidẽ addidit, pluribus ex his per Regem electis quos in fauorem eius cum cæteris pariter ordinauit. Hic totus Symoniacus omnes dignitates & beneficia per prosenetas vendebat, & quod hoc esset sibi licitum asserebat. Coram isto Dominus Wilhelmus de Nungareto, qui dudum Papam Bonifacium ceperat, de hæresi hunc accusat petens huius memoriam condemnari: sed fratribus contradicentibus est repulsus. C

Clemẽs 5. magna cum solemnitate consecratur.

Subsequitur casus miserabilis

Clemens Symoniam sibi licitam dicit.

Accusatur hæreseos.

Hoc anno Henricus Lutzilburgensis postmodum Imperator, quẽ tunc in Curia vidi magnificè se gerentem, pro fratre nunc Archiepiscopo Treuirensi, illius Archiepiscopatus impetrat dignitatem. D

His temporibus Rex Franciæ immenso exercitu congregato apud vitriacum tentoria fixit, prouisionibus maximis vini, bladi, ac cæterorum victualium cõglobatis; sed quadam fama volante, quã se Rex proditum suspicatur, omnes aufugiunt, quidam inermes absque caputijs & braccis, quidam pedites, quidam equites absque sellis, inimicis omnia relinquentes: aduenientes vero Flamingi omnia rapuerunt.

Rex Franciæ immẽsum exercitũ congregat.

Tunc papiliones pretiosissimi pro corpore regio præparati in sortem

A tem Comitis de marcha ſtrenuiſſimi patris, noſtri in præſentiarum Epiſcopi, ceciderũt, qui tunc partes Flandrenſium adiuuabat. Poſtea vero Rex recollectis viribus apud montes in Peulia contra Flandrẽſes reducit exercitum. Qui ſibi viriliter obuiam reuertuntur, quibus commiſſa pugna hinc inde fortiſſimè dimicantibus, Wilhelmus de Iuliaco Archidiaconus Leodienſium, Aquenſium Præpoſitus, & in Archiepiſcopum Colonienſium electus, ſtrenuiſſime Regem conſertis manibus aggreditur impugnando. Qui ſtipatus electiſſimis bellatoribus, ſicut regiam decuit maieſtatem, vt gygas manu valida reſiſtebat. Sed tandem Wilhelmo ſicut fortuna voluit cum quibuſdam alijs interempto, alijs fugientibus, Rex cum ſuis remanſit in cãpo: vbi flamingi ſua tentoria perdiderunt, qui nouis ſubito pannis B pretioſis & ſcarlatis conſutis ad inuicem papilionibus præparatis, mirabile dictu, infra decimum tertium diem ad eundem locum ad bella promptiſſimi reuertuntur.

Comes de Marcha papiliones Regis pretioſiſſimos capit.

VVilhelmus Archidiaconus Leodienſis conſertis manibus Regem Galliæ aggreditur. Occiditur.

Infra quos, die quinta poſt bellum Guido de Flandria cum parte Flandrẽſium, & quodam fortiſſimo milite Ioanne de Reniſſe, ac alijs exulantibus de Zelandia, qui Dominum ſuum Florentium Comitẽ Hollandiæ & Zelandiæ interfecerant, contra Comitem Hannoniæ & nuper Hollandiæ apud Zirixzéa in Zelandia nauali bello congreſſione habita debellatur.

Demum Francigenis & Flandrenſibus fatigatis ad inuicem concordantur, Flandrenſibus Regi tributarijs tunc effectis, parte Flan-C driæ vltra riuum, qui Lys dicitur Regi Franciæ remanente.

Initur concordia inhoneſta flandris.

Anno Domini 1306. In feſto Magdalenæ omnes Iudæi per Franciam capiuntur, quibus exactionatis expelluntur à Regno.

Iudæi pelluntur à regno Galliæ.

Anno Domini 1307. vna die & hora Templarij per totum Franciæ regnum capiuntur vnde verſus P. de Awans.

Templarij capiuntur.

Excidium templi nimia pinguedine Rempli,
Ad lilium duo c. conſocianda doce.

1. Repleti: & eſt gall:

Continet hæc dictio, lilium, M. i. milleſimo, duo l. duo i. & v. quibus iunctis duo cc. ſit mccllvij. Quo facto Rex petijt à Clemente Papa 5. ordinem deſtrui imponens templarijs horribilia, & quod in profeſſione ſua, quam ſtatim faciebant, ingreſſi, Diabolo ſacrificabant, & ad inuicem coibant, & quod ex profeſſione hoc alter alteri D non poterat denegare. Tandem vtrum de iure propter delicta perſonarum poſſet ordo deſtrui in Conſiſtorio quęſtione diutius ventilata, cum petitio Regis non procederet, Clemens auri cupidus & ſpiritu ſymoniæ repletus proponit, vtrum propter Regis potentiam, cuius ſchiſma timẽdum dicebat niſi procederet factum ſuum, hoc Eccleſiæ ad vitandum ſcandalum expediret, Tandem ſuper hoc diſputato pars Regis obtinuit, & ordo per ſententiam aboletur anno Domini 1308. in Concilio Lugdunenſi. Rex vero Pariſijs magiſtrum ordinis ditiſſimum cum multis alijs impoſita ſibi confiteri nolentibus concremauit: Confitentibus vero ad vitam de bonis templi redditus aſ-

Hæreſes impoſitæ tẽplarijs.

Clemẽs auri cupidus conſentit Regi.

Rex magiſtrũ ordinis concremat.

 ſignauit,

signauit omnibus sibi mobilibus confiscatis. Quod autem iniustè puniti sint, tali videtur argumento posse conuinci, frequēter visum est hæreticos diabolica fraude deceptos, falsa quædam esse vera credentes, in confessione suæ credulitatis esse extinctos, qui contra credulitatem mentientes. i. contra mentem dicentes viuere potuissent: nam sicut in 3. Boetij de consolatione legitur *Omne animal tueri salutem laborat, mortem vero perniciemque deuitat*, vt pluribus ibidem probat rationibus & exemplis; & hoc verum nisi doloris impatientia, siue metu maioris pœnæ minorem quis eligat, vt de Seneca legitur; vel spe futuræ gloriæ veræ, vt sancti martyres, siue falsæ, vt hæretici, qui mori potius quam contra mentem dicere maluerunt. Sed quod aliquis contra mentem loquendo perire sustineat; qui verum fatendo viuere potuisset, si correctus in mente vt melior viuendo fiat, aut si malus bonis tēporalibus in vita fruatur; vix posse dicimus reperiri; nam sicut dicit Seneca 4. de beneficijs, *adeo gratiosa est virtus, vt insitum sit etiam malis probare meliora*. Et infra *neminem inuenies qui non nequitiæ præmijs sine nequitia frui malit*: Quomodo ergo siue bonus siue malus verum dicendo sine nequitia bonum vitæ non appetet potius, quam cum scelere mendacij mortem turpem? Nam non est verisimile quod tot pariter impatiētia doloris aut vitæ tædio mori voluissent. Vnde Papæ cupiditas, & Regis inordinata voluntas dicuntur in causa fuisse quod multi saltem perierunt Innocentes. Papa namque statim bona templi infinito thesauro fratribus vendidit hospitalis, & suspensis eorū priuilegijs nouâ receptâ pecuniâ priuilegia renouauit.

An iuste vel iniuste.

A

B

C

ANNOTATIONES.

1. Wilhelmum de atrebato probum virum sed ignobilem:] *Hic nouo & inusitato exemplo recusat Episcopatum Leodiensem testātibus omnibus Ioāne Presbitero, & alijs, qui ab eo tempore de his rebus scripserunt.*

2. His temporibus Bonifacius animosus nimis:] *De hoc Pontifice varie illius temporis homines loquuti sunt, vt facile ex auctore nostro videre est. Genebrardus recentior vt fere semper melius loquitur, sic enim ille:* Instituit duplex maius (vt vocant) in festis 12. Apostolorum 4. euangelistarum & 4. doctorum Ecclesiæ. *Ita Platina.*

Fertur fuisse auctor illius orationis Ecclesiasticæ, *Aue virgo gloriosa &c.* D

Aliquot epistolas Romanorum Pontificum quas vocant decretales in quinque libros per tres doctissimos viros Guilhelmum Ebredunensem Archiepiscopum, Berengarium Episcopum Bitaenensem & Richardum de Senis iuris vtriusque doctorem, digeri curauit, easque sub nomine Sexti decretalium, in Concilio Lugdunensi confirmauit, & legi in scholis ac in iudicijs obseruari mandauit. *Præfatio lib. Decretal.*

Lustralem annum siue Iubileum centesimo quoque anno celebrandum

brandum primus instituit anno 1300. *Platina.* Ingentia bella in Italia excitauit. Excommunicauit Regem Gallorum Philippum, & totum regnum donauit Alberto Austriacæ domus Cæsari. Captus est postremo Anagniæ in paterna domo dormiens, nihilque tale metuens, indeque Romam perductus, in carcere perijt. Atque hinc dicitur: Intrauit vt vulpes, regnauit vt leo, mortuus est vt canis. Quod tamen falso & temere vsurpatum à maleuolis, & Principum assentatoribus plerique existimant, quoniam Platina, valde alioquin pronus ad notandas Pōtificum maculas, nihil tale retulit, sed nec alij qui eorum vitas descripsēre. Vnde & eum laudant, tanquam Ecclesiasticæ libertatis æmulum Imperatoribus, Regibusque sua potestate abutentibus formidabilem. Sed & Philippus Rex, cuius opera captus fuerat, atque interierat, Deo vnctum suū vlciscente, nūquam deinceps prospere se habuit, vt ab aliquo Episcopo prædictum fuerat. *Hactenus Genebrardus.*

A

B

3. Cum Traiectenses patriæ rebellare cœpissent:] *Idem narrat Ioānes Prasbiter, & qui deinde chronica sua scripserunt.*

4. Ab Hoyensibus summam sex milium:] *adstipulatur & Ioānes Prasbiter & sequaces.*

5. Templarij per totum Franciæ regnum:] *Iuste an iniuste ordo templariorum à Pontifice Rege Galliæ, procurante, extinctus fuerit, templarijq́, affecti supplicio non satis constat apud historicos.* Multa (*inquit Antoninus*) templarijs obijciebantur, sed vtrum vera nondum satis constat. *Auctor noster iniuriam illis factam probare conatur, quem sequitur Brustemius qui historiam particulatim & clare describit his verbis.* Anno Domini 1307. vna die & hora Templarij per totum regnum Franciæ capiuntur. Cum enim Pontifex Clemens 5. cum curia sua moram traheret in Ciuitate Pictauiensi, Rex Franciæ Philippus seductus ab officialibus suis, denunciauit Pōtifici magistrum templi & mansionis, suosque fratres dictæ religionis quibusdam infectos esse erroribus, ac sceleribus inuolutos. Totum tamen falso ex auaritia dicebatur fuisse confectum, vt illi religiosi Templarij, qui initium habuerunt in Hierusalem, & postea multiplicati & diffusi per Franciam & alias prouincias magnas diuitias & possessiones, ac loca opulenta possidebant, expoliarentur bonis suis; propt factum est. Cuius mali principium tale fuit. Quidā Prior de monte Falcone tholosæ dicti ordinis seu religionis Templariorum homo pessimæ vitæ ac hæreticus, propter notabiles suos excessus ab ipso magistro ordinis Parisijs in perpetuum carcerem fuit intrusus. In eodem carcere detinebatur alius Noffus nomine, Florentinus natione, vir & ipse sceleribus plenus. Hi duo spiritu maligno concitati, & callidissimi adinuicem conuenerunt in malum falsæ accusationis, vt carcere liberari possent, & aliquo emolumento inde percepto infelicem vitam sustentarent. Qui tandem egressi de ergastulo mala morte perierunt, vno suspenso, & altero violenter interfecto. Hi ergo cum in carcere essent insinuarunt officialibus

C

D

Regis illos religiosos de ordine Templariorum hæresibus & flagitijs irretitos : vnde si procederetur in inquisitione contra ipsos, procurante hoc Rege à Pontifice, magnas & multas eorum diuitias obtinere posset. Quod cum Regi denunciatum esset, suggessit Pontifici vt ordinem illum deleret, vt pote hæresibus & nefandis erroribus, & facinoribus implicatum. Tandem vtrum de iure propter delicta personarum possit ordo destrui in consistorio quęstione diutius ventilata, cum petitio Regis non procederet, Clemens Papa auri cupidus & spiritu symoniæ repletus proponit, vtrum propter Regis potentiam, cuius schisma timẽdum dicebat nisi procederet factum suum; hoc Ecclesiæ ad vitandum scandalum expediret; tandem super hoc diutius disputato, Pontifex Regi placere volens, absque discussione alia materiæ eorum, quæ Templarijs obijciebantur, vtrum vere vel calumniose procederetur, petitioni Regis acquieuit, concedens per litteras apostolicas vt omnes templarij per orbem dispersi certa & determinata die caperentur, & eorum bona omnia sequestrarentur. Capitur igitur magister Templariorum, qui tunc Parisijs erat, & incarceratur, dicebatur Frater Grachi natione Burgundus, genere nobilis, habens secum 60. alios milites eiusdem ordinis nobiles. Opponebantur eis aliqui articuli hæresium, ac vitia contra naturam, quod spuebant in crucem Christi, & antecessores eorum fuerint causa per proditionem quod terram sanctam fideles amisissent. Super his, probationibus aliquibus exhibitis, Rex fecit eos torqueri varijs cruciatibus, vt omnes faterentur excessus. Qui cum omnino negarent, & falso esse conficta dicerent, in carceribus diu detenti sunt cum magnis incommodis. Demum vt conclusionem sumerent dicti processus, extra Parisios educti in magno solario ligneo & alto positi sunt omni plebe spectante, fecitque eos nudatos ad palos ligari, & ignem sub eorum pedibus poni, postea ad tybias, & sic paulatim ad membra superiora vnum post alterum comburendo, eisque aperte nunciando, quod si qui illos faterentur excessus, & pœniterent, liberarentur. Dum igitur talia paterentur eorum amici & consanguinei hortabantur eos, vt confiterentur tales eorum defectus, ne tam enormia paterentur tormenta. Sed illi nolentes ac præ dolore & nimio cruciatu clamantes, dicebant se sine causa talia pati : inuocabant proinde Deum & Beatam virginem ac alios sanctos, & sic vitam inter tormenta finiebant : fuerunt autem reseruati ex dictis templarijs Magister Principalis ordinis, & frater Delphinus, & frater Hugo Paraldi, & alius quidam, qui aliquando fuerant officiales & thesaurarij Regis. Hi ducti fuerunt ad ciuitatem Pictauiensem coram Papa, vbi etiam Rex Franciæ erat. Et promissum fuit eis, quod si faterentur illa flagitia, venia concederetur eis, & vita. Ferebatur quod aliqui confessi fuerint, & sic Parisios reducti. Destinantur illuc duo Cardinales ad ferendum sententiam contra dictum ordinem, ex dicta confessione facta coram Pontifice, atque ad faciendum punitionem

A nem contra dictum Magistrũ & socios. Positi sunt ergo in altis pulpitis, vt viderentur ab omnibus: Perlecto autem dicto processu, Magister templi surrexit, & cum magno clamore postulato silentio, publice dixit; quod illæ hæreses, & crimina, de quibus inquisiti fuerãt, nunquam perpetrassent, & quod eorum religio ab illis semper immunis fuisset. Sed dignum se fatebatur morte, & illam in patientia paratus esset sustinere, quia timore & blanditijs Papæ & Regis in aliqua parte confessus fuisset illa crimina dolose, & mendatiose. Interrupto sermone, & non completo, data sententia, recesserunt Cardinales & prælati de loco. Magister cum socio ante aulam Regis positi sunt ad ignem, & paulatim igne succenso combusti: Frater quoque Delphinus eodem modo per ignem transijt ad Dominum.
B Frater Hugo Paraldi cum socio timore pœnæ omnia cõfessi sunt, & pro tunc mortem euadentes, postea miserabiliter obierunt. Papa vero statim bona templi infinito thesauro fratribus vendidit hospitalis sancti Ioannis: Et suspensis eorum priuilegijs, recepta pecuniæ summa noua priuilegia renouauit. *Ita Brustemius.*

Platina, Genebrardus iuste ordinem extinctum & illos affectos supplicio tradunt. Rescitum (*inquit Platina*) Templarios olim Christi milites à nostris ad Sarracenos defecisse. Hanc obrem interfecti illi sunt, quot comprehendi potuêre.

C

De seditione populi contra Episcopum & nobiles.

CAPVT XXX.

EOdem anno cum populus Leodiensis ab insignibus dissideret, & propter hoc recessissent Scabini ciuitate relicta, & populus Episcopo rebellaret, Episcopus exercitum colligit vt multos de plebe apud Vothem abiudicari faciat per Scabinos. Sed populus armata manu præueniens obsistit Episcopo, ne faciat quod intendit feria quinta post assumptionem virginis gloriosæ. Episcopus
D vero considerans non esse tutum cum tanto populo dimicare, interuenientibus quibusdam sub spe futuræ pecuniæ receptis obsidibus pace facta recessit; postmodum cum populo concordauit.

Dissentio populi ab Episcopo & nobilibus. Episcopus constat exercitum. initur cõcordia

His temporibus mechlinienses cum Duce discordant, quare mandant Episcopo quod veniat, & sibi iura debita recognoscent, ipsumque restituent ad eadem. Qui missis duobus Canonicis possessionem Iurium Ecclesiæ recepit verbaliter per eosdem.

Mechlinienses à Duce discordes Episcopum Leodiensem aduocant.

ANNOTATIONES.

Vtrumq; probat Ioannes Præsbiter, & alij sequentes Chronici.

A

De quibusdam expeditionibus ab Episcopo gestis, & alijs externis.

CAPVT XXXI.

Episcopus diruit castrũ de monuiroil.

HIs temporibus cum Dux Lotharingiæ, idemque Dominus Floainensis Castrum de monuiroil in præiudicium patriæ instauraret, ad querimoniam Domini de Hebes, Episcopus illud obsedit, ipsum tandem funditus diruendo.

Obsidet castrũ de Agimont.

Anno Domini 1308. Theobaldus Episcopus obsedit Castrum de Agimont, & eiusdem terræ villam de Giuey conflagrauit: tandẽ castrum redditur, maiori turre combusta. B

Anno Domini 1309. Comes Hannoniæ castrum Tudinij obsidione vallauit: hoc intelligens Theobaldus Episcopus, exercitu congregato illuc dirigit iter suum, & apud Perires tentoria figens ad prælium se parabat: sed quibusdam procurantibus ambæ partes in arbitros compromittunt. Tunc apud Niuellam arbitrali sententia terra de mirewaut, pro qua discordia fuerat, adiudicatur Comiti ab Episcopo in feudum releuanda.

Anno Domini 1309. in die Philippi & Iacobi prima die mensis Albertus Rex occiditur à nepote suo cuius patrimonium occupabat. C

Eodem anno Henricus Comes Lutzilburgensis in regno successit eidem, & Aquisgrani solemniter coronatur. Hic iustus & religiosus & in armis strenuus Ecclesiam diligebat, cuius historia sequitur suo loco.

Hypocritæ gyrouagi decipiunt nobiles mulieres.

Eodem anno quidam hypocritæ gyrouagi, qui lollardi siue deum laudantes vocabantur, per Hannoniam & Brabantiam quasdam mulieres nobiles deceperunt, qui negando tamen per quædam signa clam se fore nobiles designabant, & eis imponi cautelose procurant quod periculum belli apud Curtracum euaserant, & ideo tunc Deo vouissent quod per septennium pœniterent, & sic per patriam exularent: Et cum eis hoc imponeretur à fatuis, quasi nondum esset finitum septennium cuius finis tunc instabat, firmiter hoc negabãt; & quo constantius inficiantur imposita, eo fides mendacio fortior adhibetur; vnde quidam Iacobus de Gistella, qui dudum in puerili ætate cum domina de mortaigne scholas intrauerat, qui se Dominum Ioannem de virson filium Domini Godefridi de Brabantia, qui fuit cum patre pariter apud Curtracum interfectus, & maritum prædictæ nobilis simulabat. Quem quidam de Louanio diuites rapuerunt, sibique vestes faciunt militares, equos emunt, & quicquid statui Principis competebat. Tandem vxorem adijt putatiuam, & cohabitauit D

Quidam simulat se maritum Dominæ de mortaigne.

Adit vxorem putatiuam.

eidem

A eidem. Huius temporis præcise recolo, quia quarto anno quo studueram Aurelianis, quidam socius meus in domo cum magna mihi exultatione narrauit consanguineam suam de mortaigne proprium recuperasse maritum: cui respondi, non primum, imo secundum vel procum, cum quo dicitur solemniter matrimonium contraxisse. Tandem fraude detecta fugatur, qui Parisios veniens Regi Franciæ terram de mortaigne vendidit, miles factus, quem Rex de pretio sustentabat: hunc postea vidi Parisijs in habitu militari. *Fraude detecta fugatur.*

Eodem tempore quidam ex lasciuia cruce signati de diuersis mũdi partibus conuenerunt, & Iudæos interficiebant vbique: & propter eorum insolentiam magna pars eorum fuit apud Genapiam villam Ducis Brabantiæ interempta, qui tandem Auinienem quasi 30. B millium numero peruenerunt, & cum transfretare tentassent dispersi sunt, & cum penuria reuertuntur.

Eodem anno hyems asperrima: deinde aquarum inundatio maxima 15. Kal. Februarij in Huyo molendinao, pntes, domos diruit, in vna domo sex homines suffocando.

Eodem anno in vigilia purificationis circa meridiem fit solis ecclypsis.

ANNOTATIONES.

1. *Quæ auctor noster ricitat de expeditionibus Episcopi contra Castra de Monmiroil & Agimont, eadem quoq; refert Ioannes Prasbiter.*

C 2. Castrum Tudinij obsidione vallauit:] *Explicatius refert hanc obsidionem & iniquam hanc arbitralem sententiam Ioannes Prasbiter his verbis.* Henrico itaque Luxemburgensi Comite in Regem Alemanniæ coronato; & in Coloniam regresso; ecce Comitissa Haynoniæ accedens ad eum conquesta est de Theobaldo nostro Episcopo; qui in sui præiudicium, vt asserebat, tenebat dominiũ terræ de Mirwal, quod Guido quondam Leodiensis electus ex pecunia & nomine Ioannis Comitis Haynoniæ, cuius relicta erat, emerat: Quod Theobaldus Episcopus qui præsens erat, intelligens, contradixit dicens quod Guido præfatus electus non ex pecunia neque ex nomine Ioãnis prædicti quon- D dam eius mariti, sed ex thesauro nostro S. Lamberti ac assensu Capituli dictam terram de Mirwal emit. Itaque dicta Comitissa cum nihil ageret coram præfato Rege super promissis, Haynoniam recessit: Eius instinctu & quorundam aliorum Guilhelmus iunior Comes Haynoniæ eius filius magno exercitu Haynoniensium, francigenarum, Brabantinorum & Namurcensium congregato, Castrum Tudinij anno Domini 1309. circa Augustum mensem obsedit, Theobaldus vero Leodiensis Episcopus hoc intelligens ingenti acie cumulata & versus Tudinium directa, vt fortitudinem Comitum Haynoniæ vi armorũ fugaret, apud Perir castra metatus est, sed ibidem pro pace inter eos reformãda ab vtraque parte arbitris acceptis, idem Comes à dicta obsidione discedens ad propria reuertitur, quare idem Episcopus

Episcopus mox cum sua acie Leodium recessit. Et postea ex pronunciatione dictorum arbitrorũ in Niuella inique prolata, Episcopus & Capitulum decepti fuerũt, quia præfata terra de Myrwal vi arbitrali cogente, est prætacto Comiti restituta, nec non & Castrum quod Adolphus Episcopus Leodiensis diruerat est ab Episcopo & Capitulo restructum. A

3. Quidam ex lasciuia crucesignati:] *Hanc rem paulo clarius refert Meyerus annalium Flandriæ lib. vndecimo*: Per æstatem (*inquit*) huius anni 1309. innumerabiles pene plebei, ex Anglia, picardia, Flandria, Brabantia Alemannia côuenientes, seipsos absque Pontificum aut Principum auctoritate Cruce armantes, ad Curiam Romanam, quæ tunc Auenionæ erat, profecti sunt, consensum, & auxiliũ petẽtes Pontificis & Cardinalium trans mare militandi contra Barbaram religionem. B
Sed nihil illis, quod duces nullos haberent insignes, Clemens concessit. Ita disgregata est imprudens, & incondita turba, domũ quisq; suam rediit.

De profectione Episcopi ad vrbem cum Henrico Rege, de bello ibidem gesto, de captiuitate Episcopi eiusq; morte.

CAPVT XXXII. C

ANno Domini 1310. Rex Bohemiæ moritur vnica filia hærede relictâ, quam Henricus Rex Ioanni filio suo nunc Regi Bohemiæ matrimonio copulauit, quem fratri suo Archiepiscopo Treuerensi commendans, cum Principibus Theobaldo Episcopo, Lupoldo Austriæ; Ludouico Bauariæ Ducibus, Waleramo fratre ipsius Regis, Guidone & Henrico Fratribus Comitis Namurcensis, Ioanne de Agimont, ac multis alijs nobilibus, & cum Regina vxore digne charissima transalpinat, vt in vrbe tandem Imperiali diademate coronetur.

Henricus Rex cum Theobaldo Episcopo & alijs transalpinat pro sua coronatione.

Cumque peruenisset mediolanum eodem anno corona ferrea, vt moris est, coronatur ibidem. Inde tendens Brixiam, vt rebellionem D
retunderet eorundem per Ianuam transiens re & nomine regina per optima, & Dominus Ioannes de Agimont frater Comitis Lossensis de medio sunt sublati.

Mediolani coronatur corona ferrea.

Regina & Ioãnes de agimõt moriuntur.

Inde procedens vlterius Brixiam obsidione vallauit: Erat autem vicina ciuitati rupes altissima, vbi Brixiensium thesaurus dicebatur esse absconditus. Illic gens Regis insultum faciens fugientibus loci custodibus munitionem capit, & thesauro spoliauit eandem.

Denique cum diu in vacuum laborassent, & Regis frater iam dictam Rupem, spectãdi gratia pulchritudinem Brixiæ, ascendisset, per

balistam

A baliſtam ſagitta percuſſus in facie, telum extrahens cum vulnus parui penderet, & demum ſanguis ardore ſolis ebulliret, lecto decidens diem clauſit extremum.

Frater Regis ſagitta percutitur.

Tunc ira permoti facientes inſultum Brixiam capiunt violenter: Hoc inſultu Guido Namurcenſis, vbi ſecuri portas inuaſerat, lapidibus conquaſſatur.

Moritur.

Brixia capitur

Anno vero Domini 1311. Rex muros Brixiæ diruit, rebellionis actores faciens decollari. Et cum ad vrbem tenderet, præfatus Guido confractus intrinſecus, deceſſit in via.

Guido moritur

Rex vero Siciliæ Robertus aduentum Regis Henrici præſentiens Dominum Ioannem Fratrem ſuum præmiſerat, vt eius introitum impediret: qui Ioannes pro parte Vrſinorum partem vrbis maiorem B occupabat: Columpnenſes vero monte gibelini fauentes Henrico ſolum pontem *Molli*, armatorum caſtris vallatum ad Regis tranſitũ obſeruabant.

Rex Siciliæ præmittit fratrem qui impediat aduentum Henrici Regis.

Colũnenſes fauent Henrico Regi.

Et vt lector intelligat quæ ſequuntur, attendat quod vrbem Romanam Tyberis transfluit, minorem ſine comparatione partem verſus meridiem diuidens à maiori, quæ quidem pars minor trans Tyberim nuncupatur verſus meridiem clauſa muris: quam quidem partem trans Tyberim pars vrſinorum cum parte maioris ciuitatis cis Tyberim, vt protenditur, iuxta fluuium occupabat: Reliqua vero pars vrbis maioris verſus plagam ſeptentrionalem Columpnenſibus adhærebat, & ſic pontes omnes Tyberis, erãt per Vrſinos ex vtraque C parte vallati, excepto ponte ſolo prædicto, per quem à parte occidentali tranſitur ad vrbem, nec aliunde Regi patebat ingreſſus.

Minor pars trãs Tyberim, cum maiori parte ciuitatis adhæret vrſinis.

Reliqua pars Colũpnenſibus.

Vrſini vero à remotis hunc pontem obſederant, & de turri quadã quam habebãt in campis cum mangonalibus & machinis conquaſſabant. Sed Columpnenſes per quandam turrim ſuam ibi propinquam continuo reparabant.

Tunc vrſinorum exercitus adueniente Rege diſparuit, & Rex põtem *Molli* ſine contradictione tranſiuit.

Tunc frater Roberti Regis perterritus in caſtro Angeli trans Tyberim ſe recepit, cis Tyberim exercitus maiori parte relicta: omneſque pontes præter pontem ſancti Petri deſtruxit, ne ad illam Eccleſiam, vbi more maiorũ ſolẽt Cæſares coronari, ſitam trans Tyberim D perueniret.

Rex vrbem ingreditur.

Frater Roberti Regis terretur

Pons namque ſancti Petri editis munitus turribus tranſitum denegabat. Vrſini vero metu Regis contratam ſuam & vicos barris & licijs muniebant. Ad quas cum gens Regis plures feciſſent multis diebus inſultus, denique cum quadam die ruptis licijs Epiſcopus Leodiẽſium cum Teutonicis aduerſus Vrſinos fortiſſime dimicaret, proſtratis vndique inimicis cum iam Teutonici crederent ſe viciſſe, abſque militari diſciplina diſperſi ad ſpolia currerent more ſuo, Dominus Bartholomæus de Capua cohortis cuiuſdam Capitaneus reſpiciens hos diuiſos, dato ſigno ſuis, qui ad turres domorum confugerant,

Vrſini contratam ſuam & vicos barris muniũt.

Epiſcopus Leodienſis contra vrſinos fortiter dimicat.

omnes pariter descenderunt.

Episcopus cum paucis obuios omnes obtruncat. *Circumuallatur.* *Reddit se captiuum.*

Videns autem Theobaldum cum paucis adhuc omnes obuios obtruncantem, ipsum vndique circum vallans cum magna cæde suorum, tandem Episcopus multis confossus vulneribus reddidit se captiuum. Diffusi vero Teutonici inimicis obuij trucidantur, sanguine per vicos more fluminis decurrente. A

Ira Regis.

His auditis Rex ira commotus suos recollgit, & quibusdam destructis aduersariorum domibus & immorantibus interfectis, quodam capto Comite conquieuit.

Episcopus post triduum moritur.

Episcopus vero captiuus intra triduum diem clausit extremum anno Domini 1312. 13. die May: quem Frater Regis Roberti in porticu Ecclesiæ sancti Petri in capella Papæ fecit solemniter sepeliri. B

Sepelitur in capella Papæ.

Tunc Rex videns quod apud S. Petrum maiorem Ecclesiam propter inimicorum potentiam suæ consequi non posset insignia dignitatis, apud Ecclesiam S. Petri ad vincula in contrata Columpnensium per Cardinales ad hoc legatos Papæ quos secum adduxerat Imperator, solemniter consecratur.

Imperator consecratur.

Peractis vero solemnibus coronationis huiusmodi, cum propter aëris intemperiem non auderet vlterius remanere; vrbe relicta, discessit versus Florentiam dirigens iter suum. Quam cum quinque mensibus obsedisset incassum, ab ea per quatuor milliaria elongatus tentoria figi iussit, vbi cuidam Iacobitæ Confessori suo, quem religiosissimum reputabat, peccata sua deuote cõfessus, quia communicare volebat, audita missa Eucharistiam de manu recepit eiusdem. C

Iacobita Imperatori venenũ porrigit. *Mitiitas Imperatoris.*

At vir Belial omni bellua cruenta crudelior, in calice miscens vino venenum, corruptus pecunia, mitissimum virum nefando commercio toxicauit. Rex vero dissolutis membris in lectum decidit, & prædicatorem clam iussit abire.

Rex vero subito migrauit ad Christum anno Domini 1313. Cuius corpus aromatibus inuolutum Papienses aquilæ reclusum æneæ desuper inauratæ in medio Ecclesiæ suspendisse leguntur.

ANNOTATIONES.

1. Henricus Rex cum Principibus Theobaldo Episcopo, Lupoldo austriæ:] *Quid mouerit Henricum Regem cum tot Principibus & tam copioso exercitu proficisci in Italiam, indicat Platina in Clemente quinto his verbis.* Eodem tempore Henricus Lucemburgensis à Germanis Imperator electus, hac quidem lege à Pontifice confirmatur, vt intra biennium coram Romæ habiturus, Italiam ingrediatur. Hoc autem animo id egerat Pontifex, vt Imperatoris aduentu motus Italici comprimerentur. Imperator itaque omnia se facturum pollicitus, oratores statim in Italiam ad populos & Principes mittit, maxime vero ad Florentinos, qui tunc Aretinas vexabant, &c. *Qui turbas Italiæ & vrbis Romanæ,* D

quas

quas sedare volebat, sed non poterat Pontifex, velit cognoscere, legat qua habet A *Platina & alij. Hoc certe mali Romanis attulerunt, quod curia Romana in Gallias translata fuerit, ibique ad septuaginta quatuor annos remanserit.*

2. Denique cum quadam die ruptis licijs:] *Pugnam hanc Episcopi & Teutonicorũ aduersus Vrsinos, & mortem deinde Episcopi subsequutã paulo aliter refert Ioannes Presbiter his verbis.* Vrsini existentes pro parte Romanorũ posuerunt munitiones in sua turri, cui contiguus erat vicus, in quem persæpe inimici de dicta turri diuertebant, à quibus gens Imperatoris insultus quotidianos patiebatur. Accidit autem militiam Theobaldi Leodiensis Episcopi armatam feria tertia post Trinitatem, quæ fuit dies decimus post coronationem Imperatoris, cum vexillis præ- B fati Episcopi ad vicum illũ proficisci, vt contra inimicos pugnarent; sed tanta vis pugnatorum de dicta turri ipsis obuiam exiuit, quod nequaquam vim illorum diu ferre potuerunt, quare vi ab eodem vico sunt repulsi. Quod Theobaldus noster Episcopus, qui adhuc erat in Castris percipiens, cum iam esset armatus, mox equum ascendit, & cum solus nemine expectato valida velocitate equi præpotentis intra inimicos insilijsset, ibidem ab equo est prostratus, & heu à quodam Lombardo vulnere lethali transfigitur, & sic transfixus adhuc in dictam turrim deportatur, sed eadem nocte obijt. *Sic Ioannes Presbiter, & post illum Chronicon Gemblacense.*

3. Rex vero subito migrauit ad Christum anno Domini 1313:] C *Apud Ioannem Presbiterum eadem historia refertur, & calculus temporis his versibus designatur.*

Anno milleno. C. ter. I. iunctis duodeno
Regi Romano fuit in potu male sano,
Henrico vota priuata viro Iacobita
Mortem quod sydus sexto Iulij subit idus.

De seditionibus, cædibus, & alijs malis per patriam Leodiensem vacante sede.

D

CAPVT XXXIII.

INterim Leodiensi Ecclesia sic vacante, per totam æstatem continuo subsequentem mala plurima contigerunt. Nam statim cognita morte Theobaldi Episcopi, ad eligendum mamburnum .i. in temporalibus præsidentem, breuem diem decanus & Capitulum statuerunt.

Ecclesia Leodiensi vacãte, multa mala cõtigerunt.

Eligitur mamburnus.

Insignes vero Leodiensium infensi Capitulo ex eo quod præterito tempore M. Ioannes de Cambijs decanus cum Capitulo communitatem erexerat contra ipsos, adiunctis sibi militibus patriæ, electioni

Nobiles se opponunt electioni.

faciendæ per solum Capitulum se opponunt, asserentes quod quia defensio patriæ ipsis incumberet, Ducis eorum (mamburni scilicet qui ducit ad bella) electioni interesse deberent; quamuis Capitulum Iuris subtili argumento defenderet, quod ad quos electio veri pastoris absque laicorum de Iure communi suffragio pertineret, multo magis ficti, & in partem tantum sollicitudinis assumendi per ipsos solum & in solidum deberet huiusmodi subrogatio celebrari. A

Ratiões vtrimque.

Quid moror? Dominus Arnoldus de Blankenheym Præpositus Leodiensis vir nobilis per solum Capitulum præficitur in mamburnum. Maiores Leodiensium ægre ferentes quod mamburnus sæcularibus assistebat, nec super eos possent, vt dudum consueuerant, dominari, confœderatione facta cum Arn: Comite Lossensi, militibus patriæ, & maioribus de Hoyo quibusdam studio dominandi, quadam nocte feria quinta, quæ lucescit in sexta sequēti feria, quarta die augusti, in foro maioribus congregatis, casas quibus carnes venduntur incenderunt. B

Ar. de Blankenheym fit mamburnus.

Nobiles, casas in quibus carnes venduntur incendunt.

Quod percipiens populus currit ad arma: quibus contra maiores tepide confligentibus, Præpositus cum suis fautoribus, Abbate Prumiensi fratre suo, & quibusdam concanonicis, ac seruitoribus suis, accensis cereis in Ecclesia congregantur, & apertis valuis ad forum in auxilium populi concurrerunt commissa pugna extinctis cereis, nobili viro Domino Waltero de Brunshorne Canonico Leodiensi ad primum congressum protinus interempto; Quo viso, timor cōmunis dispersum satis populum congregauit. C

Populus currit ad arma.

Præpositus venit in auxiliū.

Maiores vero timentes multitudinem quæ crescebat, appropinquāte die versus Ecclesiam S. Martini vt munitiori loco tuerentur aciem dirigunt. Qui iuxta Ecclesiam S. Crucis Præpositus ipsos impugnando sequentem subito prostrauerunt. Ascendentes vero paulatim sequitur turba populorum. Cumque maiores vultus ad populum verterent, fugiebat, & cum denique prope iam dictam Ecclesiam peruenissent, cum diesceret, quidam de Vothem armati in signum vnionis super induti lineis in adiutorium cæteris popularibus accreuerunt, & quibusdam carbonum fossoribus, per viculum qui de porta S. Margaretæ iuxta murum ciuitatis præfatā adducit Ecclesiam ascendentibus, maiores vndique se videntes inuasos, territi nō immeritò, cum multitudini resistere diutius non valerent, ad iam dictam Ecclesiam confugerunt; nam cum quidam ex eis per portam Ciuitatis effugere niterentur, Ioannes de ponte magister Ciuitatis electus à populo, qui præuaricator se cum maioribus iunxerat, portam hoc non sustinens obserauit. Populus autem furore commotus straminibus in Ecclesia congestis, ipsam cum suis hospitibus concremauit. D

Nobiles aciem dirigunt versus Ecclesiam S. Martini.

Turba eos prosequitur.

Confugiunt in Ecclesiam S. Martini.

Populus cōcremat Ecclesiam cum nobilibus.

Hoc tempore sicut prætetigi patria defensore carente, qui crimina corrigeret, inter progeniosos patriæ inimicitijs capitalibus se inuicem prosequentes hinc inde multi numero trucidantur. Nam post hæc

Multi passim trucidantur.

A hæc circa festum Ægidij, Wilhelmus de Geneffe Castellanus Waremiæ, occasione cuiusdam inimici sui, quem Dominus Henricus de Hermalle secum duxerat in S. Trudone coram dicto Castellano, post verba sinistra, cum dictus miles extra villam recederet, ipsum insequitur & prostratum multis vulneribus afficit, & credens hunc mortuum inde recessit. Hac occasione progenies de Warfesees amica prius generi de Awans, inimicis eorum de Warous deinceps se coniunxit. Curatus autem dictus miles circa Nicolai turrim cuiusdam chari consanguinei præfati Wilhelmi, dicti Mauoysin, secauit inferius, ipsam, suffocato Mauoysin, cum quodam secum alio diruendo. Propter quod anno sequenti scilicet 1313. idem Wilhelmus apud Berloz octo de suis aduersarijs interfecit, vno de suis B tantum ab aduersarijs trucidato. Quinta vero feria post Penthecosten præfatus Dominus Henricus totam suam potentiam congregauit. Castellanus vero præsentiens illud apud Waremiam cum cæteris suis de Hasbania & de Brabantia multos aduocat consanguineos de Wesemale, & de Liedekercke magnum secum ducentes exercitum. Qui audientes Dominum Henricum cum suis ac tota penè cōmunitate Hoyensi proprius aduentantes, munitionem protinus exiuerunt in campis obuiam inimicis. Videntes autem magnam multitudinem hominum timuerunt, & reuertentes ad munitionem ad licias aliqualiter pugnauerunt; & ex inimicis eorum quibusdam C per hortos intrantibus inuaduntur à tergo, vbi prostrato Henrico Bastardo de Wesemale armigero strenuo, ac Ioanne de Lobost cum quibusdam alijs, cæteri terga vertentes in Castro se saluauerunt, quibusdam in domibus villæ fugientibus interfectis.

Progenies de VVarfesees iungit se generi de VVaroux.

Curatus dictus miles turrim Mauoysin diruit.

Guilhelmus castellanus octo de aduersarijs interficit.

Henricus de Hermale omnes suos conuocat.

Idem facit castellanus.

Progenies castellani succumbit.

ANNOTATIONES.

1. Electioni faciendæ per solum Capitulum:] *Sicuti electio Episcopi & Principis ad solum capitulum pertinet, ita & electio Mamburni, qui vacante sede solet eligi, ad solum Capitulum pertinebat. Nobiles patriæ hanc iurisdictionem sibi cum Capitulo debere esse communem asserebant, & vsurpare volebant, quod illis male cessit, vt cum auctore nostro narrat Ioannes Presbiter, qui vsq; ad ducentos cum* D *Ecclesia & officinis claustri S. Martini à populo, & circumuicinis hollarijs & rusticis crematos dicit. De qua re versus hi conscripti fuerunt.*

Anno milleno trecenteno duodeno
Mane datur diei vigili festi Dominici,
Legia turbatur, quia tunc à plebe crematur
Templum Martini, sic in eo Domini.

Hæc eadem confirmant Gesta Abbatum S. Laurentij his verbis: Anno Domini 1312. Theobaldus Episcopus Romæ confossus multis vulneribus moritur. Cuius morte Leodij nunciata oritur dissensio inter insignes & Capitulum super constitutione mamburni: Nam insignes volebant interesse electioni, sed per solum Capitulum Præpositus Leodiensis

diensis Arnoldus de Blantrehem præficitur in Mamburnum. Quapropter insignes confœderati Comiti Lossensi, quadam feria quinta, A casas in quibus carnes venduntur incēderunt nocte. Vnde multitudine ad arma cōcurrente, maiores versus Ecclesiam S. Martini aciem direxerunt, & ante S. Hubertum Præpositum, qui per Capitulum Mamburnus fuerat præfectus prostrauerunt. Deinde in Ecclesiam S. Martini fugientes, straminibus vndecumque congestis, cum ipsa Ecclesia per populares fuerunt concremati. *Hactenus Gesta Abbatum S. Laurentij.*

2. Hoc tempore sicut prætetigi:] *Easdem turbas refert quoq; Ioannes Presbiter, & alij Chronicorum scriptores. Origo turbarum fuit non solum quod patria defensore careret, sed etiam maxime quod plebs timeret futurum Episcopum* B *sumpturum vindictam de concrematione Ecclesiæ & Claustri S. Martini nec non tam multorum nobilium virorum. Quamobrem cœperunt ciues cum Capitulo Leodiensi Hoyensibus, Dionantensibus, & aliquot familijs præcipuis Hasbaniæ fœdera inire, aut dextras sibi dare contra eos omnes qui factum illud vindicare vellent. Et Capitulum quidem Leodiense absolutionem pro ciuibus & plebe ab Adulpho Episcopo obtinuit, sed cum Hoyenses varias insolentias per patriam committerent, à Capitulo & ciuibus Leodiensibus derelicti in suis seditionibus permanserunt, & postmodū ab Adulpho Episcopo multa passi fuerunt, vt postea fiet manifestum. Hæc summatim ex Ioanne Presbitero.*

Soli Deo honor & gloria.

IOANNIS HOCSEMII CANONICI LEODIENSIS A

LIBER SECVNDVS COMPLECTENS

GESTA PONTIFICVM LEODIENSIVM

ADOLPHI ET ENGELBERTI A MARCKA.

EPISTOLA DEDICATORIA.

VENERABILI VIRO N. N. B
Ioannes de Hocſem, Scholaſticus Leodienſis ſic per caduca mundi momẽtanea tranſire proſpera, vt veræ laudis virtutum gloria & præmia non amittantur æterna.

Solonis ſententia ab auctore explicatur.

Ouidius *in 3. metamorphoſ.* ſententiam Solonis recitans dicit ita.

Expectanda dies hominum eſt, dicíq́; beatus
Ante obitum nemo ſupremaq́; funera debet.

Quamuis hanc Solonis ſententiam quoad veram beatitudinem humanam Philoſophus 1. *ethicorum c. multæ autem* rationibus pluribus extirparit, mihi tamen videtur de alia beatitudine ſenſiſſe Solonem. Eſt namque triplex beatitudo, diuina pariter & humana; & hæc vltima duplex vera ſcilicet, ac vmbratilis & fortuita. C

Triplex beatitudo.

De qua beatudine intelligendus Solon.

De diuina poteſt intelligi.
Pſal. 16.
1. cor. 13.

Si Solon de prima, ſcilicet diuina ſenſerit, non meruit reprehendi; hanc namque perfectiſſimam, non niſi poſt mortem poſſumus adipiſci: Hic enim ſitimus & eſurimus; *ſatiabimur* demũ iuxta ſententiam pſalmiſtæ, *cum apparuerit gloria Dei, nunc autem videmus per ſpeculum in ænigmate* iuxta Apoſtolum, *tunc autem* i. poſt mortem *facie ad faciem*; & alibi Pſalmiſta *Beati, qui habitant in domo tua, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* D

Pſal. 83.
Non poteſt intelligi de humana vera ſecũdum auctorem.

Si de media, ſcilicet humana beatitudine Solon ſenſerit, tunc ſua non eſſet opinio vera; hæc namque bene contingit homini in hac vita, poteſt enim homo per longum virtutis exercitium & habitudinem ad talem peruenire ſtatum, quod infelix eſſe non poterit. Nam licet accidentia iuſtum & beatum tribulent, in his tamen refulget bonum, *& perfectum virtutis habitum cõ-*

ſecutus

A *secutus, omnes fortunas æquanimiter tolerabit*, vt vult Philosophus in d. c. nam diuitiæ & cætera fortunæ dona non sunt nisi quædam instrumenta, quæ decorant felicitatem, sine ipsis tamen felicitas esse potest, quæ bona si perueniant ad vitiosos, nõ faciunt eos dignos aut felices, sed produnt potius, & ostendunt indignos, vt probat Boëtius *in 3. de consolatione*: vnde dicit in eodem *corpus viri sancti virtutes ædificauêre: sanctus, ergo confirmatus; quod non esset si desinere posset*, vt dicit idẽ Boëtius in procemio eiusdem.

Qui cecidit stabili non erat ille gradu.

B Si vero de tertia felicitate scilicet fortuita sensit Solon (quod videtur) nullã debuit calumniã sustinere: nã cũ tales in vita possint fieri infelices recedente fortuna, quę frequẽter recirculatur circa eosdem, vt in iam repetito c. dicit Philosophus, sicut contigit Priamo Troianorum Regi; & vt aliud addam exemplum Valeriani Imperatoris, qui postquam Romanis annis 15. imperasset, & Gothogræciam, Macedoniam, Asiamque minorem feliciter debellasset, in Hierosolyma & mesopotania bellum gerens à Sopore Rege Persarum victus est, & in tam ignominiosam seruitutem depressus, quod quamdiu vixit, Rex idem equũ C ascendens eius pro strepa ceruicibus vtebatur. Secundum eiusmodi felicitatem non nisi post mortem debet aliquis dici felix.

Potest intelligi de humana falsa & vmbratili.

Vnde dicit Augustinus *l. 5. de ciuitate Dei c. 24. Neque enim nos Christianos quosdam Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel Imperantes filios reliquerunt, vel hostes Reip. domuerint, vel inimicos ciues aduersus se insurgentes & cauere & opprimere potuerunt. Hæc & alia vitæ huius ærumnosæ vel munera vel solatia quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt; qui non pertinent ad regnum Dei, quo pertinent isti; & hoc ipsius miseri-* D *cordia factum est, ne ab illo ista qui in eum crederent velut summa bona desiderarent.*

Pulchra D. Augustini sententia. Qui Imperatores felices & quare.

Sed felices eos dicimus si iustè imperant, si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, sed se homines esse meminerint, si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum maiestati eius famulam faciunt, si plus amant illud regnum, vel non timent habere consortes, si tardius vindicant, facile ignoscunt, si eandem vindictam pro necessitate regendæ tuen-

tuendæq́ reip. non pro saturandis inimicitiarum odijs exercent, si eādem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent, si quod aspere coguntur plerumq́ decernere, misericordiæ lenitate & beneficiorum largitate compensant, si luxuria tanto est eis castigatior, quanto potest esse liberior, si malint cupiditatibus prauis, quam quibuslibet gentibus imperare: Et si hæc omnia faciūt non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ: si pro suis peccatis humiliter & miserationis & orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt, tales dicimus Christianos esse felices, interim spe, postea re ipsa futuros, cum id quod expectamus euenerit, A B

Gesta & fortia facta Principū non debēt quoad vixerint publicari.
Eccle 30.
Auctor non vult publicari quæ scripsit de Adulpho eo viuente.
Petit ab amico quorundam inquiri veritatē, & quare.

Et quia gesta & fortia facta Principū bellica à fortuna plerūq; procedūt, cōscripta cōsideratiōe prædicta nō debēt quoad vixerint publicari, iuxta illud *lauda post mortē* partem illā primitiarū laboris mei, de gestis Pontificū per me scriptis, quæ D. Adolphi de Marcka Leodiensiū Episcopi pingit historiam vobis mittens obtestor quatenus penes vos maneat, & in publicum non procedat. Verum quia quædam scripsi de factis eiusdem specialibus, ex relatibus aliorum, ex quibus quandoque non sumitur vera fides, intererit vestra, si placet, ab ipso inter otia, si occurrant, perquirere veritatem, vt sic lima vestræ correctionis adhibita, huic per vos taliter emendato, priorem libellum, vnde exemplar sumpsit exordium, faciam concordare, ne in parte aliqua ex diuersis exemplaribus in posterum prodeuntia fidem adimant veritati. C

ANNOTATIONES.

Venerabili viro . . . .] *Hocsemius non nominat virum hunc venerabilem cui librum dedicat, sed in fine huius Epistolæ satis clare indicat fuisse familiarem ipsi Adolpho Episcopo cum dicit.* Verum quia quædam scripsi de factis eiusdem ex relatibus aliorum, ex quibus quandoque non sumitur vera fides, intererit vestra, si placet, ab ipso inter otia, si occurrant, perquirere veritatem. D

Prologus in Gesta Adolphi à Marcka.

CAPVT I.

Vnde auctor scripta sua collegerit.

HActenus à me narrata (quia quædam ex ijs mea tempora præcesserunt, quædam vero me absente in studio contigerunt) ex quibusdam scriptis gallicis, & Chartis antiquis & nouis Ecclesiæ nostræ collecta temporibus, quibus facta mihi per plures veteres enarrata.

A enarrata contigerunt, cum labore non modico compilaui. Sequentia vero quia quædam vidi, quædam facta in consilium deducta, me præsente tractata sunt, quædam recenter vt euenerant recitata conscripsi.

Super pluribus vero ad mandatum Episcopi & Capituli nostri communiter & diuisim integro quinquennio quo apud Hoyum exulauimus, ac etiam postea, multas epistolas Papæ Regibus & Cardinalibus missas exaraui, ea depingam stylo forsitan certiori. *Multas Epistolas Papæ regibus & Cardinalibus scripsit auctor.*

Quasdam vero de dictis epistolis breuiores aptis locis interseram: In hoc historiographos veteres & maximè Salustium (quem Isidorus *etymolog. 13.* certissimum affirmat actorem: & *7. declamationum Senecæ c. 4.* concitatus auctor dicitur: & Augustinus *de Ciuit. Dei l. 1. c. 5.* B vocat nobilitatæ veritatis historicum) & Iosephum imitatus, quod ob hoc antiquos obseruasse conijcio, quia sicut vinum de prælo manans purissimo primo dolio diutius conseruari cernitur quam in secundum, tertium aut deinceps vas transfusum, quod faciliter acescere consueuit: ita dictamini, quod de conceptu mentis superfacto recenti profluit maior adhibetur credulitas, quam illis quæ narrata per patrem, auum vel proauum nepos filio recitante conscribit. Labilis enim est memoria, & rerum turbæ non sufficit, iuxta Senecam, ac velut de pertuso sacculo aliunde excidit, quod immittitur aliunde, teste Gregorio Aggei *c. 1. de consecratiõe dist. 4. c. de pertuoso.* Et ideo humanæ naturæ ingeniosa conditio scribendi officium adin- C uenit, vt quæ diu corde tenus retineri nequeunt, scripturæ suffragio longum conseruarentur in æuum: præsertim sicut in canone legitur 6. q. 5. ex merito nemo libenter inuito recitet auditori: Inuitus autem satis audire creditur, qui non credit. *Imitatur nobiliores historicos.* *Quare literæ verbotenus inserantur historijs.* *Propter labilitatem memoriæ scribẽdi officiũ inuentũ.*

Cum igitur post præmissos Pontifices Adolphi de Marcka describenda restet historia, quem sicut reor in re militari nullus compar Pontificum legitur præcessisse; non enim per Duces belli suffectos, vt assolet, belligerare consueuit; sed quoties dimicãdi necessitas incumbebat, nunquam retrospiciens consertis manibus reportauit semper ab hoste triumphum. *Nullus Pontificũ præcedentiũ par Adolpho in re militari.*

D Restat vt quia suo tempore quamplurima sunt celebrata certamina, multaque mirabilia contigerunt, vt latiorem ad texendum telam historiæ ordiamur. *Tempore Adolphi plurima certamina & alia mirabilia contigerunt.*

ANNOTATIONES.

Quamplurima celebrata sunt certamina:] Iste Episcopus (*inquit Magnum Chronicon Belgicum*) multa cum Leodiensibus habuit bella, quasi per vndecim annos, & post multos hinc inde prostratos, cessauit tandem impetus Ciuitatis contra ipsum. Vnde versus:

Annis vndenis rabie fit Legia lenis.

Quod summus Pontifex Adulphum à Marcka Episcopum Leodiensem crearit & confirmarit, deq; eius apparatibus ad corrigendos excessus patriæ Leodiensis.

CAPVT II.

Adolphus Præpositus VVormaciensis.

Commendatur Papæ per Regē Galliæ & obtinet Episcopatū Leodiensem.

IGitur Ecclesia Leodiensi per mortem bonæ memoriæ Domini Theobaldi de Barro vacante, hic Adolphus tunc Præpositus B Wormaciensis Ecclesiæ, studio Aurelianensi; quo tunc residerat, propter quasdam iniurias ciuium translato Niuernis, in studio morabatur ibidem, aptumque tempus promotioni suæ considerans quærit amicos, & procuratis per illos Regis Franciæ Philippi formosi literis, Papam Clementem 5. eius visitando curiam salutauit, ac donū Episcopatus Leodiensium obtinuit ab eodem: licet tunc alter quidā Wilhelmus de Iulemont Canonicus Leodiensis vir valentissimus pro illo spe maxima laborasset.

Confirmatur à Papa.
Ordinatur ab eodem Subdiaconus.
Diaconus & sacerdos ab Episcopo Prænestino.
Consecratur in Episcopum à Berengario Cardinali.

Anno Domini 1312. prout data tunc in Paschate mutabatur, Aprilis die 4. feria quarta Dominica in ramis palmarum præcedente, in Episcopum confirmatur, & eadem Dominica per Papam Subdiaconus ordinatur: sequenti vero sabbatho Paschæ Diaconus per Episcopum Prænestinum Dominum Guilhelmum Mandagotum. Sabbatho vero post Pēthecosten ordinatur Præsbiter per eundem. C Denique per Berengarium Tusculanum Episcopum Cardinalem, dominica infra octauam Penthecostes in Episcopum à B. Lamberto 47. consecratur. Qui tunc Mechliniam apud Comitem Hannoniæ de concessione Papæ pro 15. Florenorum millibus obligauit; ita tamen quod infra quinquennium illam redimere teneretur.

Iubet parari instrumenta bellica.

Signum faustū.

Præmissis autem nuncijs ad fabricandum machinas & instrumenta bellica pro excessibus, de quibus prædiximus, corrigendis, Anno sequenti scilicet 1313. ante festum omnium sanctorum versus Leodium dirigit iter suum: & in sequenti die natiuitatis Do- D mini cum magna veniens nobilium comitiua, dum ad gradus Ecclesiæ supra forum more solito, descendere niteretur, equo se super posteriores tibias erigente, ab alto sellam exiliens, erectum terra pedibus sine alterius adminiculo se recepit, pluribus omen reputantibus hoc infaustum: sed postea rerum euentus docuit potius ista fuisse felicitatis auspicia, quod eius subditi in superbiam se tollentes, in primis iugum dominationis eius excuterent, & post ventilationis pericula, ipsum stabilitate congrua terrarum conditor solidaret, subditorum inconsultam arrogantiam retundendo.

Ascendens itaque gradus Ecclesiæ missam solemniter in ea parte celebra-

A celebrauit, vbi altare beatorum Cosmæ & Damiani situm est, qua parte tunc Ecclesiæ chorus erat; & vniuersaliter in Palatio solemni celebrato conuiuio, sequenti tempore ad disponendum terræ negotia se conuertit. *Missam celebrat.*

Considerans autem quod multa restabant necessario corrigenda, quodque propter multitudinem delinquentium circa combustionē Ecclesię memoratæ sine magno periculo non poterat iustitiæ seueritas exerceri, tunc iniuncta populo Ecclesiæ restauratione remittit offensam; sperabat enim eius populi adiutorio delicta se posse particularia facilius vindicare. *Conuertit se ad terræ negotia.* *Combustionem Ecclesiæ S. Martini remittit.*

Hoc tempore Oppidani Namurcenses per Comitem exactione grauati, in castro Namurcensi Comitissam cum filijs obsederunt; sed B post arctati per Comitem concordantur.

ANNOTATIONES.

1. *Quæ auctor noster hoc capite de Episcopo Adolpho per Papam creato & in sacerdotem consecrato, deque obligatione oppidi Mechliniensis nec non apparatibus armorum narrat confirmat Ioannes Prasbiter, & post illum Chronicum Gemblacense & alij sequentes.*

2. Hoc tempore oppidani Namurcenses:] *Refert idem Ioannes Prasbiter, & Chronicon Gemblacense.*

C

Quod nobiles de VVarfesees, de Hermalle, & de VVaroux cum Comite Lossensi Hoyensibus & Dionantensibus merito Episcopum timuerint, & quædam miranda de rebus Galliæ.

CAPVT III.

D TVnc illi de Warfesees, de Hermalle, & de Waroux qui se sciebant aliqua corrigenda patrasse, machinarum fabricas prædictarum paratas in sui perniciem suspicantes, qui cum Comite Lossensi & Hoyensibus alligationem fecerant, vt conatus Episcopi sic frustrarent; intelligentes quod Episcopus Comitem Hannoniæ Dominum de Falcomont; & præsentes cunctos in conuiuio rogauerat quatenus ipsi vellent assistere ad executionem iustitiæ tutius faciendam (iam namquę Dominus de Falcomont quod à Comite Lossensi tenebat feudum, quia cum Episcopo cōtra ipsum proponebat arma mouere, ad opus Ioannis filij sui in ipsius Comitis reportauerat manus) intercessores ad Comitem Hannoniæ destinarūt, qui cum magna difficultate vsq; ad purificationem treugas finaliter impetrarunt. *Dñi de VVarfesees, de Hermalle, & de VVaroux destinant intercessores ad Comitē Hannoniæ.*

Finitis autem treugis Episcopus exercitum congregat, vt quod proposuerat exequatur, sed sentiens Comitem Lossensem cum mille & sexcentis equitibus paratum resistere, quibusdam de Canonicis maioris Ecclesiæ tractantibus, compromittitur inter partes, personis electis hinc inde, qui iurauerunt S. Trudonis Oppidum non exire, donec discordiam terminassent; qui dum diu stetissent, & concordare non possent, tandem vnus ex eis casu stans iuxta portam Oppidi, cum illum tempus vrinandi vrgeret, extra portam locum respiciens aptiorem, exiuit ad horam: Cuius occasione periurium commisisse, & sic ipsum arbitrari cum cæteris non debere pro parte Episcopi dicebatur; sed tribus tantum arbitris remanentibus, quod ex eis maior pars .i. duo per Episcopum electi dicerent, firmum remanere deberet, parte aduersa contrarium asserente, super quo diu fuit postea disceptatum.

Cõpromittitur inter partes.

A

B

Episcopus magnum exercitũ congregat.

Anno Domini 1314. circa festum B. Ioannis Baptistæ Episcopus magnum exercitum congregauit, in quo Dominus de Falcomonte cum sua militia, & Wilhelmus Castellanus Waremiæ ac Dominus Eustachius dictus Franshons, cum pluribus domus de Awans Episcopo seruiebant.

Multi seruiunt Episcopo.

Qui cum audissent Dominum de Balliolo propter hoc in adiutorium Hoyensibus aduentasse, ad terram eius properant, ipsam igne ferroque vastantes.

Sex milia contra Episcopũ.

Hoc percepto Hoyenses cum Dionantensibus in campis apud Hansineles cum Domino de Balliolo, equos gartionibus dantes, cum sex millibus se conglobant.

C

Episcopus cum quingẽtis equitibus eos circũuolat.

Iam tunc adueniens Episcopus cum nox esset, illos cum circiter quingẽtis equitibus circumuolat, ipsosque tam diu stare coegit, quod tandem quibusdam pactis interueniẽtibus dimisit eosdem, & sic Dionantenses à reliquorum fœdere separantur.

Philippus Rex tributũ meditatur exigere.

Hoc anno 1314. cum in guerris Flandriæ Rex Philippus Formosus exhausto thesauro suo a militibus quintum denarium annorum reddituum suorum semel, & à Burgensibus ac rusticis omnium bonorum suorum pro necessitatibus regni exigeret quintam partem, nobiles regni murmurare cœperunt, & confœderatione facta multorum Principum contra Regem, præmissa facere contradicunt: In qua confœderatione fuit Dominus Ludouicus antiquior Regis filius, & Dominus Carolus eiusdem Regis frater, necnõ Robertus de Atrebato, super his confectis literis septuaginta sigillis maiorum Franciæ sigillatis.

Nobiles cõtradicunt.

D

Rex moritur.

Quo Rex mente consternatus timens destitit ab incepto: vnde satis cito post, vt aliqui dicebant, hoc timore correptus, eodem anno mortis tributa persoluit.

Trium filiorũ Regis vxores formosæ.

Huius Regis tres filij Ludouicus Rex Nauarræ, Philippus Comes Pictauiæ, & Carolus Comes Marciæ, tres habebant vxores iuuenes & formosas, quæ omnes quasi cohabitabant cum patre maritorum:

vxor

A vxor ſenioris, ſcilicet Ludouici erat filia Ducis Burgundiæ; duæ reliquæ filiæ fuerunt Comitis alterius Burgundiæ, cuius Comitis vxori Comitatus atrebatenſis tanquam proximiori fuit adiudicatus, poſtquam Comes Atrebatenſium, vt præmittitur, extitit interfectus, & abiudicatus Roberto, qui poſtmodum magni ſtatus Princeps fuit, à quo totum regni negotium quandoque pendebat, quo tempore literas Regis falſaſſe dicitur, vt Comitiſſâ mortuâ, ex pacto quodam in illis contento, in comitatu Atrebatenſi ſuccederet, ſuper quo conuictus poſtmodum exulauit: Cuius hiſtoria infra ſequitur ſuo loco.

Hæ tres vxores de adulterio accuſatæ fuerunt; vxores ſenioris Ludouici, & Caroli iunioris cum duobus fratribus nobilibus & formoſis, dictis del Aunay, familiariſſimis dictorum fratrum omnium, & magni ſtatus apud eos: vxor vero Philippi medij cum formoſo ſimiliter milite curiali, dicto Domino Hugone de Ogeron. *De Adulterio accuſantur.*
B

Ambæ ſorores factum confeſſæ fuerunt, & carceri mancipatæ, & fratres prædicti excoriati, poſtque ſuſpenſi apud Pontoſe.

Et quia Ludouicus nuper patri ſucceſſit in regno, ne ſine hærede decederet, vxor eius in carcere ſuffocatur: & Rex Clementiam filiā Regis Hungariæ ſecundam accepit vxorem. *Vxor Lodouici ſuffocatur in carcere.*

Et quia Philippi medij fratris vxor impoſita ſibi noluit confiteri, marito illam diligente, ipſam habuit excuſatam. *Vxor Philippi excuſatur.*

Sed Carolus iunior vxoris ſuæ pulcherrimæ Zelo nimis accēſus, mortem vel noluit, vel non potuit procurare, ſed ſub cuſtodia tenebatur. Accedens autem ad Curiam inter ipſum & vxorem ſuam impedimentum compaternitatis allegans, pronunciari petit matrimonium eſſe nullum. Sed mortuo poſtmodum Rege Ludouico: Philippo Rege, & matre vxoris ſuæ Comitiſſæ Machtildis clam procurantibus apud Papam, Caroli petitio non proceſſit, qui cum indignatione maxima receſſit à Papa. Comitiſſa namque Atrebatenſis Machtildis totum gubernabat regnum, & ſperabat ſtatum & honorem alterius ſuæ filiæ conſeruare, vnde multi Regem vocabant; Machtildem Regem; qui tamen negotia diligebat, & pius exiſtens affectus languore protracto, breui regnans tempore, cum magna cōtritione deceſſit. *Carolus petit declarari matrimonium ſuū nullum.*
C
D

Quo mortuo impedimento ceſſante ſtatim per Papam Ioannem 22. ſucceſſoris eius Caroli fratris negotium per nuncios expeditur, & compaternitate vtcumque probata, inter Regem Carolum & vxorē ſuam diuortium celebratur: Qui tunc filiam Regis Ioannis Bohemiæ & Comitis Lutzilburgenſis duxit vxorem anno Domini 1322. qua poſtmodum ſine liberis decedente, cum filia Domini Ludouici Comitis Eboracenſis patrui ſui, ſorore Regis Nauarræ & vxoris Ducis Brabantiæ Ioannis tertij, diſpenſatiue contraxit: Quo tempore plures Pariſijs Papæ facta multum contraria deriſerunt: Nam quidam ditiſſimus Regis theſaurarius dictus Billuart, vt cum quadam bis comma- *Diuortium celebratur.* *Pariſienſes ini qui iudices, & quare.*

commatre sua contraheret, secum obtinuit dispensari; & Papa propter simplicem commaternitatem inter Regem & Reginam iam factum matrimonium annullauit : vnde scripserunt in parietibus. A

A la Court du Pape covvart n'a pas esté Billevvart,
Car par l'ottroy du S. Pere a prins sa double commere,
Et du Roy par comperage a defaict le mariage.

Ludouicus vero Rex, tertius ante illum obijt anno Domini 1316. in æstate : Philippus vero decessit anno Domini 1320. absque liberis.

Confœderatio Principū Franciæ renouatur. Huius Philippi tempore confœderatio Principum Franciæ renouatur : nam cum accensus Zelo vxoris suæ, matrem eius Comitissam permitteret regere totum regnum, & fecisset quæ Principibus displicerent, vna die confœderati mille octingēti milites conueniunt, B Domino Roberto de Atrebato Capitaneo existente, qui Comitatum Atrebatensem vastauit, viuaria tam siluestrium animalium, quam piscium, pulcherrima castra domosque destruxit; sed postmodum cōcordia interuenit. Carolus vero moritur anno Domini 1327. vxore pregnante relicta.

Fœdus mille octingentorum nobilium.

Quo mortuo Philippus filius Domini Caroli Comitis de Valois fratris Philippi Regis formosi ad regni regimen assumitur tanquam proximior hæres, & Rex futurus vbi spes deficeret hæredem in recta linea pariendi. Istius gesta inferius declarabo.

C

ANNOTATIONES.

Hoc anno 1314. cum in guerris Flandriæ:] *De hoc Rege eiusq; morte, nec non trium filiorum, & adulterijs vxorum eorundem Bocatius lib. 9. de casibus meminit hoc modo* : Erat inter alios ab apro deiectus inter opaca nemorū Francorum Rex, tam exitum suum quam damna atque dedecora à Flandrensibus suscepta deplorans : Et cum eo tres pariter filij execrantes immaturas mortes & vxorum adulteria. *Hactenus Bocatius.*

Quod in discordi electione duorum Regum Alemanniæ Episcopus adhæserit Frederico & de rebellione Hoyensium. D

CAPVT IIII.

Eliguntur duo Reges Alemaniæ. HOc tempore duo Reges Alamaniæ in discordia eliguntur, & die præfixa demum apud Aquisg: qua quælibet partium ad obtinendum Coronam venturam cum potentia se iactabat.

Bellum inter electos. Ludouicus Dux Bauariæ tunc electus, Rege Bohemiæ, Geldrensi, Iuliacensi, Lossensi Comitibus, & alijs pluribus comitatus cum magno venit

A no venit Aquis: exercitu aduersarium præstolando.

At Fredericus Austriæ, Ostrogothiæ Dux ab alia parte in Regem electus, copias colligit armatorum, cui noster confœderatus Episcopus in eius adiutorium exercitum congregauit: Sed Fredericus Dux maiorem Ludouici potentiam sentiens lora retraxit, quod Episcopus noster audiens ad propria repedauit, & Ludouicus Aquisgrani in Regem per Treuerensem Archiepiscopum coronatur. At Fredericus Dux Austriæ Bonnæ per Archiepiscopum Coloniensem regale suscepit diadema, inter eos longo scismate tunc exorto. *Bellum inter electos. Adolphus non fæliciter adhæret Frederico.*

Episcopus vero noster tunc anxius quod in partibus istis regi potentiori contrarius fuerat, & sua nondum erat regalia consecutus, & quæ ab ipso recipere de facili non sperabat, attendens antiquã regni consuetudinem, qua Rege vltra Mosæ fluuium existente Episcopi citra dictum fluuium Regalia possunt à Scabinis de Francfort impetrare, Episcopus duorum Scabinorum dicti loci, quorum vnus Bouina caro, alter Allium cognominibus vocabantur, beneuolentiam impetrauit, & se dissimulans in grisea tunica coram illis apud Francfort comparuit, & quod petijt impetrauit; & statim ascendens caballum vix pontem reuertẽdo transiuerat, quando factum hoc fuit eius aduersarijs manifestum, & fugiendo, periculo maximo sic euasit. Cuius literæ cum in Capitulo legerentur, satis risum fuit de cognominibus, quæ carnes bouinas cum propria sua salsa notabant. *est anxius quod necdum haberet regalia.* B *Nota antiquã regni consuetudinem.*

Deinde cum Episcopus ab Hoyensibus sex millium librarum pœnam exigeret, in quam non seruando dictum Episcopi dudum de Waldeghe ipsos asserit incidisse, pro delictis eorum oppidum Ecclesiastico supponitur interdicto, quod à festo B. Ægidij per 15. septimanas & dies quinque seruatur, quod sub spe pacis in die B. Bartholomæi postmodum relaxatur. C *Episcopus exigit multã sex miliũ librarũ Episcopo de VValdeghe debitam.*

Tunc Dominus Ioannes de Willenbring cum quibusdam alijs venit Hoyum de concordia tractaturus, & cum reuerteretur infecto negocio, in suburbijs Hoyensibus per Dominum Henricum de Loncin monoculum capitur: sed Hoyenses hoc audientes ipsos velociter insequuntur, & sic raptoribus fugientibus, captus cum suis socijs liberatur: Et quia Hoyensis Aduocatus huius captionis complex fuerat, eius castrum de Bares combusserunt.

D Tunc iterum in vigilia BB. Fabiani & Sebastiani Hoyum supponitur interdicto, sed Hoyenses appellantes friuole, per quosdam Præsbiteros diuina faciunt prophanari vsque ad festum B. Bartholomæi anno Domini 1315. *Tractatur de concordia frustra.*

Et hoc anno fratres prædicti excoriati sunt, & suspensi post Pascha.

ANNOTATIONES.

1. Hoc tempore duo Reges Alemanniæ:] *Nauclerus de electione hac sic loquitur;* Electi sunt igitur in discordia in die B. Lucæ Euangelistæ

Cernentes autem vt tetigi homines terræ pacifici malum statum, A contra Episcopum clamare cœperunt, quod nisi, præfata lege dimissa, contra quoscunque per altum Dominium procedatur, per vias publicas incedere tute homines non valerent. Quapropter Episcopus partem terræ militum cum cæteris probis viris quos habere potuit cum Rectoribus ciuitatis ad Capitulum conuoçauit, de quorum omnium consilio Episcopus mamburno præcepit, vt indifferenter ex alto Dominio delicta rite probata corrigeret, non parcendo diuiti seu potenti. Sed mamburnus incipiens ægrotare nihil exequitur de promissis.

Pacifici contra Episcopum clamant.

Episcopus præcipit crimina puniri sine acceptione personarum.

Tunc inualescentibus vndique clamoribus, Episcopus multitudine collectâ, quantum ex æquo licebat, cœpit malefactores corrigere, quorundam ædificia destruendo. B

Interim præfatus Eustachius Franshons occurrit Episcopo, quem Episcopus capi fecit, quia per Dominam de Warfesees accusatus erat, quod equos currus eius, & iocalia, quæ secum portabat, abstulerat violenter; Hac ratione motus (vt dicebat) quia maritus eius in conflictu apud Waremiam ipsum equis suis, & vestibus spoliarat; traditus autem marescalco pœnam subijt capitalem.

Eustachius Franshons capitur & detruncatur.

Post triduum autem hoc mamburnus percipiens (vt dicebat) apud progeniem puniti multum se simulans condolere, excusationes plurimas prætendebat, Domino Ioanni de Lādris totum factum impingens; facilius hoc arbitrans credi posse, quia idem erat puniti militis C inimicus, super quo fuit Episcopus indignatus. At mamburnus indignationem huiusmodi sentiens, progeniem ipsius militis contra Episcopum per literas, & nuncios cœpit inflammare, ad illum tendens finem, vt per illos, quibus Leodiensis populus adhærebat, vna cum Comite Lossensi, cæterisque terræ quos possent attrahere, conspirationem contra Episcopum nouam denuo procurarent.

Indignatur Episcopus Mamburno.

Quod cum de viro consiliario suo vestes eius deferente vix credere posset Episcopus, ad ipsum personaliter accedens, scrutaturus quo super huiusmodi spiritu duceretur, coram ipso apparuit vxor eius, de marito conquerens, quia ipsam repulerat à se per quadriennium, D victum sibi denegans, & vestitum; Quapropter ipsum monuit Episcopus, quatenus vxorem suam maritali thoro restitueret, vel ipsi saltem de necessarijs prouideret. Ipso neutrum facere curante, respondit, quod vellet esse potius, quam illam reciperet, vltra mare: Sed super his coram Officiali sententiam expectare volebat.

Noua confœderatio.

Episcopo tunc requirente, quatenus, secundum iuris regulam, sibi lite pendente, de vitæ necessarijs prouideret, ne sibi daretur occasio delinquendi, sed & illud facere recusauit. Episcopus autem considerans, quod alimentorum causa, quæ dilationem non recipit, erat tractanda, de plano cognitione summariâ præcedente, ipsum decreuit captis pignoribus compellendum; & per marescalcum ferra molendinorum suorum fecit auferri.

 Quod

Mamburnus aperte conspirat contra Episcopum.

Quod grauiter ferens magistris & Consulibus Ciuitatis, Hoyensibus, Comiti de Chingni, ac cæteris nouo fœdere copulatis conqueritur super istis; ad cuius querimoniam, quasi Principes terræ marescalco præcipiunt, vt pignora restituat incunctanter; vadat Leodium, quod contra confœderatos egerat emendando. A

Episcopus submittit se iudicio Capituli & proborum.

Quod quia iustè fecerat retractare noluit; cœperunt contra Episcopum exercitum congregare; qui scandalum vitare cupiens, per duos Prælatos mandat eisdem, quod si quicquam iniustè fecerat, de consilio Capituli sui, & cæterorum terræ proborum erat emendare paratus, & ad statum pristinum reuocare.

Et quia non latebat Episcopum quod nugis fallacibus populum Leodiensem contra ipsum prouocauerant, rogat vt loqui publicè cum popularibus pateretur; sed hoc sibi denegato Hoyum se transtulit; audiuerat enim & illos in adiutorium Leodiensibus exercitũ præparare, vt Marescalci sui castrum de Hermalle diruerent, illos obsecrans vt desistant, monens quemlibet sub pœna amissionis feudi quod tenebat ab ipso, ne sumerent arma contra Dominum; sed sibi assistant ab hostibus patriam defendendo. Sed spretis his, alijs se coniungunt, & communi consilio quasi noui Principes, milites & Burgenses ac cæteros suis præceptis parere nolentes, Albanos fecerunt quodam genere proscribendi; & explosis vexillis castrum de Hermalle, ac portam cum mansione de Landris Episcopi feuda diruerunt. B

Confœderati agunt Principẽ.

Interea cum, treugis datis apud Tongros, inter partes de concordiâ tractaretur, ex improuiso castrum de Muhaut machinis, & mangonalibus tribus hebdomadis impugnarunt: sed cum nihil proficerent, Ecclesiam villæ de Muhaut, & monasterium vallis B. Mariæ, treugis pendentibus, violarunt. Nec his contenti Comitẽ de Chingni mamburnum sui fœderis, ac Principem faciẽtes, Episcopalis mẽsæ reditus rapuerunt, & galeatis capitibus per patriam incedentes, beneuolos Episcopi, minis eorum comburendi domicilia, ipsorum consentire maleficijs compulerunt. C

Alia multa mala patrant. Principem faciunt.

Denique præconizari fecerunt publicè, quod si quis quempiam de fautoribus Episcopi viuum aut mortuum caperet, pro milite centum, pro armigero quinquaginta, & pro gartione decem darent libras turonenses capienti, quod de quibusdam factum est, quos vltimo supplicio tradiderunt: villas fautorum Episcopi & maneria deuastando. D

Capienti vnũ de fautoribus Episcopi aßignatur præmiũ.

Episcopus vero se videns imparem tantæ multitudini, in castris suis de Bullione, de Muhaut, & de Franchimont, & Castro Abbatis Stabulensis de Loigne munitiones posuit, inimicos suos non modicum coarctando; & parte Canonicorum Leodiensium Ecclesiæ se colligente Namurci, Officialis sui, & cæteras inferiores curias transtulit Dionantum.

Episcopus munit arces suas.

ANNO

A

ANNOTATIONES.

Quæ hoc capite habes conformia sunt ijs quæ Ioannes Presbiter & Chronicō Gemblacense habent.

De fœdere per Episcopum cum Duce Brabantiæ inito, magna mortalitate & Caristia alijsque quibusdam extraneis.

B

CAPVT VI.

ANno Domini 1315. circa mensem Octobrem Episcopus cum suis familiaribus Brabantiæ Ducem tunc iuuenem adijt, consiliarios eius sibi beneficijs attrahens, cum Duce se cōfœderat, vt iuuent se mutuo contra omnes; exceptis Imperatore, Franciæ, & Angliæ Regibus, & Flandriæ Comite, promittunt solemnibus iuramentis; & in monasterio de vliderbeck, vbi præsens aderam, Dux in feudum, quod tenebat ab Episcopo, non aliter illud exprimens, innexis manibus iunctis Episcopi palmis, osculo dato, cum cæteris solemnitatibus releuauit. Episcopus autem in confinio ducatus Leuuis C cum suis se recepit; vnde frequenter suos æmulos infestabat, ipsorum domos & molendina, vbi poterat, comburendo. *Episcopus init fœdus cū Duce Brabantiæ. Auctor scribit visa & audita. Episcopus suos æmulos infestat.*

Hoc anno vsque ad Augustum sequentem tanta fuit mortalitas & caristia, quod modius siliginis mensuræ Thenensis, (quorum quinque modij quatuor tantum mensuræ Leodiensium adæquant) decē florenis aureis vendebatur, & de hospitali in louanio biga bis, vel ter in die onerata sex vel octo cadaueribus mortuorum, extra villam in nouo facto cæmiterio, miseranda corpuscula continuo deportabat: quæ cum transiret quotidie ante domum, quā tunc morari cœperam, foetore cogente, conduxi mihi domum in suburbijs iuxta campos. Et idem in villis cæteris contingebat; & tamen bladis gra- D naria erant plena, sed ad loca maritima, vbi maior erat caristia, portabantur. *Mortalitas & caristia magna. Auctor habitat in suburbijs Louanij.*

Anno vero sequenti minori, quam vnius floreni, pretio modius vendebatur. Contigit autem hęc caristia ex eo quod ante festum beati Ioannis præcedētis vsque ad Augustum pluere non cessauit; propter quod grana intrinsecus quasi vacua remanserunt; & circa mare propter inundationem defecit annona.

Hoc tempore Dominus Emiorandus de Maregni, qui a principio armiger vix habens 30. libratas terræ, in tantam familiaritatem Philippi Regis Formosi receptus est, quod ditatus terram nobilis viri Dñi Maregni, sub quo natus fuerat, quia cognominabatur ab illâ, cōcupiuit; & quia sibi terram vendere contradixit, taliter tribulauit *Emiorandus supra modum ditatur.*

 eundem

A

De pace de Fexhe facta inter Episcopum & cæteros de VVarfesees cum eorum fautoribus, de amicitia Episcopi cum Philippo Rege Nauarræ, necnon de pace inter Episcopum & Hoyenses.

CAPVT VII.

TAndem tam cariſtia quam guerris ambæ partes, id eſt Epiſcopus & aduerſarij ſui; tædio fatigatæ, anno ſequenti 1316. feria ſexta ante feſtum B. Ioannis Baptiſtæ, apud villam de Fexhe ordinatâ pace, charta conſcribitur ſuper ipsâ, quæ pax de Fexhe nominata, in maiori capitulo ſuſpenſa cernitur, multis inuoluta cõtrarijs: Feſſæ ſiquidem, vt præmiſi, partes ambæ, quælibet alterã, quicquid ſibi placeret, in chartà, dummodo pax procederet, ſcribere permittebat: de quo multa poſtmodum diſcrimina prouenerunt. Primo namque ſcribi fecerũt alligati quod Epiſcopus per legẽ faciet quemlibet iudicari: Epiſcopus è contra altum Dominium in corrigendis exceſſibus retinebat; quæ ſimul ſtare non poſſunt, vt patet cuilibet ex præmiſſis: Actor namque ſemper cum à potentiore ſe læſum conquereretur, puniri reum ex alto Dominio poſtulabat; reus è contrà dicebat debere per legem quemlibet iudicari, ſuper eadem chartâ qualibet ſe fundante.

Pax de Fexhe.

Vtraque pars permittit aſcribi paci quod libet.

B

C

Anno Domini 1316. menſe Auguſti in die beati Donati Ioãnes Papa 22. natione Cathuricenſis eſt electus; qui iam 18. fere annis præfuerat, dum hæc ſcribo.

Aetas auctoris.

Hoc anno Ludouicus Rex Nauarræ, filius antiquior Regis Franciæ Philippi Formoſi, cui ſucceſſit in regno, circa feſtum beati Ioannis Baptiſtæ rebus eſt exemptus humanis. Cui ſucceſſit in regno Philippus frater ſuus. Iſte cum Epiſcopo noſtro Adolpho, datis ſibi in beneficium duobus millibus florenorum annuis, amicitias copulauit; anhelabat enim ad Imperium Romanum, ſicut frater & pater eius fecerant ante ipſum; in quo negotio Epiſcopum ſibi perutilem reputabat.

Lodouicus Rex Nauarræ moritur.

Philippus Rex Nauarræ init amicitias cum Epiſcopo noſtro & quare.

D

Tunc Epiſcopus cum Hoyenſibus fecit pacem, & mediantibus 11. millibus librarum Turonenſium, ablatas per bonæ memoriæ dudum Epiſcopi de Waldeghe ſententiam ipſis reſtituit libertates, & cum literas dictæ ſententiæ Capitulum reddere contradiceret, tandem per impreſſionem Leodienſium reſtituere ſunt arctati.

Epiſcopus init pacẽ cũ Hoyenſibus.

ANNOTATIONES.

Anno ſequenti 1316. feria ſexta ante feſtum B. Ioannis Baptiſtæ:] *Eſt hæc pax in libris chartarum, & manibus omniũ, quam idcirco hic non annectimus:*

Sic incipit. A tous ceux qui ces presentes lettres verront *&c. & finit,* A
Ordõné & accordé l'an de grace mille trois cens & saize le vẽdredy deuant la feste de S. Iean Baptiste.

De statuto contra homicidas communi consensu patriæ facto apud Fexhe, & quibusdam alijs preclare Gestis Episcopi.

CAPVT VIII.

ANno vero sequenti 1317. totâ patriâ apud Fexhe coram Episcopo congregatâ, statuitur, quod si quis homicidium fecerit, banniatur; & per solum Episcopum per totam terram eius mãsio comburatur. Bona non perdat, sed, nisi prius pace factâ cum amicis mortui, non reuertatur. B

Ignis soli Episcopo reseruatus.

De hoc igne soli Episcopo reseruato, habentes iurisdictionem in patriâ conqueruntur, & etiam Capitulum suum, vt longe inferius apparebit in anno 1341.

Querelæ de ea re Capituli & nobilium.

Anno vero Domini 1318. turris de Harne fortissima, quæ à Domino de Falcomont tenebatur, interfectis custodibus, per Episcopum & Ducem Brabantiæ capitur, & destruitur funditus; propter guerrã, quam idem Dominus de Falcomont Traiectẽsibus faciebat. Et tunc C Castrum eius de Sitert Duci portas aperuit se dedendo. Et postmodum Dominus de Falcomont ad misericordiam Ducis veniens captiuatur, & longo tempore detinetur.

Episcopus cum Duce Brabãtiæ contra D. de Falcomont.

Eodem anno Episcopus terrã Regis Bohemiæ cum exercitu magno vastauit in Comitatu suo Lutzilburgensi, post triduum reuertendo.

De discordia & guerra inter Dionantenses & Bouinienses.

CAPVT IX.

D

ANno Domini 1319. Inter Dionantenses & Bouinienses ortâ discordiâ circa natalem Domini, bellatores plures à Comite Namurcensi, Bouiniensibus in adiutorium transmittuntur, quorum aliqui in armis periti iuxta Dionantum veniunt, quasi pauci cum multis vellent fatuè dimicare. Quod videntes Dionantenses illuc properant animosè: sed aduersarij se fugere simulantes Bouiniam appropinquant; tunc exeuntes qui Bouiniam missi fuerant, Dionantenses fatuè sequentes alios incluserunt, quorum aliquibus interfectis, triginta (sicut Dionantenses asserunt) capiuntur, & in crastino

Discordia inter Dionantenses & Bouinienses.

A crastino ligatis illorum vulneribus mortui reperiuntur in campis; quos adhuc hodiè interfectos in carcere conqueruntur, sed Namurcenses hos asserunt bellando necatos. *Bouinienſium crudele ſtratagema.*

Hac immanitate Dionantenses nimium prouocati, (nec mirum si sui fuissent in captiuitate interempti) Leodienses infestare non cessant, ab ipsis adiutorium tanquam à fratribus flagitando: vnde anno Domini 1320. in Aprili clamore Dionātensium ciuitas prouocata, Episcopum inuitum quasi, prouocat ad vindictam. *Dionantenſes excitant Leodienſes ad vindictam.*

Quocirca terram Comitis Namurcensis intrat Episcopus, cum exercitu generali ipsam igne concremando: deinde treugæ ad biennium statuuntur.

Interea Dionantenses turrim erigere fortissimam inceperunt, vnde B machinis erectis per Bouiniam lapides iacere possunt, domos oppidi diruendo; & in hyeme stringente gelu, aquâ calidâ calcem sabulo commiscebant.

Bouinienses hac nouitate turbati, turrim ipsam, treugis durantibus, impugnare machinis inceperunt, vt conatus Dionantensium impedirent. Qua præsumptione commotus Episcopus anno Domini 1321. post festum B. Ioannis, adiuncto sibi consanguineo suo Comite de montibus, cum 33. militibus, & equitibus plusquam centum numero galeatis, 41. diebus Bouiniam obsidione vallauit, muros arietibus quatiendo. *Episcopus obſidet Bouiniam.*

Tertia vero die Augusti 2. feria, Comes Namurcensis sentiens C Hasbaniam hominibus vacuatam, adiuncto sibi in quingentis galeis supplemento de Flandriâ & Hannoniâ militari, cum 6. millibus terræ suæ peditum vastaturus intrauit. Quod sentientes Dominus Iacobus de Leut, & Amelius de Bouegnistier tunc Bailliuus Capituli, quos Episcopus pro custodiâ terræ retro dimiserat, cum 140. tantum equitibus, pulsatis campanis & sequentibus peditibus, inimicos inuadunt; & pluribus interfectis omnes ferè reliqui capiuntur. *Comes Namurcenſis Hasbaniam vaſtaturus intrat.* *Iacob⁹ de Leut & Bailliuus capituli eos cædunt.*

Hic idem Amelius miles efficitur: Huic etiam Capitulum cum diues non esset in remunerationem probitatis huiusmodi, quinquaginta modios speltæ annuæ pensionis donauit ad vitam. In crastinū verò Bouiniensium obsidio est soluta. *Capitulum honorat ſuum Bailliuum.*

Eodem anno per Franciam & Hannoniam multi leprosi igne cre-D mantur, quia fontes, riuos, & puteos, corrupti per Iudæos, intoxicasse in Christianorum perniciem dicebantur, quorum combustis insimul domibus, earum tunc recolo multas me vidisse ruinas. *Leproſi cremantur.*

ANNOTATIONES.

Quæ hoc capite auctor refert de bello contra Bouinienses, & de Comite Namurcensi cum suis in Hasbania caso, nec non leprosis & Iudæis supplicio affectis, probat pariter Ioannes Presbiter & Chronicon Gemblacense. De supplicio leprosorum meminit Meyerus ad annum Domini 1313. his verbis. Pulcher Rex postquam le-

pra esset infectus, per totam Galliam & Flandriam capi leprosos tam fœminas quam viros iussit, & viuos cremari, ideo quod fontes aquarū ac puteos veneno infecisse dicerentur, conducti ad id à Iudęis & Saracenis. In Flandris vero non crematos sed captos duntaxat quidam volunt, postea (contra multorum licet voluntatem) dimissos. A

De magna guerra Episcopi contra Regem Bohemiæ & Comitem Namurcensem & quibusdam externis.

CAPVT X.

B

HIs temporibus iterum Episcopus contra Regem Bohemiæ, & Comitem Namurcensem habuit magnam guerram; & Comes Namurcensis Cennacum animose nimis intrauerat, sed Oppidanis in ipsum irruentibus cecidit, & quodam de suis ipsum releuante perempto, cum fortuna maxima fugiens, liberatur.

Eodem anno Rex Angliæ ad procurationem summi sui Consiliarij Hugonis, dicti Dispensier, Lancestriæ, de Herfort, & Clifort Comites, & 120. milites, quorum 26. vexilla gerebant, & alios septingentos captos puniuit amputatis capitibus. Hic Rex mirabilis erat, domos & grangias manu propriâ cooperiēdo straminibus maximè delectabatur, & viminibus texendo canistra. C

Mirabile supplicium. *Admirabile Regis ingeniū.*

Anno vero 1322. Iudæi per Franciam vnâ die vniuersaliter capiuntur.

Eodem anno Cennacenses locum suum, muris, portis muniunt & fossatis.

Cennacenses locum suum muniunt.

Eodem anno Comes Namurcensis à Brugensibus in quodam conflictu capitur; qui tandem euasit subtiliter per cloacam.

Anno verò 1323. Fredericus Dux Austrogothiæ (qui se pro Rege gerebat) à Ludouico Bauaro Aquis coronato, campestri bello, (cum idem Ludouicus iam penè defecisset, illi Rege Bohemiæ viriliter succurrente) vincitur, captiuatur, & tandem pacificati sunt ad inuicē, ita quod Reges ambo se mutuò nominabant.

Frideric' à Bauaro vincitur. Initur concordia.

Anno vero Domini 1324. Carolus Rex Franciæ (mortuâ vxore suâ, filia scilicet Regis Bohemiæ, quam anno duxerat præcedenti) patrui sui Ludouici Comitis Ebroicensis filiam, sororem vxoris Ducis Brabantiæ, dispensatiuè sibi matrimonialiter copulauit. D

ANNOTATIONES.

.1. Eodem anno Comes Namurcensis:] *Hunc locum paulo explicatius refert Ioannes Præsbiter his verbis.* Eodem anno scilicet 1322. Comes Namurcensis cum Brugensibus, cum armata militia ad eos debellandū obuiaret

A obuiaret, mox in pugna ab eis captus aliquanto tempore eſt detentus, tandem à quodam milite ignorantibus Brugenſibus liberatur vel vt alij dicunt, euaſit ſubtiliter per cloacam.

2. *Hoc eodem anno Ioannes Presbiter dicit B. Mariam virginem claruiſſe multis miraculis, ſic enim ille*: Eodem anno ſcilicet 1324. in die ſacramenti in Eccleſia B. Mariæ Hoyenſis noua miracula à Deo coruſcata ſunt cuidam mulieri ſedenti iuxta feretrum B. Mariæ poſitum in choro ante eius altare, vt in ſolemnitate corporis Chriſti in proceſſione eodem die deportaretur: Nam ipſa mulier curua ſecedens & gibboſa exiſtens per biennium & amplius, quicquid comedebat non deſcendebat ad ſeceſſum, ſed per os ſuum euomebat, ſanata eſt eadem hora.
B Inde re diuulgata, cœci, claudi, paralytici, ſurdi, gutturoſi, & infirmi ſanantur, mortui ſuſcitantur, & liberantur captiui.

3. Anno vero Domini.] *Hoc anno Adolphus Epiſcopus præcepit populo Dionantenſi, vt ſicut mater Eccleſia, S. Mariæ celebrabat feſtum S. Perpetui ita & ſinguli in ſuis Eccleſiis parochialibus celebrarent. Præceptum Epiſcopi habes in hyſtoria miraculorum S. Perpetui, quam anno Domini 1601. in lucem edi curauimus.*

De viginti perſonis quæ conſentiente Epiſcopo eliguntur de Capitulo militibus & Burgenſibus prouiſuræ ſuper bono ſtatu patriæ & de tranſlatione curiarum in Hoyum.

C

CAPVT XI.

Iſdem temporibus Epiſcopo multis debitis inuoluto, cum Dominus Ioannes de Landris ſummus eius Conſiliarius, quadam leui occaſione ſe ab eius Curia elongaret, iterum Caſtellanus Waremiæ ſe iungit Epiſcopo, ſicut prius.

Deinde multis de iniuſtitiâ conquerẽtibus, Epiſcopo conſentiẽte, de Capitulo, militibus, & Burgenſibus eliguntur 20. perſonæ, ſuper bono ſtatu patriæ prouiſuræ: Qui conſidentes ad inuicem, chartam D quandam ordinant ſigillo Epiſcopi ſigillandam. Quæ cum prima in Capitulo legeretur, licet iuſta plurima contineret, Iuriſdictionem tamen Epiſcopi perpenditur eneruare. *Eliguntur 20. perſonæ ſuper ſtatu patriæ prouiſuræ.*

Circa cuius ordinationem Canonici noſtri, & quidam alij decepti fuerunt, cæteris hoc agentibus fraudulenter: Continebat enim inter cætera, quod ſex laici per patriam eligantur, coram quibus, ſi quis ſentiret per Epiſcopum ſe grauatum, ſuam proponeret quæſtionem, & quicquid illi dictarent, Epiſcopus facere teneretur: Et ſic oportuiſſet Epiſcopum coram ſubditis ſuis, tanquam coram ſuis ſuperioribus litigaſſe, Principatu ad ſubditos deuoluto. *Conãtur fraudulenter iuriſdictionẽ Epiſcopi eneruare.*

Et quia Epiſcopus hanc noluit ſigillare, inter ipſum & ciuitatem *Diſcordia renouatur.*

 diſcordia

discordia renouatur, & Leodienses totam Iurisdictionem Episcopi A impedire cœperunt, villico, ne quem in Ciuitate malefactorem caperet, inhibendo, & warescapia suis vsibus applicando; Hoyenses ad adiutorium inuitantes.

Dissensio inter Hoyenses & armigeros.

Interim cum pro quibusdam speltæ gelunis, forestarijs suis dari solitis, vt dicebant, inter Hoyenses & Armigeros terræ de Muhaut esset exorta dissensio: Hoyenses autem dicebant, quod quælibet carruca, (clericorum & militum duntaxat exceptis) illam soluere teneretur; armigeris dicentibus quod soli rustici tenerentur: Et cum Leodienses sustinerent armigeros, facti sunt Hoyensibus odiosi, quos etiam parum, antea diligebant. Episcopus vero vt sibi Hoyenses attraheret, tantum fecit, quod armigeri petitas soluere gelunas pro- B miserunt.

Episcopi prudētia.

Episcopus trās fert curias Hoyum.

Cumque Leodienses ab iniurijs non cessarent, sed quotidie de malo in peius procederēt, Episcopus in vigilia Thomæ Apostoli, propter præmissa grauamina, sedem Officialitatis, cū cæteris Archidiaconorum curijs, transtulit apud Hoyum.

Et in eodem anno, dum in festo B. Mathiæ matutinum celebratur officium, in choro proiecta reperitur continēs sigillata sigillo Episcopi litera quod Episcopus ciuitatem & populum pro commissis Ecclesiastico supponebat excessibus interdicto; statimque chorus submissa voce diuinum officium adimpleuit, seruando deinceps interdictum, appellatione ciuium nonobstante.

Interdictū ab Episcopo Leodij positum.

Deinde per totam quadragenam infestantur, vt per Capitulum C nostrum ordinationis prædictæ litera sigelletur. Tandem nobis in maiori Capitulo constitutis (quibusdam de nostris in hoc consentiētibus, paucis tamen) magistri villæ requirunt, vt ipsis præsentibus quilibet nostrum suam super hoc exprimat voluntatem. Ego verò, tunc impressionem sentiens, exire volens, magistrum villæ dictum Hanoset, mihi familiarem obuium tunc habui, mihi ostium obserātem: Tunc alijs de manibus extractis claustrarij clauibus, exij per posticum, ad illum locum infra quinquennium non reuersus.

Magistri villæ impressionem inferunt Capitulo.

Auctor egreditur per posticū.

Hoc tempore præfatus magister villæ multum sollicitus erat circa defunctorum corpora in cæmiterijs tumulanda: Quod cernens D quidam Canonicus dixit ironicè, Eya nostris nouus surrexit temporibus hic Tobias. Hinc in pariete istos versiculos exaraui.

Magister villæ ironice vocatur Tobias

Plebs, Præsul, Demagogus, agit, tollit, tumulando,
Iustitiam, sacra, mentitur, male, iure, Tobiam
Clerus, plebs, iustus, cessando, prophanat, abhorret,
Paret, sancta, scelus, iuri, calcando, nefandum.

Reddendo singula singulis construantur,

ANNOTATIONES.

Episcopo multis debitis inuoluto:] *Quæ de viginti bis personis, de vsurpatione iurisdictionis Episcopi, de curijs Hoyum idcirco translatis, deque interdicto Leodij posito scribit auctor noster eadem quoque refert Chronicon Gemblacense.*

CAPVT

A

De infausta pugna DD. de VVarfesees & de VVaroux contra domum de Avvans, & inde seditionibus contra Episcopum & Ecclesiam excitatis.

CAPVT XII.

ANno Domini 1325. Dominica in crastino Bartholomæi, progenies de Warfesees & de Warous, contra domum de Awans in campis prope Doumartin infauste pugnauerunt; de suo genere pluribus interemptis strenuis.

Pugna atrox.

Nam Henricus de Hermalle, Ioannes de Landris, Ioannes de Ceruo, Lambertus de Harduemont, Ioannes dictus Poullains de Waroux, & Helinus de Latines milites, & amplius 40. suæ partis de melioribus ibi gladio ceciderunt, cæteris fuga lapsis.

B

Ex parte vero Castellani militis nuper facti, Arnoldus de Iehaigne miles, & Butoir Fratres eius, cum 12. ibidem armigeris interfectis: Treugis tamen existentibus inter ipsos; propter quod (secundum legem patriæ) vtriusque partis honor & corpora in manus Episcopi ceciderunt. Sed parti victæ delictum, mediantibus quibusdam pactionibus, per Episcopum condonatur.

Vtraque pars obligatur Episcopo.

Ciuitas vero victores, quorundam decepta fraudibus, ipsos ne castigare posset Episcopus, tuebatur: Propter quod Episcopus, circa Remigij, contra Leodiensium propè Crestengnes maximum exercitum congregauit; in quo sui generis 11. habebat Comites & Regem Bohemiæ cum magno militum apparatu; sed Rege Bohemiæ, & quibusdam alijs non ex corde iuuantibus, infecto negotio, quibusdam Episcopum defraudantibus, recesserunt: sed paulo post pars Castellani, mediantibus quibusdã pactionibus, fecit pacem cum Episcopo.

Ciuitas tuetur victores.

C

Episcopus offensus colligit exercitum.

Hoc anno post pascha paulatim quidam de nostris Concanonicis, inter quos ego minimus, apud Hoyum domicilia transtulerunt, ibidem Capitulum constituere proponentes.

Canonici Capitulum Hoij cõstituunt.

Hoc anno facto nouo sigillo ad causas per Capitulum Leodiense in Hoyo residens, inhibuit Episcopus, sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, ne quis vteretur sigillo veteri; quod pauci residẽtes Leodij occupabant; capitulum suum ad tempus Hoy statuendo, feria 6. post Dionysij.

Fit nouũ sigillum ad causas.

D

Et eodem anno circa finem Octobris, pro quadam lite meâ, sedem Apostolicam visitaui: Cumque constitutus coram Papa in Camerâ suâ, supplicassem, quatenus partem Capituli nostri apud Hoyum residentem (quæ totius Capituli maior erat, & propter impressionem populi, Leodiensis Ecclesiæ iura defendere non valeret, ibidem residendo) habendam pro Capitulo declararet; Respondit, quod hoc absque cognitione facere non poterat; sed si vellem hoc negotium per consistorium expediret.

Auctor proficiscitur Romam.

Supplicat Pontifici.

Deinde cũ de factis Leodiensis Episcopi quæreret, respõdi, quod in

Pontifex inquirit de Geſtis Epiſcopi, quæ laudat.

armis inclytus, hoſtes manu propriâ debellabat, oppugnando inimicorum caſtra, clypeo lapides excipiens, & ſagittas. Audiueram autem ipſum talia libenter audire: Qui reſpondit, Certe pro Eccleſia ſua bene licebat ei: ac ſi accuſatum per me defendere voluiſſet. Hoc recito miratus, quod taliter contra Canones aſſerebat: ſed conſiderabat forſitan quod Imperij deſolatio, & ob hoc audacia Principum, ac indeuotio cæterorum, non ſinit in hoc Epiſcopos per Alemaniam rigorem Canonum obſeruare; ne dum ſuperioris fruſtra defenſio præſtolatur, percuſſo paſtore oues gregis in præcipitium perpetuò diſpergantur, & ideo neceſſitas lege caret. Cum autem vlterius quæreret quid de Bauaro in partibus diceretur, narraui qualiter Rex Franciæ Carolus per ſolemnes nuntios illi mādauerat, quod ſi vellet ei nomen regni, & coronam cedere, vtilitate ſibi, quoad viueret, remanente, omnia debita ſua ſolueret valde magna: Quibus reſpondit, quod ſi vellet tantum honorem relinquere, alteri potius cederet, qui plus ſeruiuit eidem: Quo ſeruitio de perſonâ Regis ad Bauarum relato, Rex fuit multipliciter indignatus. Hic reſpondit Papa, certè verum fuit. Et hoc ideo recito, vt ſit credibile (ſicut prædixi) quod Reges Franciæ ad Imperium anhelarint, de quo etiam inferius faciam mentionem.

Pontifex inquirit de Bauaro. — B

Reges galliæ ad Imperium anhelant.

Impetrat literas approbatorias Capituli quod hoy erat.

Videns autem quod abſque lite approbationem Capituli noſtri nō poteram impetrare; à duobus Cardinalibus, quorum vnus Præpoſitus, alter decanus erat, duobus Archidiaconis, tribus Canonicis Leodienſis Eccleſiæ, approbatorias Capituli noſtri, & ratificatorias factorum eius literas impetraui; quas cum retuliſſem ad partes, illarū ſuffragio nobis amplius animatis, deliberatione habitâ cum Epiſcopo, ſecundarum Eccleſiarum Capitula nobiſcum ſuaſimus transferēda, literis, decanis & Capitulis ipſis ſuper hoc deſtinatis; quarum copiam, quia geſtorum illius temporis in Leodio partem continent, hic inſerere dignum duxi. C

Suadet Capitulo ſecundariarum Eccleſiarū vt pariter migrent.

Exemplar literarū Adolphi.

Adolphus, &c. Multimodis noſtrorum ſubditorum blaſphemijs, & iniurijs in Chriſti Eccleſiam crebreſcentibus, laceſſiti magiſtris & Gubernatoribus Ciuitatis noſtræ Leodienſis iura, Iuriſdictiones, & bona Eccleſiæ noſtræ, necnon eiuſdem Præpoſiti, ac ſecūdarum Eccleſiarum inuadentibus & detinentibus violenter, Cum iuxta verbum Pſalmiſtæ *ſuperbia eorum ſemper aſcenderet*, & ſalutaribus monitis acquieſcere non curarent, ipſos tam prouincialium, quam Synodalium virtute ſtatutorum ſententiam excommunicationis incurriſſe, & ciuitatem Eccleſiaſtico ſuppoſitam cum populo declarauimus, & authoritate nihilominus ordinariâ ſubiecimus interdicto; illius exemplo qui à facie Herodis fugit in Ægyptum, nos ad Oppidū noſtrum Hoyenſe cum curiâ official: & cæteris inferioribus curijs transferendo, attendentes quod aliter Eccleſiæ non poterat exiſtere firma ſalus. Publicatis autem excommunicationis & interdicti ſententijs, tam à Cathedrali quam alijs Eccleſijs ciuitatis, ſæcularibus & reli- D

Pſalm. 73.

Math 2.

A & religiosis, exemptis & non exemptis, firmiter obseruatis, Iniuriatores huiusmodi obstinatis cordibus declinauerunt ad infrascriptas hæreses & contemptus. Scriptum est, *Peccator contemnet, cum malorum deuenerit in profundum:* per duos namque ciuitatis Præsbiteros, qui tamen interdictum ab initio seruauerunt, & quosdam extraneos apostatas, omnes conductos seu potius corruptos, fecerunt & faciunt in parochialibus eorum Ecclesijs publicè prophanari, illarum Rectoribus contradicentibus & inuitis; populum vt intersit, & Ecclesiastica sacramenta interdictis vetita percipiat à prophanis, interdictorũ cadauera in Ecclesijs & cæmiterijs consecratis tumulent, pœnis grauibus compellendo; in contemptum clauium, animarum periculũ, *Prouerb. 18.*

B & scandalum plurimorum. Et cum Capitulo nostro adhuc in maiori Ecclesia residente, Iniuriatores præfati ad illam quotidie conuenirent, & congregationi fidelium irreuerenter se, contemptis huiusmodi sententijs, im miscerent, ac peterent quædam, imò minis & terroribus exigere niterentur, quibus saluis conscientia & honore, Cõcanonici nostri condescendere non poterant, & tamen ibidem residendo contradicere non audebant; Hac necessitate compulsi, vt sibi & Ecclesiæ tutius consulerent, maior & sanior pars totius Capituli, de consensu & authoritate nostrâ, ad Oppidum nostrum prædictum ipsum Capitulum transtulerunt: Quod etiam Reuerendi Patres Præpositus & Decanus Ecclesiæ nostræ, ambo vniuersalis Ecclesiæ Cardinales, duo Archidiaconi, & tres eiusdem Ecclesiæ Canonici in Ro-

C manâ Curiâ residentes, omnes Archidiaconi cæteri, & Custos Ecclesiæ approbauerunt: Cui etiam Capitulo ab Ecclesijs nostræ diœcesis omnibus est hactenus paritum & paretur. Post præmissa vero iniuriatores prænotati mala malis continuò cumulantes, in hospitali S. Christophori ordinis S. Augustini quendam eorum conciuem habitum dicti ordinis induentes, ipsum intruserunt in hospitali præfato auctoritate propriâ violenter: marescalcum, Balliuos, & cæteros officiatos nostros gladio deputantes, pretium iniquitatis eorum occisoribus maximum voce præconiâ statuẽtes. Pignora rectoris Ecclesiæ S. Christophori, quia in cæmiterio Ecclesiæ suæ interdicto dupli-

D ci subiacenti, funera sororis suæ noluit sepelire, effractis domus suæ foribus rapuerunt. Parochiales insuper Præsbyteros Ciuitatis, quia noluerunt eorum illicitis parere mandatis, sasitis eorum bonis, inanes à Ciuitate miserabiliter expulerunt. Qua præsumptione temeraria temeritate præsumpta, nuper bannalis pulsu campanæ cum generali contra nos exercitu exiuerunt, ferro, & igne terram Ecclesiæ crudeliter vastaturi, nisi conatus eorum fatuos militia nostra in manu validâ reddidisset inanes. Qua fronte præsumpserunt effrontes edictis pænalibus inhibere, ne quis Procurator ad curiam officialis nostri accederet, ne quis coram eo iura sua prosequatur, quin incidat in edictum. Fregerunt capellas aliquas secundis quibusdam incorporatas Ecclesijs, calicibus & ornamentis oblatis, in quibus

per igno-

per ignotos, (se forè præsbyteros mentientes) diuina faciūt prophanari. Fractis insuper sacrorum seris fontium infantes à talibus baptizantur. Quæ cuncta clamor notorius, & vox publica manifestant: quare merito cum Propheta possumus exclamare, *Deus venerūt gentes in hæreditatē tuā, polluerunt templū sanctū tuū, effunde irā tuā super gētes, quæ te non nouerunt.* (Psal. 78.) Quis dubitat tales de sacramentis aliter sentire, quam Sacrosancta Rom. Ecclesia prædicat & obseruat? quales etiā Dominus Lucius Papa 3. perpetui vinculo anathematis innodauit. Cuius audaciæ fomitem ex hoc sumunt, quod Ecclesiæ secundæ ipsis cohabitant; per quod videntur silentio tantam nequitiam confouere: Scriptum est enim, *error cui non resistitur, approbatur.* (Can. 3. dist. 83.)

A

Ad salutem igitur Ecclesiæ mentis aciem dirigentes, huic morbo considerantes non aliter medicinam posse parari, (cum iniurias prædictas toleraueritis sub spe pacis, nec sit verisimile quod in peruersitatibus obstinati desistere debeant ab inceptis (quia ex transacta eorum vita didicimus quid de sequenti præsumere debeamus) de consilio & assensu Capituli nostri, cum in Ciuitate propter impressiones iniuriantium iura Ecclesiarum vestrarum defendere, aut eos tanquā excommunicatos non audeatis (vt tenemini) euitare, ad locum, vbi maius residebit Capitulum, vestra Capitula duximus transferenda; decernentes quod residentes alibi pro foraneis habeantur; nisi forte locum alium in Diœcesi, extra Ciuitatem & suburbia, vbi resideatis, duxeritis eligendum. Datum &c. Hæ tamen literæ recipiuntur in vanum.

B

Literæ missæ in vanum.

C

Cōpromissum.

Anno Domini 1326. Abbas S. Nicasij Rhemensis, in quem partes hortante Papa per literas, compromiserant, per plures menses multis tractatibus pro concordiâ laborauit; intantum quod quatuor puncta, super quibus tota dissensio vertebatur, in scedula declarauit.

Quatuor pūcta controuersa.

Vnum erat in quo Leodienses iniuriabantur Episcopo, quod supra portam S. Walburgis, quasi Domini, carcere publico vtebantur, cum ad solum spectaret Episcopum carcerare.

Secundum quod per Hasbaniam indifferēter Burgenses foraneos faciebant, qui si delinquebāt correctionem euitabant Episcopi, ac si ab origine ciues essent.

Tertium, quod loca publica seu Warescapia vsurpabant.

D

Quartum, quod, sicut legislatores, per se statuta faciebant, contra quæ si quis delinquebat, inde recipiebant emendas.

Carcerem declarauit ad solum Episcopum pertinere.

De Foraneis quoddam adhibuit moderamen.

Warescapia diuisit per medium inter partes.

De faciēdis statutis satis etiam rationabiliter ordinauit. Hæc scripta contradidit, sed noluit sigillare, quia promiserat hoc Leodiensibus, vt dicebat, & sic discordiâ remanente discessit. Ordinatio tamen per Papam fuit postmodum confirmata.

Eodem

A Eodem anno Angliæ Regina vadit in Franciam, conquerens fratri suo Carolo Regi de turpi vitio mariti, & quod indigne regnaret, filium ad communes ducens consanguineos, Domino de Mortuo mari & multis nobilibus comitata; ab illis petitura suffragium; quo mediante, cum parte nobilium & potentum de Angliâ, quorum (vt prædiximus) Rex consanguineos trucidauerat, maritum suum regno priuaret. *Regina Angliæ recurrit ad Carolum fratrem suum.*

Quo cognito Rex Angliæ mittit ad Franciam, cum thesauro non modico, literas, vxorem de adulterio cum Domino de Mortuo mari apud Regem accusantes, & precatur, vt ipsam capi faciat, sibique remittat. Hinc amicitiam Reginæ, Regis Angliæ preces cum pretio præcesserunt, iuxta illud. *Rex Angliæ accusat Reginam.*

B Et præcedemus pretium si cum precedemus.

Sed ab amico præmonita clam Regina recessit, nocte dieque peragrans, donec in Hannoniâ se recepit, vbi magnis promissis exercitũ congregans, Domino Ioanne de Bello monte Fratre Comitis Hanoniæ ducente, in Angliam nauigauit, & adiunctis sibi præfatis Angliæ potentibus, expugnantes Regem fugiendo ceperunt, ipsum squalore carceris suffocantes; & imposuerunt Regis filio diadema, qui anno sequenti filiam Comitis Hannoniæ duxit vxorem. Et postmodum dictum Dominũ de Mortuo mari suspectum habens, quod cum matre Reginâ coiret; & quia per consilium suum patruus suus Comes de Cans fuerat decollatus, sibi caput præcipit auferri. *Regina congregat exercitum.* *Regem capiũt & carcere suffocant.* *Filius coronatur.* *Iustitiam exercet.*

C Hoc tempore in quodam conflictu Comes Flandriæ per suos capitur & captiuus biennio detinetur.

Hæc circa tempora cum Papa Regi Roberto nimis fauens Gibellinos per ipsum Ecclesiæ sumptibus fortiter impugnaret, & præbẽdas ad nominationem stipendiariorum suorum, manu larga conferret, quas alijs reuendebant, Gibellini se periculose sine capite dimicare videntes, contra Robertum, Bauarum Regem Alamaniæ aduocant Ludouicum: qui cum paucis iter suum dirigit vltra montes; & perueniens Mediolanũ, in die Epiphaniæ coronâ ferreâ coronatur; denique Romam veniens, inuentis ibi quibusdam priuilegijs, quibus Romanis videbatur indultum, quod Papa mortuo, vel absente, Romanus clerus Imperatorem poterat coronare: vnde Ludouicus Imperiali diademate coronatur, sed parum proficiens in Alemaniam D repedauit: Quare Papa Ioannes ipsum postea tanquam hæreticum condemnauit, ipsum regno primum & Imperio, demum patrimoniali suo ducatu Bauariæ, scripto priuauit eundem. In parte magna realiter tamen regnat; In cuius adhuc obedientia 14. Episcopi permanere dicuntur. Sub cuius vmbrâ post biennium, quidam frater minor, eodem priuilegio quo supra, in Papam se passus est coronari, & factis Cardinalibus Ludouico tanquam Imperatori adhærebat; & vbi Ludouicus armis præualebat, illic & ipse tanquã Papa in spiritualibus præsidebat, dignitates & beneficia conferendo. *Papa Regi Roberto nimis fauet.* *Gibellini aduocant Lodouicũ.* *Lodouicus Romæ imperiali diademate coronatur.* *Realiter in parte regnat.* *Quidam minor in Papam patitur se consecrari*

Tandem cum per annos aliquot taliter se gessissent, à quodam Principe, magnâ redemptus per Papam Ioannem pecuniâ Antipapa sibi traditur Nicolaus, qui fune ligatus in collo, forsitan illius Principis ex condicto, aliud malum non patitur, nisi quod publicè errasse se prædicans, detinetur honestè: qui sic detentus, breui tempore diem clausit extremum. A

Antipapa capitur. Publice prædicat se errasse fune ligatus in collo.

Quidam tamen nobilis Ioannes de mediolano Anticardinalis redditus Archiepiscopatus Mediolanensis occupabat, cui Papa Ioãnes de alio prouidit, quem acceptauit illo dimisso.

Inundatio fluuioli Hoij.

Anno Domini 1327. Hoyulphus in æstate, die serenâ, in die S. Laurentij, statim in tantum inundatione creuit aquarum, quod molendina ex opposito Ecclesiæ B. Mariæ Hoyensis, & fortissimam turrim B ad pedes magni pontis, cum domibus diruit, solà vel duabus personis hac violentia suffocatis.

ANNOTATIONES.

1. Anno Dñi 1325. Dñica in crastino Bartholomæi:] *De pugna familiarum de VVarfesees & de VVarous cõtra D. de Avvans agit conformiter Ioannes Præsbiter, & sequitur Chronicon Gemblacense cum reliquis nostris annalibus.*

2. Anno Domini 1326. Abbas S. Nicasij Rhemensis:] *Meminit & huius compromissi Ioannes Præsbiter, asseritq́ ordinationes huius compromissarij minime à Leodiensibus seruatas fuisse.*

3. Regina Angliæ vadit in Franciam conquerens fratri suo Carolo Regi de turpi vitio mariti:] *Chronicon Gemblacense dicit turpe hoc Regis vitiũ fuisse hæresim, in qua, astutia cuiusdã militis Eduardus Angliæ Rex detinebatur, totãq́ hanc historiam totidem fere verbis cum auctore nostro refert.* C

4. Hoc tempore in quodam conflictu:] *Chronicon Gemblacense, historiam hanc paulo explicatius refert his verbis*: Eodem anno, hoc est, 1327. Lodouicus Comes Flandriæ in magno apparatu armorum cõfisus, porta verbis pacificis in dolo patefacta oppidum de Cortrai intrauit, & ad forum venalium perueniens inflammauit, quod Oppidani percipientes, omni pauore posposito se defendentes obstiterunt, sed mox aduentantes Burgenses, exercitus Comitis dissipatus, hac, illac, istac, fugiens, relictis quibusdam nobilibus occisis, solus Comes Flandriæ salua vita receptus, & apud Brugiam ductus incarceratur, & ibidem per biennium & amplius in captiuitate iacuit. *Idem asseuerat Ioannes Præsbiter.* D

Meyerus ex varijs auctoribus multa refert non inutilia lectu: Anno 1327. (*inquit*) Eduardus Rex captiuus Eduardi tertij pater, per Isabellam vxorem & adulterum eius Rogerium Mortimerium necatus est in carcere, à custodibus illi datis, qua de re verba ascribam Ioannis maioris in rebus Scotiæ. Vna (inquit) nocte consilio Mortimerij cameram Eduardi ingressi sunt, & super eius ventrem magnam tabulam presserunt: postea cornu quoddam in eius fundamentum per longam distantiam imponentes, veru cupreum candens in cor-

nu inie-

A nu iniecerunt, & eius ilia combusserunt & fregerunt, vt mors non perciperetur. Proh supreme Deus, quæ traditio? quod nefas? quod piaculum nullo sæculo, nulloque supplicio expiandum? Id ausi in suum Dominum, in suum Regem, in verum denique captiuum quem penes se habebant. *Hæc Maior.*

Nec inutile puto si & Baptistæ Fulgosi adiunxero testimonium, eo ex libro in quo scribit de crudelitate vxorum in maritos. Isabella (inquit) Britannorum Regina in Gallia ad Carolum fratrem cognomẽto pulchrum visendum profecta, postea quam Eduardum tertium Regem peperisset, ortis inter virum & fratrem discordijs, in Britanniam à viro reuocata, cum sciret ei dedecora sua non ignota esse, à fratre Britannisque seditiosis adiuta, partim vi, partim dolo virum B Eduardum secundum adorta cepit, atque in carcere iussit occidi, ipsaque sub filij nomine nostrum regnum administrauit. Verum post aliquot annos deprehẽsa cum Rogerio Mortimero adultero à filio in vinculis posita est. *Hactenus ille.*

Galterus Episcopus Oxoniensis Eduardo marito (vt innuit satis Polydorus) flagitiosos Reginæ mores patefecit: postea ob eá rem ab Londinensibus decollatus: refertque idem Polydorus Mortimerum vltimis affectum pœnis ideo quod compertus esset à proditionis scelere non abesse: mendaces namque Polydorus secutus auctores, aut ipse ob honorem Reginæ mendax, crimina eius aperte non detegit. C Bucherus in sua Aquitania auctor est Isabellam ab filio Eduardo necatam fuisse in carcere, postquam ex Mortimero grauida esset facta. Mortimerum vero desectis genitalibus eius, magnoque igni in conspectu eius crematis, capite plexum, inque partes quaternas diuisum, eadem scilicet morte, qua ipse auctor Hugo Monpenserius haud diu ante perierat.

5. Anno Domini 1327. Hoyulphus in æstate:] *Idem refert Ioannes Presbiter adiectis versibus quos in exemplari manu scripto nullo modo legere potuimus.*

D *De nouis seditionibus, & varijs Episcopi missionibus ad Pontificem, Regem Galliæ, & alios, pro remedio, & de quibusdam externis.*

CAPVT XIII.

EOdem anno Leodienses decepti per quenda Petrum Andricas magistrum communitatis, qui (vel pro consanguineo se gerens Castellani Waremiæ, vel aliâ secum amicitiâ contractâ) partem suam fouebat in totum, iterum seditionem maximam excitarunt. *Petrus Andricas Magister cõmunitatis seditionem excitat.*

Iste populo suo prædicabat, quod pro libertate patriæ pugnãdum A esset, & ideo bonum esset ciuitatis destruere inimicos; cum tamen alia non esset intentio, quam suppeditare inimicos totaliter Castellani: Quo facto, & Episcopo illorum auxilio destituto, Castellanum ad suum consilium, vt prius fuerat, restituere cogeretur: vnde ad incendia domorum inimicorum Castellani, tam innocentium, quam aliorum, qui guerram faciebant ciuitati, indistinctè, populum seducebat; Ita quod circa festum Sanctorum omnium, eodem anno mansionem Domini Walteri de Mumaliâ, marescalci in Mumaliâ, combusserunt.

Seducit populum & omnes contra inimicos Castellani excitat.

Deinde, circa festum Thomæ, turrim lapideam Arnoldi de S. Ioãne, prope Warnans, fundamento suffosso, diruerunt vno pariete, remanente: domos Domini Ameliæ de Warnans, qui tamen Episcopo assistebat, quia consanguineus Castellani, dimiserunt intactas. B

Alia sedtio.

Eodem anno circa initium aduentus Domini, cum marescalcus, & dictus Arnoldus, de guerris adhuc se non intromisissent, quamuis idem Arnoldus foret Balliuus Episcopi terræ de Muhaut, & alter marescalcus eiusdem; idem marescalcus de damno suo commotus, quadam nocte socios congregauit, & summo diluculo villam quandam propè Tongris, cum Tongrensibus iunctam Leodiensibus fœdere, spoliauit.

Hoc nunciato Tongrensibus, exiuerunt marescalcum cum cæteris inuadentes; Cumque Leodienses domum Liberti militis de Villari qui nunqnam eos offenderat, combussissent, & filius eius Ioannes ob hoc se tunc eorum coniunxerat inimicis, cum per Tongrenses vna cum marescalco captus fuisset, ibidem cæteris fugientibus, in manibus capientium à suis perimitur inimicis, & marescalcus Tongris ductus vinculis coarctatur. C

Eodem anno, cum Episcopus furori multitudinis temporalibus armis resistere non valeret, ad spirituale remedium conuolans, disponit ab Ecclesiâ Romanâ subsidium flagitare: & vt Papam sibi beneuolum procuraret, scribit Regi Franciæ in hunc modum.

Episcopus meditatur subsidium flagitare à Papa. Ipsum sibi conciliat per Regẽ Franciæ.

Excellentissimo Principi, ac Domino suo speciali, Domino Carolo Deigratia Illustrissimo Francorum Nauarræque Regi, Adolphus Christi miseratione Leodiensis Episcopus, fidelis suus, crescentem semper ad quæcunque mandata promptam regia voluntatem. D

Multum derogatur Principibus si seruum, naturaliter brutale, si quidem intellectu deficiẽs, popularium genus hominum, ruptis violenter habenis, proprijs rebelle dominis præpostere sustineant principari: Nam cum in parte ceperint infructuosi palmites, & vitulamina spuria pullulare, totum perniciose agrum occupant, nisi tempestiuè diligentis agricolæ sarculo præscindantur.

Cum igitur Leodiensis populus superbia furiosa, furiaque superba, multitudine confisa semper ascendens, post plurima detestãda facinora, nunc tandem sibi confœderatis quibusdam oppidis ter-

ræ no-

A ræ nostræ, se contra Deum & Ecclesiam suam erexit, sibi quinque capitaneos eligens, quibus nuper ducibus plures vasallorum Ecclesiæ diruit funditus mansiones, Episcopalis mensæ atque Canonicorum reditus manu sacrilegâ rapiens, & suis eos stipendiarijs diuidēs, vsurpare nitatur patriæ totis viribus Principatum. Cuius præsumptionis nouitate commoti Ecclesiarum Prælati, & Principes conuicini, quasi communi vulnere in intimis grauiter sauciati, supplicatoria summo Pontifici scripta dirigunt, quatenus hic morbus incipiens fistulare, priusquam ad medullas paulatim subrepat, suæ cauterio prouidentiæ aduratur, eiusque pennis Apostolicæ potestatis forcipe detruncatis, ad Aquilonem in cæterorum perniciem Principum nequeant auolare, apud quem vestri culminis intercessio cordialis B non immeritò cæteras antecedit. Maiestatem regiam, quam semper inueni meis profectibus gratiosam, supplex deprecor & exoro, quatenus eidem super hoc preces, quæ apud ipsum inefficaces esse non possunt, dignetur mittere Celsitudo regalis; maximè cum Reges Francorum, tanquam Christianissimi, Christi & Ecclesiæ suæ causas, nedum in regno suo, sed vbilibet, consueuerint gratis fauoribus amplexari. Serenitatis vestræ regnum dilatet Omnipotens, & confirmet; mihique semper præcipiat maiestas Regia tanquam suo.

Hic Rex, sicut prædecessor suus, huic Episcopo singulis dabat annis pro beneficio parisienses mille libras, regales aureos valentes C mille sexcentos.

Carolus Rex sicut & prædecessor dat Adulpho pensionem annuam Rege dignam.

Super eodem negotio Papæ scripserunt epistolas Prælati & Principes conuicini, quas in libello epistolarum huiusmodi qui velit, poterit inuenire, quas causa breuitatis hic interserere prætermitto. Episcopus etiam & Capitulum super his, diuersas in verbis, eiusdem tamen sententiæ Papæ literas destinarunt, quibus cum literis Regis Franciæ Papa receptis, vtrique parti mittit litteras, tenorem, qui sequitur, continentes.

Prælati & Principes vicini scribunt Papæ eadē de re.

Scribunt pariter Episcopus & Capitulum.

Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis Filijs Grandisprati, & Auerbodiensis monasteriorum Abbatibus, & decano Ecclesiæ S. Gudilæ Bruxellensis, Leodiensis & Cameracensis Diœcesium, D salutem & Apostolicam benedictionem.

Responsio Papæ.

Apostolicæ seruitutis officium, quo Ecclesiarum tenemur inuigilare profectibus, & præcauere dispendijs, nos constringit, vt per nostræ sollicitudinis studium, inter Ecclesiarum præsules, eorumque capitula, quæ inter se diffident, quæue tanquam vnum corpus debēt inuicem conuenire, materiâ sublatâ discordiæ, concordia vigeat, & pax regnet, & concurrentibus votis eorum in vnum, Ecclesiarum ipsarum status continuis proficiat incrementis.

Nuper siquidem venerabilis Frater noster Adolphus Episcopus Leodiensis, necnon dilecti Filij Prælati, Canonici, & Capitulum Ecclesiæ Leodiensis, in villa Hoy Leodiensis Diœcesis residentes, nobis significare curarunt, quod olim præfatus Episcopus magistros,

Gubernatores,& Iuratos ciuitatis Leodienſis, (in quâ præfatus Epiſcopus Iuriſdictionem temporalem obtinere dignoſcitur) Excommunicationis, nec non communitatem ciuitatis eiuſdem, ipſamque ciuitatem, propter ſpoliationes, inuaſiones, occupationes, iniurias, violentias, & damna quamplurima per eoſdem magiſtros, Gubernatores, Iuratos, & Communitatem, in bonis, iuribus, honoribus, Iuriſdictionibus, & rebus eiuſdē Eccleſiæ attentata, præſumpta, notoriè ac nequiter irrogata, in ipſorum Epiſcopi & Eccleſiæ Damnum, præiudicium, & contemptum, tam Canonum quam Prouincialium & Synodalium ſtatutorum auctoritate, Interdicti ſententijs declarauit exigente iuſtitiâ, ſubiacere: ac nihilominus idem Epiſcopus in magiſtros, Gubernatores, & Iuratos Excommunicationis, & in Communitatem & Ciuitatem præfatas Interdicti ſententias occaſione huiuſmodi auctoritate ordinariâ promulgauit; quodque cū ipſi Capitulum nequirent reſiſtere obſtinatæ ac pertinaci nequitiæ magiſtrorum, Gubernatorum, Iuratorum, & Communitatis prędictorum, circa bona & iura eiuſdem Eccleſiæ defendenda, de mandato eiuſdem Epiſcopi maior & ſanior pars, imò duæ partes & amplius Canonicorum in dictâ Eccleſia tunc temporis reſidentium & Capitulum facientium in eadem, ad prædictam villam Hoy vbi tutè morari valerent, & de ipſius Eccleſiæ vtilitate tractare, ſe concorditer tranſtulerunt; paucis alijs Canonicis ex dicto Capitulo, qui ad propria commoda inhiantes cum magiſtris, Gubernatoribus, Iuratis, & communitate prædictis concurrunt, & de honore ac vtilitate Eccleſiæ prædictæ non curant, remanere in eadem Eccleſiâ, & ſe ipſius Capitulum nominare, ac prætextu denominationis eiuſmodi, Officiales in ciuitate prædictâ, necnon villis, & locis ad dictam Eccleſiam ſpectantibus, per Dominos Epiſcopum & Capitulum hactenus conſtitutos mutare & amouere, ac alios in eis de nouo ponere & conſtituere, necnon reditus & prouentus eiuſdem Eccleſiæ adminiſtrare, ac de ipſis vt Capitulum, & ſub denominatione Capituli eiuſdem Eccleſiæ diſponere temerè præſumētibus pro libitu voluntatis, in graue eiuſdem Eccleſiæ diſpendium, & dictorum Epiſcopi, Prælatorū, Canonicorum & Capituli in dictâ villa reſidentium damnum non modicum, ac præiudicium & grauamen. Quare præfati Epiſcopus, Prælati, Canonici, & Capitulum nobis humiliter ſupplicarunt, vt ſtatui & indemnitati eiuſdē Eccleſiæ prouidere ſalubriter de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui præfatam Eccleſiam Leodienſem ſyncerâ in Domino charitate complectimur, eiuſdem indemnitati conſulere, ac eidem ſuper præmiſſis de oportuno remedio prouidere volētes, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus veſtrum, per vos vel per alium ſeu alios, tam eiſdem Epiſcopo, Prælatis, Canonicis & Capitulo in villâ, quam Canonicis in Ciuitate præfatis conſiſtentibus, ex parte noſtrâ diſtrictius in virtute

A tute sanctæ obedietiæ iniungatis, vt ipsi infra duorũ mensiũ spatium post mandatũ nostrũ huiusmodi, quos eis pro peremptorio termino assignamus, cum omnibus actis, Iuribus, & munimentis eorum præmissa contingentibus, per procuratores idoneos super præmissis sufficienter instructos, non obstantibus quibuscunque appellationibus, præmissorũ occasione vel alicuius eorum, hinc inde ad Sedem Apostolicam interiectis, & quibuscunque processibus coram quibuscunque Iudicibus delegatis auctoritate literarum nostrarum extra Curiam Romanam pendentibus, (quos ex nunc ad nostrum tenore præsentium reuocamus examen) apostolico se conspectui legitimè repræsentent, super præmissis pro bono statu eiusdem Ecclesiæ ordi-
B nationem nostram & beneplacitũ audituri. Auctoritate nostrâ præfatis Canonicis in Ciuitate prædicta morántibus, sub excommunicationis pœna (quam ipsos & eorum quemlibet, si infrascriptæ inhibitioni nostræ non paruerint, cum effectu incurrere volumus ipso facto) nihilominus districtius inhibentes, ne interim de bonis & rebus alienandis, & alijs negotijs eiusdem Ecclesiæ administrandis se quomodolibet intromittant, nec Capitulum eiusdem Ecclesiæ se vocet, donec per nos aliud super præmissis fuerit ordinatum; decernentes irritum & inane, si secus contra inhibitionem eiusmodi per dictos Canonicos in eadem Ciuitate morantes contigerit attentari.

Cæterum volumus, quod præfatos Canonicos morantes in Ciuitate prædictâ eadem auctoritate, monere curetis, vt prædicta per eos
C post recessum dictorum Prælatorum, Canonicorum & Capituli in villâ prædictâ morantium, in Episcopi, & ipsorum, ac Ecclesiæ prædictorum damnum & præiudicium innouata, attentata, & ordinata infra certum ac competentem terminum, (quem ipsis ad hoc peremptoriè duxeritis præfigendum) cum effectu studeant reuocare, nisi causam rationabilem habeant, quare ad hæc minimè teneantur, ad quam allegandam coram nobis eis certum alium competentem terminum & peremptorium præfigere studeatis: non obstante, si præfatis Canonicis in dictâ Ciuitate morantibus, vel eorum aliquibus, à præfata sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excõ-
D municari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Dies vero huiusmodi præfixionum, & formam, & quicquid super præmissis duxeritis faciendum, nobis per vestras literas harum seriem continentes fideliter intimare curetis. Datum Auinioñ. 2. Kalend. Augusti, Pontificatus nostri anno 11. 1327.

Eodem anno, circa natale Domini, Carolus Rex Franciæ & Nauarræ, sicut præmisi, decessit, vxore relictâ prægnante. Tunc Philippus, filius Domini Caroli dudum Comitis de Valois, Fratris Philippi Regis Formosi, tanquã hæres proximus ad regni regimẽ est assumptus: Rex futurus, si proximior Posthumus non nascatur.

Carolus Rex Franciæ moritur.

Anno-

ANNOTATIONES. A

1. Decepti per quendam Petrum Andricas:] *Huius tragædiæ meminit quoq; Ioannes Præsbiter.*

2. Carolus Rex Franciæ & Nauarræ:] *Ioannes Præsbiter & Chronicon Gemblacense eandem historiam referunt, & Philippũ filium Caroli de Valois in regnum successisse asserunt, quia non filium, sed filiam vxor Caroli peperit.*

Rursus de alijs turbis & miranda Episcopi magnanimitate nec non eiusdem contra Leodienses rebelles victorijs.

CAPVT XIIII. B

Leodiẽses scribunt Pontifici per Ambasiatores.

APostolico tunc huiusmodi mandato à Leodiensibus iam recepto, mente consternati, vt calcata vipera virus insibilans, accusatorias, mendacij literas veneno refertas conscribi faciunt, quas nolentes, & ignaros quid contineant, in testimonium veritatis sigillare compellunt, linguas procaces in patrem, vt aspidis acuẽtes, quas vna cum alijs Episcopi literis, in denigratione honoris eius, Papæ transmittere proponebant, & electis quatuor ambasiatoribus, videlicet Domino Ioanne de Lardario milite, M. Andrea aduocato & Clerico ciuitatis, Colino de Sampsone, & Wilhelmo Tumassin datis C illis literis, quibus in magnis pecuniarum summis ciuitatem Leodiẽsem possent obligare, versus Curiam transmiserunt. Qui quadragesima tunc instante iter arripiunt, & per Flandriam tortuose vagantes, vt inimicorum insidias euitarent, per Tornacum in terram Regis Franciæ peruenerunt; sed non decepit vulpis astutia venatoris ingenium; & ecce in quodam nemore haud longè ab oppido S. Quintini in Viromandia, insidijs positis capiuntur. Huius autem fuerunt captionis auctores, strenuus miles Raso de Cantumerula monoculus, Bailliuus in Condrosio, Cono de Lonchin, Gosuinus de Gothoncourt Camerarius Episcopi, Conradus eius cocus, & quidam alij cõsanguinei marescalci captiui: qui captiuos suos per Hannoniam reducentes, vno ex eis nescio quo casu, pauperiore cæteris, in Hannonia remanente captiuo, cæteros tres in Westphaliam transmiserunt, separatos ab inuicem carceribus mancipando. His Leodienses auditis, ferinâ rabie concitati, conciues & coadiutores in bello Leodij commorantes, qui præfatis marescalci consanguineis attinebant, in compedibus alligarunt. Capitulum vero nostrum præsentiens prædictos Ambasiatores ad perniciem Ecclesiæ laborare, Decano Leodiensi Cardinali ad resistendum scribit literas, quæ sequuntur. D

Ambasiatores in itinere capiuntur.

Captionis auctores.

Tres captiuos mittunt in Westphaliam.

Quid egerint Leodienses.

Capitulum scribit literas Decano suo Cardinali Romæ agenti.

Reuerendo in Christo Patri, Domino,
Bertrando, tituli S. Mariæ in Aquiro

Diacono

A Diacono Cardinali, Capitulum Leodiensis Ecclesiæ, reuerentiam debitam, & deuotam.

Cum nullus paternum affectus vincat amorem, non est mirum si respirare cupiens calcata diutinè peculiaris deuotio filiorum singularis patris confugit ad azylum.

Ecclesiæ vestræ pressuras, Amatissime pater, toti Curiæ manifestas seriatim vobis pandere superfluum arbitramur: sed quò sit inter occupationes vestras ingenij vena diues instructior, scribimus quæ per æmulos Ecclesiæ de nouo parantur. Publicato namque mandato partibus apostolico super compromittendo in Abbatem S. Nicasij Rhemensis, vel in alios pacis & iustitiæ Zelatores, alioquin infra certum terminum Apostolico se conspectui præsentarent; ac inhibitione B factâ ne partes interim ad aliquam procedere præsumant indebitam nouitatem, Domino Leodiensi ad omnem parato pacem & compromittere, ac breuiter mandatis in omnibus apostolicis obedire; ductores Leodiensium tortuosa *genimina viperarum*, vt aures seducti populi, affecti tædio, pacem desiderantis vtique vento repleant, mēdaciter se pacem dicunt appetere, & partem Episcopi pacem nolle, licet inhibitione spretâ papali, fructus præbendarum nostrarum, ac vestræ (pater) sacrilegâ manu rapiant violenter: de guerrâ tamen, quam habent contra ipsum, nunquam nos, sicut moris est, intromiserimus, & tamen pro eo solum quod de Ciuitate recessimus spoliamur. Luc 3.

C Videat pro Deo perspicacitas mētis vestræ, qua verborū hyprocrisi tam proterua præsumptio valeat excusari. Adhuc tamen iactitant, se tanquam obediētiæ filios ad Curiam properare, non vt informent, sed infament; non vt acquiescant sed accusent; nam secum ferunt literas centum & amplius sigillis onustas, quas plerosque ciuium, & religiosorum Ciuitatis, Scabinorum, ac militum in testimoniū conceptæ fraudis compulerunt, (earum tenore tamen incognito) sigillare.

Sed illud nuper nimirum corda nostra pongitiue turbauit, quod Dominus noster Summus Pontifex magistrum Andream Promotorem totius schismatis, parum eius conditione cognitâ, dicitur commendasse. Nam sicut scribitur in rhetoricis, per testem, de quo plena D habetur confidentia, sufficiciētia capitur, etiamsi sit vnicus; quod in Principe, cui secundum conscientiam iudicare magis competit, maximè vendicat sibi locum. Eius mores & conditionem non ex inuidiâ (quam certè nullam concepimus contra ipsum, cum sit promptius eius miserijs misereri) sed ne vulpis astutia minus cognitæ facilius decipere valeat ingenium venatoris, vestræ circumspectioni duximus depingendos.

A sacerdote, & in sacerdotio genitus, sicut lucifer inuidens honoribus quibus cecidit, bigamus, vt serpens linguam acuens cōtra clerum, docet populum excommunicationem spernere, interdictum

despicere, rebellare Prælatis, Ecclesias violare, spoliare clerum, Presbyteros proscribere, sacra prophanare, pro posse suo colores quæritans quibus in fauorem ducentium, vel potius seducentium hanc choream, animos simplicium secum protrahat in errorem. A
Quapropter, Reuerendissime Pater, benignitatem vestram flexis poplitibus exoramus, quatenus oportunitate captata sanctissimum Patrem nostrum super huiusmodi dignetur vestra Paternitas informare. Conseruet statum vestrum omnipotens, cum honoris augmento.

Episcopus accusatur apud Papam. Cumque postmodum captis eorum ambassiatoribus, apud Papam super hoc Episcopum per literas diffamarent, Episcopus per Capitulum, Prælatos, ac alios, apud Papam excusationis mitti fecit literas, B tenorem, qui sequitur, continentes.

Capitulum excusat Episcopū. *Psal. 105.* *Psal. 108.* Sanctissimo &c. Audiuimus & turbati sumus, quod Canonicis & religiosis degentibus Leodij in manibus gentium traditis ita *dominati sunt eorum qui oderunt eos*, quod ad mandatum populi, Reuerendo in Christo Patri ac Domino nostro Leodiensi Episcopo, *pro eo vt ipsum diligerent parati detrahere*, ipsum asserant publicè diffamatum super captione ambassiatorum, quos præfatus populus contra ipsum ad Sedem sanctitatis vestræ (vt dicitur) destinauit, quod & vestræ beatitudini, suæ salutis immemores, vt fertur, scribere mendaciter non verentur. Nam super hoc famam nullam percipimus, nisi forte famā appellent rumorem pennatum à Rectoribus Ciuitatis procedentem, C à certis scilicet auctoribus inimicis.

Qui auctores captionis & quæ illius causa notoria. Est enim notorium toti patriæ, quod quamplures consanguinei cuiusdam militis, quem Tongrenses Leodiensium complices & fautores vinculis carceralibus detinent coarctatum, dictos ambassiatores, tanquam inimicos eorum capitales, extra territorium & Diœcesim Episcopi, longè ceperunt, & longius extra potestatem suam carceribus mancipantes protestantur publicè, quod nunquam euadent, nisi prius eorum consanguineo præfato milite liberato.

Imponunt nouitates Episcopo contra Inhibitiones pontificias quas ipsi notorie perpetrant. Imponunt prætérea Episcopo minus veraciter, quod in hoc & in alijs post inhibitiones vestras contra ipsos processerit ad indebitas nouitates, cum tamen ipsi notorie, post inhibitiones eiusmodi, Episcopalis mensæ bona rapuerint, eius villicum Leodij compedibus mancipando, ac annonam Canonicorum maioris Ecclesiæ, domosque claustrales eorum occupant, quibusdam ex eis pro carceribus abutentes, immunitatem antiquissimam nouiter violando. Quæ omnia non sine cordis amaritudine sustinet Episcopus, ne videatur in aliquo vestris iussionibus contraire. D

Quæ in his illorum intentio. *Psal. 63.* Ad hoc, vt videtur, eorum tendit intentio, vt pastore percusso facilius de grege triumphent, & defensore remoto ad ipsos transeat Ecclesiæ Principatus. Si sic surripitur, si talibus inimicis creditur, male agitur cum Prælatis. Ne igitur concussis columnis totum pariter corruat ædificium, Pater Sanctissime, *accedite* quæsumus *ad cor altum*,

tum, & oppressam diutinè deuotam filiam vastram Leodiēsem Ecclesiam libertate, *procellam eius statuentes in auram*, vt sileat fluctus eius, & Deus in hoc opere exaltetur. *Psal 29.*

His temporibus inter Comitem Flandriæ, quem Brugenses captiuū tenuerant (vt præmittitur) liberatum, & patriam suam guerra maxima est exorta. Qui Domini sui Regis Franciæ Philippi adiutorio impetrato, simul cū eo castra metatus est in vallibus de Casleto, Flandrensibus in montibus congregatis, qui descendentes quandam Regis aciem inuaserunt, quę vix ad castra fugienda regia est saluata, Rege tunc in supremo periculo existente, nisi Wilhelmus Comes Hannoniæ succurrisset eidem, qui cum sua cohorte circundando Flamingos fortiter impugnauit. Quibus à cæteris exercitibus pariter circumclusis, ex eis decies mille dicuntur fuisse perempti, ex parte Regis duobus millibus interfectis. Tunc pace factâ, datis obsidibus, tributa Flandrensium augmentantur.

Bellum inter Comitem Flandriæ & suam patriam.

Rex Franciæ in magno periculo.

Victis Flandrēsibus maiora tributa imponuntur.

Anno Domini 1328. 3. die Maij, Rex potitus victoriâ ad propria remeauit.

Hoc anno post Pascha, Leodienses literas confœderationis inter bonas villas apud Fexhe Hoyum remiserunt, quia, sicut asserebant nuncij, male seruassent eis pacta, quæ continentur in illis: Nam Fouebant Dominum contra ipsos, & malefactores, qui eorum ambassiatores ceperant, ire per villam liberè permittebant, illis se excusantibus non admissis, nuncij literas in concione coram omnibus lacerarunt, & reddentes dicebant, quod Leodienses Hoyenses habebant pro capitalibus inimicis.

Leodienses habent Hoyenses pro inimicis æquare.

Eodem anno, feria 3. post Penthecostes, 9. Calend. Iunij Leodienses cum Tongrensibus & Sanctitrudonensibus exeunt loricati, & confœderati cæteri cum vexillis, & castrum Ægidij de ceruo apud Fiez oppidani Hoyensis, qui ipsos non offenderat, funditus diruerunt. Et sequenti sextâ feriâ summo diluculo, quâ in missâ tunc oratio legitur, *Da quæsumus Ecclesiæ tuæ misericors Deus, vt spiritu sancto congregata, hostili nullatenus incursione turbetur*, Huius orationis virtus patuit manifeste; nam Leodienses, magno fastu armis correptis, Hoyum properant, incolas, *quasi folium quod vento rapitur*, abacturi: Et primo congressu suburbia versus septentrionem in loco qui Stata dicitur, impetunt, vt comburant; sed incolæ ad propugnacula festinantes, missis quibusdam ad oppidum pro succursu, interim viriliter se defendūt. His turbati Hoyenses ad arma confluunt, & statim partem montis, versus castrum vetus, ad septentrionem occupant, vt ab alto securius excipiant inimicos.

Hoyenses diruunt castrum Ægidij de ceruo apud Fiez.

Leodienses Hoyum properant.

Iob. 13.

Hoyēses ad arma confluunt.

Tunc Raso de Cantumerula strenuus miles, dum cum 15. armigeris ad inimicos illuc tenderet, obuios habuit equites 30. Leodienses cum peditibus, quibus visis calcaribus equum stimulans hasta leuata irruit in eosdem; ex quibus filius vnus Castellani Waremiæ, & quidam alij ceciderunt: sed Rasonis equus frænum despiciens, inuito

Raso de Cantumerula perimitur.

 sessore

sessore decurrens inter gartiones Leodienses infaustè se præcipitat A
cum magistro, quem ibidem subito peremerunt.

Interim se parat Episcopus, & ascenso dextrario, non sacerdotis sed Hectoris repræsentans imaginem, vel Achillis, ad montem Arbone properat, quò tendere perceperat inimicos; quem certò vidi tunc pontem lapideũ transeuntem; quo tunc momẽti, nisi 15. equites sequebantur eundem: qui reuera nunquam retrospiciens, quantum apparebat extrinsecus, omnino imperterritus in tanto periculo procedebat. Cernens autem partem suam aduersarijs imparem numero, ad montis passum, per quem plana via ducit Leodium, equo relicto miles efficitur pedester.

Episcopus imperterritus magno periculo se exponit.

Hic omen (quod, sicut supra in principio anni 13. prædixi, dum B
in aduentu primo huius nostri Pontificis equo suo se super posteriores tibias erigente, sellam exiliens pedibus erectum se recipit, reputabatur infaustum) significare reor felicitatis auspicia, quæ postmodum sibi continuatè successit: Per pedes enim significatur gloriæ latitudo: vt in psalmo, *statuisti in loco spatioso pedes meos. Fallax enim equus ad salutem* .i. superba bestialitas subditorum se decepit, quæ dum super posteriores tibias ceruicem erigens contumacem, per humiliatum in pedibus debellatur, vt in psalmo *non in fortitudine equi voluntatem habebit* .i. superbia contumaci; *neq; in tibijs viri*, &c. Audax præsumptio notatur in *tibijs*, vt ibi dicit Glossa: Et hæ *posteriores*.i. vltimæ, quia super tibias vltra frontem erigere non sunt ausi, cum per mundi latitudinem prædicetur huius gloria bellatoris. C

Fit miles pedestris.

Auspicia fœlicitatis.

Psal 30.

Psal. 32.

Psal. 146.

Hoc momento Conradus Frater Episcopi superuenit, & accinctus primo baltheo militari, Episcopo cum cæteris se coniunxit, & in illo passu cum aduersarijs cœperunt fortiter dimicare; sed & multitudo Leodiensium ascendere per decliuia montis latera nitebatur, vt nostros inuadere posset à tergo, quam pedites Hoyenses mulieribus illis lapides ministrantibus, illorum ictibus repellebant. Dum Episcopus cum suis longo spatio consertis manibus conflixisset, duobus aduersarijs, videlicet Dominis Ioanne de Haneffe, & Amelio de Bouegnistier (qui quasi duæ columnæ totum exercitũ sustentabant) pugnando viriliter interemptis, cæteri complices veluti lepores aufugerunt, per abdita nemorum latitando: quos insequentes nostri D
pedites, vt pecora trucidabant; de quibus præter captos, trecenta sunt numerata cadauera; de nostris duntaxat quinque peremptis.

Episcopus consertis manibus confligit.

Trecenti mortui præter captos.

Videns autem Episcopus motos nostrates ad cædem, misericordiâ motus, satis est, inquit, ad præsens, Deus dabit eis forsitan intellectum, vt *conuertantur & viuant*. Hanc tam solemnem victoriam per binos cursores, Papæ & Regi Franciæ Philippo, qui sequenti die 3. videlicet dominica de Trinitate Remis regali diademate coronatur, denunciat literis, quarum tenor sequitur in hæc verba.

Psal. 6.

Sanctissimo &c. nouerit vestra Sanctitas, quod hac feria 6. post Penthecostes, horâ tertiâ B. Lambertus martyr de inimicis & rebellibus

A bus Ecclesiæ vestræ Leodiensis, gloriosissimè triumphauit. Nam cum, vocatus ad parlamentum pro pace inter Regem Bohemiæ, & Ducem Brabantiæ reformandâ, præfatis rebellibus cum exercitu copioso 30. millium armatorum terram Ecclesiæ depopulantibus, illis occurri cum acie modicâ, quam ex abrupto potui adunare: *Et Deus exercituum, apud quem non est differentia in multis vincere vel in paucis* de maioribus eorum trecentos numero in manibus nostris miraculosè conclusit: Quibus in *ore cadentibus gladij*, reliqui omnes, præter captos, fugâ vitam turpissimâ redimerunt. Quod quia scio beatitudinem vestram non sine gaudio percepturam, hanc Duxi victoriam sanctitati vestræ celeriter nunciandam. 1. Reg. 14. Iud. 1.

Sequitur alia.

B Excellentissimo &c. Honorandæ Coronationi Regiæ personaliter interesse toto mentis desiderio æstuabam; nec vtique, Deo propitio, mea præsentia defuisset, nisi proditiosa contra me subditorum rebellio meæ deuotionis erga Regiæ Serenitatis excellentiam impediuisset affectum.

Nunc etenim hac 6. feriâ post Pẽthecostes, inimicis Ecclesiæ Leodiensis cum suis fautoribus plus 30. M. contra nos prodeuntibus ad bellandum, ecce quod de maioribus eorum trecenti vel circiter *in ore gladij*, diuina fauente clementia, *ceciderunt*, captis quam pluribus, reliquis terga vertentibus, qui turpis fugæ compendium cum honoris dispendio compensarunt. Et quia talis castigatio rebelliũ ad gaudium cedere Principibus creditur, & maxime Celsitudini Regiæ, quo magis interest eius bene cuncta disponi, huiusmodi miraculosam victoriam præeminentiæ vestræ, quam citius intimare curaui. Iud. 1. C

Dum sic prostratis hostibus cuncta credimus profecisse, ecce veneni vomitus anguis prosilit latentis in herba. Nam sicut calcata vipera non mansuescit, sed eo fortius acerbitatis propriæ virus insibilat, ita populus Leodiensis recenter prostratâ superbiâ continentiæ frænum abijciens, dum regi non patitur, sine remige nauigans naufragatur; & apis more, pungendo perdit aculeum: Nam feria 5. sequenti, in die videlicet viuifici Sacramenti, dum locum, quo victi fuerant, infaustè repetunt ad bellandum, plagam secundam sentiũt Pharaonis, iterum namque virga moysis triumphauit: Cuius Episcopus Papæ seriem denunciauit in hæc verba. D *Leodienses repetunt, locũ in quo victi fuerant & secũdo vincuntur.* *Exod. 20.*

Sanctissimo &c. desideria sanctitatis vestræ, quæ scio ad audiendũ de prospero statu Ecclesiæ nostræ Leodiensis ardenter attolli, continuatæ nuper eius victoriæ non patior inscia remanere.

Noueritigitur vestra fœlicitas, quod nuper feriâ 6. post Penthecosten deuictis Ecclesiæ rebellibus prælibatæ, quorum multo plures terga vertentes, qui propter eorum numerositatem à paucis capi secure non poterant, gladius peremisset, nisi sperans de Conuersione ipsorum, pietate motus prohibuissem nostros merito prouocatos ad cædem; Ijdem maledicti ex inopinato in superbiam se solitam erigẽ-

tes, adiunctis sibi Sanctitrudonis, & Tongrensis bellatoribus oppidorum, ad feriam 5. sequentem, diem videlicet Sacramenti, nostris A eundem campum bellicum, vbi pridem victi fuerant, præfixerunt. Sed audientes nostros ad arma paratos, quos terrere credebant, non confidentes, vt prius, in multitudine, metus recordatione recentis (vt creditur) dimicare timentes, exercitu diuiso ad repetendum propria singuli studia conuerterunt. Quod præsentiens Conradus Frater meus, bello præcedente militari charactere insignitus, ipsos, cum paucis equestris militiæ, per tres leucas celeri cursu persequitur, & exercitum Sanctitrudonis in campis reperit ordinatum; quo primo congressu fuga lapso, vltra centum gladio ceciderunt, & captis circa 30. ceteri fugientes, transuadendo quendam riuum, in B Castro Waremiæ proximo se saluarunt. Quare speramus in Dei misericordiâ quod illis huiusmodi *vexatio dare debeat intellectum.*

Esai 28.

Leodienses vacui pecunia abiuratam statuunt leuari firmitatem.

Tunc Leodienses, amissâ pecuniâ, quam suis Ambassiatoribus tradiderunt, & publicâ residuâ iam exhaustâ, abiuratam leuari statuunt firmitatem. Tunc plures Canonici & Præsbyteri, timentes pœnas incurrere, quæ contra dantes & leuantes eandem ab olim promulgatæ fuerunt, cum vellent à Ciuitate recedere capiuntur. Tunc Ecclesiæ secundæ, quæ Ciuitatem fugientes Hoyum venerant, Papæ scribunt literas, quæ sequuntur.

Timore excommunicationis secundariæ Ecclesiæ fugiunt Hoyum.

Scribunt Papæ

Psal. 1.

Sap. 4.

Legia dudum à lege in sui primordio nuncupata, nunc autem, vt rebus vocabulum consonet, in legis odium nomine commutato, tunc, sicut *lignum plantatum secus decursus aquarum*, suo tempore dabat fructum, nunc autem in *spuria vitulamina* perniciose degenerans, in C tantum venenosos palmites propagauit, quod iam iam, prô dolor, in pampinos, in inutilem videlicet clerum indigenam, virus pestiferum execrabiliter deriuauit. Cuius detestanda facinora, tanquam Sanctitati vestræ manifesta, & longè lateque notoria, ne tædium repetita generent, pertransimus; ad noua, & hactenus inaudita facinora querimoniam conuertentes.

Sane cum sub spe pacis in Ecclesijs nostris satis dubiè stetissemus, nuper gens perfida spolijs Reuerendi patris Domini nostri Leodiensis Episcopi & maioris Ecclesiæ non contenta, malatoutam seu gabellam, quæ vulgariter firmitas dicitur (quanquam Scabini, magistri, cæterique Rectores indicere illam perpetuis temporibus abiu- D rarunt, quamquam quilibet Canonicus, tam maioris quam secundarum Ecclesiarum in receptione suâ, impedire iuxta formam statuti super hoc promulgati, pro posse suo firmauit proprio solemniter iuramento) super vino & sale recipiendam vniuersaliter statuerũt. Quibus pauci Ecclesiarum Canonici de præfatæ gentis germine procreati, allectis quibusdam extraneis partim violentiâ partim malitiâ propriâ, partim metu, emendo vinum & sal sub malatouta prædicta delictum dissimulando, tacitè imò expressè facto consentientes, potius in præmissis excommunicationis sententiam, virtute statuti cómuni

muni

A muni consensu omnium, tam Cleri, quam Canonicorum, per bonæ memoriæ Dominum Ioannem de Flandria Leodiensem Episcopum promulgati, & reatum periurij damnabiliter incurrerunt.

Post quod quamplures clericos & Canonicos metu pœnarum huiusmodi fugæ remedium appetentes, comprehensos insidijs, rebus omnibus dicti magistri crudeliter spoliarunt: Quo territi plures Canonici in habitu religiosorum exire compulsi sunt, ne simili modo caperentur: Fecerant namque præfati Belial filij publicè proclamari, quod quicunque posset capere clericum recedentem, ipso & bonis suis, sicut captiui serui, liberè possit vti.

Grangias Ecclesiarum ciuitati vicinas, solum propter earum exitum, combusserunt: Et, quod horribilius est, sub pœnâ capitis inhi- B buerunt Præsbyteris seruantibus interdictum, ne in festo Penthecostes nuper præterito missas cantare præsumerent, nisi post festum intenderent continuè celebrare; & sic speciale festi priuilegium & miseris à Iure indultam gratiam, blasphemando turpiter abiecerũt. Et licet prædecessores nostri propter iniurias consimiles & minores, migrationem (quam pauper Ciuitas, vt pote viuens de clericis, diu sustinere non potest) olim tanquam vnico lumine & singulari remedio consueuerint se tueri; adeoque in vltimo generali recessu Cleri, cuius absentiam Ciuitas diutius ferre non poterat, factâ concordiâ (quæ pax dicitur Clericorum) restitutæ sunt Ecclesiæ libertati; In qua pace inter cætera, statutum, de quo supra fit mentio, Cle- C rus & populus communiter acceptarunt: Tamen oues morbidæ gregis nostri, quæ se præfatis inimicis Ecclesiæ coniunxerunt, præmissa dissimulant, & contra denunciationem sententiæ, quam fecit Reuerendus Pater prædictus, quasdam appellationes friuolas, conspirantes ad inuicem emiserunt. Verum quia Capellani Collegiorum, & Canonici sancti Materni, & Paruæ mensæ adhærere appellationibus eiusmodi noluerunt, ex eis quinquaginta duos Præsbyteros, per præfatos inimicos Ecclesiæ, mancipari clam carceribus procurarũt: Et propter præmissa facinora Reuerendus Pater prædictus Capitula nostra, durante discordiâ, transtulit, sicut de Capitulo maioris Ec- D clesiæ vestra Sanctitas ordinauit. Quocirca Beatitudini vestræ flexis genibus supplicamus, quatenus ad exilium deuotissimæ filiæ vestræ Leodiensis Ecclesiæ mentis aciem dirigentes, præfatis Canonicis præcipere dignemini, vt inimicos Ecclesiæ deserant, & recedant.

Dux Brabãtiæ castrum de Falcomõt frustra per mensem obsidet.

Eodem anno Dux Brabantiæ circa Principium mensis Augusti Castrum de Falcomont, per mensem & amplius, obsedit in cassum.

Leodienses nõ volẽtes aduersariorum corpora lædere se cõuertunt ad excidia domorũ.

Et eodem tempore Leodienses videntes quod aduersarios in corporibus lædere non valebant, ad suorum domorum excidia se conuertunt, & castrum de Harduemont obsidione ceperunt; custodibus se saluâ vitâ reddentibus, cum inter se rustici Custodes cum insignibus discordarent, & diruto castro secum duxêre captiuos: de Vilrouz, de Obor turres, & Castrum de Here, turrim de Landris solo

celeri-

celeriter adæquantes. A

Conqueruntur apud Regem Franciæ de Episcopo.

Et audientes Regem Franciæ nouiter coronatum (qui, dum Regina partum Fæmineum edidisset, in regnum successerat) conquerũtur eidem, quod in Regno suo Episcopus Leodiensis Ambasiatores eorum capi fecerat, & abduci. Tunc Rex Episcopo misit literas, quas inter chartulas meas quæritans, nec inueniens, hic proponebã inserere; quia facti speciem continebant: narrabant enim, qualiter iniuriam oculis non poterat conniuentibus pertransire, & quod hoc in derogationem sedis Apostolicæ factum esset; mandans Episcopo, quod malefactores sibi captos transmitteret, & ad certam diem sibi præfixam veniat ad emendam: Quibus acceptis literis, huius tenoris alias remisit eidem.

EXCELLENTISSIMO ETC. B

Excusationis verba faciliter inuenit, cuius mens obiecti criminis est ignara literis regiæ maiestatis nõ sine stupore nuper acceptis, quæ, super captione quorundam nunciorum Ciuitatis Leodiensis, infra limites regni vestri meam videntur innocentiã sugillare, quia quoad præsens responsionem plenam non expetunt, Regiæ serenitati notifico, quod ad diem mihi præfixam comparere sufficienter intẽdo, & me taliter super omnibus excusare quod meritò contentari debeat Celcitudo Regalis.

ANNOTATIONES.

1. Apostolico tunc huiusmodi mandato:] *Meminerunt huius Ioannes Præsbyter & Chronicon Gemblacense.* C

2. His tẽporibus inter Comitẽ Flãdriæ:] *Subscribit his Ioãnes Præsbyt.*

3. Eodem anno feria 3:] *Chronicon Gemblacense refert hanc historiam fere totidem quibus auctor noster verbis. Meminit & illius Ioannes Præsbyter quãuis breuiter.*

4. Tunc Leodienses amissâ pecuniâ:] *Huius meminerunt Gesta Abbatũ S. Laurentij his verbis.* In anno autem 28. adhuc durãte interdicto Leodij super venalia malatoutam dudũ ab omnibus abiuratã posuerũt. Quapropter reliqui Canonici qui in ciuitate remanserãt inde recesserũt, quod videntes Leodienses plurimos eorum spoliarunt, daturque lex quod quicumque posset capere clericum recedẽtem, bonis ipsius liberè vti posset & quinquaginta quinque Præsbyteri clam incarcerantur: prohibueruntque sub pœna capitis Præsbyteris seruantibus interdictũ, ne in festo Penthecostes missam cantare præsumerent nisi post festum intenderent continue celebrare, & multa alia inconuenientia perpetrarũt, sicut in epistola summo Põtifici per Ecclesias directa plenius continetur. D

5. Facta concordia (quæ pax clericorum dicitur) restitutæ sunt Ecclesiæ libertati:] *De hac pace diximus superiore lib. Hocsemij cap. 15. quæ dicẽda videbantur.*

6. Eodem anno Dux Brabantiæ:] *de hac obsidione & Leodiensium interea insolen-*

A *insolentijs sic loquitur Ioannes Prasbyter.* Eodem anno circa initium Augusti Ioannes Brabantiæ Dux castrum Falconis montis obsedit, quasi per mensem amplius illic sedens, nihil egit: quare Brabantiam remeauit. Circa tempus obsidionis huius castri Leodienses solo adæquarunt plures turres in confinio Hasbaniæ. *Et quæ sequuntur conformia ijs quæ auctor noster narrat. Eadem quoq; refert ferè verbotenus Chronicon Gemblacense.*

De exercitu collecto per Episcopum, bello contra Tungrenses, & concordia post sequuta cum quibusdam externis.

B

CAPVT XV.

Videns autem Episcopus, quod terra sua taliter deuastatur, anxius quærit vias, quibus aduersariorum improbitas retundatur, auxilium flagitat amicorum: Et pro suffragio, de consensu Capituli, Mechliniam obligat Comiti Geldriæ pro 12. millibus Florenorum; & diuersos nuncios ad consanguineos suos in Alemaniam destinat, obtestans eosdem, vt præfixo tempore in armis veniant ad succursum: Interim ad prouidendum exercitui, obligauit se Capitulum pro octo millibus Florenorum. *Episcopus quærit vias quibus retūdat aduersariorū improbitatem. Conuocat cōsanguineos. Conflat pecuniam.*

Adueniente vero die per Regem Episcopo assignatâ, Regi literas, C quarum tenor sequitur, cum nuncijs solemnibus destinauit. *Excusat se Episcopus apud Regem Galliæ.*

Excellentissimo Principi Domino suo Charissimo Phil. Francorum illustrissimo Regi, Adolphus de Marcka fidelis suus ad mandata se totum regia semper promptum. *Exemplar literarum.*

Literas quas rebellium Leodiensis Ecclesiæ, de venenosæ conceptionis audaciâ, importuna linguarum procacitas nuper obtinuit à vestro mihi culmine destinari; quia plurima continebant, ad singula subito respondere nequiui: nunc autem infallibilis historiam veritatis aperio Regiæ maiestati.

In territorio siquidem Leodiensis Ecclesiæ consuetudo quædam (si tamen consuetudo censeri debeat) viguit ab antiquo, quâ D terræ nobilibus fas est mouere arma, & inimicos interficere, dummodo treugas non violent, domos non effringant, à spolijs abstineant, & ab igne: In quibus, etiamsi excedant, nisi prius feudalium, aut Scabinorum iudicio conuincantur, non est Episcopo licitum capere, siue corrigere delinquentes; nec etiam in his casibus quisquam de delicto potest inquirere, nisi partis læsæ querimoniâ præcedente.

Sic igitur paulatim pruriente licentiâ patriam vniuersaliter pestis infecit, quod diuersis particularibus guerris in vnum conflatis hinc inde, non est in terra nobilis seu quisquam gentis armigeræ, quin al-

terius vel alterutrius partis extet inimicitijs inuolutus, quorum nõnulli feodales Ecclesiæ, ratione feudi, Episcopo quædam in domo, quædã extra exhibere ministeria certa tenentur: Ex quibus pauci cũ reliquis suis consanguineis, quosdã Ciues Leodienses, suos capitales inimicos (quorum nomina præfatis in literis continentur, quique domos eorum & castra nonnulla, confœderatis sibi præfatis prænotatis rebellibus, funditus euerterunt; per quos etiam marescalcus terræ Leodiensis, maior quasi generis eorum, treugis pendentibus cum alijs quibusdam, vinculis carceralibus coarctatur) se captiuasse, non tamen in finibus regni vestri, publicè protestantur. Quod, siue sit factum alibi, vel ibidem, summi tribunalis iudicem securus obtestor, quod nec de mandato, siue conniuentiâ meâ, ibi vel aliò factum istud extitit perpetratum; quin potius, si & in quantum Serenitatem contingit regiam, intimo cordis dolore cómpungar. Præsuppositis igitur supradictis quibus lumen intemeratæ veritatis assistit, cũ dicti nobiles hæc, iure suo vlciscendo suas & suorum iniurias, se fecisse proponant, & se paratos in patria stare iuri, nec accusator seu conquerens appareat ex aduerso, qui super hoc sibi petat iustitiam exhiberi, quin potius hoc despiciant, intendentes seipsos superbius vindicare; videat vestra circumspecta sublimitas, si merito dissimulationis argui debeã, aut præfatos capere nobiles incõuictos. Quod si, sic, tales mihi facultas non suppetit capiendi, aut etiam captos ab eis, quos extra potestatem meam detinent, liberandi (quod tamen vt fieret, vestræ Celsitudinis literæ continebant) multo minus ipsos nobiles possem vobis captos, præsertim extrà Imperium destinare: Super quibus me dignetur habere Regalis Clemẽtia excusatum. Quod autem adijcitur in captione præfatâ protectionem sedis Apostolicæ vilipensam, verisimile non videtur, cum dicti Ciues per Brabantiam, Flandriam, Hannoniam, & Tornacum, vt mercatores potius, tortuosè vagantes à viâ rectâ versus Romanam longe Curiam aberrarint: Quod tamen qualitercunque se habeat, super hoc apud Summum Pontificem habeor excusatus. Cum ergo ad diem mihi præfixam propter guerras; quas habeo contra tales, nequeam personaliter cõparere; tales . . . . . secreti mei conscios; & super omnibus plenius informatos, vestræ duxi præeminentiæ destinandos. Data, &c.

Quibus Rex receptis literis, & per nuncios informatus excusationes admisit; & postmodum beneficium, quod duo Reges prædecessores eius Episcopo dare consueuerant, duplicauit.

Rex admittit excusationes & duplicat pẽsionẽ Episcopi.

Interim Leodienses, omnes bannitos ad Ciuitatem reuocant, stipendiarios conducunt, domos illis Canonicorum ad inhabitandum assignant, ostia, fenestræ pariter comburuntur, plumbum canalium vitra, ferramenta, inuenta domorum supellectilia rapiuntur, viridaria destruuntur, & prædatur annona.

Leodiẽses bannitos ad Ciuitatem reuocant & stipẽdiarios conducunt.

Tunc ad procurationem Episcopi, Archiepiscopus Coloniensis & quidam alij Papæ mittunt literas in hunc modum.

San-

Sanctissimo, &c. Illos fœlices vulgare describit prouerbium, quibus ex alieno cautela periculo præparatur.

Exēplar literarū Archiepiscopi Coloniensis & aliorum ad Papam.

Quanta contra Deum & Ecclesiam impunita nequitia Leodiensium, scelera commiserit abhorrenda, tanquam notoria vestræ Sanctitati scribere superfluum arbitramur. Sed quia nuper eorum præsumpta temeritas, quâ, tanquam ad eos hæc spectaret, paucos Ecclesiæ Leodiensis Canonicos, ipsis in odium Episcopi occultè fauentes, teneri pro Capitulo decreuerunt, mandatis apostolicis se sensit illusam; vt calcata vipera virus acerbitatis suæ continere non poterant, quinimo quasi sub aleæ iactu ponentes omnia, in patriæ se Principes erigendo, proscriptos omnes de terra pro suis sceleribus vsque ad numerum ducentorum, ciuitate redditâ, reuocarunt, domos Canonicorum claustrales ad inhabitandum tradentes eisdem, Episcopalis mensæ, & præbendarum redditus Canonicorum raptos manu sacrilegâ, inter sceleratos huiusmodi, ac alios stipendiarios diuiserunt; & collecto exercitu sceleroso domos quamplures vasallorum Ecclesiæ diruerunt; quædam castra subintrantes furtiuè expulsis custodibus, eadem in perniciē Ecclesiæ munierunt. Quò tendat insania, liuor quò feratur Leodiensium feritas patefecit.

Quocirca Sanctitatem vestram supplices deprecamur, quatenus in libra rationis ponentes quæ scribimus, huic morbo nouitio, celeri prouisionis vestræ medicamine, succurratis, vt propulsis periculis quæ Leodiensis Ecclesia prælibauit, à similibus reddantur cæteræ tutiores: Alioqui quæ sperari libertas reliqua potest vlla, cum spretis taliter mandatis Apostolicis, scelus aggrauent inhibitoria post mandata: In aliquo saltem debebat ferocitatem Papalis authoritas mitigare. Nisi debita scelus hoc pœna percellat, alijs hoc exemplum de facili præbebit audaciam committendi similia vel peiora. Vestra maiestas valeat per sæcula sempiterna.

His decursis, præfixâ die, Geldriæ, Iuliacensis, de Marka, de Montibus Comites, & multi nobiles circa Horle & Alke castra metantes, cum suis exercitibus aduenerunt, quibus & Dominus de Kuc, & aliqui nobiles de Brabantiâ se iunxerunt, ad obsidionem Tongrēsium se parantes. Quorum Leodienses præsentientes aduentum, in hoc armorum industriâ non abusi, anno Domini 1328. 7. Calend. Octobris, priusquam exercitus nostri se coniungere potuissent, exercitum Comitis Geldriæ animosè nimis inuadunt; quorum Geldrenses sustinere impetum primum non valentes, terga verterunt hostibus fugiendo. Quod cum celeriter Episcopo nunciatur, quasi furibundus ascenso dextrario, vix armis aptatis corpori, cum paucis in hostes irruit, quicquid habens obuiam detruncando: Leodiensibus verò animose diu repugnantibus, tandem reuersi Geldrenses, resumptis animis, cæteris recenter accrescunt: & factâ çæde magnâ Leodiensium & Tungrensium, multo plures perijssent, nisi superuenientis noctis latibulum fugiendi remedium præbuisset. Adueniente

Multi Comites in auxiliū venīunt Episcopo.

Leodiēses inuadunt exercitū Comitis Geldriæ & fugān.

Episcopus fert opem Geldris.

Fit cædes magna Leodiensiū & Tungrensiū.

niente Hoyensi exercitu, & banno de Buillione, cum cæteris, quibus A poterat Episcopus imperare, Tongrenses obsidione vallauit. Comes verò Geldrensis cassis Episcopi precibus, noluit remanere; sed contra ius bellicum electos abduxit 80. captiuos, ab illis postmodum thesaurum immodicum extorquendo; mediātibus quibus, fuit obligatio mechliniæ dissoluta: de parte verò Gueldriæ fuit quidam strenuus nobilis interemptus. Videns autem Episcopus, quod obsidio exigat longum tractum, cum Papam satis suis literis infestasset, per dictos Comites Papæ mitti fecit literas, quæ sequuntur.

Episcopus Tungrenses obsidet Comes Gueldrēsis abducit octoginta captiuos. Obligatio Mechliniæ dissoluta. Episcopus per Comites mittit literas Papæ. Exemplar literarum.

Sanctissimo &c. Tales Comites &c.

Diutius tribulationibus Reuerendi Patris ac Domini Leodiensis Episcopi consanguinei nostri, & Ecclesiæ suæ, in intimis sauciati, ad B vltimum, oportunitate captatâ in eius venimus adiutoriū, cum quinquies mille galeatis: Et cum nuper die Dominico 7. Calend. Octobris, aduentus nostri die primâ, cum exercitus nostri vix quartâ parte castra metantes, expectaremus residuum, vt securius possemus hostibus obuiare, ecce qui nunciat Leodienses cum exercitu innumerabili aduentasse: Confisi tamen in Domino *sicut mons Syon*, sub fiducia iustitiæ, tanquam in Hierusalem habitātes, cum paucis ab initio vix quingentis in eos irruimus; & quod opus non humanum, sed omnino diuinum creditur, ex ipsis 1319. numerati, bellando nobis accrescente potentiâ, *in ore gladij ciciderunt*, captis pluribus, reliquis fugientibus turpiter more suo.

Psal. 124.

Iud. 1.

Cum igitur peruersa natio sic confusa, in fortitudine murorum & C loci difficultate confidens, adhuc ex vexatione huiusmodi habere demeruerit intellectum, & necesse sit, vt ipsis in Contumaciâ persistentibus habeat obsidio longum tractum, Paternitatem vestram cōplosis manibus supplices exoramus, quatenus ad pressuras peculiaris filiæ vestræ, vestrique deuotissimi Leodiensis Episcopi, interioris hominis oculos conuertentes, eidem, (qui causam agit, si quis rectè considerauerit, vniuersalis Ecclesiæ) temporali subsidio, absque saltem detrimento sedis Apostolicæ, succurratis, sine quo non sufficiunt exhaustæ Leodiensis Ecclesiæ facultates: Et quod vestræ Beatitudinis incumbit officio, paucos Canonicos Leodienses (à quibus D omnis iniquitas, tanquam à sanctuariò, dicitur processisse) placeat Sanctitati vestræ corrigere taliter, quod cæteris tam subdole conspirantibus transeat in exemplum. Datum.

Tunc coram Tongris sumptuosæ nimis machinæ fabricantur, quibus parant oppidum expugnare; sed Tongrenses portas suas intrinsecus terrâ & lapidibus obturarunt; Hoyenses verò iacebant in Castris totaliter otiosi, nolentes insultum facere, neque de nocte excubias aliquas agere vice suâ.

Sumptuosæ machinæ parātur ad expugnandum Tungrense oppidum.

Principes autem attædiati, festinantes, Episcopum quasi constringunt ad pacem. Et tractatu habito apud Horle, in grosso fit concordia; ita quod ordinatio Abbatis S. Nicasij rata maneret; & Leodienses

Pis concordia & quibus conditionibus.

A ſes pro iniurijs & damnis quinquaginta millia librarum Turonenſiū Epiſcopo repenſarent, & ſic receſſit Epiſcopus obſidione ſolutâ.

Actum fuit inſuper in pace prædictâ, vt ambaſſiatores Leodiēſes, qui, vt præmittitur, capti fuerant, ſolutis expenſis deberent à vinculis liberari, quod tamen propter altercationem non contigit ita citò.

Interim Dionantenſes hanc pacem (vt aſſerunt) ignorantes, villas 21. in Condroſio, & Caſtrū de Hubines, cū Eccleſia combuſſerunt.

Dionantenſes ignorātes pacē villas comburunt.

Interim etiam Comes Geldriæ de captiuis Leodienſibus exegit pecuniam valde magnam.

Tunc Leodienſes pauperes, vndè ſummam prædictam ſoluerent, non habebant, & quia populus ſe non patitur collectari, nulla ſoluendi via potuit inueniri, niſi ſuper venalibus exactio, quæ firmitas B dicitur, leuaretur. Hæc autem quia per omnes (vt dictum eſt) fuerat abiurata, diſpenſatio ſuper hoc à ſede apoſtolicâ impetratur, vt ad ſummam prædictam firmitas caperetur, quæ ſtatuitur quinquennio duratura.

Firmitas abiurata ex diſpenſatione apoſtolica conſtituitur.

Cumque poſtmodum ſuper pace apud Wihoniam concordatâ, fuiſſet diutius diſceptatum, cum propter feſtinationem fuiſſet quibuſdam obſcuritatibus inuoluta, tandem Calendis Iunij declaratur.

Ex tunc paulatim Canonici Leodiū reuertuntur anno Dñi. 1330.

Eodem anno Idibus ſeptembris, Petrus de Corbario ordinis fratrū Minorum, qui ſe Papam creari per Ludouicum Bauarum, & Cardi- C nales fecerat, & multos ſuis beneficijs, & dignitatibus priuauerat, ac alijs contulerat vbi Bauarus regnabat, venit ad miſericordiā ſpontè ſicut Papa dicebat; alijs (ſicut ſupra dixi) aſſerentibus quod coactus.

Petrus de Corbario fecit ſe creari Papam per Bauarum & quoſdam Card.

Eodem anno, in Franciâ præcipuè, & alibi vineæ ſteriles extiterunt; ita quod Ama Colonienſis de vino veteri 10. & 12. florenis vendebatur; vina verò huius terræ nihil valebant, ſed id modicum quod excreuit, erat agreſta. Annò vero 1331. & 1332. ama vini 4. florenis vendebatur: Anno verò 1333. tanta abundantia vini fuit in Franciâ, quod ama prædicta boni vini benè comparabatur pro duobus florenis cum dimidio: Annò vero 1334. vinum Rhenenſe carū fuit, ſed Francicum in foro competenti.

Vineæ ſteriles.

D

ANNOTATIONES.

1. Vidèns autem Epiſcopus quod terra ſua taliter deuaſtaretur.] *De apparatu hoc bellico Epiſcopi meminerunt quoq; Ioannes Præsbyter & Chronicon Gemblacenſe. ſicut & obligationis oppidi Mechlinienſis, & Capituli Leodienſis.*

2. Interim Leodienſes omnes bannitos:] *Chronicon Gemblacenſe totidem verbis has Leodienſium inſolentias refert, vt ſatis certum ſit ſcriptis Hocſemij in compilatione ſua vſum fuiſſe.*

3. His decurſis præfixâ die:] *Hæc quoq; totidem verbis refert idem Chronicon ſicut & magnanimitatem & dexteritatem Epiſcopi in bello gerendo.*

4. Super pace apud Wihoniam concordatâ:] *De hac pace habes ſupra cap. 12. quam non aſcribimus quia in manibus eſt omnium.*

5. Anno verò 1333:] *Hoc anno Philippus Rex Galliæ fecit pacem inter Adolphum à Marcka & Ioannem Ducem Brabantiæ, quæ habetur in volumine statutorum patriæ Leodiensis, & incipit.* Nous Philippe par la grace de Dieu Roy de France &c. *& finit.* Donné à Amiens le penultiesme iour du mois d'Aoust l'an de grace 1333. A

De seditione Petri Andricæ magistri populi, & eius punitione.

CAPVT XVI.

B

Simultas inter Petrum Andricas magistrum & notarium villæ.

ILlo anno Petrus, dictus Andricas, capitosus & eloquens, gerebat pro parte populi magistratum; quo tempore inter ipsum & notarium villæ, qui insignibus adhærebat, ortâ simultate, notarium illum cum filio suo compulit exulare, & priuari officio procurauit: Et quia talis vindicta non sufficiebat eidem, in capitulo nostro, sicut audiui, edixit publicè, quod, nisi vindicaretur aliter, peius indè valeret totum residuum ciuitatis. Quod audientes multi timere cœperunt.

Detegitur seditio.

Scabini egrediuntur Ciuitatem.

Episcopus congregat exercitum.

Anno verò sequenti, accusante quadam muliere de insignibus nata, vxore cuiusdam de populo (cui vxor, vt assolet imperabat) per maritum edoctâ, detegitur quod idem Petrus seditionem in populo procurabat; vnde à Ciuitate Scabini quidam, & quidam de Insignibus exiuerunt. Episcopus verò, sumptuoso & magno exercitu, tam de terrâ suâ, quam consanguineorum, & amicorum suorum de Brabantiâ, & terris alijs congregato, apud Vothem iuxta Leodium corã Scabinis ibidem dictum Petrum, & secum accusatos fecit ad iudiciũ euocari anno 1331. in crastino 2. Idus Maij, feria tertia ante Penthecosten: qui cum ad diem comparere non auderent auditis testibus 39. numero sententialiter abiudicantur, & honore priuantur; Qui versus Namurcum subitò persugerunt, vno solo capto, & posito supra rotam. C

Petrus Andricas cũ suis abiudicatur & honore priuatur.

Ad hæc Episcopus, postquam iam sex annis ciuitatem exiuerat, non est reuersus ad illam; sed tractatus omnes extra ciuitatem, tam cum ciuibus, quam Capitulo faciebat. Ex hoc cessauit impetus communitatis Leodiensium: vnde versus D

Annis vndenis cubicè fit Legia lenis.

ANNOTATIONES.

Andricas capitosus & eloquens:] *De seditioso hoc Andrica, eius cum confœderatis proscriptione, & vno ex eis supplicio affecto & rotæ imposito meminerunt Chronicum Gemblacense, & Ioannes Presbyter, qui inter alia fructum huius executionis*

A *tionis his verbis refert.* Cætera autem plebs vrbis ista videns magis timuit, & licet pro talibus & tantis mesta & turbata fuisset, & multa dixisset, tandem conticuit, plus obediens Episcopo, & eius iustitijs, nec non & Capitulo Leodiensi quam prius.

De querela Trudonensium contra Ducem Brabantiæ, legatione idcirco ad eum missa, & paruo eius fructu, nec non quibusdam alijs tum intraneis tum extraneis.

B

CAPVT XVII.

ET, cum tunc inter Ducem Brabantiæ & oppidum S. Trudonis dissensio mota fuisset, & Dux quendam ex eis armigerum in terra Comitis Lossensis prope S. Trudonem, quam ab Episcopo tenet in feudum, domo cumbustâ capi fecisset, & caput eius postmodum amputari, & villicus eius Thenensis pannos multos mercatorum S. Trudonis, in quadam Ecclesiâ, quà confugerant, abstulisset, illis de S. Trudone conquerentibus in Capitulo toti patriæ, ordinatur quod per duos de Canonicis maioris Ecclesiæ, duos milites, & de bonâ villâ qualibet duos ciues Dux more solito requiratur, vt ad C diem tractatus veniat, & qui forefecit emendet; alioquin Episcopus & patria sustinere non possent, quin conciues suos de S. Trudone modis omnibus adiuuarent; Cuius Legationis inter cæteros vnus fui: Et cum Ducem inuenissemus in die beati Dionysij apud Rotelaer, vbi cuidam filiæ suæ naturali nuptias celebrabat; exposito negotio nostro, Dux quia penes se suos consiliarios non habebat, in Bruxellâ nobis diem alium assignauit, & bene nos in prandio festiuauit. Cumque postmodum coram ipso, suisque Consiliarijs nostrum recitassemus iterato negotium in Bruxellâ; de multis iniurijs Sanctitrudonensium querebatur: vnde paratum se dicebat ad tractandum D cum Episcopo; sed nullo modo Sanctitrudonensibus treugas daret; nobis tamen à latere dicebatur, quod Dux nihil interim attentaret: Et licet hoc pro parte Episcopi, & patriæ, nobis non videretur honestum; considerantes tamen instantem hyemen, impromptitudinem Leodiensium ad bellandum, & Ducis potentiam, diem tractatus collegimus, facientes de necessitate virtutem.

Dissentio inter Ducem Brab. & oppidum S. Trudonis.

Capitulum & tota patria assistit Trudonensibus.

Auctor vnus legatorum ad Ducem.

Dux excipit legatos festiuo prandio.

Legati faciunt de necessitate virtutem.

Hoc tempore Dominus Robertus de Atrebato, post Regem totius regni supremus, quasdam produxit literas sigillo Comitis Atrebatensis, (qui, sicut prædixi, fuit interfectus in Flandria) & Regis (vt apparebat primâ facie) sigillatas, quibus quod, seu ex donatione Comitis Atrebatensis prædicti, siue ex pacto post mortem Comitissæ, idem Robertus deberet in dicto Comitatu succedere, continebatur:

Roberti de Atrebato falsitas.

batur. Quibus inspectis à Rege, proclamante Roberto, filius Ducis Burgundiæ, Frater Reginæ Franciæ, & Comes Atrebatensis ad iudicium euocatur; Et quia nunquam de hoc auditum fuerat, suspectum hoc ab omnibus habebatur. At Reginâ pro Fratre suo nocturnis apud Regem otijs insistente, Rex inducitur ad perscrutandum attentius veritatem: Et vocato Roberto coram regni Paribus, & causarũ regionis auditoribus, ab ipso quæritur, an in iudicio illis literis vti velit; qui communicato consilio suorum, respondit, quod eis vti vellet pro talibus, quales essent; quia ipsas non procurauerat sigillari, sed ab alio sibi præsentatæ fuerunt; & sic amplius suspicionis materia cumulatur. Tandem examinatione legitimâ præcedente, iam dictas literas iudices pronunciant esse falsas. Denique cum *nihil sit occultum, quod non quandoq; reueletur*, ad Regis peruenit auditum, quod quædam mulier nobilis & formosa, quæ fuerat M. Theodorici Comitissæ Atrebatẽsis Consiliarij, & totius eius Gubernatoris concubina, prælibatas literas fabricasset; quam cum Rex captiuasset, promisit eidem, quod si de hoc facto veritatem diceret, remitteret sibi pœnam. Tunc illa confessa fuisse dicitur coram Rege, quod cum præfatus M. Theodoricus, qui postmodum fuit Episcopus Atrebatensis, multas haberet penes se literas diuersorum contractuum, sigillo Regis & dicti Comitis Atrebatensis in Flandria mortui sigillatas; quibus sigillis ingeniosè subtractis, eadem nouis literis ad voluntatem iam dicti Roberti confectis, ipsa subtilius applicauit. Cum crine namque quodam liquore peruncto, sigillum inter ceram secabat, & chartam; & tunc caudæ literæ sigilli partes applicans, ab vna parte liquescentes igniculo reiungebat; & ne hoc finxisse videretur, subtilitatem hanc coram Rege pluries dicitur ostendisse.

Quomodo deprehensa. *Rex inducitur ad scrutandam veritatem.* *Luc. 8.* *Mulier nobilis accusatur fabricasse falsitatem.* *Confitetur factum & complicẽ Robertũ.*

A B C

Interim maior contra sæpedictum Robertum fertur exorta suspicio, quod & regi ac fratri suo, necnon & filio venena parauerat; quod præfata mulier se procurasse confessa postmodum dicitur in tormẽtis: Et sic, quæ pœnam ex promisso Regis primam euaserat, ex alio capite secundam subijt capitalem. Tunc idem Robertus ad iudicium euocatur, sed ab amico præmonitus dedit fugam: qui tunc ad Brabãtiam se transtulit apud Ducem. Cui, cum Rex mandasset, ne in terrâ suâ eius reciperet inimicum, tantum idem suis donis effecerat, quod vacui Regis nuncij sunt reuersi.

Alia & maior suspicio contra illam & illum. *Mulieris confessio.* *Illa decapitatur. Ille fugit ad Ducem Brabantiæ.*

D

Hac occasione, annuente Rege Francorum, Rex Bohemiæ, Archiepiscopus Coloniensis, Episcopus Leodiensis, Comes Geldriæ, Comes Iuliacensis frater Archiepiscopi supradicti, Comes Barrensis, dicti Ducis in tertio gradu cõsanguineus, Comes de Eu. Conestabliarius Franciæ, Comes Namurcensis, Comes Lossensis, Dominus Ioannes de Beaumont Frater Comitis Hannoniæ, Dominus de Falcomont, & plures alij Ducem Brabantiæ vnanimiter diffidarunt: Comes Barrensis & Conestabliarius, ex illâ causâ quod Dux Regem ipsorum Dominum offendisset: cæteri omnes, quod Dux in bonis

Multi Principes inter quos Episcopus Leodiensis diffidãt Ducem Brab. *Et quibus ex causis.*

corum

A eorũ, Iuribus, & Iurisdictionibus suis iniuriabatur eisdem; qui omnes, excepto Archiepiscopo, & Comite Barrensi, apud Fexhe villá Episcopi, cum bonarum villarum consilio, tractatu habito, cum multitudine armatorum Hannutum villam Ducis, cum quibusdam alijs circumiacentibus, combusserunt anno Domini 1332. 9. Calend. Maij. Dominica verò sequenti scilicet 6. Calend. Maij, quâ tunc, *Quasimodo* in Ecclesia cantabatur, Episcopus tunc primum Ciuitatem, quam iam lapso septennio non intrauerat, comitatus præfatis Principibus, per portam S. Walburgis, obuiante sibi Clero cum crucibus & vexillis processionaliter, est ingressus. Qui descendens in Capellâ S. Walburgis, cum processione pergit ad Ecclesiam Pontificalibus infulatus; & exercitum à Ciuitate postulans, quem petijt, impetrauit.

Hannutum villa Ducis comburitur.

Episcopus Ciuitatem quam toto septennio nõ intrauerat, ingreditur.

B Quartâ verò die mensis Maij subsequente, præfati Principes, adiuncto sibi Barrensi Comite, Leodium reuertuntur; & sextâ die mensis eiusdem, armato coram eis aduocato Hasbaniæ, vt moris est, solemniter sub coronâ, & standardo sibi porrecto, Leodio exercitũ eduxerunt. Qui per octo dies in terrâ Ducis castra metantes, vsque ad montem S. Wiberti, & vsque ad Geldoniam citra Iaceam villas plurimas incenderunt, suburbijs Geldoniæ pro parte perustis; Duce apud Helenchines Monasterium cum totâ suâ potentiâ residente; vbi plures ex vtraque parte nouiter accincti sunt baltheo militari. Sed cum cadente iugiter pluuiâ, equis luto & frigore fatigatis, lentè bellatoribus victualia sequerentur, ad procurationem Comitis Hannoniæ, vsque ad finem quindenæ post festum B. Ioannis tunc instantis, treugis compositis, satis tamen Episcopo renitente, in die B. Seruatij ad propria reuertuntur. Dux verò Brabantiæ, qui præcedenti tempore filium suum, & hæredem, filiæ Comitis Hannoniæ Wilhelmi, & vxoris suæ sororis Regis Franciæ desponsauerat, sub magnis pœnis hinc inde promisso, quod adueniente pubertatis tẽpore sponsalia matrimonio firmarentur, Rege Franciæ solutis huiusmodi spõsalibus inordinatâ voluntate filiæ suæ Ducis filium iungi matrimonialiter postulante negauerat (*f. Dux*) aduersarios metuens; vt fauorem Regis, quem Dominum Robertum receptando, & matrimonium denegando perdiderat, obediendo recuperet, petitas concedit nuptias, ipsum Robertum à suis districtibus abigendo.

Petit à Ciuitate exercitum & obtinet.

Egreditur de more & ingressus terram Ducis plurimas villas incẽdit.

Componuntur treugæ renitente satis Episcopo.

Dux Brabãtiæ inconstans.

D Tunc dictus Robertus clam recipitur à consanguineo Comite Namurcensi. Rex verò, vocatis coram se partibus supradictis, pacem pronunciauit inter ipsos firmiter obseruandam; & de quinquaginta quinque articulis, quos Episcopus Leodiensis ediderat, solum pronunciauit, quod interdictis latis in terra Ducis ab Episcopo relaxatis, Dux illis satisfaceret, ad quorum instantiam lata erant, quodque Dux illis de Sanctotrudone restitueret illa, quibus ab ipso fuerant spoliati, & quod Episcopus in terrâ Ducis more solito spirituali Iurisdictione pacificè vteretur, suadens quod super residuis se pacificare studerent, assignans diem partibus in Camerաco,

Rex vocatis partibus pacẽ pronũciat sup aliquot tantũ articulis.

Pronũciaturus de reliquis in Natiuitate Domini futura.

circa mensem Maij anno sequenti, vbi se de negotio plenius informaret, pronunciaturus de reliquis in natiuitate Domini futurâ: Quâ tunc primum sunt in hac Diœcesi anni Domini augmentati, videlicet 1334. cum secundum antiquam consuetudinem scribi 1333. debuisset, vt in huius libelli proœmio prænotaui. A

Principes non contentantur.

Post hæc Principes malè contentati recedunt, cernentes quod Rex genero pepercisset. Contulit tamen ibidem Rex Archiepiscopo, Comiti Fratri suo, & Geldriæ Comiti, eorum cuilibet centies mille Regales, quâ pactione nescitur, nisi quod dicebatur illos velle secum ducere pro recuperatione terræ sanctæ, quia crucem fecit postmodũ prædicari: Ego verò, ex his, quæ præmisi, credo quod illis mediantibus aliquid circa Imperium agere intendebat.

Rex repetit à Namurcensibus Robertum falsarium Alioquin Rex & Episcopus Leodiensis eos diffidant.

B Deinde Rex Franciæ Legatos mittit cum Episcopo Leodiensi ad Namurcenses, requirendo quatenus Dominum Robertum traderent, & locum tenentes Comitis, qui tunc absens erat, alioquin ipsos Rex, & Leodiensis Episcopus diffidabant: qui negantes ipsum ibi fore, patientiam præstant ipsum vbilibet perquirendi; locum tenẽtes vero captiuitatem Episcopi vsque ad certum terminum intrauerunt; & deinceps, quo Robertus deuenerit, ignoratur.

Dux Brabãtiæ affectat Diœceses Leodiẽsem & Cameracẽsem.

Interim Dux ambassiatores miserat ad sedem apostolicam cum literis Reginæ, magnisque muneribus, sperans defalcatis Leodiensi & Cameracensi Diœcesibus, de suis terris omnibus nouam Diœcesim fieri, & in ipsa Episcopum impetrare. Contra quos mittit Episcopus & Ecclesia cum literis Regis, qui multum propter sua grata seruitia fauebat Episcopo, assistẽtibus etiam Cardinalibus, alijsque Prælatis in Curiâ residẽtibus, qui omnes dignitates pingues in ambabus, Leodiensi scilicet & Cameracensi Ecclesijs obtinebant: Brabantini *scrutantes scrutinio defecerunt*: Cumque die præfixâ Cameraci Rex præfatus non venisset, misso pro se Atrebatensi Episcopo, qui propter affinitatem inter Regem & Ducem, vt præmittitur, de nouo contractam plus iusto fauebat eidem, nihil fecit, nisi quod datis inquisitoribus super quantitate damnorum, & quæstionibus hinc inde, ad propria repedauit. C

Brabãtini scrutantes deficiũt. Psal. 43.

ANNOTATIONES.

1. Et cum inter Ducem Brabantiæ:] *Dissentionem hanc Ducis Brabantiæ & Trudonensium explicatius refert Ioannes Presbyter his verbis*: Quidam armiger dictus Robertus de Glumes pro quodam forefacto fugiens Dominũ suum Ducem exiens à Brabantiâ venit apud S. Trudonem, qui in dicto oppido oppidanus receptus, institutus est loco Aduocati. Cũ autem alter vir profugus à Brabantia multum à Duce exosus eius oppidanus factus in dicto oppido maneret, Dux mandauit Roberto, si dictum virum ei reddere valeret, quod omne forefactum, ratione cuius à terrâ suâ exierat, quittaret & ei amicus deinceps efficeretur. Quare cum dictus Robertus dictũ hominem clã Duci reddidisset, fecit D

cit

A cit Dux sibi amputari caput. Quo audito in S. Trudone, mox seditio plebis insurgit in Robertum, sed non audens ipsam præstolari fugit in Brabantiam. Trudonenses autem fecerunt ipsum Robertum à suis Scabinis proscribi. Quod Robertus Duci est conquestus, qui mandauit Scabinis, vt proscriptionem in Robertum factam reuocarent, & recusantes hoc agere Dux despecte habuit. Quare mox fauit ipsi Roberto exitus & reditus Brabantiæ. Robertus igitur ex refugis Brabantiæ securus, quibusdam sodalibus secum acceptis, quasi quotidie super Trudonenses prædatus est, eis multa damna faciens. Accidit a item cum quodam die in circuitu S. Trudonis prędatus esset, & prędando quosdam oppidanos occidisset, clamor in oppido factus est & ecce Trudonenses cum armis & vexillis à suâ villâ exeuntes, ipsum
B Robertum vsque villam de Liewis insecuti sunt, in qua mox cum sua complice ab oppidanis est receptus. Quod Trudonenses percipientes dixerunt hoc factum esse ipsorum de Liewis cum malefactores infra suos muros recepissent. Quare mox ex suis securibus & ascijs, licijs de Liewis sciscis in S. Trudonem sunt regressi. Quod factum Dux intelligens mox etiam memoriæ reducens, pacem annis præteritis inter Trudonẽses & illos de Liewis hoc modo factã, quod quicumque ipsorum prius pacem infringeret, incideret in pœnam sex milium marcharum parti aduersæ quæ pacem teneret, quam pœnam Dux à Trudonensibus repetebat, sed è conuerso Trudonenses dicebant illos de Liewis in dictam pœnam incurrisse, quia prius pacem
C infregerant sustinendo satellites & Vespiliones cũ spolijs super suos oppidanos prædatis. Requirebant ergo Trudonenses auxilium Episcopi & bonarũ villarum totius Episcopatus. Adolphus verò Episcopus dicens Trudonenses habere ius, sustinebat partem eorum, parui pendens verba Ducis, dicens ipso audiente, quod Trudonensium rationem, vt eorum Dominus, cum eis defenderet. *Hactenus Ioãnes Prasbyter.*

2. Hoc tempore Dominus Robertus de Atrebato;] *De falsitate huius Roberti, illius fuga, & receptione per Ducem Brabantiæ, indeq́; bello subsecuto agunt conformiter Ioannes Prasbyter, Chronicon Gemblacense, & alij recentiores.*

D 3. Dux verò Brabantiæ:] *De inconstantia Ducis, de dissimulatione Regis Galliæ, & alijs hoc capite narratis faciunt pariter mentionem Ioannes Prasbyter & iam dictum Chronicon.*

4. Qua tum primum in Diœcesi Leodiensi:] *Consonat Chronicon magnum Belgicum. Sic enim scribit.* Anno Domini 1334. constitutum est Leodij vt incarnatio deinceps renouetur in Natiuitate Christi, cum ante in vigiliâ paschæ consueuerit ibi mutari.

A & quasi per atomos monetæ diminutionem, nunquam diu in valore pristino perseuerat, alioquin parum lucrarentur suo Iudicio Principes Fabricãdo monetam, vnde paulisper de pondere syncopant, vel æs miscendo vilius numisma deprauant.

Et quia quælibet prouincia *in suo sensu noscitur abundare* (dist. 76. cap. penult.) quot prouinciæ tot sunt monetæ, pondera, seu mensuræ: vnde doctorum Iuris, aut grammaticæ circa mensuras, pondera, seu monetas priscorum esse nequit vera descriptio, sed est æquiuoca seu verbalis: *Quot prouinciæ, tot sunt monetæ, pondera seu mensuræ.*

Hac occasione huius monetæ verum pondus auri puri designare curabo, vt, quia summâ maximâ est alienata Mechlinia, eius pretij B certa prope definitio maneat in æternum: & idem de modio, & frumenti pretio, quia de his feci, cum supra scriberem de magna caristia, mentionem.

Sicut dicunt physici siue medici, inter omnia naturalia corpora, quibus possit in diuersis mundi partibus & perpetuo ponderis nota quantitas designari, hordei grano nihil aptius reperitur: Igitur in prouinciâ nostrâ Coloniensi, vncia 20. sterlingos ponderat, sterlingus 36. vel circiter, hordei grossi grana, siue speltæ, quæ apud nos cõmunior est, & quasi æquè ponderans, ad cuiusmodi grana sterlingi pondus æquaui: octo verò vnciæ marcham adæquant, sed & Marcha C quinquaginta quinque, pondus prædictorum regalium æquipendit: quinque verò floreni de Florentiâ in valore regalibus quatuor sunt æquales, Ergo septingenta & 20. grana, vnciæ huiusmodi comparãtur; & (sicut iam tetigi) nec est illa æqualis vnciæ medicorum, quæ vix quingentis granis æquatur. Ex dimidio verò modio speltæ detractâ paleâ. i. frumenti, 120. fiunt excusso surfure panes albi, ponderante quolibet marchas duas. *Ad certam ponderis quantitatem designandam grano hordei nil aptius reperitur.*

ANNOTATIONES.

Comite verò Flandrensi in Cameraco tunc præsente, consiliarij Leodiensis Episcopi:] *Causam venditionis oppidi Mechliniensis facta Comiti* D *Flandriæ per Episcopum & Capitulum Leodiense Ioannes Prasbiter & Cronicon Gemblacense particularius recensent. Sic enim scribit dictum Chronicon:* Circa idẽ tempus cum Mechlinienses plus fauerent Duci Brabãtiæ quam Episcopo Leodiensi, qui in eadem pertinaciâ permanserant ab Henrico Gelrensi Episcopo vsque ad hoc tempus, ita quod in omnibus causis siue bonis siue malis, quas Episcopus habebat agere contra Ducem, semper erat pro parte Ducis; & cum nec adulationibus neque promissis vellent ad verum propositum reuerti, quin semper inciderent in labem infidelitatis, Adolphus Episcopus & Capitulum Leodiense considerantes si Mechlinia esset à Duce separata, quod Dux non haberet tãtum posse resistere contra Leodienses, si suâ industriâ aliqua tempora valerent contra eos insurgere; quare vendiderunt dictum

Dominium Mechliniæ Comiti Flandriæ centum mille florenis auri signatis signaculo agni. Insuper cum aduocatia eiusdem villæ deuenisset filiæ Comitis Gelrensis ratione cuiusdam matrimonij, nec possent ex ea pro Duce gaudere, dictam aduocatiam etiam dicto Comiti vendidit: Venditâ itaque Mechliniâ cum aduocatiâ eodem anno prædicto circa festum B. Remigij Comes Flādriæ recepit iam in feudum ab Episcopo & Ecclesia B. Lamberti cum duobus Castellarijs videlicet Grimon & quodam alio adiacente vltra Mechliniam secus mare, quæ sui prædecessores Comites, prout ille recognouit, tenuerunt ab antiquo tempore à B. Lamberto in feudum. Quod Mechlinienses ęgrè ferentes cum nollent se tradere Dominio Comitis Flādriæ, acquisierunt Ducem & bonas villas Brabantiæ pro sua parte: Quare nūcios seu iustitias Mechliniæ à dicto Comite transmissos, ciues à sua villa expulerunt. Qua de causa eodem anno circa aduentum Domini Ioannes Rex Bohemiæ, Archiepiscopus Coloniensis, Episcopus Leodiensis, Comites Flandriæ, Suessionis, Namurcensis, Hannoniensis, Lossensis, Gelrensis, Iuliacensis D. de Falcomonte & alij quamplures conuenerunt Valencenis, & tactis sacro sanctis simul iurauerunt, se pro posse Brabantiæ Duci nocituros, nec pacem vnum sine altero vnquam facturos. *Hactenus nominati auctores.*

De renouatione fœderis quod Episcopus cum multis Principibus ante pepigerat contra Ducem Brabantiæ, de bellis inde secutis, & amicabili tandem concordia.

CAPVT XVIII.

COmes verò Flandriæ, qui anno præcedenti, tanquam consanguineus & confœderatus Duci, contra Episcopum & suos complices Ducem fouerat, requirit ab illo, vt contra Mechlinienses, tanquam recusantes admittere, præstaret auxilium & fauorem: Dux verò, cui displicebat iste contractus (ex eo quod Mechlinienses cum eo, contra quoslibet, & contra Dominum suum Leodiensem Episcopum rebellando bellare consueuerant) post multa verborum subterfugia se cum Mechliniensibus fœderauit, quod Comes sentiēs diffidauit eundem. Principes verò, qui, sicut prædixi, contra Ducem fœdus inierant, excepto Barrensi Comite & Conestabliario, dolentes quod maiestas regia minus benè se gesserat arbitrando, nec sperantes, quod in futuro termino natiuitatis Domini secus ageret, adiuncto sibi prælibato Comite Wilhelmo infesto Duci, quia pacta sponsalia de filio suo fecerat irrita, cum Comite Flandrensi coniurationem renouant contra Ducem; & demum transacto natiuitatis Domini

Duci Brabātiæ non placet contractus Episcopi cum Comite Flandriæ. Principes renouant fœdus.

A Domini prædicto termino, videlicet anno Domini 1334. (quo sicut prætactum est, tunc primum annos augere dominicos inceperunt) sicut iam dicti præsumpserant Principes, Rex nihil arbitrãdo statuit, Ducem vnanimiter diffidarunt.

Circa finem verò Ianuarij Dominus Conradus Frater Episcopi cũ Sanctitrudonensibus villam Landenes quam Dux munierat, inuadit, & habito duro conflictu pars Ducis vincitur, interfecto milite solo & paucis alijs circa 25. captis, villa crematur. *Conradus frater Episcopi villam de Landen capit & exurit.*

Eodem tempore gentes Comitis Flandriæ monasteriũ Afflighem Cameracensis Diœcesis, quod Dux munierat, præter Ecclesiam combusserunt. *Gentes Comitis Flandriæ comburunt Afflighem.*

B Deinde mense februario, apud Alke quædam turma Ducis pergẽtes easdam ex improuiso inuasa fugatur, ibidem capto Domino de Crauendonck, & paucis alijs. *D. de Crauendonck capitur.*

Ecclesiam de Afflighem reliquam, quia de summo turris in foro de Aloste castri Comitis, quid ageretur spectari poterat, destruxerunt.

In die verò B. Petri ad cathedram, Principes confœderati ad tractãdum simul Aquisgrani pariter conuenerunt: Quâ die Rex mittit ad illos Archiepiscopum Auxitanum, & Abbatem S. Nicasij Rhemensis, vt pacem, vel saltem treugas aliquas procurarent. Illi verò treugas denegant; sed petitiones suas scripto tradunt, quas si Dux adimplere voluerit, dicunt, quod ad finem terræ suæ versus Sanctumtrudonem C veniat tunc futurâ Dominicâ, quâ, *lætare*, cantatur, 3. Idus Martij, vbi vocato Comite Flandriæ, qui tunc aberat, conuenirent: Interim tamen cœptum prosequi non cessarent. *Confœderati Rege Gallo instante cõueniũt Aquisgrani. Dãt petitiones suas scripto.*

Interea gens Comitis Flandriæ, contra stipendiarios Ducis, Comitem Barrensem Ducis consanguineum, & suos complices, infauste pugnauit; vbi de suis centum & duo de melioribus capti sunt, paucis admodum interemptis: ditatis namque Burgensibus, & depauperatis militibus, & scutiferis, & numero diminutis, contra consuetudinem pristinam Dux supplementum de stipendiarijs faciebat. *Nec cessant cœptum persequi. Comes Flãdriæ infauste pugnat.*

Eo tempore Visetum firmatur portis ligneis, asseribus & fossatis. *Visetum firmatur portis.*

D Interea Comes Iuliacensis castrum Ducis de Rode peroptimum, obsidione machinisque coarctat, vt deditionem spondeat, nisi Dux obsidionem dissolueret infra 15. dies, quorum terminus erat 5. Idus martij, sextâ scilicet feriâ, solis ortu. Præcedenti verò die martis, Dux per Traiectum transit mosam, intendens succurrere castro suo, castraque metatus in monte Galopiæ loco fortissimo, Dominum de Steine Capitaneum castri de Cittart; quod armis contra Dominum de Falkenborg Dux obtinuerat, ad se vocat: Plebs verò castri antiquo fauens Domino & timens obsidionem Comitis Geldriæ, quam parauerat, reuertenti capitaneo claudit portas. *Comes Iuliacẽsis obsidet castrum Ducis de Rode. Dux nititur succurrere. Vocat ad se D. de Stenne.*

Dux verò cernens, quod contra spem communitates Ciuitatis & oppidorum iuuarent Episcopum, & exiuerant cum eodem, cuius contra-

A Principes mandatis vestris non obediant, sicut de plerisque ciuitatibus contigit Lombardiæ. Videte si quò nunc apostolica viget obediẽtia, cœperit cótumacia pullulare, quam facile vsque ad Bauarum repserit, qui cum 14. Episcopis, & eorum Ciuitatibus sibi subditis, vestro tempore multis annis in schismate perseuerat. Sãcte Pater mihi credite: Rigor iste non expedit, etiamsi liceret.

Postmodum in camerâ Papæ, Duci fauentes hanc ligam contra Regem Franciæ in fauorem Roberti Atrebatensis esse paratam, alijs hoc refellentibus, asserebant, quia Rex fuerat in eadem: Cui ex aduerso responsum est, illam ligam fuisse per Regis arbitrium terminatam: Ad quod iterum respondetur de hoc non fuisse compromissum, nec potestatem habuit relaxare laicus iuramenta.

Sæpe rigor non expedit etiamsi liceat.

B Tãdem ordinatũ est, quod duo Ambassiatores mitterẽtur ad partes, cum magnâ potestate compellendi per censurãEcclesiasticã, treugas indicendi, & relaxandi pariter iuramenta: Commissum tamen eis extitit, vt cauentes à scandalo, potestate non vterẽntur in totum, nisi quantum eorum discretioni videbitur expedire.

Ambassiatores mittuntur cum potestate compellẽdi ad Treugas absque scãdalo

Circa diem octauam dicti mensis, venerunt nuncij Ducis ad Curiã, visitando quos fautores nouerant Cardinales: Istos adhuc Domini Papæ nuncios expectamus. Ordinatis verò treugis vsque ad octauã penthecostes, adiectum est, quod tertiâ Dominicâ post pascha ambæ partes coram nuncijs Regis Franciæ veniant Cameraci, inter ipsos de concordia tractaturis.

Nuncij Ducis veniunt ad Romanam Curiã.

C Quinta verò feria post pascha Dux stipendiarios suos pro parte licentiat, & captiuos Flandrenses, fide recepta de reuertendo in termino, relaxauit: appropinquante verò termino Rex volens tractatui personaliter interesse, loco Cameraci assignat Nouiomum, vbi partes ad Regis præsentiam, & præfati Papæ, quos expectauimus, nuncij conuenerunt; & cum in vanum ibidem plus diebus 15. laborassent, præfatis Papæ nuncijs nullâ suâ tunc vtentibus potestate, treugæ vsque ad finem mensis vnius, post festum B. Ioannis, vlterius producuntur.

Tunc nuncijs Regis Angliæ, Regem Franciæ apud Syluanectum expectantibus, illuc Rege properãte, ipsum quidam de alligatis Principibus comitantur.

Treugæ producuntur.

D Finaliter verò per Regem dies præfigitur Ambianis, vbi tunc præsente Rege, qui venit ibi in vigiliâ Laurentij, per dies 23. diuersis tractatibus habitis inter partes, tandem compositione amicabili concordãtur. Ita quod Dux dare promisit Regi Bohemiæ 160. millia Regalium; Archiepiscopo Coloniensi, 35. millia Regalium: Episcopo Leodiensi 30. millia florenorum; Comiti Iuliacensi tantundem; & Comiti Geldriæ 60. millia Regalium; Comiti Lossensi 18. millia: & Fratribus de Falcomonte, quam Patri eorum abstulerat, restituit totam terram.

Fit tandem amicabilis concordia.

Dux mulctatur in summas ingentes.

Promisit insuper, quod nisi probare potuerit quod Sanctitrudonenses,

donenses, seu Episcopus eorum nomine, quętassent ei damna, pro 250. libris grossorum Turonensium, quos 10 uerat eis, tunc damna 22. millium florenorum ipsis soluere teneretur; & super hoc Rex Ioannem de Aqua Bailliuum de Insula, misit inquirere veritatem. A

Rex autem 23. die, postquam Ambianis aduenerat, arbitratus est inter partes; inter ipsas pronuncians bonam pacem.

Rex cogit Comitem Flādriæ vt ponat Mechliniā in manibus suis.

Comitem verò Flandriæ nimis ad hoc coëgit, quod poneret Mechliniam in manibus suis: Tunc Rex misit ibidem Dominum Ferricum de Pikegny, vt vice Regis ad tempus regeret locum illum.

Eodem anno, 2. nonas Decemb. Dominico die, in die B. Barbaræ virginis Ioannes Papa 22. in Domino requieuit: & vacauit sedes dies sedecim; & eodem anno in vigilia B. Thomæ apostoli Iacobus presbyter Cardinalis, ordinis Cysterciensis in Papam concorditer est electus, in Auinione, vbi curia residebat. B

Ioannes 22 Papa moritur.

Anno verò Domini 1335. 15. die Ianuarij Dominica post Epiphaniam idem Iacobus, Benedictus 12. consecratur ibidem.

ANNOTATIONES.

Principes verò, qui, sicut prædixi, contra Ducem fœdus inierant:] *De noua hac confœderatione Principum & bello contra Ducem Brabantiæ subsecuto, paulo explicatius scribit Ioannes Præsbyter & post illum Chronicon Gemblacense, quorum verba non inutile visum est, hoc loco attexere.* Anno igitur à Natiuitate Domini 1334. circa Epiphaniam Domini per certos nuncios prænominati Principes diffisi sunt Ducē Brabantiæ, & Dux eos. Quo facto posteà breui tempore Comes Flandriæ intrans cum manu validâ in terram Ducis quasdam villas igne combussit. Quod factum Dux intelligens omnes villas quas dictus Comes habebat trans Bruxellam inter duas aquas igne & ferro deleuit vsque Alustum & Teneramundam. C

His diebus Rex Boëmiæ terram Lymburgensem inuasit comburens in ea nonnullas villas.

Sed & Bailliuus Condrosij ad mandatum Episcopi ad quasdam villas de terra Lemburgensi secus Nadren existentes, videlicet ad Capellam, & ad aliam secus eam cum magnâ societate nobilium secessit. D

Comes similitèr Iuliacensis obsedit castrum de Rode.

Episcopus Leodiensis tunc in sancto Trudone posuit suas munitiones ex quibus & alibi anno Domini prædicto 20. die mensis Ianuarij, scilicet ipsô die sanctorum Fabiani & Sebastiani accepta militia ipso abeunte directa apud Landres in Brabantia, quæ cum non esset munita defensoribus, eadem die est à nostris assalta, capta, & deprædata, ac combusta, hominibus aliquibus captis, reliqui fugerunt.

Quædam militia ad numerum quingentorum à Comite Flandrēsi trans-

ſi transmiſſa in Brabantiam venit, vt incendia & homicidia faceret,
A ſed occurrente illis Duce Barrenſi cum ſuis, adiunctis ſibi nonnullis Brabantionibus, illic infauſte pugnatum eſt. Tandem Flandrenſibus dorſa vertentibus quædam pars eorum occiditur, quædam capitur, & reliqua fugatur. Et ita quilibet Principum ſimul in partibus ſuis quibus Brabantiam attingebant iuxta condictum deprædationes & incendia agebant, vt Dux tot aduerſitatibus ſibi in tam diuerſis locis obuiare non poſſet.

Interea ergo Comite Iuliacenſi caſtrum de Rode cum ſuis obſidione vallante, machiniſque coarctante, cuſtodes caſtri coacti ſunt ſpōdere reddere ſibi caſtrum poſt menſem, niſi Dux intra hunc terminū diſſolueret obſidionem. Cum verò Dux ad diem ſibi præfixam cum
B ingenti comitatu tam peditum quam equitum ornato omni genere armorum per Traiectum moſam tranſit, ſuccurrere volens caſtro ſuo, caſtraque metatus in monte Galopiæ loco fortiſſimo, Dominum de Steyne capitaneum caſtri de Zittart, quod armis contra Dominum de Walkenborch Dux acquiſiuerat, ad ſe vocat. Plebs verò caſtri antiquo Domino fauens, & timens obſidionem partis aduerſæ, reuertenti capitaneo claudit portas.

Miſſis itaque Dux nuncijs inuitat eos vt exeant, & omnes querelas, quas multis annis contra eum mouiſſent, illo die enumeraret, ſed aduerſarij oblatam à Duce pugnam in planis cautè repudiant, mandantes eidem ſi poſſet veniat, & ipſos, vt ſuis promiſerat, ab ob-
C ſidione repellat, qui magnis foſſis ſe in circuitu cinxerant inter quos cum Comite Iuliacenſi prædicto erant: Rex Boëmiæ, exercitus Archiepiſcopi Colonienſis, Comites Gelriæ, Loſſenſis, Sueſſionis, Namurcenſis, cum Guidone & Philippo eius fratribus, & hæredes Falconimontis.

Dum verò Dux audiſſet hanc reſponſionem indignatus eſt valde, & die ſequenti, hoc eſt vndecimo die Martij, pro tunc, feria ſexta, propria repetit terram Comitis Loſſenſis concremando, ac ingentē ex ea prædam ſecum abducendo, caſtrum ergo Rodenſe Comiti Iuliacenſi traditur.

D In craſtinum Principes Traiectum obſederunt; Epiſcopus enim Traiectenſis infeſtus erat, ex eò quod Ducem pacificè tranſire permiſerat & armatum, ſed per aliquos intermedios Epiſcopo pacificati ſunt, quare exercitus Epiſcopi ſexto die poſt à die obſidionis ad propria recedit.

Inter hoc autem interuallum temporis, quo noſtri ſedebant ante Traiectum venerunt Nuncij Regis Franciæ, videlicet Rex Nauarræ Comes de Stampes ambo cōſanguinei ipſius Ducis, Comes quoq; de Aliſœn, ad confœderatos pro treugis petendis inter eos & Dominum Ducem. Qui polliciti ſunt vſquæ ad feſtum B. Ioannis Baptiſtæ proximo venturum conditione tali, vt omnia in eo ſtatu manerent quo tunc erant.

Interea verò confœderati ad mandatum Regis Franciæ circa festum B. Ioannis Baptistæ secesserunt apud Cameracum, vbi Rex cũ esset præsens tractauit de pace inter eos & Ducem. A

Quæ pax fuit reformata pecuniâ mediante, quam Dux coram Rege se obligauit persoluere Regi Boëmiæ, Episcopo Leodiensi & Comiti Iuliacensi. Ita quod Comitis Hannoniæ filius Guilhelmus in matrimonio coniungeretur Ioannæ filiæ Ducis Brabantiæ. Item filius Comitis Iuliacensis duceret alteram filiam eiusdem, Filia Comitis Gelriæ in maritum haberet Hèricum filium prænominati Ducis. Ibi reddidit Dux Comiti Iuliacẽsi & hæredi Falconismontis hæreditates, quas eis abstulerat, & ob hoc Rex Boemiæ Heeres, Episcopus Leodiensis Turrim de Hanuto, Comes Iuliacẽsis Rœde, & quoddam aliud castrum, quod vi saisiuerat reddiderunt Duci. Rex autem B Franciæ de Mechliniâ nil egit sed in ore suo adhuc pacificè retinuit. *Hactenus Ioannes Præsbyter & Chronicon Gemblacense.*

De dissentionibus inter Episcopum & Ecclesias primariam & secundarias & docta informatione auctoris pro iuribus Ecclesiarum.

CAPVT XX.

C

Quidam capit nobilem virũ Lodouicum de Lovvernal in terra Episcopi, de mandato Regis.

EOdem anno, sabbatho sextâ die Maij, quidã seruiẽs Regis Fräciæ, nobilem virum Ludouicum de Louernal, Canonicum Ecclesiæ sancti Albani Namurcensis, de mandato dicti Regis (vt per ipsius patentes literas apparebat) cepit in terra Episcopi, & in eius castro de Muha quinque diebus tenuit captiuatum: Quod cum sensissent amici captiui (inter quos ego) conuocatis Ecclesijs Leodiensibus, & ab ipsis petito consilio super hac insolitâ nouitate, consensu omnium pedetentim accessimus ad Dominum Episcopum, ipsum super facto tali de seipso conquerentes eidem.

Causa captiuitatis D. de Lovvernal.

Erat autem causa captiuitatis huiusmodi, quod Rex inponebat eidem Ludouico, quod apud se Dominum Robertum de Atrebato inimicum Regis, de quo dictum est superius, occultaret. Cumque requisiuissemus Dominum nostrum prædictum ex parte maioris & omnium Ecclesiarum Leodiensium, vt sine difficultate dictum Ludouicum protinus liberaret, alioquin Ecclesias contra ipsum procedere oporteret, tanquam contra violatorem Ecclesiasticæ libertatis captiuum statim a vinculis liberauit. D

Ecclesiæ minãtur Episcopo.

Dissentio inter Episcopum & Capitulum & quare.

Et cum requireremus ipsum, vt electionem factam de Domino Winrico electo in Abbatem Monasterij Stabulensis, non absque cõsilio capituli confirmaret; respondit quod iam confirmasset eandẽ; vnde inter Episcopum & Capitulum alia dissentio est exorta.

Nam

A Nam his diebus, vacante præpositura Ecclesiæ S. Bartholomæi Leodiensis, extra gremium Ecclesiæ nostræ Alexandrum de Fleron, Ecclesiæ S. Ioannis Canonicum præbendatum, & sub expectatione prebendæ nostrum concanonicum, Canonici S. Bartholomæi prædicti, contra priuilegia Ecclesiæ nostræ, in Ecclesiæ suæ Præpositum eligere præsumpserunt; quia omnes Ecclesiarum Leodiensium, & aliarum quarundam Præpositi assumi de Ecclesiæ nostræ gremio cõsueuerunt; nec de gremio dici possunt, qui de consuetudine, tanquã non præbendati, vocem non habent in Capitulo. Idem Alexander electionem suam nobis more solito præsentauit, requirens vt eandem Episcopo remitteremus confirmandam vel infirmandam, sicut hactenus in talibus factum fuit.

Alia dissensionis causa.

Præpositi debent assumi ex gremio Ecclesiæ S. Lamberti.

B Capitulum verò timens veri similiter, ne dictam electionem Episcopus confirmaret, quia tempore electionis apud dictos decanum & Capitulum preces fuderat pro eodem, ipsam electionem remittere recusauit: Sed scripsit Episcopo, quod electionem ipsam cum consilio ipsius Capituli hoc negocium perageret & pertractaret iuxta canonicas sanctiones: Hinc inter Episcopum & Capitulum dissensio est exorta. Dicebat namq; quod Capitulum semper tales electiones confirmandas, vel infirmandas Episcopis solis remittere consueuit, & sic hoc contra Capitulum se asseritpræscripsisse. Capitulum verò sentiens se grauatum per confirmationem prædictam, appellare decreuit: Et cum videret Episcopus Capitulũ ad appellandũ in promptu, C considerans Abbatis periculum, capitulo scripsit apertas literas continentes, quod, per dictam confirmationem Abbatis, ipsi Capitulo præiudicare non intendebat, quia electio seu prouisio Abbatis, ex cõmissione monachorum, per Episcopum in ipso Capitulo, nullo nostrum contradicente, fuerat celebrata; & volebat expresse quod hæc confirmatio neutri partium præiudicaret in iure; annuens etiã, quod de Iurisperitorum consilio hæc dissensio sopiatur.

Episcopus mitigat confirmationẽ Abbatis Stabulensis à se factam.

Denique dictus Alexander, postquam per plures menses tacuisset, iterum petit ab Episcopo, vt eius electionem confirmare dignetur: Episcopus verò suorum consilio, & Alexandri fauore deceptus, respondit quod ipsam confirmare nolebat. Alexander verò à denegatione D iustitiæ ad sedem Coloniensem, quam sibi sciebat esse propitiã appellauit; & Episcopus non sine rubore, apostolos in continenti dimissorios sibi dedit.

Episcopus negat confirmationem.

Alexander appellat.

Episcopus dat dimissorios apostolos.

Tunc Capitulum in intimis sanciatum, decreuit, vt super iniuriâ conueniatur Episcopus, & reprehendatur; & super hoc ordinatam materiam recolligi; adueniente tamen Episcopo, ex causâ me oportuit absentare, ita quod non dixi impositum mihi verbum. Hic tamen inserere mihi placuit quod concepi.

Capitulum ordinat vt conueniatur Episcopus.

Doctæ informatio auctoris pro iuribus primariæ Ecclesiæ Secũdariorum, contra Episcopum.

Pater & Dñe Reuerẽde, scitis quod scriptum est, *Sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis, Ecclesiastici 32.* Et alibi, *Væ soli, quia si ceciderit non est qui subleuet eum, Ecclesiastæ 4.*

Hac de causâ Deus omnipotens, exemplo suo volens imperitiam hominum informare, in creatione primi hominis, æterni verbi & spiritus sancti consilium aduocauit, cum dixit, *Faciamus hominem* &c. *Genesios 1.* & non dixit, *Faciam.* A

Sic in lege veteri, Moyses, consilio soceri sui Ietro, *elegit sibi viros prudẽtes*, quorum consilio populi negotia tractarentur, *Exodi 18.* hinc *Rex Nabuchodonosor vocauit omnes maiores natu, & habuit cum eis mysterium consilij sui. Iudith 2.* Sic Assuerus Rex *interrogauit sapientes, qui ex more regio semper ei adhærebant, & eorum cuncta faciebat consilio, scientium leges ac iura maiorum, Hester 1.* Hoc modo cuncti Principes veteris testamenti negotia disponebant.

In nouo quoque testamento Christus (qui solus erat omnipotens vnitâ sibi deitate) *cuius omnis actio nostra est instructio* (*2. q. 1. cap. Deus omnipotens, & 10. de Electione, cap. Significasti*) ad prædicandum Euangelium discipulorum suorum ministerio vtebatur: vnde suscitaturus *Lazarũ ligatum institis per quosdam de discipulis solui iussit, Ioannis 11.* B

Inde Romani Principes cum consilio suorum procerum leges, & cætera regni negotia peragere consueuerunt: Quidam etiam Imperatores Romani leguntur vxorum suarum sanum adhibuisse consilium.

His omnibus exemplis processit, quod in Ecclesiâ Dei Papa consilio Fratrum suorum Cardinalium, qui proceres, sapientes, maiores natu semper sibi sunt adhærentes, negotia cuncta disponit.

Ad cuius instar irrefragabili lege noscitur esse statutum, vt Episcopi cum consilio suorum fratrum, scilicet Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ, electiones prælatorum, & cætera maiora pertractare negotia teneantur: non autem *consilio Acitophel*; qui frater irruens interpretatur, quasi ab extrinseco veniens, cuius proditione Dauid cũ exercitu perijsset, nisi consilio Chusi, qui interpretatur secretum silentium, siue arcanum, aut profunditas, infatuari consilium Achitophel, diuinâ volente iustitiâ, procurasset. C

2. Reg. 16.

Reuerende Pater, Concanonici vestri sunt maiores natu inter omnes, ad quos non minus spectat vestra salus, quam ad vos ipsum, cum vos, vt caput, vna cum ipsis, vt membris, vnum corpus mysticum faciatis. Est & vxor vestra, quam (*vt 7. q. 1. cap. sicut alterius*) desponsastis, Ecclesia, à quâ. i. à cuius (*63. distinct. cap. 1.*) personis, ex quibus constituitur, non à parietibus & tecto, potius quam ab extraneis consilium petere debuistis. Quale consilium vobis extranei dederint, vos ipse videritis, denegando iustitiam Alexandro prædicto, dantes eidem causam legitimam appellãdi, Reuerendos eidem Apostolos largiendo, qui, secundum doctores, dari nequeunt absque rubore; quorum etiam consiliatorum consilio fatemini vos deceptum. D

Insuper, cum propter Ecclesiæ Leodiẽsis diuersa negotia, Episcopi frequenter abesse consueuerint, & sic occurrente multoties confir-

A mationis negotio ad tractandum pariter (prout iure cautum est) ad Capitulum quandoque non poterant Episcopi commode conuenire, in signum reseruationis iuris Capituli, primò consueuerunt electiones Prælatorum Capitulo præsentari, quas Capitulum quasi delegãdo ius suum, vice qualibet confirmandas vel infirmandas Episcopo remittebat. Cum verò nuper electionem de personâ dicti Alexandri taliter qualiter celebratam, vobis nollemus ex causâ remittere, sed electionis merita examinare nobiscum, præscriptionem contrà nos prætendere voluistis; asserentes, quod sicut Electiones eiusmodi vobis hactenus, & prædecessoribus vestris remisimus, ita deinceps remittere teneamur. Quod quam longè à veritatis tramite deuiet, patet rationibus quæ sequuntur; quas ad cautelam successorum nostrorum, B si fortè quæstio similis oriatur, vt iuris & facti memoria sit in promptu, dignum Duxi huic opusculo inserendas.

Rationes pro nostro capitulo.

Episcopus Leodiensis dicit se præscripsisse de consuetudine antiquâ, quod electiones Prælatorum omnium confirmare possit, & peragere, & pertractare causas huiusmodi Electionum, sine consilio Capituli sui, contra statuta canonum; quia nunquam, nec ipse, aut prædecessores, cum consilio Capituli sui, talia tractauerunt, sed Capitulum suum semper electiones huiusmodi sibi remittebat, confirmãdas per ipsum, vel infirmandas; vt dicit.

Capitulum è contrario dicit, quod actus ille per solum Episcopũ, C impræscriptibilis est de Iure; & dato, quod & si præscribi posset, non tamen præscripsit, quia illa quæ ad præscriptionem requiruntur non interuenerunt.

Plus dicit Capitulum, quod ipsum Capitulum præscripsit legitimè contrà Episcopum, quod etiam sine expresso Capituli sui consensu sibi literatoriè facto, aliquem prælatum confirmare non possit; sed oportet quod Capitulum huiusmodi confirmãdum prius admittat, quantum in ipso est.

Quod autem Episcopus præscribere non possit, quin in maioribus negotijs, qualis est confirmatio prælatorum, debeat requirere con-D silium capituli sui, & cum ipsis pertractare, sic probo. Imperator, qui super omnes est, humanum dicit, vt maiora negotia cum proceribus, & Senatoribus suis tractentur; & non aliter habeantur rata: Si ergo hoc faceret sine consilio eorum, hoc esset inhumanum, *Cod. de legibus & constitutionibus Principum, lege humanum.* Quod inhumanum est, hoc est brutale, & inhonestum, & contra bonos mores, & pessimum, vt probat Philosophus in fine proœmij politicorum. Quæ autem fiunt contra bonos mores, impossibilia reputantur. *ff. de conditionibus institutionum, lege filius qui fuit:* Si impossibilia, ergo impræscriptibilia de iure, quia præscriptio de iure procedit contra desides, & sui Iuris cõtemptores, vt odiosæ exceptiones, *Cod. de annali exceptione &c. lege finali in fine.* Sequitur ergo, quod impossibile est de iure, non est introductũ à iure.

à iure, ergo impræscriptibile: Et Imperator requirit consiliũ à spõsâ suâ; *In autentica vt Iudices sine quoquo suffragio fiant §. hac autem omnia, Collatione 11. & 7. q. 1. cap. sicut vir, & cap. Si quis alterius.* Præterea dicit Tullius de boni & mali fine libro 3. omnia officia eo referri oportet, vt adipiscantur principia naturæ: vnde sicut videmus aliquod corpus naturale compositum ex partibus, quarum vna est caput, alia manus, pedes &c. ita sunt corpora artificialia, quæ constant partibus integralibus, vt domus ex fundamento, parietibus, & tecto; corpus Ecclesiæ ex capite Episcopo, & Canonicis suis. *ff. de vsucapionib. l. rerum mixtura*; sed in corpore naturali quamdiu subsistit, nũquam caput à membris recedit; sed omnia simul ad conseruationem sui pariter operãtur, vnde dicit Boëtius *3. de consolatione Philos. prosa 11.* quæ incipit, Assentior inquam quod vnicuique consentaneum est, id vnumquod que conseruat; sicut ea quæ sunt inimica corrũpunt. Ita similiter debet esse in corpore Ecclesiæ, cuius Episcopus est caput, capitulũ eius membra: sicut Christus est caput Ecclesiæ vniuersalis, & vxoris, iuxta Apostolum *ad Ephesios 6.* & Papa similiter, *distinct. 12. cap. non decet*: vnde Gaufridus Imolensis. B

Nil proprio facit arbitrio, licet omnia possit,
Consilium prudens sæpe minoris habet.
Sufficiat quamuis immenso prouidus orbi,
Vult tamen externo dogmate Papa regi.

In autenticâ de Ecclesiasticis titulis, &c. circa Principium, collatione 9. Tit. de his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli, cap. nouit, in principio 3. decret. Ergo turpe est, si caput tentat à membris recedere *12. distinct. ca. 1.* & turpis omnis Pars suo vniuerso non congruens, *8. distinct. cap. quæ contra mores*: Et secundum philosophum Ciuis determinatur per participare in iudicio & Principatu, *Politicorum 3 cap. his autem, & infrà cap, habet autem*: vbi etiam legitur sic, Ecclesia omnium taliũ domina est; equidem in Ecclesia quidam participant, & consiliantur, & iudicant: Ergo solum caput Ecclesiæ non faciet hoc sine membris; Restat igitur eo, quod est consiliari, & iudicare, participare ipsos: Hæc ille. Si igitur per hoc determinantur ciues, si hoc eis licere aufertur, desinunt esse ciues. Idem est in proposito nostro. Et dicit Salomon *in Ecclesiaste cap. 4.* væ soli, quia si ceciderit &c. *10. de testamentis cap. 2. monachi*: Et alibi. Omnia fac cum consilio & non pœnitebis, *Ecclesiastici 32.* vnde Christus ministerio discipulorum vti voluit, in soluendo Lazarum, *Ioannis 11. ante finem*; cum tamen solus potuisset; volens nos instruere, quia omnis Christi actio nostra est instructio vel lectio, *nota de consecratione, distinct. 1. cap. solemnitates 2. exemplum ad quod 2. q. 1. cap. Deus omnipotens.* Ergo Episcopus nihil solus debet facere; nam quod à pluribus quæritur, facilius inuenitur, *Cod. de fidei commiss: lege vltimâ. ad finem; 20. dist. cap. de quibus; Tit. de officio & potestate Iudicis delegati, cap. prudentiam, 1. decretorum.* Ergo omissis membris, ab extraneis, consilium mendicare, hone-

A honeſtati Epiſcopali non congruit; & ſanctorum patrum inſtitutionibus aduerſatur, vt expreſſum eſt *citato capite nouit, de his, quæ fiunt à Prelat.* &c. ſi ergo ſit inhoneſtum hoc facere & contrà naturam, ac etiam contra bonos mores, vt probatum eſt, ergo nec honeſtum eſt hoc velle præſcribere; quia cum prohibetur aliquid fieri, prohibentur & ea, per quæ peruenitur ad iſtud prohibitũ *.ff. de ſponſalibus l. oratio.* vnde notat Hoſtienſis in dicto cap. nouit, honeſtius eſſe, quod Epiſcopus vtatur cõſilio ſuorũ, quos tangit negotium, & qui nutriti ſunt in Eccleſiâ, quia præſumitur quod melius ſciant conſulere & vtilius, *Tit. de teſtamentis cap. cum in officijs 3. decretalium*: nec extraneis competit alterius regni arcana ſcrutari, *Cod. de commercijs & mercatoribus, lege mercatores.* vnde dicit quod præſcribi non poteſt talis cõſuetudo. Nec

B obſtat quod hanc ſententiam Hoſtienſis ſugillari dicunt Archidiaconus & Ioannes Andreæ *per cap. non eſt. Tit. de conſuetudine, 6. decret*: quia verum eſt, quoad caſum, de quo loquitur, ſcilicet de correctione clericorũ; quam præſcribere poteſt, quia difficile eſſet ad ſingulas correctiones ad Capitulum recurrere. Ergo quantum ad alia, quæ de Iure requirunt conſilium Capituli, hæc ſententia manet intacta, quia ſi hoc in alijs Papa voluiſſet corrigere, ita & de illis expreſſiſſet, *Tit de decimis, c. ad audientiam 3. decret.* & hoc innuit verbum ſugillare, quod idem eſt quod minuere vel deturpare, vt nota *ff. de in ius vocando lege ſed etſi. §. prætor, & ff. de doli mali exceptione, l. apud Celſum §. aduerſus: tit. de elect. c. fundamenta §. proinde 6. dec.* & ſic innuit Archidiaconus quod

C *ca. non eſt,* diminuit de ſententia Hoſtienſis, qui indiſtinctè dixit præſcribi non poſſe conſiliũ, cum tamen in corrigendo ſtatuatur, aut declaretur præſcribi poſſe in correctione clericorum. Eſt & alia ratio diuerſitatis euidens, vt ibi notat Archidiaconus, quia ad Epiſcopum propriè ſpectat punitio, peccantium & cognitio *2. q. 7. cap.* Si quis Epiſcopus, cum gloſſa ſua, ſuper verbo alibi *16. q. 2. cap. viſis, in fine: & 3. decret: tit. de officio Archipræsbyteri cap. ultimo in fine cum ſimilibus.* Sed certè alienare non eſt proprium Epiſcopi, ſed conſeruare proprietatem, quod eſt eius contrarium, & acquirere; nam & hoc iurare tenetur Epiſcopus; ſecundum quod notat Hoſtienſis, *tit. de iureiur. 2. dec. c. Ego, ad finem.* Quantum ad iuramentũ nota Archidiaconũ, pro & contra, *in Roſa. 27. diſt. c de Syracuſana*: quid plura? notat Ioannes Andreæ in

D Clementina de rebus Eccleſiæ non alienan: Super verbo, Conſentiẽte, in fine dicẽs, non credo hoc præſcriptibile, quod etiã in caſu licitò alienet Prælatus ſine conſenſu Capituli, vt ſcripſi *de dona Paſtor. in fine.* Ad quod facit finis huius capit. ſcilicet *in Clem. c. 2.* & quod plus eſt doctores intelligunt illam decretalem, non eſt, loqui in minoribus clericis corrigendis, non de Abbatibus & maioribus, in quibus intacta manet ſententia ſupradicta: & facit pro hac opinione quod notat Archidiacon. *tit. de Electione, cap. finali, 6. decret.* vbi tenet confirmationes eiuſmodi eſſe nullas ipſo iure; nec excipit aliquid de cõſuetudine ſeu præſcriptione obſtante. Secundum punctum: dato ſine præiudicio,

quod punctum istud sit præscriptibile, quod tamen Episcopus non præscripsit, sic probatur vnâ viâ sumptâ ex parte intendentis præscribere; aliâ ex parte illius, contra quem intenditur. Prima sic patet, Sine possessione præscriptio non procedit, sicut nec vsucapio, *tit. de regulis iuris cap. 3. 6. decretal. ff. de vsucapione l. sine possessione*: Sed Episcopus noster ius confirmandi solus nunquam possedit, vel quasi possedit, ergo nunquam præscripsit. Maiorem sic probo: possessio vel quasi, sine animo non acquiritur, sicut nec amittitur; vt si quis rem ponat in manu dormientis, licet corpore contingat, non tamen possidet *ff. de acquirenda possessione l. 1. §. Furiosus*: Sed si Episcopus diceret se possidere vel quasi per solum ius istud confirmandi prælatos, non crederetur sibi, quod diceret contra honestatem & decentiam suam, vt supra probatum est, nec esset audiendus volens hoc probare: Ergo præscribere nō potuit. Prætereà ad hoc, quod aliquis acquirere possit quasi possessionē iuris, oportet quod iure suo faciat, nō facturus si prohiberetur: vnde si millesies trāsiuerim per fundū vicini mei, non aliā allegans causam, nisi quod sic iui à tempore à quo memoria non existit, quotidie, possessionem non acquisiui, quin prohiberi possim, nec habeo interdictum contra prohibentem *ff. de itinere, actuq; priuato l. finali*: non curreret enim præscriptio per euntem, donec prohibitus in contradictorio iudicio obtinuerit; tunc enim demum inciperet currere præscriptio contra patientem, vt ibi. Secunda via ex parte eius, contra quem intenditur præscribere, sic patet, Sicut possessio non acquiritur sine animo, sic nec amittitur multò fortius, vt probatum est; nam solo animo retinetur possessio, licet non acquiratur, nisi corpore & animo simul *ff. de acquirenda possessione l. clam possidere, in fine*: Ergo quamdiu possideo, contra me non præscribitur rationibus antedictis. Sed Capitulum remittendo confirmationes sibi primo præsentatas Episcopo, gratiam faciebat sibi, ne à communibus negotijs retractus compelleretur ad Capitulum venire confirmationū negotia cum Capitulo tractaturus: Non ergo videbatur Capitulum velle deserere possessionem iuris tractandi talia negotia, quando sibi placeret, cum potius causa curialitatis & familiaritatis hæc fecisse videatur *ff. de acquirenda possessione l. qui iure familiaritatis*. vnde notat Hostiensis post Innocentium *in de causa possessionis c. cum Ecclesia Sutrina*, quod si Episcopus in domo alterius Episcopi millesies hospitetur, nō præscribit propter hoc, quod iure possit hoc facere, vel miles in domo militis: *tit. de emptione & venditione c 1. t. decretal.* Præterea, remittendo Episcopo vices suas quantum spectabat ad Capitulum, non videtur possessionem suam deseruisse, sed potius per hoc conseruasse *ff. de acquirendâ possessione l. quod meo*: vnde si Episcopus vniuersitatem causarum Officiali semper committere consueuit, propter hoc non potest dicere Officialis quod præscripserit contra Episcopum, quin in propriâ personâ cognoscere possit, si vellet. Præterea, præscriptio non currit nisi præscribens habeat bonam fidem

A fidem, ſicut nec vſucapio, quantocunque tempore vſus fuerit, *in Inſtitut. de vſucapion: in principio, & §. quod autem tit. de præſcriptionibus cap. 1. Epiſcopum 6. decretalium.* Sed Epiſcopus bonam fidem nunquam habere potuit ſi voluit præſcribere contra honeſtatem ſuam, & contra iura, vt probatum eſt, quia malæ fidei poſſeſſor probatur, qui aliquid contra legum interdicta mercatur, *vt Cod. de agricolis & Cen. l. quemmadmodum, in fine.* Plus dico, licet ſecundum quoſdam Epiſcopus cum conſilio, ſine conſenſu tamen Capituli, de iure confirmare poſſet; hoc poſito, ſed non conceſſo, quod Capitulum præſcripſit cõtra Epiſcopum, quod ſine conſenſu expreſſo capituli Epiſcopus nullum Prælatum poterit confirmare: Cum enim ante edictum ſuper confirmatione facienda electio primò ſemper fuerat Capitulo præſenta-
B ta & admiſſa per Capitulum, & hoc Epiſcopus in literis confirmatorijs inſerere conſueuerit, quod electionem talem præſentatam Capitulo, & per ipſum Capitulum quantum in eo eſt admiſſam, ex talibus Capitulum acquiſiſſe videtur titulum præſcribendi. Notat etiam Hoſtienſis *in cap. Ea noſcitur.* licet Epiſcopus præſcribere non poſſit, quin cum conſilio ſuo debeat electiones confirmare, quia non debet prœmium præſcriptionis acquirere pro quo pœnam meretur, ſcilicet ſi faciat ſine conſilio, *vt tit. de electione .c. ne pro defectu, in fine 1. Dec:* Tamen Capitulum præſcribere poteſt, ne petat conſilium ab Epiſcopo, quia plures ſunt, & habere conſilium ad inuicem poſſunt, ſed Epiſcopus ſolus eſt homo, & ſic indiget conſilio, vt ſupra dictum
C eſt.

De pace inter Domum de Avvans & de VVaroux mirabili modo inita, & quibuſdam alijs.

CAPVT XXI.

EOdem anno ſcilicet 1335. feria 3. 15. die Maij, pronunciata eſt pax inter progenioſos patriæ Leodienſis.

D Mirabile dictu, Cum domus de Awans, & de Waroux, annis amplius 38. ſe ad inuicem cruentis cædibus fatigaſſent, quibus paulatim inuoluti ſunt cæteri; & ad concordiam duci non poſſent, tandem Capitulo & bonis villis procurantibus, ordinatum eſt per Epiſcopum & Capitulum, aſtipulantibus bonis villis, quod quicunque alium interficiat moriatur, abuſu guerrandi ſublato. *Capitulum & bonæ villæ tollunt abuſum bellandi.*

Quod videntes partes ad inuicem inimicæ, timentes inutili ſibi libertate priuari, abſque mediatore concurrunt, pacem ad inuicem confirmando, Electis hinc inde 12. perſonis, qui de interfectis ab vtraque parte ſatisfactiones mutuo compenſarent. Qui quidem 12. apud S. Laurentium intrantes in principio quadrageſimæ, non exi- *Mirabilis ratio ineundæ pacis.*

turi donec perficerent inchoatum; quorum ordinatio dicta Maij 15. A die publicatur.

Eodem anno mense Septembri Comes Flandriæ partem pignorum suorum, quæ pro 20. millibus Regalium fuerant obligata, redemit, inter quæ fuit vna corona 16. millibus Regalium æstimata.

Visetum muris lapideis clauditur versus Mosam.

Hoc anno visetũ muris lapideis clauditur versus mosam: Et speltæ modius, qui parum vltra dimidium florenum vendi potuit ante messes, instantis augusti tempore, propter pluuiam bladis vndique putrefactis, circa natiuitatem Domini vendebatur pretio triplicato; noui bladi vix tribus pro vno veteris æstimatis.

Sarcofagi ærei tres pro tot Episcopis.

Hoc anno facti sunt tres noui Sarcofagi ærei tribus Episcopis superponendi: vnum Domino Ioanni de Enghien; alterum Domino Adolpho de Waldege; tertium pro transferendo Domino Ioanne B de Apia apud vallem S. Lamberti sepulto; quod monachi sustinere noluerunt; & sic tumba remansit vacua cum falsâ superscriptione 10. annis, vsque ad ad mortem Domini Adolphi de Marka, qui inibi sepelitur, vt infra suo loco patebit, & scripsi in his Gestis Pontificũ loco suo.

ANNOTATIONES.

Eodem anno scilicet 1335. feria 3. 15. die Maij:] *De hac pace loquitur hoc pacto Ioannes Præsbyter.* In eodem anno Domini prædicto in die magnæ quadragesimæ, duodecim homines electi ex vtraque parentela secedentes Leodium, intrauerunt S. Laurentium, vt inter se ordi- C narent de emendis. Ex qua Abbatia polliciti sunt non exire, nisi forte causa necessitatis secedant Leodium, vsquequo emendæ ab eis essent ordinatæ, secundum forefactũ quod quisque eis ostenderet. Qui illic stantes vsque ad pascha, ordinauerunt pacem, & feria 3. post, *Quasi modo*, mandatis parentelis vtriusque partis Leodij coram se & Episcopo nec non consilio patriæ in prato Episcopi hoc modo pronũciauerunt, scilicet, quod fieret Ecclesia vbi celebrarent duodecim Præsbyteri, pro remedio animarum occisorum, & vtraque parentela septem mille libras, vnde dicta Ecclesia ædificaretur, & fructus & reditus dictæ Ecclesiæ pro dictis Præsbyteris emerentur. Insuper Capitulum B. Lamberti repromisit dare centum medios speltæ heræditarios pro D 13. Præsbitero, & hic esset quasi superior aliorum. Lex ordinata ab Episcopo & consilio totius patriæ, quæ deinceps, vti præcipitur, fuit etiam hoc modo tenenda pronunciata: Occisor hominum si teneatur, occidatur: sin autem sit exul à patria, & si noscat factum, &. si neget, & possit super ipsum bonis testibus probari proscribatur. Dominus combureт domum homicidæ, sed ad spolianda bona ipsius nequaquam manus apponat. Mutilator membrorum si rapiatur, eodem membro quo mutulauerat personam mutilabitur. Nec tanti malefactores poterunt habere pacem cum Dño nisi prius satisfactum fuerit læso. Malefactor solus manaet in guerra, amicos verò eius in pace ex ipsa.

A ex ipsa guerra esse pronúciamus. *Hactenus Ioannes Presbyter, quem verbotenus sequitur Chronicon Gemblacense. Brustemius sic de hac re loquitur.* Facta est pax in Monasterio S. Laurentij prope Leodium inter partes de Waroux & Awans, vnde & initium sumpserunt duodecim iudices, siue pacificatores patriæ. Steterat hæc simultas annis 37. à tempore Domini Hugonis de Cabilone Episcopi. Quo temporis spatio feruntur fuisse interfecti ex vtraque parte hominum circiter 12. milia.

Gesta Abbatum S. Laurentij hanc quoquè pacem non tacent, sic enim illa: Anno Dñi 1335. cum iá progenies de Awans & de Waroux amplius triginta octo annis se cruentis cędibus fatigassent & ab Episcopo & à Ciuitate adstipulantibus bonis villis statutum fuisset, vt qui aliquem occideret, capitalem sententiam subiret, mediantibus porbis viris & B discretis, in hanc concordiam conueniunt, vt electis hinc inde duodecim personis, qui de interfectis ab vtraque parte satisfactiones mutuo compensarēt, illi in nostram Ecclesiam S. Laurentij intrarent, inde non exituri, donec perficerent inchoatum. Qui intrauerunt monasteriū in principio quadragesimæ, steteruntque vsque post pascha. Tandem ordinationem, quam fecerunt, in die S. Seruatij in palatio coram populo publicauerunt, quæ vocatur pax de duodecim. *Volumen statutorum Ciuitatis Leodiensis ad longum refert pacem istam. Incipit:* In nomine Domini Amen. *finit:* Ce fut fait & prononcé l'an de la Natiuité nostre Seigneur de Iesuchrist mille trois cens & trente & cincq, le mar-C dy apres le S. Seruais en mois de May.

De iure Ecclesiæ Leodiensis quod habet ad Comitatum Lossensem, & de negligentia & dissimulatione Episcopi in capienda illius possessione, cum quibusdam alijs.

CAPVT XXII.

D ANno Domini 1336. mensē Ianuario, Ludouico Comite de Lozgrauiter ægrotante, habitum est in capitulo nostro consilium de requirendo Dominum nostrum Episcopum, vt quam citò de morte Comitis constaret eidem, Comitatum ipsius protinus occuparet, quia reuolutis priuilegijs nostris inuenimus, quod Comite sine prole legitimâ decedente, ad Ecclesiam, à quâ tenetur in feudū, reuerti debeat Comitatus. Citò post, videlicet in nocte Vincentij circa medium mensis eiusdem, idem Comes Ludouicus debita naturæ persoluit.

Comitatus Lossensis reuerti debet ad Ecclesiam à qua tenetur in feudum.

Sed tunc per nos requisitus Episcopus, in fauorē Sororij sui Dñi de Heinsburg, qui tāquā scriptus hæres a Comite, mortuo, & eius vxoris

Episcopus non audit monitionem Capituli, & quare.

sororis eiusdem Episcopi, ac eius nepotis ex eâ, quem plurimum diligebat, iam occupauerat Comitatum, requisitioni huiusmodi clausit aures. A

Excusationes Episcopi amputantur per Capitulum.

Timentes autem, ne testamentum Comitis confirmaret Episcopus, dum diceret quod nisi patria iuuaret eum, sororium suum expellere non valeret; & si assisteret ei patria, ad ducendum exercitum pecuniam non haberet; nolentes autem, quod negotium propter defectum pecuniæ frustraretur, ipsum recipere permisimus quatuor millia florenorum de pecunia Mechliniensi, receptis ab eo literis suo magno sigillo sigillatis, in quibus solemni iuramento firmauit, quod prætaxatam pecuniam in alios vsus non conuerteret, quam in exercitus, vt recuperetur possessio supradicta; Qui statim patriam mandauit præfixâ die ad Capitulum circa medium mensis martij conuenire: vbi tunc ex parte Capituli propositum extitit & petitum, quia Comitatus iam dictus erat ad Ecclesiam deuolutus, & partem facere volebat contra Dominum de Hemsburg coram quocumque Iudice qui de hac quæstione de iure cognoscere poterat & debebat; quod Dominus Episcopus, à quo Comitatus tenebatur in feudum, possessionem siue Sasinam eiusdem tenere deberet, donec foret principalis quæstio terminata. B

Conuocatur patria.

Capitulum coram patria proponit: ius quod habet ad Comitatum.

Probat petitionem Capituli & offert auxilium.

Tunc patria, habito super consilio, decreuit petitionem Capituli fore iustam, ad iuuandum Episcopum, & Ecclesiam, ad propositum, offerens se paratam: Tunc expositis vexillis, exercitus proclamatur. Homines vero Comitatus timentes comburi, rogauerunt Comitem Geldriæ, vt partes suas interponeret, quod possessio Domino Episcopo traderetur. Tandem conuentum est, tractante Comite, quod Dominus Leodiensis curialiter eandem reciperet, sed quod omnes officiati, sicut prius in suis officijs remanerent; & quod Dominus Episcopus in comitatu superiorem poneret loco sui: Et sic Dominus Ioannes de Landris ibi factus est Episcopi locum tenens, qui cum se transferret ad locum, nullus sibi voluit obedire, & sic Episcopus possessionem perdidit, sicut prius. Quod cum Capitulum grauiter ferret, instabat apud Episcopum, vt de possessione faceret quod promisit. C

Lossenses timēt comburi.

Comes Geldriæ procurat talem qualem possessionem.

Illuditur & Episcopus possessione caret.

Causa hæc periculis subiacet & quare.

Interim Capitulum considerans, quod hæc causa periculis subiaceret, si pares curiæ Episcopi, seu etiam Imperij de ipsâ cognoscerent, quia apertè contra Capitulum sentiebant, circa medium mensis Martij valentem virum Dominum Anthonium de Bugella concanonicum nostrum, pro consilio & auxilio, ad sedem apostolicam duximus destinandum; Qui dum Domino Benedicto Papæ nomine Capituli supplicasset, quatenus causam nostram in Curiâ retineret ex plenitudine potestatis, quia propter potentiam Domini de Hemsburg spes non erat, quod Ecclesia extra Curiam posset iustitiam obtinere sed hoc Papa pluries denegauit. D

Capitulum mittit Anthonium de Bugella concanonicum Romam.

Tandem plenius informatus causam ipsam Domino Petro Hispano Car-

A ano Cardinali tit. S. Praxedis, iusto viro, tam iure vacantis Imperij, Bauaro priuato, quam sedi apostolicæ audiendam commisit. Et mēse maio sequenti missæ sunt literæ, quibus Dominus de Heinsburg, ac omnes qui sua crederent interesse, citari peremptoriè mandabātur, vt ad primam diem iuridicam mensis octobris, coram Auditore prædicto, per se, vel responsales idoneos comparerent: quæ citò, infra mensem post eius receptionem, contra omnes extitit executa: miserunt etiam tres Cardinales amici Episcopi sibi literas exhortatorias, & increpatorias, super eo, quod possessionem Comitatus cū effectu recipere negligebat. Tunc Episcopus dominicâ die 4. mensis augusti, fecit exercitum proclamari, mandans, vt de feria 6. tunc instante ad quindenam omnes essent parati cum armis, & sequerentur B eundem: Sed adueniente termino Episcopus procedere non curauit; & iteratò quædam sibi fucata possessio traditur, quæ inuenta est, vt prius, finaliter esse nulla.

Papa committit causam Petro Hispano Cardinali.

Omnes sua interesse prætendētes citantur.

Tres Cardinales monent Episcopū de capienda possessione.

Traditur fucata possessio.

Hoc anno octo diebus post conuersionem sancti Pauli continuò sequentibus, inundatio tanta fuit aquarum, quod mosa operuit areā magnæ domus claustralis, quæ angulum ex opposito domus supra portam, vbi cathenæ pendere consueuerant; & extendit se vsque ad portam magnæ domus oppositæ his ambabus.

Hoc anno circa augustum tanta fuit vini copia, & tot dolia vini S. Ioannis in Flandriâ per mare venerunt, quod ama vini pro floreno cum dimidio emebatur. Et in Leodio ama vini Rhenensis pro duo-C bus florenis poterat comparari; sed erant cruda nimis atque debilia; & erant hoc anno vina S. Ioannis cæteris meliora, adeo quod vbi quarta huius vini pro 12. paruis denarijs vendebatur, quarta Rhenēsis pro octo, pro sex, & pro quatuor denarijs poterat comparari: Et hæc vini debilitas contigit ex anni præcedentis pluuiâ per augustū, per quam illius anni pessima blada fuerunt. Vnde circa natiuitatem Domini modius speltæ veteris floreno cum dimidio vendebatur, qui ante augustum medietatem huius pretij vix valebat: & duo modij nouæ speltæ, vix vni veteris poterant comparari.

Admirāda vini copia.

Anno Domini prædicto, scilicet 1336. circa mensem Septembris D & Octobris, quidam Burgensis Louaniensis emit Brugis centum dolia vini S. Ioannis pro quadringentis florenis, id est. tres amas Colonienses pro duobus florenis.

Eodem anno 6. mensis augusti venerabilis vir Dominus Franciscus de Medicis de Mediolano, Custos Ecclesiæ nostræ prudentissimus vtriusque iuris peritus, in Domino requieuit, cuius mors Capitulum nostrum non modicum perturbauit. Huius tumbæ Epitaphium cōdidi in hæc verba.

Franciscus de medicis custos Ecclesiæ Leodiēsis moritur.

Auctor tumbæ ipsius hoc Epitaphium ascribit.

De medicis natus Franciscus mediolani,
Consilij sani, vir & optimus hic tumulatus,
Officio custos, vitæ probitate probatus,
Totus amans iustos, a cunctis vixit amatus;

Post or-

Post ortum Christi sanctum finem dedit isti
Centum tredecies annis, cum ter duo denis,
Mensis quinta dies augusti, sis sibi lenis
Christe beata quies, hunc iungens numine plenis,
(vel lumine)

Eligitur Præpositus S. Bartholomei de Capitulo Leodiensi.

Circa mensem augusti obijt Alexander prædictus, qui iam appellationem suam deseruerat; & per Capitulum S. Bartholomæi Vuihelhelmus de Bautersem, de gremio Capituli nostri, in præpositum est electus.

Guerra inter Reges Franciæ & Angliæ.

Hæc circa tempora, incepit guerra inter Reges Franciæ & Angliæ, & exercentur in mari pyraticæ pestes: vnde in Flandriâ & Brabantiâ, propter lanæ defectum, quæ de Anglia venire non poterat, in oppidis communes homines ad supremam inopiam deuenerunt.

Papa reprehendit dissimulationem Episcopi.

Hoc anno ante Natiuitatem Domini, Papa misit Domino Episcopo sub bullâ literas clausas, reprehēsiones satis acerrimas continentes, quod propter priuatam affectionem, Ecclesiæ suæ iura negligere dicebatur; Præcipiens eidem, vt circa veram apprehensionem Comitatus Lossensis, seu sasinæ, quæ per patriam suam sibi dicebatur adiudicata fuisse, sic se studeret habere, quod super hoc non possit per sedem apostolicam merito reprehendi.

Exemplar literarum Papæ.

Benedictus Episcopus seruus seruorū Dei venerabili Fratri Adolpho Leodiensi, salutem & Apostolicam benedictionem.

Cum circa defensionem iurium, & honorum Ecclesiæ tuæ Leodiēsis alias Zelum habuisse dicaris intensum; quamplurimum admiramur, quod super repetendo iure, quod ad Comitatum Lossensem, vtique nobilem, ac in redditibus & prouentibus opulentum, tibi & eidem Ecclesiæ asseritur competere, te reddas (vt habet quorundam relatio) nimis tepidum, & remissum. Quocirca Fraternitatem tuā attētius in Domino exhortamur, quatenus, quid in hac parte, famæ, honori, & saluti tuis expediat consideranter attendens, sic remotâ quauis affectione priuatâ, quæ locum sibi minimè vendicare debet in talibus, circa prosecutionē iuris huiusmodi vigeat zelus tuus, quod imputari vel impingi tibi sinistrum nequeat super his, sed potius tua prouida diligentia exinde possit apud nos, & sedem apostolicam meritò commendari. Datum Auinioni 8. Calend. Nouemb. Pontificatus nostri anno secundo. Quibus lectis fuit Episcopus non modicū consternatus.

D. de Hemsburg scribit in qualitate Comitis mādata sed non obeditur.

Anno verò Domini 1337. Dominus de Heinsburg se scribens Comitem Lossensem, mandauit omnibus bonis villis patriæ Leodiensis, militibus, & scutiferis, per singulas literas, vt in crastino purificationis B. Mariæ virginis, in capitulo Lodiensi comparerent: quod pro nullo contramandante dimitterent, nisi super hoc viderent suo sigillo literas sigillatas. Quod indignè ferens Capitulum, nullus eâ die voluit comparere, mandatore meritò suâ temeritate deluso.

Circa

A Circa principiũ mensis Februarij, cum Episcopus stetisset per mẽsem Leodij residendo, quo de die in diem nobis cum effectu Comitatus Lossensis possessionem apprehendere promittebat, infecto recessit negotio, Westphaliam, vnde venerat, repetendo. Quod videntes quidam de Capitulo, cum vniuersaliter de scribendo veritatem Romanæ Curiæ non poterat concordari, scripserunt Dominis & amicis Ecclesiæ, quod sibi visum fuerat expedire. Inter quorum scripta, primâ die Februarij, vna missa fuit ad Decanum tunc nostrum Cardinalem epistola, cuius tenor sequitur in hæc verba.

Episcopus non audit Capitulũ

Capituli dissensio.

Quidã scribũt Decano Leod. Cardinali in vrbe residenti.

Reuerẽdo in Christo Patri, ac Dño suo metuẽdo pariter, & amãdo, D. Bertrando, Dei gratia beatæ Mariæ in Aquiro Diacono Cardinali, ac Decano Leodiensis Ecclesiæ, N. excusationem cogẽtis cõscientiæ,
B quod tanto tantillus audet scribere, cum obedientiâ filiali.

Exemplar literarum.

Absalon cum Dauid patrem tumultu belli persequitur, custodiri pater iubet puerum, motus affectione carnali, in regni totius inconsultè periculum: Cumque casu puer sedens mulo, transisset subter condensam quercum & magnam, & cæsarie capitis adhæsisset quercui, ipso suspenso inter cœlum & terram, mulus, cui insederat, pertransiuit. Hæc dum Ioab quispiã nunciasset, hic metu regiæ iussionis, neque promissione 10. Siclorum argenti, cum vno baltheo, persuaderi potuit, vt regni cõfoderet inimicũ; Sed Ioab tres lãceas Absalonis fixit in corde, patriam liberans à ruinâ. Quem noto per Absalon, quemue per patrem Regem? propter historiæ similitudinem, pensatâ
C discordiâ super Comitatu Lossensi, ingenij vestri præeminentiã nõ latere non ambigo. Sed Ioab, qui interpretatus est pater vel inimicus inimicitiæ, quẽ quæso significare poterit aptius, quam vos, Amandissime pater, quem constat, velut immediatũ Ecclesiæ nostræ Prælatũ, inimicorũ eius efficaciter inimicũ. Huic dũ quispiã .i. capitulũ vestrũ, Absalonẽ crinibus pendere de quercu magnâ & condensâ renũciat .i. ambitione superfluâ de Comitatu prędicto magno populisq; cõdẽso, sed sterili spolijs Absalonis, iuxtà illud *Isaia 1. c. Cũ fueritis velut quercus folijs defluentibus*; 10. Siclos argenti cum vno baltheo, vt confoderetur Absalon, spopõdistis, dum Decanus ex præceptis decalogi argẽtum spiritualis eloquij, exhortatorias scilicet misistis literas quatenus cingulo mutuæ charitatis vniti, Absalonis viriliter versutijs resi-
D stamus. Sed heu, heu, quibusdam timore Dauid plus æquo fauentibus Absaloni, quibusdam ex eius amore, quibusdam ex varijs figuris causarum, lentè nimis resistitur Absaloni: sed eiâ noster iam Ioab, quicunque sit ille, vnam lãceam Absalonis fixit in corde .i. contra animam eius, iuxta illud *Cor meum conturbatum est* .i. anima mea, dum primam Euangelicæ monitionis literam, super correctione priuatæ Dauid affectionis, sibi procurauit à summo culmine destinari: Sed quamuis prima lãcea cor tetigerit, non tamen adhuc ordinatæ charitatis vulnere sauciauit. Restat igitur, vt noster Ioab secundam procuret figi lanceam, vibrando tertiam, quæ si (quod absit) non

2. Reg. 18.

Psalm. 37.

 perfece-

perfecerit, iam vibratâ tertiâ charitatiuè, tunc efficacius iaculetur, vt sic multa bona præstentur inuito, quando potius eius vtilitati, non tamen consulitur voluntati. A

Hà pater noster & singulare refugium, nostis, quoniam *principatus virum ostendit*, nec tamen semper occurrit Principi totum exercendæ virtutis obiectum. Salomon sapientissimus & fœlicissimus, quia tempora sua fuère pacifica, nusquam (vt reor) de fortitudine bellicâ legitur commendatus. Tyrunculi nostri hoc tempore, quo dudum fortitudo Romanæ militiæ in vrbibus hyemare consueuit, super glaciē dubiam, cum alias transire non possint, experiendæ causa virtutis, se trahi faciunt in Pruciam. Vobis autem Pater & Princeps, diuinitus offertur occasio in Principatu vestro robur virtutis animi, circa vestræ defensionem Ecclesiæ, viriliter exercendi, quo gloria nominis vestri viuat per sæcula sempiterna. Et cum filij vestri simus 25. numero residentes, vester tamen primogenitus exercens in Ecclesia vices vestras, lentescentibus multis, fortis, nec à patris Ioab animositate degenerans cum perpaucis adhærentibus, Dauidis errori, & Absalonis temerariæ præsumptioni pro posse resistit. Quid autem mulus pertrāsiens vacuos portans testiculos significare poterit, subtiliori vestro enucleandum ingenio derelinquo. Quod verò capillis inter cœlum & terram suspensus sit Absalon, significare præsumo quod superfluâ pecuniâ suâ, inter diuinum siue cœleste sacri palatij iudicium (quod fugit pro posse) ad terrenum anhelans, quo nequit pertingere; quem secundum aliam tropum quercus magna.i. Romana Curia retinet alligatum. Gregorius in homeliâ, *Rogabat Iesum quidam*. Capillus dum ad vsus superfluit, etiam abscissus non sentit. Valeat vestra Paternitas multorum vtilitatibus profutura. Datum anno 37. I. die Februarij. B C

Eclypsis lunæ & solis ex parte.

Huius mensis 15. die, per horam ante medium noctis, luna quasi in parte tertiâ ecclypsatur: Et tertiâ die sequentis martij per horam cum dimidiâ post solis ortum sol paulatim consimili cœpit defectui subiacere, qui durauit circiter vnam horam.

Fœdera quędā ineuntur cōtra Regem Franciæ.

Hoc anno, post pascha, mittitur Episcopus Linconiensis per Regem Angliæ ad Wilhelmum Comitem Hannoniæ corpore iam cœcatum; vbi, quibusdam Principibus congregatis, quædam contra Regem Franciæ fœdera percussa dicuntur. Deinde idem Episcopus ad Ludouicum de Bauariâ se pro Imperatore gerentem festinat, maxima sibi munera promittendo, vt eius auctoritate pariter & vnanimine pacta procedant. Et satis citò post Comes Hannoniæ viam est vniuersæ carnis ingressus. D

Episcopus rursus facte apprehendit reālem possessionē Comitatus.

Circa Iunium Episcopus, tam literis Papalibus supradictis quam alijs ab amicis suis de Curiâ sibi missis excitatus, possessionem Comitatus prædicti realiter apprehendit; sibi nemine resistente, saisiendo castrum de Calmont, omnes officiatos qui remanserant amouendo; nouos instituens, per quos fecit suo nomine iudicari, vt tunc videbatur; sed

tur; sed totum fictè factum fuit, vt inferius apparebit. Quod cum A Capitulum Papæ scripsisset, & propter dictam possessionem bis iam fucatè per Episcopum habitam, Papa timeret, ne iam tertio posset illudi, iteratò sibi sub bullâ literas destinat clausas, aliasque Capitulo primarum seriem continentes, quarum tenor sequitur in hæc verba.

Literæ Papæ ad Episcopũ & ad Capitulum.

Exẽplar literarum.

Benedictus Episcopus Seruus Seruorum Dei dilectis filijs Decano & Capitulo Ecclesiæ Leodiensis salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad Leodiensem Ecclesiam syncеram gerentes in Domino charitatem, circa recuperationem & defensionem iurium & bonorum ad eandem spectantium, libenter (quantum cum Deo possumus) fauo- B rem Apostolicum impertimur.

Vt igitur venerabilis Frater noster Adolphus Episcopus Leodiensis, super retentione plenæ custodiæ Comitatus Lossensis, per eundem tenendæ ex definitione hominum Ecclesiæ prædictæ, donec controuersia, quæ inter vos ex parte vnâ, & dilectum filium nobilẽ virum Theodoricum Dominum de Heinsburg affinem eiusdem vertitur, fuerit terminata, se exhibeat virum strenuum, verbo vtilẽ, & operibus efficacem, eidem Episcopo post salutationis alloquium, scribimus in hæc verba.

Super speculâ militantis Ecclesiæ diuinâ prouidentiâ constituti vigilijs continuis angimur, & continuâ meditatione pulsamur, vt per C sollicitudinis nostræ studium, & vtilis diligentiæ interuentum, Ecclesiarum præsules illarum regimina laudabiliter gerant, eorumque profectibus diligenter intendant, ipsarumque iura ab inuasorum manibus, *quæ sua sunt quærentium, non quæ Dei,* vtiliter tueantur, vt eædẽ Ecclesiæ præsidentium tepiditate non langueant, & damna grauia in eisdem iuribus non incurrant. Sane processus per te habitos circa apprehensionem custodiæ, possessionis, & Franchisiarum, aliorumque locorum Comitatus Lossensis, ad Leodiensem Ecclesiam per obitum quondam Ludouici Comitis Lossensis, qui dictum Comitatum à prædictâ Ecclesiâ tenebat in feudũ, sine liberis decedentis le- D gitimè deuoluti, sicut dilectorum filiorum Capituli eiusdem Ecclesiæ fide digna relatio nostro Apostolatui patefecit: Super eo videlicet, quod custodiam & possessionem Comitatus, singulasque francisias aliaque loca ipsius ad manus tuas recepisti, per te tenenda, ex definitione hominum Ecclesiæ tuæ, quousque controuersia, quæ super dicto Comitatu inter dictos Capitulum ex parte vnâ, & dilectum filiũ nobilem virum Theodoricum Dominum de Heinsburg affinẽ tuum, ex alterâ, vertitur, fuerit terminata, ac antiquis officiatis in dicto Comitatu per dictum Comitem defunctum constitutis exinde remotis, in locum eorum alios officiatos in dicto Comitatu surrogasti; recognitionem quoque & promissionem obedientiæ à populis, militibus, & armigeris dicti Comitatus, ratione huiusmodi possessionis seu cu-

Philip. 2.

stodiæ recepisti; plurimum in Domino commendamus. Verũ quia A
præmissa per te realiter, non verbaliter tantum, ac purè & non ficté, omni tergiuersatione & simulatione remotis, fieri affectamus, vt super his, nec nobis, qui huiusmodi negotium cordi gerimus, nec eidem Ecclesiæ, cuius proprium interesse versatur (quod absit) illudatur; Fraternitatem tuam requirimus, & hortamur, attentè tibi, sub attestatione diuini iudicij districtius iniungentes, quatenus prudenter intendens, quod Ecclesiæ tuæ, tum ratione pontificalis officij cum religione iurisiurandi per te præstiti, obnoxius es astrictus, quod super præmissis agere, vt primâ facie præsumitur, laudabiliter incepisti, laudabilius cum affectus efficaciâ absque aliquâ fictione prosequens, & ad plenam & debitam executionem deducens, tanquam bonus præsul ostendas circa eiusdem Ecclesiæ commoda in verbo B
vtilem, & in operibus efficacem, non adhærendo consilijs, vel persuasionibus quorumcunque in hac parte quærentium cõmoda propria, cum eiusdem Ecclesiæ & etiam tui honoris detrimento: sed huiusmodi persuasiones, & consilia in offensam diuinam, tuamque reprehensionem & famæ diminutionem redundantia, à te prorsus abijcias & repellas; vt omnis super præmissis aduersus te suspicionis cesset occasio. Quod si (quod absit) ex aliqua tepiditate, vel claudicatione eorum, quæ super his agenda imminent, contra te occasione coniunctæ affinitatis, quam habes cum nobili memorato, vel aliâs forsitan oriretur famæ tuæ celebri, quam ex persecutione & strenuâ defensione iurium eiusdem Ecclesiæ, in pluribus hactenus per C
te magnificè & vtiliter gestis dignis laudibus acquisisti, non modicum derogaret: nosque, & sedes prædicta, si tepiditatem & claudicationem huiusmodi (quod Deus auertat) ex coniecturis verisimilibus sentiremus, cum talia procul dubio nos latere nequirent, non possemus saluâ conscientiâ, nec etiam debemus, ea sub dissimulatione transire, quin illa animaduersione debita punientes, indemnitati eiusdem Ecclesiæ prouidere alijs remedijs oportunis studeremus.

Vos igitur, in præmissis, & alijs respicientibus vtilitatem eiusdem Ecclesiæ, ad quam (sicut habet multorum proborum fide digna relatio) dictus Comitatus per mortem Comitis defuncti sine legitimis liberis decedentis, est legitimè deuolutus, remotis quibuslibet partia- D
litate, & carnalitatis affectu, & lucro quolibet alio temporali, ad solum Deum, cuius obsequijs militatis, considerationem & respectum habentes, in defensione & retentione custodiæ, & possessionis Comitatus eiusdem impendatis similiter (prout expedire videritis vtilitati eiusdem Ecclesiæ) oportunæ diligentiæ vestræ partes; eundem Episcopum ad manutenendum, prosequendum, & conseruandum quod cępit, sollicitis instantijs inducentes; nobis vestris literis absque adulatione vel tepiditate cuiuspiam veraciter rescripturi, qualiter præfatus Episcopus circa præmissa, non solum eiusdem Ecclesiæ Leodiensis intuitu, sed etiam propter Apostolicæ requisitionis &

iussionis

A iussionis instantiam, laudabiliter & efficaciter studuerit se habere: Pro firmo scituri, quod si omnes, vel aliqui vestrum rectè & syncerè circa præmissa respicientia euidentem vtilitatem, & honorem Ecclesiæ vestræ, prout tenemini, non studueritis per omnia ambulare, sed in hac parte deferretis aliquibus, contrà Deum; negligentiam imò verius nequitiam talia facientium animaduersione debitâ curabimus castigare, quod huiusmodi peruersitas siue dolus transibit alijs in exemplum. Datum Auinioni 10. Calend. Iulij, Pontificatus nostri anno tertio.

ANNOTATIONES.

Anno Domini 1336. mense Ianuario Lodouico Comite de Loz grauiter ægrotante:] *De occasione donationis Comitatus Lossensis facta Ecclesiæ S. Lamberti & alijs inde sequutis, quæ verè & fusè ab auctore nostro scribuntur* B *sic breuiter loquitur Ioannes Presbyter*: Anno à Natiuitate Domini millesimo trecentesimo trigesimo sexto in vigiliâ SS. Fabiani & Sebastiani martyrum Lodouicus Comes de Loz obijt sine liberis: Cum verò tempore Hugonis de Petraponte Leodiensis Episcopi anno Domini 1202. vel circiter, orta fuisset contentio inter Henricum Ducem Brabantiæ & Lodouicum Comitem Lossensem propter trecensum S. Trudonis ad Episcopum Metensem tunc pertinentem, quem dictus Dux leuare & vsurpare volebat, sed dictus Comes defendebat, quia aduocatus S. Trudonis & Mamburnus præfati Episcopi appositus C iura dicti oppidi & Episcopi obseruabat, vnde à prædicto Duce guerra oppressus & interceptus, ita vt Dux vellet ipsum ex suo Comitatu fugare & exhæreditare. Quare præfatus Lodouicus Comes Lossensis, angustia cordis tactus, se traxit Leodium ad Hugonem Episcopũ & Capitulum, & omnia castra sua, i. Loz, Montiniacum, Brusteman, Calmont, Hasselt & demum Comitatũ Lossensem, atque terram, quã in partibus Hasbaniæ liberè tenebat, S. Lamberto tradidit, & super altare ipsius vidente Clero & populo, præsentibus Hugone Episcopo & Duce Ardennæ Henrico, atque Alberto Comite de Muha legitimâ reparauit donatione. Deinceps consilio sui Capituli vsus dictum Comitatum in feudum seu hominium ipsi Lodouico reddidit, conditione D tali interiectâ & obseruatâ, quod si eueniret ipsum Comitem, seu aliquem alium eius successorum aliquo tempore in futurum absque hærede legitimo decedere, quod præfatus Comitatus Lossensis deuolueretur ad Ecclesiam Leodiensem, & ex tunc & inde fieret propria hæreditas S. Lamberti, vt Leodium, vel Hoyum. Quod Homagium & cõditiones prædictas fecerunt Episcopus & Capitulum Leodiense postmodum per Regem Alemanniæ seu Imperatorem confirmari, quod patet per literas signatas sigillo auri, quas Capitulum habet penes se. Mortuo ergo isto vltimo Lodouico Episcopus Adolphus & Capitulũ Leodiense eius mortẽ intelligẽtes, prædictis rationibus dictũ Comitatũ saizierũt. Quod Dñs de Heymberch primogenitus filius ex primogenita sorore præfati Lodouici Comitis Lossẽsis

mortui percipiens cum manu valida Hasselt intrauit, & dixit quod dictum Comitatum possideret post eius auunculum, vt propinquus: A quod Capitulum intelligens contradixit &c. *Hactenus Ioannes Presbyter, qui à me amplius non citabitur quia Codex manuscriptus præ nimia vetustate legi amplius non posset. Citabuntur postmodum à nobis frequentius Ioannes Stabulaus S. Laurentij prope Leodium religiosus de quo abbreuiator eius (nam originalia & integra scripta illius hucusque reperta non sunt) sic scribit.* Eodem anno. 1. 1449. in crastino Calixti obijt in monasterio S. Laurentij Leodiensis Nonnus Ioãnes de Stabulaus monachus professus, qui multas Chronicas scripsit & compilauit, ex quibus iusta præcedentia excepta sunt Requiescat in pace Amen. *Citabitur quoque Cornelius Zanfliet S. Iacobi religiosus diligens & fidelis scriptor qui Chronicon suum ab initio mundi exorsus ad annum Domini 1461. protraxit. Circa quod tempus obijsse creditur, deinde Chronicon Gemblacense, quod procedit vsque ad annum Domini 1402. Et Gesta Abbatum S. Laurentij quæ pertingunt circiter vsque ad annum Domini 1434.* B

De bello Episcopi contra Ducem Brabantiæ.

CAPVT XXIII.

CIrca principium mensis augusti Ludouicus Bauarus scripsit singulis Oppidis Brabantiæ, Episcopo & Ciuitati Leodiensi, sub interminatione pœnarum, quatenus ad inuadendum secum C Regem Franciæ, qui fines occupabat Imperij, præpararent, super hoc literas singulis singulas destinando: Super quo nostri fuerunt territi, sed in vanum. Et statim post, cum tres homines Episcopi ad mandatum eius, inter quosdam inimicos in Brabantiâ indicerent quarantenas, Dux eos confestim capi faciens, duobus ex illis fecit capita amputari, offensus enim erat, quia propter violentias, quas Dominus Renardus de Argenteal locũ suum tenens in ducatu suo Lymburgensi contra Ecclesiam S. Dionysij, Leodiẽsis, & alias fecerat, terra sua Lymburgensis Ecclesiastico erat supposita interdicto.

Tres homines Episcopi per Ducem bb. capiuntur & duobus capita amputantur.

Tunc 12. die mensis augusti in Capitulo patriâ congregatâ, ab ipsa Episcopus petit auxilium & iuuamen:

Terra Lymburgensis supponitur interdicto.

Per quam responsum extitit, vt Dux more solito requiratur, vt D emendet iniuriam; Quod si facere recusauerit, ad iuuandum Episcopum quilibet obtulit se paratum. Interim tota terra Ducis Brabantiæ supponitur interdicto, & Dux bona Clericorum omnia Leodiẽsiũ fecit arrestari, & quædam capi occasione prædictâ: vnde magna commotio est secuta.

Cõgregatur patria contra Ducem bb.

Terra Ducis interdicitur.

Hoc anno post Augustum, Philippus Comes Namurcensis moritur in partibus vltramarinis, vbi ex lasciuiâ se transtulit cum societate iuuenili, & sic infra 9. annos præcedentes, in Comitatu tres Fratres sibi

Spatio 9. annorũ tres fratres succedũt in Comitatum Namurcensem.

A tres sibi inuicem successerunt iam defuncti, quarto Guilhelmo impubere succedente; & quinto Henrico clerico iam defuncto, duobus adhuc iunioribus clericis superstitibus, cum sorore, cuius maritus Comes Viennæ, cum dicto Philippo, in vltramarinis partibus est defunctus.

Anno Domini 1338. in festis Natalibus, Episcopi Nouicomensis, & Atrebatensis Leodium à Rege Franciæ destinantur, qui cum tribus septimanis pro concordiâ friuole laborassent, infecto negotio recesserunt. Deinde, circa principium Februarij, cœperunt Ecclesiæ Ducem maledicere, & *media vita*, canere contra ipsum.

Rex Franciæ per Episcopos pro concordia friuole laborat.

Ecclesiæ incipiunt Duci maledicere.

Interim Bauarus misit Episcopo literas quæ sequuntur.

Exemplar literarū Bauari ad Episcopum.

B Ludouicus Rom. Imperator Augustus, venerabili Episcopo Ecclesiæ Leodiensis, &c. Scire te volumus, quod super octauam festi paschę nunc instantis, in Coloniam conuocauimus Principes Electores, cæterosque magnates, Prælatos, Barones, vasallos nostros, & Imperij fideles, cum quibus nostra maiestas super arduissimis nostris & Imperij negotijs habet loqui, atque ipsorum, & tuo sano consilio singulariter indigemus vnde deuotionem tuam sub fidei debito, tuique feudi à nobis & imperio dependentis obtentu, hortamur, requirimus, & monemus, quatenus dictæ diei, vnà cum cæteris nostris, & Imperij, prout obnoxius nosceris fideliter consulturus, intersis; alioquin iuxtà iura & leges Curiæ nostræ Imperialis de consilio & sententia Principum nostrorum, contra te, si contumax neglexeris venire C (quod tamen nostræ Celsitudini displiceret) processus nostros certitudinaliter extendemus. Cæterum, si securitatem ad veniendum, standum, & ad propria remeandum habere volueris, quà tamen non indiges, hanc tibi facere parati sumus, si super hoc nos duxeris requirendos. Datum Calend. Februarij, anno regni nostri 24. Imperij 11. anno Domini 1338. Ad istas tamen literas, aut ad primas Episcopus rescribere non curauit.

Deinde Dux confisus in adiutorio Bauari futuro, & stipendijs Regis Angliæ communitus, exercitum contrà Episcopum congregat, & contrà ipsum Episcopus è conuerso; in cuius adiutoriū venit Rex D Bohemiæ, cum mdccc. equitibus vndecunque collectis: & exiuit Episcopus tertiâ die mensis Aprilis, feria 6. ante Ramos palmarum, ad præliū contra Ducem. Dux autem triplo maiori stipatus agmine in cuius erant adiutorio Comes Geldriæ, Dominus de Heinsburg, & Dominus de Falcomont, Anglici multi, atque Teutonici. Aderant etiam Archiepiscopus Coloniensis, Comites Hānoniæ & Iuliacensis, qui tamen se nescire dicebant, quam partem intenderent adiuuare, sed iuuarent partem illá, quę de pace illorū arbitrio stare vellet. Interim Dñs Godefridus filius Dñi de Heinsburg quinque villas Capituli incendio deuastauit; & pater suus depositis officiatis Comitatus Lossensis, Episcopum spoliando, magnam partem dicti Comitatus ducens in exercitu contra ipsum.

Dux exercitū contra Episcopū congregat.

Episcopus è cōuerso.

Auxiliares copiæ Ducis longe maiores.

ANNO-

A

ANNOTATIONES.

1. Hoc anno post augustum Philippus Comes:] *Chronicon Gemblacense sic de hac re loquitur:* Anno Domini 1337. dictus Philippus Comes Namurcēsis cum quinquaginta vel circiter nobilibus actu se iunioribus quasi propter Deum peregrinaturi Hierusalem mare transierũt. Qui in via tam lasciuam vitam duxerunt, quod ipse Philippus cum triginta sex & amplius ex eis mortui sunt. Guilhelmus verò frater dicti Philippi successit in Comitatum.

2. Lodouicus Romanorum Imperator:] *Quæ hic de bello nostri Episcopi cum Duce Brabantiæ scribuntur, Brusthemius non nihil explicat his verbis.* Eodē anno 1338. venit Eduardus Rex Angliæ tertius illius nominis Anthuerpiam cum Regina & prolibus cum quadringentis nauibus ad inuadendam terram Normanniæ contra Regem Franciæ Philippum Valesium, deditque ad hoc magnam pecuniæ summam Lodouico Bauaro, ab eo ad annum auxilium expectans, qui tādem aspersus fuit aquâ benedictâ Curiæ, vtpote Vicarius Imperij effectus. Multi igitur Principes profecti sunt cum Rege Angliæ in Franciam Dux scilicet Brabantiæ, Comes Gelriæ Margrauius Iuliacensis, Margrauius Brādeburgensis, Dominus de Heynsberch, qui se pro Comite Lossensi gerebat Comes de Marcka, Dominus de Walkenberch: Sed Rex Bohemiæ Episcopus Leodiensis Comes Hannoniæ & Hollandiæ tenebant partes Regis Franciæ. At postquam hi, qui erant pro Rege Angliæ, deprædando, comburendo, aliaque damna inferendo in Francia vsque Peronam, sanctū Quintinum, Laudunum grassati fuissent, tandem Rex Angliæ inefficax Anthuerpiam ad coniugem & liberos venit anno 1339. circa festum Dionysij. B C

De quadam pace inuoluta & quibusdam alijs tum internis tum externis.

CAPVT XXIIII.

Pax quædam inuoluta tractatur.

DEinde per dictos Archiepiscopum & Comitem Hānoniæ, quędam pax inuoluta tractatur, quæ qualis fuerit infra mensem postea non est scitum; & sequenti feria 5. sunt reuersi. Dicebatur tamen communiter quod Rex prædictus & milites terræ nostræ, Domino de Heinsburg Comitatum Lossensem tradere promiserūt: & quod Capitulum, Castellaniam de montegnij cum suis appendicijs, & aduocatiam Leod. & redditus quosdam ducentorum modiorum siliginis, de quibus non erat quæstio, deberent emere pro 34. millibus regalium aureorum de pecuniâ Mechliniensi: Ita quod Dominus de Heinsburg hæc posset redimere infra 25. annos pro pretio D

Quid de conditionibus pacis vulgo diceretur.

supra-

A supradicto: Quod se fecisse dixerunt, quia aliter confœderationem, quam Comes Geldriæ, & Dominus de Heinsburg, ac filius suus prædictus, gener ipsius Comitis, cum Duce fecerant, dissoluere nequiuerunt, & alias resistere Ducis potentiæ non valebant, sed de hoc se asserebat Episcopus nihil scire: Communis tamen erat opinio, quod Episcopus aliud non quærebat.

Exercitu iam reuerso, Rex venit ad Capitulum cum Episcopo, proponens oportere in emptione procedi, propositum rationibus friuolis palliando, quo recedente de Capitulo remansit Episcopus in eodem, consilium habiturus. Et post allegationes hinc inde, ventum est ad sequelam, quæ, contra consuetudinē Ecclesiæ, præsente Episcopo tunc fiebat, vt pauci opinioni eius contrarij contradicere non B auderent. Et primo sententiam suam dixit Episcopus petitionibus regijs annuendo, quem secutus est Præpositus nepos eius; deinde Archidiac. & decem alij, donec ad me ventum est, prout in ordine sedebamus, dixi, nos hoc non posse facere, obstante duplici iuramento; Generali scilicet; quo tactis iurauimus sacrosanctis; quodque mandata, de quibus supra fit mentio, deberemus Apostolica meritò formidare; nam hic emendo rem nostram de dicto pretio, nihil acquirebamus Ecclesiæ, sed potius pretium proijcere videbamur: vnde inconsulto Papâ nihil censui faciendum, & ne fieret, expressius contradixi; & super hoc omnium præsentium testimoniū inuocaui: deinde sequentes non meam, sed aliorum sententiam sunt secuti vsque C ad duos vltimos, scilicet E. de Fiesez, & vicedecanum magistrum Theologiæ, qui meam sententiam approbarunt: Et tunc omnes, excepto vno, mutato consilio eandem sententiam laudauerunt; illo dicente quod Rex, qui nos omnes saluauerat, non poterat taliter contentari. Adieci tunc, quia Rex aliàs in Capitulo, cum dicerem nos oportere potius sacerdotio quam Imperio obedire, contrà me verbis incanduerat, iurans, quod de hoc deberet suo tempore recordari: Cum tamen tunc à me requisitus Episcopus responderit illud idem; Et litem secum contestari non intenderem, sed exirem; & tunc vocato ab alijs Rege, recessi. Illi verò qui remanserant in Capitulo omnes, solo predicto E. in suo mecū proposito remanente, retrospiciētes *manum miserunt ad aratrum*: sub hac conditiōe Regis petitionē admit- D tunt, si hoc posset fieri saluâ conscientiâ, de consilio peritorū: Tunc Consiliatores, imò potius assentatores, ad consilium conuocantur; inter quos prædictus Theologus, ac alius magister eiusdē facultatis, frater minor, cum alio fratre suo, qui omnes petitionem Regis fieri posse confirmarunt & tunc primum dictum est nobis, quod forma pacis talis esset: Quod bona Clericorum arrestata per Ducem, & suos, vbique dearrestarentur; quod statim factum est: leuata restituerentur, & vastatorum valor; & de hoc dati sunt fideiussores dictus Archiepiscopus, Comites Hanoniæ & Iuliacensis, & Dominus Ioannes de Hannoniâ vsque ad summam 20. millium florenorum: &

Regis opinio de emendo Comitatu friuola.

Episcopus contra consuetudinē manet in Capitulo, ne quis ipsi contradicere auderet.

Dicūtur sententiæ ex ordine.

Auctoris libertas in dicendo.

Duo tantum sequuntur sententiam auctoris.

Rex excandescit auctori & dat minas.

Vocato Rege ad Capitulū auctor recedit.

Luc 9.

Alij consentiūt petitiōi Regis.

Vocātur ad cōsiliū duo Theologi assentatores.

Forma pacis primum diuulgata.

quod de residuo dissensionis inter Episcopum & Ducem arbitri sunt electi Archiepiscopus & Comes Hannoniæ pro parte Ducis; Rex A Bohemiæ & Dominus Theod. de Haneff. pro parte Episcopi: Qui iurauerunt intrare villam de Hasselt, Dominicâ *misericordia*, videlicet 26. die mẽsis Aprilis, non exituri, donec quæstio fuerit terminata.

Episcopus Regẽ præficit mãburnum terræ suæ.

Episcopus verò se fingens longius ire velle, Regem prædictum mamburnum terræ suæ præfecit, & à Leodio tunc recessit. Rex autem è vestigio, auctoritate mamburniæ suæ, mandauit custodibus Castri de Calmont, quos Episcopus ibi posuerat pro custodiẽdâ possessione Comitatus Lossensis, vt exirent; quod & factum est, & gens Domini de Heinsburg recipitur in eodem: qui homagia recepit, & iuramenta à Communitatibus, & Scabinis, quod sibi, sicut Comiti, B obedirent, in nullo contradicente Episcopo, vel mamburno: Ex quibus videtur prædicta communis opinio confirmari. Mediãte verò tractatu pacis prædicto, Episcopus, absque consensu Cleri, interdictum ad instantiam eius latum relaxauit, & Ducem suosque consortes absoluit: propter quod Clerus protestatus est, si Episcopus bonam receperat cautionem benè esset; sin autem, damnum esset suum: nam suum interesse contrà alium, quam contrà ipsum prosequi non intendunt. Feriâ 6. 8. die Maij venit Rex, & Episcopus, & fecerunt indici Capitulum ad crastinum, sub pœnâ certâ, negotio, super quo debebat fieri, non expresso: propter quod aliqui indignati ad Capitulum non venerunt: Ego verò non indignatione motus, sed metu C Regis nolui interesse. Persuasi tamen dicto E. quod, tanquam vir nobilis, & consanguineus dicti Regis, pro meliori, dicto Capitulo interesset. Quâ die, & horâ, idem Rex inter cætera proposuit, quomodo compromissum fuisset inter dictos Dominum Episcopum & Ducem, tali modo, quod sententia arbitralis Regis Franciæ super vltimâ præter istam pacem lata firma maneret, per quam declarauerat Episcopum vti posse iudicio ad pacem prouocandi, & treugas indicere in terram Ducis, sicut homines Episcopi testarentur, & similiter Iurisdictione Ecclesiasticâ & Ecclesiæ, seu milites terræ Episcopi habẽtes temporalem Iurisdictionem intra potestatem Ducis in villis ipsorũ ipsâ iurisdictione liberè vti debere, secundum suorum hominum iudicium, nisi Dux probare posset quod vltra qninquaginta annos cõtrarium præscripsisset: & Ducem in 36. millibus condemnauerat D florenorum, de quibus 14. milia iam persoluit. Ad ea verò, quæ posteà contigerant, dicebat se extendere compromissum, & quod pars Ducis & arbitri sui totum contrarium asserebant & dicebant, quod super omnibus articulis discordiæ nouis, & antiquis in eos fuerat compromissum: Et quod super hoc idem Rex 10. diebus continuè disceptasset, nec ipsos aduersarios ab hoc proposito potuit amouere: vnde timebat quod nisi Comitatus Domino de Heinsburg dimitteretur in pace, iteratò se Duci, sicut prius fecerat, alligaret, quibus tũc Episcopus resistere non valeret: & propter hoc suadebat, imò modis

Rex mãdat custodibus Episc. vt exeant è Castro de Calmõt.

Episcopus relaxat interdictum & absoluit Ducem.

Rex & Episcopus mãdant indici Capitulum sine expressiõe causæ.

Auctor metu Regis se absentat.

Propositio Regis.

dis omnibus exigebat, vt Capitulum tunc & patria Domino Papæ A scriberet causam istam; & quod litem coram ipso motam remitteret in nostris partibus terminandam: Et super hoc Episcopum excusarent: Et cũ ipsum oporteret recedere hoc statim fieri postulabat.

Rex prorũpit in verba cõtumeliosa contra Canonicum cõtradicentem.

Et cum ipse E. responderet abesse multos de concanonicis, & super incerto Capitulum indictum fuerat, & ardua causa esset, non debere super his subitò responderi, Rex statim in verba contumeliosa prorupit. Quid est hoc? Creditis vos duo contradicere consentiẽtibus alijs? per fidem, quam debeo Deo, potius in vicis Ciuitatis vos traherem per capillos: & vos primò Domine Eniorande; istum rigorem tenuistis vos, & M. Ioannes de Hocsem. Nec per vos stetit, quo minus fuissemus omnes pariter interfecti. Et tunc vix obtinue- B runt inducias, vsque ad diem tertium respondendi; sicut in eadem die plures de fide dignioribus Capituli qui interfuerant retulerunt: ferià 3. sequenti nobis omnibus congregatis in Capitulo, petitionem Regis decreuimus denegandam.

Capitulũ obtinet inducias respondendi.

Denegatur petitio Regis.

Feriâ quintâ sequenti ante Dominicam, *vocem*, Bauarus misit literas Capitulo in hæc verba.

Bauarus petit aliquos deputari qui in Frãkefort veniãt.

Ludouicus Dei gratia Rom. Imperator semper augustus, Honorabilibus viris Præposito, Decano totique Capitulo Ecclesiæ Leodiensis, deuotis suis dilectis, gratiam suam, & omne bonum,

Cum ex dissensionibus & dissidijs diutius iam subortis inter nos & Papam Ioannem defunctum, & ipsius in apostolatus apice successo- C rem, aduersitates, scandala, & quamplurima pericula animarum Christi populo, fideique orthodoxæ perplexis nexibus euenerint, & communiter eueniant omni die, prout hæc vos & alias Germaniæ prouincias atque terras non credimus ignorare; nos volentes pro incremento fidei Christianæ, statusque reipub. conseruatione, huiusmodi perplexitatibus, seu scandalis, quantum in nobis est, salubriter prouidere, deuotionem vestram attentè requirimus, & seriosius cõmonemus, vt aliquas personas de vestro Capitulo sufficienter instructas, Dominica, *vocem iucunditatis*, nunc instante, in Franchenuurt ad nostram præsentiam destinetis, ad deliberandum & conferendum vnà cum ipsis, & alijs Cathedralium Ecclesiarum personis, & quam- D plurimarum ciuitatum & terrarum hominibus, etiam dicto die corã nobis vocatis, super talibus nexibus & periculis, quæ Christicolis nostræ ditioni subiectis noscuntur in partibus Germaniæ imminere. Datum in Franchenuurt 23. die mensis Aprilis regni nostri anno 24. Imperij verò 11.

Archiepiscopus Coloniensis & Comes Hannoniæ sententiã suam arbitralẽ pronunciant.

Feriâ secundâ ante Ascensionem Domini Archiepiscopus Coloniensis & Comes Hannoniæ in scriptis gallicè pronũciauerunt sententiam suam arbitralem. Et inter cætera primò Comitatum Lossensem adiudicauerunt Domino de Heinsburg; narrantes quod de hoc Dominus Leodiensis in eos compromiserat, contra processum Domini Papæ factum contrà omnes qui lite pendente super Comitatu

Auctor scribit rationes quibus probat non posse dari pecuniam Mechliniæ pro castro de Montegny.

tatu ipso quicquam attentarent, excommunicationis sententiâ fulminando. Et cum ego persisterem in contradictione, ne dicta pecunia daretur Domino de Heinsberg pro castro de Montegny, rationes contexui quibus probarem, quod hoc fieri non poterat, aut debebat; quæ sequuntur. A

Suppono, quod de iure feudorum, *10. Coll:* & de consuetudine regni Alemaniæ, feuda regalia, Marchionatus, Ducatus, Comitatus, si ea tenentes decedant sine liberis masculis de proprio corpore procreatis, si teneâtur ab Imperio, seu ab Ecclesiâ, quæ tenet ab Imperio ius illud, ad Dominos reuertûtur, vt probatur *in primâ constitutione §. hoc autē notandū: & in titulis, de successione feudi, & de natura successionis feudi,* & in priuilegijs Ecclesiæ nostræ, vbi continetur, quod Episcopi succedût in feudis Imperialibus, sicut Imperator; & super hoc habemus sententias Parium Imperialis curiæ sigillatas. B

Episcopi Leodienses succedunt in feudis Imperialibus sicut Imperator.

Item suppono, quod duo vltimi Comites, Arnoldus pater & Ludouicus filius, successiuè releuauerunt Comitatum Lossensem à Domino Leodiensi Episcopo.

Arnoldus & Lodouicus releuauerunt Comitatum Lossensē ab Episcopo Leodiensi.

Item cuius Comitatus membra Montegny, Loz, Hasselt, Tessenderlo, cum multis alijs nominauerunt; & pro vno feudo Comitatus releuauerunt, sicut super hoc habentur publica instrumenta, & literæ sigillo Episcopi sigillatæ.

Lodouicus mortuus est sine hærede masculo.

Item suppono, quod mortuo dicto Ludouico Comite sine hærede masculo, Ecclesia asseruit Comitatum prædictum ad Episcopum deuolutum iure prædicto, nemine contradicente; & quod ideo per patriam reportatū fuit, quod Dñs Episcopus habere deberet possessionem Comitatus siue saisiniam, donec quæstio proprietatis fuerit terminata: Et quod Dominus Episcopus habuerit possessionem Montegny, sicut aliorum locorum dicti Comitatus, & quod nomine ipsius Domini Episcopi, ac totius Ecclesiæ petitum fuit à Domino Papa, vt quæstionem proprietatis ipsius Comitatus terminaret, & quod delegatus Papæ Archiepiscopus Ianuensis inhibuit sub pœnis excommunicationis, & interdicti latarum sententiarum ne quis turbaret possessionem prædictam litependente, & quod post huiusmodi inhibitionem publicè factā (ita quod dictus Dñs de Heinsburg hoc sciuit seu scire potuit & debuit) Ecclesiam spoliauit possessione prædictâ, excōmunicationis sententiā incurrēdo; sicut hæc violētia notoria fuit facta per processum statutorū Synodaliū super hoc factū & ex parte delegati prædicti mandatū, quod dictæ sentētiæ cōtrà ipsum, & terra in suam fulminarentur; quod & factum est. C D

Item suppono, Quod iurauimus pecuniā Mechliniæ cōseruare, neq; locare in aliquos vsus, nisi hæreditatis acquirendæ: Quę suppositio probatur quotidie, quādo recipitur aliquis Canonicus ad prębendā.

Item suppono, quod licet hæreditas de iure ciuili nihil aliud sit quā successio in vniuersum ius defuncti *vt ff. de verborū significationibus l. nihil aliud est hæreditas, & de regulis iuris c. hæreditas:* tamen in diuinâ paginâ hæreditas

A reditas accipitur, pro rebus immobilibus, quæ perpetuo durant, *3. Regum 21. cap.* vbi Nabuthes sanctus vir, pro hæreditate suâ .i. pro vineis iure perpetuo sibi & suis hæredibus competentibus, interfectus est *23. q. 8. cap. Conuenior, verbo Nabuthen:* & ita etiam intelligitur, iure hæreditario quid possideri, ad differentiam ad vitam pensionum, vel ad tempus.

Item suppono, quod dudum Arnoldus Comes Lossensis possidens castrum de Montegny, vt allodium Francum, mediante certo contractu releuauit ab Episcopo Hugone tenendum ab ipso in feudû, eadem lege feudali hæredibus suis proximioribus in eo successuris, vt in literis super hoc confectis continetur.

B Istis suppositis, Capitulum deliberauit emere dictum castrum, & alia quædam bona seu iura, quinque millia Regalium vix valentia, ipsius Domini de Heinsburg ab ipso pro 33. millibus Regalium, tali conditione, quod idem venditor illa retrahere possit libere de pecuniâ suâ propriâ, nec alteri vendere in 25. annos. Duo de Canonicis contradicunt, asserentes hoc fieri non posse, quin duplex periurium incurratur: Generale, quo iurauimus non alienare hæreditatem Ecclesiæ; & Speciale de pecuniâ Mechliniensi, &c. Nunc quæritur vtrum Capitulum de iure, & sine periculo periurij, & suâ conscientâ ac honore, ratione talis contractus, tradere possint pecuniam prætaxatam? Et videtur quod sic, quia in contractu prædicto Comes cauit, vt in castro prædicto hæredes sui succederent proximiores: sed C Dominus de Heinsberg, siue ille, à quo causam habet, est proximior; ergo succedere debet: Ergo vendere potest Castrum, & Ecclesia emere per consequens ab eodem.

Quæstio.

Rationes pro parte affirmãte.

Contrarium dico verum esse, quod duplici viâ patebit.

Auctor negatiuam probat & sequitur.

Primâ viâ sumptâ, si probetur Castrum prædictum, tanquam mẽbrum & accessorium Comitatus; quod Ecclesia hoc emere non possit, quia rem suam nullus emere potest.

Secundâ viâ, posito, sed non concesso, quod castrum istud sit vendentis, quod Capitulũ illud emere non possit de pecuniâ Mechliniæ, sub conditione retractus adiectâ.

D Prima via sic patet, lex tria corporum genera distinguit. Primum genus, quod vno spiritu continetur, vt homo, lapis &c. Secundum, quod ex continentibus pluribus, & cohærentibus, vt ædificium, nauis & similia. Tertium, quod ex distantibus corporibus constat, sed vni nomini, seu conceptioni animi subiectis, vt populus, legio, grex, cuiusmodi est Comitatus & Ciuitas *ff. de vsucap. l. rerum mixturæ:* Colligitur etiam ex 6. metaphysicæ.

Lex tria genera corporum distinguit.

In omnibus prædictis generibus corporum, videmus fieri augmentum, & diminutionem, eisdem corporibus manentibus tamen, vt videmus in puero, qui cum auctus fuerit in virũ, idẽ homo manet; cum iterum decreuerit in decrepitum, manet idem; quia accidentia subiectum non immutant; quod ex definitione accidentis probatur,

In oĩbus fit augmẽtum & diminutio iisdẽ corporibus permanentibus.
Idẽ homo puer & senex.

quæ est adesse vel abesse præter subiecti corruptionem, vt in Isagege Porphyrij; sed quantitas quæ puero accidit est accidens, vt in prædicamentis, & dicto 5. metaphysicæ probatur, ergo &c. Idem videmus in naue, quæ licet augeatur, minuatur, vel in totum reficiatur vt ibi nulla tabula de primis maneat, adhuc, ratione corporis, eadem nauis habetur: probatur *ff. de iudicijs, l. proponebatur*; & *quomodo vsufruct. amittatur. l. qui tamen §. in nauis.* Idem etiam videmus in tertio genere; nam idem est populus Romanus, qui nunc est, & qui fuit tempore Romuli, licet multo maior fuerit postmodum, & nunc minor, *vt in dicta l. proponebatur.* Idem in grege; qui si nisi 20. fuerint oues aut 10. ab initio, si creuerint vsque mille, idem grex est: si verò moriantur omnes vsque ad vnam vel duas, idem corpus erit *ff. de legib. 1. l. grege.* A B

Eadem nauis dicitur etiam omnibus tabulis mutatis.

Idem populus Romanus qui nunc est & fuit tempore Romuli.

Solutio quæstionis.

Ita dicam in proposito: Cum ab initio paruum fuerit feudum Comitatus certarum villarum, alijs villis adiectis, eadem lege sicut de Montegny præsuppositum est, idem erit Comitatus.

Probatur solutio multis argumentis.

Primum argumentum.

Et hoc iure accessionis etiam probatur; Si quis tunicæ meæ insuerit manicam purpuream & alienam, iure accessionis manica erit mea, & vna tunica censetur *in Institut. de rerum diuisione. §. si tamen alienam.*

Aliud.

ततereà si Ecclesia augmentetur in longum, latum & altum, eadē habet priuilegia in augmentis, quæ in parte *vt notat G. in rosario, post Hugonem, de consecratione distinct. 1. cap. de Fabrica.* Ergo Episcopus eodem vtetur succedendi priuilegio in Montegny, quo in principali Comitatu. C

Aliud.

Ad idem. Quæ religiosis adhærent religiosa sunt, *ff. de rei vendicatione l. quæ religiosis: ff. de liberatione legata l. l. vltima. §. Gaio, per viam accessionis*; non enim debet eadem res diuerso iure censeri: vnde cum sit vnus Comitatus Lossensis, vt probatum est, non debet diuerso succedendi iure censeri: *Tit. de priuilegijs cap. quia circa. 5. decret.* vbi etiam dicitur quod priuilegium rite concessum super decimis retinendis, extenditur nedum ad decimas possessionum, quæ tunc erant, sed etiam ad eas quas priuilegiati postmodum acquisiuerunt: Ergo priuilegium datum Ecclesiæ in successione bonorum Comitatus Lossensis ad ea extendetur, quæ Comitatui postmodum fuerint acquisita; per commixtionem enim fit idem Comitatus, sicut oleum non consecratum consecrato mixtum totum est sacrum, *Tit. de consecratione Ecclesiæ, c. quod in dubijs 3. decret.* D

Aliud.

Et quid laboramus? Probata suppositio supra totum soluit, vbi duo Comites successiuè dicta membra pro vno feudo Comitatus Lossensis, sine exceptione aliquâ, releuauerunt.

Postremum ab absurdo.

Et prætereà essemus nobis contrarij, dicendo contrarium; cum sicut præsuppositum est, petitionem nostram in Curiâ formauerimus super toto, quod valdè esset honori nostro contrarium facere, maximè Concanonico nostro, qui partem istam tenet in Curiâ Papæ,

Dominus

A Dominis nostris Cardinalibus inconsultis, cum eorum consilium satis possit citò haberi, nec sit in modicâ morâ periculum, nisi fortè verborum, quia.

Nec semper feriet quicunque minabitur arcus;

Et in festinando sit maximum, scilicet periurij duplicati.

Non obstat ratio in contrarium, quia verbum illud (*ad proximiores hæredes*) debet intelligi secundum subiectam materiam, secundum quam, in feudis talibus proximiores hæredes intelliguntur filij progeniti, & non filiæ; quod etiam patet in dictis releuationibus, vbi nihil exceptum fuit circa Montegny speciale, quod aliter deberet ibi succedi, quam in alijs nominatis. Et si verba, *Proximiores hæredes*, fortè obscura videantur, ratione subiectæ materiæ, interpretabitur contra allodium vendentem seu tradentem, & in feudum releuantem, qui potuit legem apertius dicere *ff. de pactis l. veteribus: ff. de contrahenda emptione l. labeo* si ita est, non poterit esse emptio, quia rei suæ consistere non potest emptio, *vt eod. tit. l. sua rei; & Cod. eod. tit lege cum res*. Ergo pecunia Mechliniæ datur sine emptione: Ergo fit contra iuramentum.

Respondet rationi in contrarium allatæ.

B

Sed posito, & non concesso, quod secundum opinionem contrarium sentientium, dictum Castrum sit Domini de Heinsburg quoad Dominium vtile, adhuc dico, quod emi non possit sub conditione retractus de Mechliniensi pecuniâ, cum illa debeat in hæreditatem conuerti, & nomine hæreditatis res perpetua contineatur, vt supra C suppositum & probatum est; & in euentum, retractus perdatur, nō dici poterit empta hæreditas; & per hoc quod emeretur, emptores confiterentur venditorem Dominum, cum rei suæ non sit emptio, vt probatum est suprà. Ergo faterentur iniustè se litem mouisse super hoc venditori, quod esset valdè vituperosum tantis viris, saltem antequam dubium istud foret per litis Iudicem declaratum.

Nec obstat *ff. de in diem adiectione, l. 2.* vbi similis contractus purus appellari videtur, licet sub conditione resoluatur: Nam ibi quantum ad hoc purus dicitur, quod emptor possit vsucapere, fructus & accessiones lucrari, & periculum ad eum pertineat, si res interierit, vt ibi D dicitur: non tamē purus, quoad hoc, quod sit perpetuus cōtractus, cū sub conditione resoluatur; & sic licet dicatur, quoad quid, emptio pura, non tamen perpetuæ rei, scilicet hæreditatis, secundum quod supradictum est de hæreditate, pro quâ dari possit pecunia Mechliniensis.

Et si istæ rationes non sufficiunt contrarium sentientibus, vt credant eis, saltem mouere debent eos, ad hoc quod negotium differatur, donec saltem per aduocatos nostros in curiâ hoc dubium decidatur.

Quia quidam maleuoli priuilegium Ecclesiæ super Comitatu de Haspengow calumniari nituntur, dicentes, habeat Ecclesia Comitatum Haspengow, quid ad Comitatum Lossensem? Idcirco ad probandum

bandum ius Ecclesiæ in Comitatu Lossensi, detractoribus ipsius priuilegij breuibus respondere curaui. A

Haspengovv teutonicum vocabulum gallice Hasbain.

Certum est, nec in dubium reuocatur, quin Comitatus Lossensis sit in Haspengow constitutus; Imperatores Teutonici erant, & nomina teutonica ponere consueuerunt; propter Gallicos dico, qui corruptè, *Haspengovv*, *Hasbain* sunt soliti nominare.

Imperator dedit Ecclesiæ Leodiensi Comitatum de Hespengovv.

Vnde notandum tamen est, quod Imperator non dedit Ecclesiæ Comitatum Haspengow quoad vtile Dominium, sed solum directũ, hoc est quod ab Ecclesia teneatur in feudum, sicut habebat Imperator: nec enim dare poterat quod non habebat, scilicet vtile Dominium, quod tunc alius possidebat, vt patet in priuilegio supradicto: Et tunc temporis, sicut dicunt, & verum est, & etiam ante, benè erat Comitatus Lossensis, sed non erat feudum Imperiale immediate, imo B recognoscebatur à Comite de Haspengow, sicut adhuc recognoscitur ab Ecclesiâ, quæ succedit in locum illius.

Quare non amplius vocatur Comitatus de Hespengovv.

Et cum dicunt quare ergo non vocatur modo Comitatus Haspengow? Respondeo, quia sicut riuus paruus influens in magno perdit nomen, ita & hic, quia Comitatus cessit maiori dignitati: Sicut etiã Ducatus Bullonij perdidit nomen, quoniam cessit eidem Ecclesiæ, & Comitatus de Muha.

Pronosticatio de Ecclypsi futura.

Hoc tempore quidam prognosticauit Ecclypsim solis valdè magnam futuram anno futuro, scilicet 1339. die septimâ mensis Iulij per meridiem post duas horas, ita quod quasi totus sol obscurabitur in C hac formâ. 

Hyems aspera

Hoc anno scilicet 1338. tam aspera fuit hyems, quod tribus vicibus mosa congelatus extitit inter duos pontes, Insulæ videlicet & Auroti, & quod homines sicco pede de Ciuitate ad Insulam transitum faciebant.

Rex Angliæ venit in Brabantiam, & se confert ad Bauarũ

Eodem anno mense Septembri Rex Angliæ transfretans venit in Brabantiã, & deinde se trãstulit versus Ludouicũ de Bauariã qui se gerit pro Imperatore, requirens eum, vt pacta seruando secum Regem Francorum inuaderet; quod non fecit, sed distulit, quia Rex non soluit sibi stipendium, vsque Mayum futurum. Et paulo post Ianuenses auxiliarij Regis Franciæ in mari propè Middelborch ceperunt quinque naues Regis Angliæ, quarum vna permaxima Christophorus vocabatur, quæ septem annis vix extiterat fabricata. D

Nauis ædificatur septẽ annis

De monedula & canicula quid ridiculũ & mirandum.

Hoc tempore quidã Canonicus sancti Martini Leod. quatuor annis habuit monedulam priuatam, quæ caniculam quandam ad quantitatem leporis in tantum cœpit amare quod vbicunque currebat canicula monedula sequebatur, osculabatur, rostrum imponebat ori illius: Et si quis tangeret caniculã, latrabat monedula sicut canis, quẽ tamen latratum didicerat diu ante. Et si Dominus caniculæ pressuram gentis intrabat, sicut frequenter contingebat, ipsam in pressurâ caniculam sequebatur, & se coniungebat eidem. Et cum de sero clauderetur ostium aduocati, exclusa monedula summo mane aduocati

A cati ostium obseruabat, donec canicula quæ libenter dormiebat de mane, sui copiam faciebat.

Eodem anno feriâ 2. 12. die Octobris Rex Angliæ coram pluribus magnatibus, inter quos nuncij Ducis Brabantiæ, Comes Hannoniæ, Comes Geldriæ, & Comes Iuliacensis, literas Bauari legi fecit, per quas ipsum vicarium Imperij per Alemaniam coustituebat: Quibus lectis, & in quibus continebatur, quod hoc fecerat in solemni Curiâ in Francfort, vbi leges nuper condiderat, & monitis ibi Principibus, an literas tales pro efficacibus haberent, indicauerunt, quod sic. *Bauarus Regê Angliæ creat Vicariũ Imperij.*

Tunc tanquam Vicarius omnes requisiuit, quatenus assistere vellent ei, pro iniurijs Imperij vendicandis: Qui omnes consenserunt, exceptis nuncijs Ducis, & Comite Hannoniæ qui deliberationem B petierunt. *Vicarius rogat Principes vt in ea qualitate illi assistant.*

Feriâ 5. sequenti idem Rex tanquam Vicarius, cum narratione facti, per literas suas citari fecit Episcopum Leodiensem ad secundam feriam ante festum omnium Sanctorum apud Mechliniam corã eo, ad audiendum &c. sub pœnâ priuationis omnium, quæ tenebat ab Imperio, in vim, quod præstiterat, iuramenti. Comes tamen Hannoniæ, postmodum promisit cum alijs, quod Imperatorem sequeretur vbique, præterquam in regno Auunculi sui Regis Francorum. *Facit citarĕ Episcopum Leodiẽsem sub grauissimus pœnis.*

Vndecimâ die eiusdem Octobris, in die cordulæ virginis, translatum est corpus beati Hadelini Cellensis cum collegio 12. Canonicorum Viseti, tum propter Tyrannidem aduocati loci, qui dicitur Dominus Cellensis, tum propter fauorem Viseti de nouo muro lapideo C cincti: Quâ die ad perpetuam rei memoriam hos versus composui. *Translatio corporis B. Hadelini in Visetum & quare facta. Versus ea de re auctoris.*

Anno mille, c. ter Domini, quater x. duo præter
Canonici læti cum patronoque Viseti
Cellenses estis translati, cordula testis:
Sis nouus hic hospes Hadeline sacer, misero spes.

Anno Domini 1339. in crastino Innocentium, misit Papa plures literas clausas Episcopo nostro, alijs quibusdam sub bullâ plumbeâ, & vnam Capitulo nostro, cuius tenor sequitur in hæc verba. *Literæ Papæ ad Episcopum & ad Capitulũ cuius hæc est copia.*

Benedictus Episcopus Seruus seruorum Dei dilectis filijs, Capitulo Ecclesiæ Leodiensis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Sicut vestram indubiè supponimus non latere prudentiam, cum in D omnes Christianitatis partes ad communem sit notitiam deductum; olim Ludouicus de Bauariâ, vt asseritur, discorditer in Regem Romanorum electus, per diuersos processus, diuersis temporibus, per fœlicis recordationis Ioannẽ Papam 22. prædecessorẽ nostrũ, de cõsilio Fratrum suorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, solemniter factos, & habitos, extitit suis grauibus & detestandis excessibus, & delictis, ac culpis, inobedientijs & contumacijs continuatis & auctis varijs excommunicationum sententijs innodatus; & demũ de hæresis & schismatis ab ipso notoriè perpetratis criminibus sentẽtialiter & publicè condẽnatus, omni iure (si quod ei ex eadem electione dis-

cordi ad regnum Romanum vel Imperium forsitan cōpetebat) iusto Dei & Ecclesiæ iudicio priuatus; tam in ipsum, quam in omnes & singulos cuiuscunque dignitatis, præeminentiæ, conditionis, vel status existerent, etiamsi Pontificali, vel quauis alia dignitate fulgerēt, præfato Ludouico, quam diu esset extra gratiam & communionem Ecclesiæ ac fidelium, fauentes, adhærentes, seu præstantes auxilium, consilium vel fauorem, aut pro Rege Romano vel Imperatore habētes, tenentes, vel nominantes scienter, non solum excommunicationis & Anathematis, quin imò alijs diuersis spiritualibus & temporalibus pœnis inflictis, sicut in eisdē processibus plenius continetur. A

Excommunicātur adhærētes Ludouico.

Sanè, cum, sicut intelleximus, præfatus Lodouicus (qui nec Rex nec Imperator est, nec ea, quæ fecit, facit, aut faciet, quamdiu extra gratiam Ecclesiæ & communionem fidelium extiterit, vel existet, nullius sunt, vel fuerunt authoritatis, roboris, vel momenti) Regem Angliæ illustrem, vicarium in Alemaniam, & Germaniam, earumque prouincijs, & partibus, sub Imperialis nominis titulo deputarit, idēque Rex venerabili Fratri nostro Adolpho Episcopo Leodiensi, & nonnullis prælatis alijs partium prædictarum, prætextu vicariatus eiusmodi (vt asseritur) de facto præsumpti, mandasse dicatur, vt dicto Ludouico ac eidem Regi tanquam Vicario ipsius pareant, & intendant; ac homagium, recognitionem, & fidelitatis iuramentum pro terris, bonis, quæ tenent ab ipso, exhibere procurent, in contradictores pœnas terribiles comminando; vniuersitatem vestram rogamus, requirimus, & in Domino attentius exhortamur, quatenus præmissa, necnon synceritatem deuotionis & fidei, quibus erga Romanam Ecclesiam claruistis, attendentes, & expectando meritum, quod in bonis perseuerantibus veritas repromittit, in illis constanter & intrepide persistentes, memorato Leodiensi Episcopo (qui sicut Prælatus vtilis & fidelis se & Ecclesiam, clerum & populum suos, ab inuasione, & contagione pestiferâ dictorum Ludouici & Regis & & aliorum eis adhærentium disponit, vt intelleximus, defendere viriliter & potenter) assistatis vnanimiter & fideliter, ac præstetis auxilium, consilium & fauorem; ita quod vestra fidelitas apud Deum & sedem apostolicam clarius circa hæc fulgeat, vos laudum & commendationum attollens præconijs, & acceptiores non immerito efficiens ad promerendum vberius fauores, & gratias dictæ sedis. Datum Auinioni 11. Calend. Decemb. Pontificatus nostri anno quarto. B C D

Rex Angliæ fit Vicarius Germaniæ.

Abutitur potestate.

Hoc anno, circa martium, armiger quidam Iacobus de Artenuelt, nominatus, præfectus à populo Flandriæ, Comitem Dominum Flandriæ de terra fugauit, & obeditur eidem.

Iacobus de Artenuelt fugat Comitem Flādriæ & à subditis ei obeditur.

Hoc mense Rex Bohemiæ contra Comitem Barri exercitum congregat, & idem Comes contra ipsum: sed vtrobique contramandāt auxiliarios conuocatos.

ANNO-

A

ANNOTATIONES.

1. Deinde per dictos Archiepiscopum & Comitem Hannoniæ:] *Quæ hic habes de pace inuoluta, & prætensionibus Domini de Heynsberch, necnon Gestis per Capitulum Leodiense, deque literis Bauari Imperatoris eadem confirmant & referunt Cornelius Zantfliet, & Brustemius.*

2. Vndecima die eiusdem Octobris in die Cordulæ:] *Causam & originem huius translationis propius depingit Chronicon Gemblacense his verbis.* Mota est discordia inter Canonicos S. Hadelini & Dominum Cellensem. Nam dictus Dominus libertatem eorum Ecclesiæ defraudabat, & prædictos Canonicos vltra modum opprimebat. Cum vero Eccle-
B sia S. Hadelini Cellensis esset vna ex Abbatijs S. Lamberti Leodiensis, Domini Canonici consilio vsi, feretrum cum corpore S. Hadelini clam suscipientes, ipsum Leodiū transtulerunt, in Ecclesia S. Lāberti collocantes. Quare Adolphus noster Episcopus & Capitulum Leodiense inter se super hoc consilium habuerunt, quid agerent. Tandē ad inuicem concordati sunt, quod dictum Feretrum S. Hadelini cū Canonicis prædictis transferrēt apud Visetum: quod & factum est, & tunc ibi facta est Ecclesia Canonicorum. Tunc temporis Visetum nouis muris & turribus super ripam Mosæ, ab Episcopo & Ecclesia Leodiensi vallabatur.

Idem refert Cornelius Zantfliet, sed addit visitatum ab Episcopo & Ecclesia Leo-
C *diensi feretram S. Hadelini in eoq́; repertum fuisse corpus S. Hadelini Brachio excepto, quod Stabuleti asseruari affirmat his verbis* Brachium (*inquit*) solum corpori defecit quod in monasterio Stabulensi honorifice vsque in præsens conseruatur, ante multa annorum curricula illuc translatum.

3. Anno Domini 1339. in crastino Innocentium:] *Literas Papæ Capitulo missas attestatur quoq́; Cornelius Zanfliet & Bruistemius qui idem literarum exemplar referunt.*

D

De quibusdam gratijs quas Rex Bohemiæ fauore Episcopi obtinuit à Capitulo Leodiensi nonnullis de Capitulo contradicentibus, & quibusdam alijs tam internis quam externis.

CAPVT XXV.

Rex Bohemiæ obtinet dilationem redimēdi terras quas Capitulo vēdiderat.

HOc anno 15. die Aprilis, Rex Bohemiæ comparuit in Capitulo, & in præsentiâ Episcopi regratiatur Domino, & Capitulo, super eo quod sibi dederant dilationem redimendi terras, quas eis vendiderat, cuius terminus instabat; quod tamen verum non

 erat,

erat, quia nulla data fuit dilatio, nisi quod vnus de Canonicis inconsultè dixit, demus Domino potestatem dandi dilationem, vel vendendi sibi, si terminus transeat supradictus, & tamen dicta dilatio est sibi data; & vltra hoc obtinuit tunc 20. millia florenorum de pretio Mechliniensi, pro terris de Mirewart, antequam eas traderet; dicto E. de Fiesez & me contradicentibus traditioni pecuniæ, & confœderationi quam fecit Episcopus cum dicto Rege ad 40. annos, quā petijt per Capitulum confirmari, quia nobis videbatur per hoc, iniustè futurus Episcopus obligari: Episcopus verò in præsenti, sicut dicebat, volebat suæ patriæ prouidere, non obstante contradictione quacunque. A

Et confœderationē cum Episcopo ad 40. annos.

Quibus omnibus contradicitur.

Et quamuis iam Mayus aduenerit, in quo dictus Lud. de Bauariâ promiserat se venturum, non tamen venit adhuc, sed vsque quindenam post Natiuitatem B. Ioannis protelauit aduentum: vnde Rex Angliæ contristatur. B

Hoc anno mense Iunio fuit maximum bellum apud Berne.

Septimâ die Iulij per duas horas, post meridiem maxima fuit Eclypsis solis, adeo quod 11. eius partibus obtectis, per duodecimam tantum suo lumine fungebatur, sicut prognosticatū legitur in præmissis.

Prosenetæ Brugenses arma sumunt.

Quartadecimâ die Iulij, Prosenetæ Brugenses, qui plerique sunt diuites & hospites plerumque, attractis sibi tribus ministerijs contra plures se armauerunt: quos præsentiens Iacobus de Artenuelt ductor popularium ipsos inuasit; & habita victoriâ 25. ex eis fecit decollari. C

Episcopus obsidet Dionantum.

Nouē personæ abiudicantur.

Promissa pecunia mutatur sententia.

Sexta die augusti, Episcopus se fingens armatos ducere ad succursum cuiusdam confœderati sui, venit cum armis ante Dionantum; & ibi per Scabinos loci inimicos eorum, de popularibus 9. personas de Dionanto abiudicauerunt, non vocatos, non conuictos, non confessos, præsente Dño & sex Scabinis Leodiensibus, quos illuc adduxit: A quâ sententiâ vxores illorum ad Scabinos Leodienses appellauerunt; pro quo inter Scabinos Leodiēses extitit altercatum, quibusdam sententiam abiudicationis confirmare volentibus, cæteris infirmare. Tandem promissis Domino sex millibus florenorum, illi qui in fauorem Episcopi sententiā cōfirmare volebant, cum cæteris pronunciauerunt abiudicationis sententiam fore nullam. D

Circa finem septembris Rex Angliæ cum auxiliarijs suis intrauit Hannoniam, inter quos Dux Brabantiæ, Comes Geldriæ qui nuper nomen Ducis assumpsit, & Comes Iuliacensis, qui titulum Marchionis sibi vendicat, cum multis alijs, & Cameracum, quod Rex Franciæ muniri in fauorem suum procurauerat, obsederunt.

Leodij nouum forum instituitur celebrandū bis in anno.

Eodem tempore instituitur Leodij nouum forum celebrandum bis in anno, incipiendo in octauâ beati Lamberti, & per octo dies continuè subsequentes; & in capite Maij per dies totidem duraturum.

Circa

A Circa initium Octobris, Rex Franciæ mandauit Episcopum Leodiensem, mittens ei residuum stipendij 60. millium florenorum, & sic transiuit ad eum, nepote suo Comite de Marcka, Comite de Monte, & pluribus eius consanguineis ad stipendia Regis Angliæ dimicãtibus ex aduerso.

Episcopus vadit ad Regem Franciæ.

Eodem mense, mirabile dictu, Wilhelmus Comes Hannoniæ iuuenis tam moribus quam ætate, cum trecentis galeis ad Regem Frãcorum auunculum suum se transtulit, nongentis galeis quas de pecuniâ Regis Angliæ stipendiauerat in Hannoniâ dimissis, qui cum Rege Angliæ Franciam inuaserunt. Et cum Rex Franciæ prudenter bellãdi dubium deuitaret, æstimans aduersarios tam penuriâ victualium, quam instantis asperitate hyemis, infecto negotio recessuros, B Regni sui villas plurimas ad duas leucas propè Laudunum deprædarunt, & per octo leucas versus partem Flandriæ combusserunt, insultum facientes coram Castello paruo dicto Honnecourt, de suis multos perdiderunt, ibidem pluribus vulneratis, 11. die Octobris: Cuius insultus capitanei fuerunt Comites Geldriæ & Iuliacẽsis, Dominus de Falcomonte, & Dominus Ioannes de Hannoniâ patruus dicti Comitis Hannoniæ. Hic insultus (vt fertur) à manè ad vesperum vsque durauit, cum duobus millibus armatorum, qui demum recesserunt relicto Castello, & in reuersione per Regem Bohemiæ 8. milites & 7, armigeri ex illis capti fuerunt.

Rex Franciæ prudenter dubium belli deuitat.

Insultus à mane vsque ad vesperum.

C Sexta decimâ die dicti mensis Rex Franciæ cum 24. millibus equitum transit flumen Sommam per pontem Peronæ. Interim Rex Angliæ se retraxerat versus Guisiam, versus Terraciam, propter defectum victualium, quæ gens Regis Franciæ non permittebat venire: & die 23. scilicet sabbatho, de sero exorcitu soluto recessit.

Rex Angliæ defectu victualiũ se retrahit versus Guisiam &c.

Interim Flamingi percipientes, quod Rex Angliæ in Franciâ sic iacebat, terram comburendo & deprædando sibi nemine resistente, se congregauerunt in finibus terræ suæ, mandantes Regi Franciæ, quod Insulam, Duacum, & terras reliquas, quæ dudum ad Flandriam pertinebant, restitueret, alioqui Insulam obsiderent. Finitâ sic guerrâ saltem per instantem hyemem, hos versus inde composui.

Flamingi petunt à Rege Franciæ sibi restitui insulã, Duacum & alias terras.

D
Annis vndenis, binisque, cubos facias si, *.1. 1348.*
Anglorum Frænis sunt Franci plurima passi.
Anglia festinat bello superare potenter,
Bellum declinat Rex Francorum sapienter.
Dispar conditio belli; nam Francia victa
Subdita supplicio foret, hosti nempe relicta:
Sed si vicisset, distat nimis Anglia; quare?
Diuidit atque mare, modicum lucrata fuisset:
Deprimis ergo fame Rex hos aufers quibus escas,
Quos vt compescas, non curas friuola famæ.
Fortunæ manibus nihil est committere tutum,
Sit prudensque, quibus satis est ostendere scutum.

Sors hæc durauit, dum libram sol peragrauit,
Rem sic librauit ambos quos damnificauit. A

Rex Angliæ digmata Regis Franciæ assumit in armis & sigillo.


Deinde Rex Angliæ reuersus in Flandriam digmata .i. signa militaria Francorum Regis assumpsit in armis & sigillo, Regem Franciæ se scribendo; interquadrando, in duobus scilicet quadrantibus angulariter oppositis pingens Francorum signa, in duobus reliquis signa sua; de quo multi non immeritò mirabantur. Inde contexui versus istos.

Vndeno cubico Domini, quandrandoque terno
Anno, quæ dico vix contingentia cerno.
Digmatibus Regis Francorum, pingitur ægis, *i. clypeus*
Principis Anglorum, contra documenta maiorum: B
Stulti securum, contingens ferre futurum,
Alterius signa, pro re præsumere digna
Res satis est vilis, quasi præsul sit puerilis.
Sic crebro cernis vacuis pendere tabernis
Debita signa meri; decuit prius ista mereri
Cum re signatâ *.i. cum regno*: Res est de fine beata.
Finitis spatijs scio cuius cantica toni,
Victrix causa dijs placuit, sed victa Catoni.

Præsul. In ludo S. Nicolai; qui solo nomine Pontificat; vel sicut Rex scacorum dicitur Rex.

Quadrati figura apud Geometras.

Numerus quadratus apud Arithmeticos.

Ad intellectum duorum versuum supra, *Annis vndenis* &c. ac aliorũ duorum parum post, ibi *vndeno cubico* &c. simplex grammaticus scire debet, quod apud geometras quadratum, seu area quadrata constat ex quatuor lineis æqualibus hoc modo. [ ] Item quod cubus seu corpus C cubicum, est solidum corpus huiusmodi quadratis superficiebus sex vndique clausum, quod pingi non potest, sed sit exemplum eius taxillus. Ad horum similitudinem Arithmeticus sumit numerum quadratum, quando sic aptè collocatur, quatuor  qui sunt primus numerus quadratus: secundus 9.  tertius 16.  & sic in infinitum dicendo: Sicut dicendo bis duo sunt quatuor: ter tria sunt nouem, quater quatuor sunt sexdecim: quinquies quinque sunt 25.

Sic etiam sumit numerum cubicum; & est primus cubus 8. sic triplicando bis duo, bis: Nam si quatuor taxillis ad inuicem iunctis qua- D dratè alij quatuor supraponantur, redditur ex apta coniunctiõe corpus cubicum sex laterum æqualium, sicut est vnus taxillus: Eodem modo fit si ter tria, ter coniunxeris; vel quater quatuor quater, &c.

Auctor versus suos interpretatur.

Cum igitur in primo versu dicitur *annis vndenis* &c. i. vndecim vndecies fiunt 121. hunc numerum vndecies collige & fiunt 1331. Sequitur in versu *Binisq; cubos facias Si.* i. bis duo, bis, sunt 8. quę iungas 31. erunt 39. quæ iuncta 130. reddũt datam 1339. In sequenti vero data, *vndeno cubico*, resultant similiter 121. quæ vndecies sumpta iterum 1331. cumulant: & sequitur in versu, *Quadrandoque terno .i. ter tria ter*, sunt

A *ter sunt* nouem: quæ iuncta 1331. reddunt numerum 1340.

Anno Dñi 1340. mense Aprili gens Regis Franciæ quam posuit Cameraci, plures villas per Hänoniam cõbussit: quo facto paulopost Comes Hannoniæ Cõbussit oppida Abenton & villas vicinas infinitas hominibus interfectis, captis aliquibus cunctisque prædatis. Interim Comes Salesbriȩ & Comes de Sulfort Angliæ, dũ cũ Flamingis circa insulã specularẽtur qualiter & vbi eã efficacius possent inuadere, positis insidijs à custodibus Insulæ, cum 7. militibus capiuntur.

Rex Galliæ cõburit plures villas Hannoniæ.

Comes Hannoniæ è contra.

Hoc anno Caristia vini: Quarta de meliori Rhenensi quatuor sterlingis vendebatur.

Vicesimâ octauâ die Maij Comes Hannoniæ feudum suum releuauit ab Episcopo in Capitulo, quod hactenus negauerat, quia certo lo-
B co tantum releuare teneretur vt dicebat, & hoc etiam protestabatur: Sed Episcopus fuit in contrarium protestatus: Tunc requisiuit adiutorium contra Regem Franciæ, pro quo fuit patria conuocata.

Comes Hannoniæ releuat feudum suum ab Episcopo.

Ante festum B. Ioannis Baptistæ Comes Hannoniæ & Dux Brabãtiæ castra metati sunt ante Cameracum cis Scaldeam, filio Regis Frãciæ vltra Scaldeam cum exercitu maximo residente, ita quod equos ex vraque parte fluminis adaquabant; parte Comitis bellum petente, quod pars aduersa vsa prudenti consilio denegabat, dicente Terentio: *Omnia prius quam bellum tentare sapientem decet.* Considerabat citò inimicos propter defectum victualium recessuros, quamuis Rex in exercitu suo numerum 30. millium equitum armatorum diceretur ha-
C bere, adhuc Rege Angliæ de Anglia minime reuertente: Cumque stetisset ibi Dux & Comes per dies circiter 14. in vigilia S. Ioannis ad propria sunt reuersi.

Comes Hannoniæ & Dux Brabantiæ obsidẽt Cameracũ.

Interim Rex Angliæ nauigio ad Flandriam properabat: inueniẽs obuiam nauigia Francorum inuasit, & in vigilia S. Ioannis Baptistæ post meridiem incipiens vsque ad noctem in crastinum fortissime cum illis dimicauit: Tandemque interfectis remigibus circa centũ & quadraginta naues lucrifecit, inter quas erat Christophorus & duȩ aliæ maximæ quas rex Angliæ prius perdiderat, de quibus supra fecimus mentionem. Rex Angliæ tamen multos de suis perdidit, & in
D rebus maxima damna sustinuisse narratur: Et statim post Franci libere Hannoniam peruagantes, Castrum Bauay combusserunt, interfectis villæ hominibus atque prædatis, quicquid erat extrà fortalitia igne ferroque vastantes.

Rex Angliæ vincit francos & nauibus spoliat.

Quartâ feriâ, 26. die Iulij bellum fuit apud S. Odomarum, vbi pars Francorum vicit Flamingos, pluribus interfectis non sine damno suorum.

Bellum apud S. Audomarum.

Circà initium Augusti Flamingi cum Brabantinis Tornacum obsederunt; Rege Franciæ ad soluendum obsidionem potente, si belli tentare dubium voluisset.

Flamingi Tornacum obsidẽt.

Tunc Magister Mangonalis in Tornaco extrà iaciens lapidem, patrem suum qui Machinis extrinsecus præerat interfecit: Cum autem

ibidem

ibidem vsque penultimam septimanam septembris inutiliter iacuisset, treugis datis hinc inde vsque festum B. Ioannis Baptistæ exercitus recesserunt. A

Dantur hinc inde treugæ.

ANNOTATIONES.

1. Eodem tempore instituitur Leodij forum:] *De hoc foro sic loquitur Chronicon Gemblacense*: Anno Domini 1339. Episcopus & Capitulum in Ciuitate Leodiensi statuerunt, vt quolibet anno in octaua sancti Lamberti nundinæ fiant in sua Ciuitate Leodiensi, quod forum vocatur.

2. Eodem mense, mirabile dictu:] *De bello hoc Regis Angliæ contra Regẽ Franciæ scribunt fuse satis Cornelius Zanfliet, & Chronicon Gemblacense.*

3. Anno Domini 1340. mense Aprili gens Regis Franciæ:] *De bellis his Gallorum contra Flandros vide Meyerum, Chronicum Gemblacense, & Cornelium Zantfliet.* B

De statuto Capituli S. Ioannis super defalcatione fructuum Decanatus confirmato per Episcopum, nescio suo Capitulo, & lite super ea re mota, deq; alijs quibusdam extraneis.

CAPVT XXVI. C

Hoc tempore cum lite pendente coram Officiali Coloniensi in causa appellationis ad ipsum interpositæ pro parte Capituli S. Ioannis Leodiensis, quod decanatum suum pinguem defalcauerant, hoc Episcopo sine consensu Capituli sui confirmante, quia factum illud idem Episcopus reuocauerat Capitulo conquerente, lentè satis procederet Officialis, ad excitandum ipsum scripsi literas, quæ sequuntur.

Archidiaconus in proœmio rosarij in princ. super decretis:

REVERENDO Patri & Domino G. D

Tit. de solutionibus cap. Odonardus, 3. decret. *ff. ad municipales l. eius qui §. 1.*

Officiali in Colonia vel

Tit. de Arbitris cap. ex parte 1. decret. *Tit. de testamentis c. Ioannes 3. decret.*

Coloniensi, Ioannes Scho-

I. 11. distinct. c. Osius C. De lucris aduoc. C. 2. *Tit. de symonia c. ficut, tuis 5. decretal.*

lasticus Leodiensis

Baruch quarto capite

Iocunditatem cum salute.

A *Canticorum primo.*
.i. quidam de confratibus.
Filij matris meæ pugnauerunt contra me,
Paralyp 23. c. alias est sub 22. *1. ad Timoth. 2. 2. q. 7. cap. sicut sacerdotes,*
Huiuscemodi verbis seruum Dei non oportet litigare; nō
Isaiæ 57. cap. *Iob. 9. cap.* *6. q. 1. cap. si omnia*
enim in æternū litigabo. Quare frustra laboramus superuacuis
ff. de peculio .l. quod debetur *scilicet, quā lis*
impēdijs: & euetus executionis possit esse incertus, & cogitāda sit
durare poterit *Tit de transactionibus, c. contingit 1. decret.* *Cod. finium regundorū. l. Si quis.*
mora temporis. Transigat Capitulum, Huiusmodi litigium ter-
Psalmo 121. *Ad Romanos 5. cap.* *Ieremiæ 8.*
B minetur. Fiat pax, pacem habeamus, dicentes pax, pax
.i. esse non posset. Probatur hæc expositio
ff. de capitis diminutione l 2. §. vlt *Tit de electione & Electi potestate c quia diligētia 1. decretal.*
cum non esset pax, saluâ ratione, & saluâ debitâ iustitiâ, & re-
subaudi, nostræ. *dist 6. c. His itaque, scilicet per me* *Matthæi 21 cap.*
uerentiâ Ecclesiæ. His itaque respondetur, nescitis quid peta-
Matth. 10 cap. *3. Regum 21. cap.*
tis, aut quid loquamini, non dabo hæreditatem patrum meorū:
23. q. 8. c. Conuenior.
Sanctus enim Nabuthes vites suas proprio sanguine defendit:
.i. proditores erimus iurium eius?
Si ille vineam non tradidit suam, nos trademus Ecclesiam
C *Iob 2. c. .i. beneficia nostra.* *Matth. 7. c. .i. præla-*
Christi? Si bona suscepimus de manu Domini, non mittatis
turā vestrā non sustineatis à subiectis auferri, 11. q 3 c. Nolite. *.i. vos habeant in despectu.*
margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, &
ad vomitum, *Prouerb. 26. cap.* *Salustius in libro de bello Iugurtino, in ora-*
canés conuersi discerpant vos. Pro libertate quam à maioribus
tione Memmij.
accepistis, nonne summâ ope nitemini, atque eo vehementius
quo maius dedecus est parta amittere, quam omnino non para-
Numer. 23 cap. *à me proposita ne dicam, iniqua.* *D. Hierony-*
uisse. Quâ ratione obstructum est os loquentium, qui loqui
mus ad Demetriadem de virginitate seruandâ. *Iob. 21. cap.*
D nesciunt, & tacere non possunt. Audite quæso sermones meos,
Psalmo 73.
quanta malignatus est inimicus in sancto. Soror nostra paruu-
vbera. i. geminā charitatem, Dei scilicet & proximi, vnde in aurora per Mammas sponsæ, dilectio
bina notatur, cum Deus in summis & in imis semper amatur. In clementina de summa trinitate c. 1.
la est, vbera non habens Ecclesia (& infra) B. Ioannis Euangeli-
Psalmo quadragesimo. *Psalmo octua-*
stæ. Magnificauit aduersum nos supplantationem, magnifica-

gesimo secundo. *Actorum*

uerunt consilium & cogitauerunt aduersus fratres suos, causas A

25. cap. circa principium. *Iudicum 20. c. circa medium.*

obijcientes quas probare non poterant. Cum autem se inferio-

fouendo causam iniquam, neganda sigilla literarū nota. *11. q. 1. cap. Christianis.*

res esse vidissent, cœperunt fugere. Qui iudicium refugit, appa-

Esechielis 22. cap. *scilicet tribunalis.*

ret eum de iustitia diffisum. Calumniati sunt in medio tui:

30. q. vltima. cap. vltimo.

Quoniam iam peractis omnibus nihil habeant in quæstione

Esechielis 7. cap. .1. coge concludere. *In authentica, de testibus §.*

quod proponant. Fac conclusionem. Postea verò mox vt B

quia vero, Collatione 7. De pœnitentia dist. 1. c. alij è contrario. ad Cor. 6. c. *Ioannis 4. cap.*

concluserint, ecce nunc tempus acceptabile, messis venit,

Cod. de ferijs l. dies. §. nulla. *ff. de ferijs. l. Diuus Traianus.*

respirent à controuersijs litigantes: Ea autem quæ ad disciplinā

Seneca in proœmio

pertinent etiam feriatis diebus peragenda sunt. Excitatur enim

declamationum.

otio vigor, & omnis tristitia quæ continuatione pertinacis stu-

Psalmo 138.

dij adducitur, feriarum hilaritate discutitur. Tu cognouisti

33. q. 4. cap. si Ecclesia. *Philosophus in 6. Ethicorum.*

omnia suis conuenire temporibus. Operari oportet cito con- C

Marcus Tullius Cicero in paradoxis.

siliata. Cum igitur Deus vel mater omnium natura tibi dede-

Psalmo 140.

rit animum, quo nihil est præstantius, nihil diuinius, tempore

Seneca 1. de beneficijs .1. Iudicis ff. de verborū obligationibus l. continuus. §. 2. Tit.

oportuno opus tuum perage, & boni viri partes exequere: Ad

de dolo & contumacia ca. causam quæ 2. decretal. *Tit. de Rescriptis cap. cæterum 1. de-*

proferendam sententiam procedatis, non immeritò is qui ta-

cretalium.

li dolo & fraude aduersarium suum laborare coëgit, in expensis

Matthæi 18. cap. *Rhut 4. cap.*

condemnari debet eidem. Patientiam habe in me: Si tibi dis- D

scilicet quod scribo ff. vt quæ in Fran. l. prima. *Ad hæbreos 13. cap.*

plicet hoc ipsum, qualecunque fuerit. Rogo autem vos vt suf-

in fine *Ad Phi-*

feratis verbum solatij, etenim perpaucis scripsi vobis. Gratia

lippenses in fine.

Domini nostri Iesu Christi sit cum spiritu vestro, Amen.

Primæ Petri c. 3. de pœnitentia dist. 1. c. quamobrem de consecr. dist. vlt. c. legimus. *Horatius*

Hanc epistolam si forte deridet Horatius. Ne cum forte suas

repe-

in tertia Epistola.

A repetitum venerit olim, Grex auium plumas moueat Cornicula risum Furtiuis nudata coloribus. *Versificator quidam* Quilibet vt tulerit sua cartula nil retinebit. *Ad Galat. 3. cap. 1. non deridet iustè, & sequitur ratio.* Non rectè ad veritatem, verbis furtiuis non, sed communibus vtor. Quis vnquam vetuit de lumine sumere lumen? Ergo possum vti verbis aliorum sine præiudicio. Scripta primâ die Iunij, anno 1340.

Harum literarum, vt reor, fuit effectus quod sequenti crastino Magdalenæ conclusum fuit in causâ. Ex tunc autem diuersis vicibus B Officialem ipsum per literas pro parte nostra iuris rationibus informaui. Quarum summam ad perpetuam rei memoriam hic scribere dignum duxi. *Effectus literarum. Auctor informat Officialem Coloniens. iuris rationibus.*

G. Decanus Ecclesiæ S. Ioannis dudum statuit cum Capitulo suo quod ipso decedente successor suus duplici præbendâ contentus esse deberet, fructibus decanatus incorporatis præbendis eorum; & iurauerunt singuli Canonici, quod si quem ipsorum eligi contingeret in Decanum, deberet præbendâ duplici contentari. Hoc autem statutum Episcopus irrequisito suo Capitulo confirmauit. *Sũma rationũ. Status totius controuersiæ S. Ioannis.*

G. postmodum decedẽte, Ioannes eligitur in Decanum: electione C cuius Capitulo præsentatâ, Capitulum ipsam remisit Episcopo confirmandam, cum adiectio ne quod dictum statutum tanquam inualidum reuocaret; exacto nihilominus iuramento ab Electo, quod bona decanatus integra retineret, & alienata pro posse reuocaret. *Capitulũ Leod. remittit Decanum præsentatum Episcopo cum adiectione quod statutum illud reuocet.*

Episcopus verò vocatis quorum intererat ad videndum confirmationem, statutum reuocauit, confirmando Decanum, exacto, de quo superius, iuramento, à quo Capitulum S. Ioannis ad sedem metropolitanam appellauit. *Episcopus reuocat cõfirmationem statuti.*

Capitulum sancti Ioannis proponit in libello consuetudinem esse quod Episcopus possit statuta talia absque consensu sui Capituli confirmare. *Capitulũ S. Ioã. nõ appellat.*

D Hic primò quæritur An Episcopus præscribere potuerit quod sectiones beneficiorum maximè inualidas, absque consensu Capituli sui valeat infirmare. *Quæstiones 4. ex hoc facto resultantes.*

Secundo Supposito quod non, An ipsum statutum inualidum non vocato Capitulo S. Ioannis potuerit reuocare.

Tertio; Si non potuerit, An per hoc quod vocatum fuit in genere Capitulum ad videndum confirmationem Electi, & ad videndum fieri reuocationem statuti, tacitè vocatum per consequens videatur.

Quarto Supposito quod Episcopus non grauauit Capitulum, An

iudex appellationis de principali cognoscere debeat, vel potius ad Episcopum remittere appellantes. A

Respõdetur primæ. Ad primum arguitur quod Episcopus possit hoc præscribere: Nã præscribit quod clericos corrigere possit sine Capitulo suo, *Tit. de cõsuetudine cap. non est 6. decret:* Secundum Archidiaconum & Ioannẽ Andreæ, ergo & illud.

Dico quod Episcopus præscribere non potest, quod facere possit sectiones sine suo Capitulo: super quo remitto lectorem ad rationes similis quæstionis supra circa principium folij duodecimi vbi dicitur *.3. sup. c. 20.* Episcopus Leodiẽsis dicit se &c. multo minus igitur Episcopus præscribere potuit quod confirmare posset statuta de se inualida; quale fuit dictum statutum Capituli S. Ioannis factum sine consensu Episcopi. Nam quod fuit inualidum ab initio, Episcopus postea validum B efficere non potuit, quia hoc ad solum Papam, qui de nihilo facit aliquid, dignoscitur pertinere, *Cod. de rei vxoriæ actione, lege vna circa principium: Tit. de pactis, cap. Quoties, & Tit. de Transactionibus cap. 1. 1. decretal. 3. q. 6. cap. hoc quippè: de constitutionibus cap. Cum accessissent 1. decret. ibi notatur, & no. 11. dist. cap. vltimo* auctoritate Episcopus enim non facit electionem non validam valere nec translationem. *Titulis, de consuetudine, cap. cum dilectus, & de translatione Episcopi, cap. Inter corporalia 1. decret. & tit. de fide Instrumentorum cap. inter dilectos 2. decret.* Ergo nec statutum inualidum: debuisset enim auctoritas Episcopi interuenisse in actu statuẽdi si valere deberet, etiamsi solus Episcopus sine consensu Capituli hoc facere potuisset: Sicut tutor statim præsens esse debet in actu auctorisandi, *Institutis de auctoritate tutorum. §. Tutor autem*: & ita notat Garzias *Tit. de rebus Ecclesiæ non alienandis, cap. dudum, 6. decret.* & Hostiẽsis ibidem, & videtur expressum. *Tit. de consuetudine. cap. cum consuetudines* nonne prohibetur Ecclesijs ne sine consensu Episcopi nouitates inducant, quæ discordias pariunt? & si contra factum sit, irritum sit & inane, *vt ibi*: Sed certè hic est nouitas: ergo &c. C

Papa de nihilo aliquid facere dinoscitur.

Respõdetur secundæ quæstioni. Ad secundum arguitur quod Episcopus parte non vocatâ, factum suum non potuerit reuocare, quia oportet Iudicem cuncta rimari, *30. q. vltimâ, cap. Iudicantem*; quod non potest parte non vocata, quia assertione partium merita causarum panduntur. *Cod. si per vim vel alio modo absentis, &c. l. vltimâ, expressum est; ff. quæ sententiæ sine app. l. 1. §. Cum ex edicto.* D

Contrarium in proposito credo verum, nam nihil tam naturale quam vnumquodque dissolui eo genere quo ligatur, *tit. de regulis Iuris 5. decret.* nihil ergo factum sine iudicio contra ius potuit sine iudicio reuocare.

Nec obstant contraria, quia in casu proposito non fuit sententia, sed sanctio quædam seu cõminatio, *Cod. Cõminationes, Epistolas &c. l. 2 & penultimâ*; & ea quæ causâ cognitâ statuuntur; subscriptionibus reuocari non possunt: Ergo à cõtrario sensu, Ea quæ causa incognitâ possunt; *eodem Tit. l. ea quæ*, dubius tamen esse posset articulus iste, si Episcopus

A copus factum suum executus fuisset; sed illud dubium tollit, quod Episcopus in actu confirmandi Decanum, factum suum, de quo prædicitur, reuocauit, & sic vocati ad videndum confirmationem Decani, ad videndum etiam reuocationem prædictam vocati videntur: Cum enim scire debuerint Ecclesiastica beneficia debebere sine diminutione conferri, scire præsumuntur, quod sine diminutione confirmari non poterat, nisi diminutionem quam fecerat reuocaret: statutū enim quod nullū erat integræ confirmationi nocere non poterat; sicut electio quæ nulla est absque eius reuocatione sequentem non impedit, *Tit. de electione, cap. Cum VVinthoniēsis Ecclesia, 1. decretalium. & Tit. de appellationibus, cap. Constitutus, 2. decretalium*: Ad quod facit *Tit. de rebus Ecclesiæ alienandis vel non 5. decret. cap. Si quis presbyterorum, in Gloss. ex hoc manifeste*: Nam quod nullum est non rumpitur, B *ff. de Iniusto rupto & irrito testamento, l. nam etsi sub cond.* Ergo nec rumpit multo fortius. Cum igitur Episcopus non abstulerit aliquam possessionem ab aduersarijs, sed solum quod incōsultè scripsit consulte reuocauit, *22. q. 4. cap. magna sapientia.* Et sic patet quod aduersariorum appellatio debet friuola reputari:

Et sic ad quæstionem tertiam est responsum: Et adhuc fortè dubiū est in isto.

Ad quartam & vltimam arguitur breuiter quod Officialis Coloniensis de principali pronunciare debeat; quia de principali cognouit; omnia enim coram eo pars aduersa in iudicio deduxit; & Iudex C de quâ re cognouit pronunciare debet, *ff. de Iudicijs, l. de quâ re.* *Respondetur quartæ & vltimæ.*

Contrariū verum est, nam metropolitanus seu eius Officialis, qui Iudex non est subditorum suffraganei nisi in causa appellationis, de causis ipsorum cognoscere nequit, nisi primò constiterit causam per appellationem ad ipsum fore deuolutam, *Tit. de appellationibus, cap. Romana, 6. decretal:* Et tunc si pronunciet appellationem iustam, cognoscere demum potest de causa principali si autem inuenerit appellationem iniustam, de principali, non potest cognoscere; sed ad Iudicem à quo appellatum est remittere appellantem, *vt dicto cap. Romana, & cap. Cordi, & in antiqua, eodem Tit. cap. vt debitus & cap. Interposita.* *Condemnatur Capitulum S. Ioannis tum in principali tum in expensis.*

D His rationibus motus Officialis pronunciauit partem Capituli S. Ioannis friuolè appellasse, ipsum Episcopo in expensis nihilominus condemnando.

Anno Dñi 1341. feriâ 6. ante ramos palmarū: A cuius pronūciatione pars aduersa sedē Apostolicā appellauit, viuâ voce appellatiōe actâ & parti appellāti Officialis ad dandū Apostolos iuris terminū assignauit. Tūc ergo timēs ne daret Officialis Apostolos dimissorios, per quod pars aduersa possessionē defalcationis eiusmodi retineret, quia mihi iam scripserat se nō videre qualiter dare posset Apostolos nisi dimissorios, quia sententiā suā diffinitiuā esse credebat, nā finē imponebat negotio principali, *per legē primā ff. de re Iudicata* stupefactus igitur sibi rescripsi non ita esse. Cū enim ad ipsum non erat appellatum *Capitulum appellat ad sedē Apostolicā & petit sibi respōderi de Apostolis.* *Instruitur Officialis Coloniensis ab auctore an & quales Apostolos dare debeat.*

 à diffi-

à diffinitiuâ, sed tanquam à grauamine Episcopi, hunc articulum discutere, An scilicet Episcopus grauauerit, nec ne, est interloqui, non diffinire principale negotium; succedit enim in locum alterius quod non erat definire, ergo sortiri debet eius naturam *ff. de edendo .l. quædã §. 1. de regulis iuris .l. quæ in ius*: Et si Officialis pronunciasset bene fuisse appellatum, certe non fuisset diffinitiua, sed tunc de principali cognoscere debuisset, *Tit. de appellationibus, cap. Romana, 6. decretal. & eodem Tit. cap. in antiqua, cap. vt debitus, & cap. Interposita*: Ergo nec nunc; quia contrariorum eadem est scientia, *vt in l. 5. Ethicorum cap. 1. & in 8. Topicorum, & ff. de his qui sunt sui vel alieni iuris l. 1. in principio: & ff. de negotijs Gestis l. 2.* Si ergo sententia pro appellante non est diffinitiua, ergo sententia contra eum non est diffinitiua, & hoc etiam notat Garzias *Tit. de electione, cap. cupientes, verbo. insuper etiam, 6. decretal.* & Ioannes Andreæ *in Clementinâ de appellationibus, cap. vlt.* & est simile de sẽtẽtiâ latâ super exceptione peremptoriâ, quæ quandoque finem imponit negotio & non est diffinitiua vt notat Archidiaconus *20. distinctione, cap. decretales.* A B

Respõdetur argumentis quæ videntur potuisse mouere Officialem Coloniensem.

Nec obstat *l. 1. ff. de re iudicatâ*, vbi dicitur *res est iudicata, quæ finem imponit*; quia non sequitur è contrario, quod quicquid finem imponit sit res iudicata, quia præceptum finem imponit, quando nullæ sunt partes Iudicis in confitentem nisi ad exequendum *ff. ad legem Aquileiam .l. proinde.*

2. Nec obstat quod arguitur suprà Officialẽ debuisse definire principale negotium, quia de illo cognouit, nam de hoc non cognouit nisi ad finem, vt appareret an grauata fuerit pars appellãs; non vt definiret, quod non poterat, nisi pronunciato prius super articulo appellationis, & tunc si inuenisset probatum grauamen, se de principali causa posse cognoscere & debere prius interlocutus fuisset, vt in capitulis allegatis, *vt debitus interposita, & Romana*: vnde etiã subditis Episcopi consentiẽtibus, metropolitanus prius de principali cognoscere non posset, nisi etiam in hoc Episcopus consentiret vt notat Archidiaconus *in dicto capitulo, Romana, super verbo Proponatur, ante finem Glossa.* C

Instructus Officialis dat Apostolos refutatorios.

His rationibus Officialis inductus Apostolos pa[...] dedit refutatorios appellanti.

Episc. dat integram possessionem Decano S. Ioannis.

Quo facto Episcopus Decanum misit in possessionem bonorum integram Decanatus. D

Nec valet appellatio Capituli quia debuit à dictâ interlocutoriâ in scriptis appellasse, *Tit. de appellationibus cap. Cordi, 6. decretal.*

Treugæ inter duos Reges.

Hoc anno à festo B. Ioãnis Baptistæ indictæ sunt treugæ inter duos Reges, vsque festum decollationis eiusdem.

Scripta auctoris.

Item hoc anno Digitum florum vtriusque iuris compegi sub ordine alphabeti; & alium libellum Florum Auctorum & Philosophorũ sub simili ordine recollegi.

Hoc anno forũ optimũ omniũ victualiũ sed in Lombardiâ charistia maxima panis, & mortalitas hominum magna valde.

CAPVT

A

De altercatione inter Episcopum & Capitulum super iure puniendi delinquentes in villis Capituli, & quibusdam alijs.

CAPVT XXVII.

HOc anno magna fuit altercatio inter Capitulum & Episcopum quia quorundam delinquentium domos combusserat Episcopus in villis Capituli, sibi per pacem de Fexhe prædictam allegens hoc licere, cum tamen vsque tunc super hoc Capitulum non turbasset, nec hoc faciendi ius aliquod habuisset; quod rationibus euidentibus declaraui. Sed quia fautores sui de Capitulo, quibus præbendas cõtulerat ipsum in errore fouebant, cæteri iustitiæ Zelatores proficere non valebant, qui tamen de hac iniuriâ quotidie conqueruntur. Nam cum inter Dominum Episcopum cum suo Capitulo contra patriam super modo puniendi maleficos esset altercatio, sibi negante patriâ quod ex alto Dominio posset punire absque iudicio Scabinorum vel feodaliũ, concessum fuit ei vt homicidarum domos posset comburere, irrequisito iudicio prædictorum; cum inter Episcopum & Capitulũ de iure comburendi in villis ipsius Capituli quæstio nulla fuisset; Et hunc proteruum intellectum (quod videlicet per hoc etiam in villis suis proprijs idem ius Capitulum concessisset eidem) fautores sui contrà se & ius Ecclesiæ suæ, quod iurarunt confirmabant: Et in hac iniquitate vicit pars maior, sed non sanior, saniorem; quæ tamen tempus expectat congruum, quo tanta peruersitas retundatur.

Episcopus sine iure, combussit domos quorundam delinquẽtium in villis Capituli.

Præbendati Episcopi fouent eum in errore.

Vincit sæpe pars maior non sanior.

Post hæc lite motâ in Curiâ Romanâ inter Episcopum & Decanũ prædictum ex vna parte appellatos, & Capitulum S. Ioannis ex altera prouocante, cum sperarem finem adesse litigij, appellatione friuola existente; & ecce quod Capitulum S. Ioannis appellationem suam sentiens non valere, quia Roma communis est patria, Capitulũ quia Decanum præsentem inuenit ibidem, libellum in possessorio sibi dedit, & sic ibi lis pendet indecisa.

Lis Capituli S. Ioannis pendet Romæ indecisa.

Anno Domini 1342. 25. die aprilis obijt Dominus Benedictus 12. & electus est per viam S. Spiritus Petrus Rogeri, prius Abbas niger, post Archiepiscopus Rhotomagensis, deinde Tit. SS. Nærei & Achillei Præsbyter Cardinalis 7. die mensis sequentis dictus Clemens 6. & consecratur in die penthecostes, quæ fuit 12. die mensis Maij, à quâ incipit annus eius.

Petrus Rogerii alumnum Ecclesiæ Leod. religitur in Summũ Pontificem.

Hanc verò congratulatiuam epistolam Capitulum sibi misit.

Gloria in excelsis Deo & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.

Cum

Cum specialis alumnus Ecclesiæ nostræ pariter & protector dum A
paruulus adhuc esset, dispensatione diuinâ factus sit Dominus omnium, merito sibi debet eius peculiaris filia Leodiensis Ecclesia inter cæteras præcipuè gratulari. Cumque non sine diuino credendum sit præsagio contigisse, quod ab imperfecto quinario ad perfectissimum senarium, tam sui naturâ, quam figurâ, quâ tot dierum numero summus rerum artifex cæli terræque machinam consummauit, Clemētis clementiam cernimus ascendisse, profecto dignissimum iudicamus, vt tantæ maiestati ad laudem & honorem gloriosissimi nominis vestri, prælibatam canamus angelicam cum cordis iubilo cantionem, vestræ benignitati statum ipsius Ecclesiæ commendantes.

Mechlinia igne fortuito conflagratur.

Eodem anno mensis Maij die antepenultimâ vigiliâ sacramēti circa horam nonam, igne fortuito fuit Mechlinia conflagrata; vnde B
versus.

Annis vndenis, totidem cubiceque, reatu
Es Mechlinia tu sodomorum subdita pœnis.
Nocte Sacramenti te vastauit ferus ignis,
Insiliens tignis, agitatus turbine venti.

Godefridus de Heinsburge nepos Episcopi moritur.

Admonetur Episcopus officij, dat bona verba.

Eodem anno decessit Godefridus vnigenitus Domini de Heinsburge adolescens ex sorore nostri Episcopi; in cuius fauorem Comitatū Lossensem ad suam Ecclesiam pertinentem non curare prosequi dicebatur. Quo sic defuncto requiritur Episcopus, vt vel tunc quod dudum perfunctoriè cœperat, efficacius reassumat verba tunc, C
verba nunc, pulchra respondit; sed mihi videtur.

Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Quid fiet, postmodum apparebit.

Henricus Abbas S. Iacobi moritur.

Auctoris de eo Epitaphium.

Eodem anno in festo B. Martini obijt Reuerendus Pater Dominus Henricus Abbas S. Iacobi Leodiēsis, cuius insculpendum tumbæ epitaphium scripsi tale.

Septuaginta tribus annis fuit H. monachatus,
Multa querendi quibus constat locus iste beatus.
Forma gregis denis annis bis, sexque decorat.
Mœnia, quæ plenis mensis pius hospes honorat.
Ne lupus inuadat caulas, hic cessit honori.
Huius onus tradat Fratri reliquis potiori.
Vndenis cubicè, ter, & annis quatuor iste D
Conditur hoc silice, Martini per sacra triste.

Appellatur cōtra Cardinales petētes iniuste procurationes.

Hoc anno contra Cardinales missos pro pace inter Reges Franciæ & Angliæ procurādâ, quia procurationes iniustè petebant, per Clerum Leodiensem extitit appellatum.

ANNOTATIONES.

Eodem anno mensis Maij die ante penultimâ:] *De hac conflagratione satis mirabile est quod refert Cornelius Zantfliet.* Die (*inquit*) præcedente in

profesto

A profesto sacramenti, ignis vehemens casu à quadam domo transiliens Ecclesiam Collegiatam S. Rumoldi, & alias nonnullas Ecclesias, & penè maiorem partem domorum oppidi Mechliniēsis deuastauit. In quo hoc mirabile cunctis videntibus apparebat, quoniam ignis ille transiliens de vico ad vicum, domos intermedias relinquens intactas, alias apprehendit & destruxit, vsurariorum & aliorum notoriorum sceleratorum nihil eis nocens pertransiuit. Ex quo datur intelligi Diabolico flatu factum incendium, Domino hoc permittente, propter peccata inhabitantium.

B *De resumptione processus contra Dominum de Heinsburge, & eius excommunicatione.*

CAPVT XXVIII.

ANno Domini 1343. resumuntur & aggrauātur processus Apostolici contra Dominum de Heinsburg: Nam filio suo defuncto, cuius fauore cessatū fuerat ab ijsdem, præcesserunt aliqui tractatus inter Episcopum & eundem Dominum: quibus cum nihil actum fuisset, excommunicatus denunciatur ad aquilam, grauius quam huc vsque, nam singulis diebus Dominicis & festiuis in denunciatione pulsantur pariter omnes Campanæ, quæ candelis proiectis, C & puerorum chori pedibus conculcatis, *iuxta decretum illud 11. q. 3. cap. debent.* & incepti sunt etiam processus Scabinorum Leodiensium cōtra Scabinos terræ Lossēsis, & fuit in octaua Epiphaniæ patria cōgregata, quæ pro maiori parte promisit Episcopo contra dictum aduersarium manu assistere militari: sed totū euanuit, quia dicebatur Episcopus non curare. Ad instantiam tamen Capituli ante medium martij seruatur auctoritate Apostolicâ interdictum in terrâ Lossensi.

D. de Heinsburge excōmunicatur.

Seruatur inter dictum auctoritate Capituli.

Circa Principium huius mensis inter Reges Frāciæ & Angliæ treugæ publicatæ sunt à festo Michaëlis ad triennium duraturæ: & ex tūc multi magnates properant in adiutorium Regis Granatæ contra Saracenos.

Treugæ inter Reges Franciæ & Angliæ.

ANNOTATIONES.

D

Resumuntur & aggrauantur processus Apostolici:] *Meminit & horū processuum Cornelius Zantfliet Anno Domini* 1343. resumuntur (*inquit*) & aggrauantur processus Apostolici cōtra Theodoricū de Heynsberch tanquam vsurpatorem Comitatus Lossensis & inuasorem vel oppressorem Leodiensis Ecclesiæ, & singulis festis & Dominicis diebus denunciatur excommunicatus auctoritate Apostolica.

A

De dissensione inter Episcopum & communitatem Huyensem ratione moneta, & de consiliarijs Episcopi.

CAPVT XXVIIII.

EX tunc inter Episcopum, & Commune Hoyense magna dissensio est exorta; nam cum olim grossus Turonensis sex Leodiẽses denar. valuisset; & Leodienses den. per Episcopum Hugonem de Cabilone in tantum diminuti fuissent in fabrica pausatiue, quod grossus Turonensis ad diminutos 16. ascendisset; conquestus fuit populus, qui in solutione census grossum pro sex denarijs soluere cogebatur iuxta iura, *extra de censibus c. olim, & c. Cum Canonicis.* Ordinatum per patriam extitit, quod grossus ad censum pro octo denarijs solueretur, sicut & adhuc hodie communiter obseruatur. Hoyenses stulta & animosa communitas à triginta annis citra, monetâ iterum diminutâ & grosso vsque ad 18. denarios ascendente, dum in Hoyo nostrum Capitulum exularet, pro 18. denarijs censualibus nisi grossum soluere voluerunt, quod durauit annis 18. pacificè vsque modo. Videns autem Episcopus sua negotia prosperari, contra Hoyenses per Scabinos Leodienses processus facere inchoauit, ad abiudicandum plurimos ex eisdem. Tunc Scabini & plures de maioribus Hoyensibus de cõniuentia communis clam cum Episcopo tractare cœperũt, quod quantum census sibi debitus ascenderet vltra summam solitã alibi compararent, & pro emenda soluerent 12. millia florenorum: sed alienationem dicti census petebant per Capitulum confirmari. Sed videns Capitulum nostrum, quod sic alij, sicut Capitulum Ecclesiæ Hoyensis, & monasteria parte suorum censuum fraudarẽtur, petitionem non admisit eorum: dicebamque si vellet Episcopus Capitulo Hoyensi, & monasterijs damna sua de dictis 12. millibus florenorum compensare, perueniri posset ad pacem: Et periculosum esset nimis contra tot fatuorum millia guerram habere, qui Duce Brabantiæ se tradere minabantur. Et cum dies appropinquaret ad abiudicandum 43. electos de ditioribus plebis, non tamen plus delinquẽtibus, Hoyenses quinquaginta viros per Ducẽ sub conductu in Brabantiã destinarunt, & pacti sunt dare Duci 40. millia scutatorum, & sibi se contra Episcopum seruituros, ac sustinere quod Castrũ Hoyẽse muniret, quod nunquam ab aliquo pati à centum annis citra Episcopo voluerunt. Hoc nuncio consternatus Episcopus, qui iam patriam conuocauerat ad 15. diem Maij tunc futuram, ad Capitulum festinauit Scabinis vocatis, requirendo Capitulum vt Scabinos secum rogaret, quatenus indilatè ad abiudicationem procederent prædictorum. Dixi iudicium petere sanguinis nos non posse, nec tutum fore in tanto

Magnũ grauamen populi ex diminutione valoris denariorum.

Episcopus petit abiudicari plures ex Hoyẽsibus.

Hoyenses minãtur se tradere Duci Brabãtia.

Consternatur Episcopus.

B C D

in tanto negotio festinare, quia cum multitudo peccaret esset seueritati melius detrahendum, vt maioribus malis misericordia subueniret. Requisiti sunt tamen Scabini vt celeriter agant legem: quod facere promiserunt, & tamen hactenus distulerunt, & patriâ, vt præmittitur congregatâ, petit Episcopus adiutorium & consilium ab eadem. Responsum est ei quod nisi Dominum de Heinsburg de Comitatu Lossensi infeoudaret, non videbāt hoc facere tute se posse, nam aliter se Duci confęderare deberet, vnde rogabant quod fieret, & Dominus de Heynsburg totam terram suam, quæ esset allodiū ab Episcopo releuaret, & se ad seruiendum Episcopo & Patriæ contra omnes quo posset fortius obligaret. Tunc Episcopus consilium die flagitauerat à Capitulo præcedente, quo responderā inter octo sequentes, quod nullo modo nos consentire possemus obstante inhibitione Papali, quâ excommunicationis sententiâ nos ligaret. Episcopus nihilominus cum suis sequacibus de Capitulo pluribus numero, petitionem promisit patriæ se facturum, quia benè consensum Papæ postmodum impetraret: milites læti ad Dominum de Heinsburg properantes inuenerunt quod iam Duci fuerat alligatus. Tunc diuulgatū est quod patria in pace vltimo factâ cum Duce, Domino de Heinsburg iurauerat quod sibi possessionem traderēt Comitatus, ac ipsum in eâ pacificè tuerentur, & ipse vice versâ quod iuuaret patriam contra omnes; & literæ suæ sibi super hoc fuerunt ostensæ: Quod perpendens Episcopus altiori mente, turbatur. Publicatum est etiā quod quia tres Consiliarij Episcopi vltra dictam summam 12. millium florenorum, petebant sex millia ab Hoyensibus, concordia remansisset. Episcopus verò misit ad Comitem Namurcensem, & cum ipso vt dicitur fœdera renouauit. Interim Ciuitas misit literas Duci supplicans quatenus diem tractatus ipsis concedere vellet ad quindenā, quia sperabant Hoyenses cum suo Domino concordare, & miserūt Hoyum duos milites idem nunciantes eisdem, qui in nihilum profecerunt: & post inuentum est, quod nihil erat in re de cōcordiâ nobiscum Comitis Namurcensis.

Petit auxiliū à patria.

Petit consilium à Capitulo.

D. de Heinsburge fœderatus cum Duce Brabantiæ.

Episcopus dicitur renouare fœdera cum Namurcensi Comite.

In die Penthecostes mensis Iunij die primâ Comes Hannoniæ venit Leodium per milites patriæ aduocatus. Hic locum habere videtur illud propheticum Isaiæ, *In illâ die assumes tibi parabolam istam contra Regem Babilonis, & dices quomodo cessauit exactor, quieuit tributum; contriuit Dominus baculum impiorum, virga dominantium cadentem populos.* Nam cum quidam de Canonicis nostris electi fuissent ad tractandum cum militibus & ciuibus ciuitatis ad obuiandum exactionibus vnde supra, In crastino Penthecostes Episcopo in Capitulo constituto venerunt Comites Hannoniæ, de Montibus, & de Marcka cum militibus & Ciuibus supradictis afferentes secum scedulam, in quam pariter concordarunt, cuius primus punctus noscitur esse talis, quod omnes Officiati Episcopi ex nunc deponantur, & fiat inquisitio contra ipsos, nec repetere possint, quod super officijs mutuauerunt, donec inquisitio

Isaiæ. 14.

Scedula reformationis.

1. pūctus scedulæ vt officiati Episcopi deponantur.

 fuerit

fuerit terminata; & quod quilibet de ipsis conquerens audiatur, & secundum delicta corrigantur: Et dentur Consiliarij Domino Episcopo de patriâ probi viri, & eligantur de Capitulo quatuor, ac de militibus & ciuibus 18. qui certis temporibus conueniant ad audiendum quærimonias quorumcunque quos Officiati Episcopi ducerent contra legem, vel quibus iustitiam denegarent, & quod electi durarent terminis vitæ suæ, defunctis alios subrogando, quodque dicti 22. possint statuere quæ ad vtilitatem Ecclesiæ & patriæ pertinent. Quâ scedulâ recitatâ Episcopus dictorum Comitum, & militum, ac Burgensium se supposuit voluntati, protestans quod honorem suum conseruare deberent, super hoc Capitulũ onerãdo: quod dum mihi malè placeret ad Comitem Hannoniæ verba direxi, Charissime Domine, notum est quod antiqui quondam Romani totum mundum suâ prudentiâ subegerunt, qui Consules suos annis singulis renouabant, ne diutius in officio radicati officium in Dominium vsurparẽt: quod secutæ sunt vsque hodie omnes per Romaniam & Italiam Ciuitates, & hæc nostra Ciuitas in suis defensoribus seu Gubernatoribus idem seruat. Ad quorum exemplar debemus præsumere vtilius esse communi patriæ, vt hi 22. annaliter ordinẽtur. Et statim surgens Comes transiuit ad milites, & cum aliquantulum ipsis susurrasset in auribus, reuersus dixit, quod nihil vellent de scedula immutare. Et statim Dominus de Haneff. surgens dixit, Domine Leodiensis petatis à singulis Canonicis qui volunt huic scedulæ consentire, vt quicquid mali sequatur, contradicentibus imputetur. Et cum nihil Episcopus responderet, incepit idem miles ab vno quærere, quid sibi de scedula videretur: Et statim surrexi dicens hoc fieri non debere; cui dicto omnes pariter consenserunt. Et illo recedente vicedecanus incepit facere illud idem; cui similiter contradixi, ne coram laicis ista fiant.

Vt dentur consiliarij Domino Episcopo de patria.

Et durent ad vitam.

Episcopus acquiescit.

D. de Haneff. petit Canonicorum dari suffragia sed nihil obtinet.

Tunc omnes Canonici ad aliam Cameram transiuerunt: vbi cum diutius disceptassent, superuenerunt Comites, quibus pars ipsis consentiens dixit, non possumus cum parte Capituli concordare, quod isti 22. ponantur ad vitam; sed damus vobis potestatem arbitrandi, quod vobis melius videbitur expedire; Hoc ego cum quibusdã alijs contradicendo recessi.

Quid fautores Episcopi dicãt. Auctor scholastic. cõtradicit.

Sequenti die Capitulo conuocato proposui sicut prius; quod periculosum esset nimis Ecclesiæ, necnon toti patriæ, tot facere principes & ad vitam: quodque compromissum factum quibusdam contradicentibus non valeret, & quod in laicos de iure sit consentientibus etiam omnibus reprobatũ. Magister tamen in Theologiâ noster Archidiaconus, qui profundius examinauerat forsitan punctũ istud, dixit sibi durum videri contradicere, de quo in tantos fuerat Principes compromissum; nihil respondens ad præmissa quæ contrarium conuincebant. Cuius auctoritatem, quamuis totaliter esset contra Episcopum & honorem Ecclesiæ, omnes sequaces Episcopi tanquã

Archidiaconus Magister in Theologia non satis profunde examinauit negotium.

A mures in decipulâ capti, vnanimiter sunt secuti, septem tantum me sequentibus, cum essent reliqui vltra decem, cum pluribus absentibus, quos, quia aberant, nescio quid mouebat. *Sequaces Episcopi vt mures in decipula capti sequuntur illum.*

ANNOTATIONES.

1. In crastino Penthecostes Episcopo in Capitulo constituto venerunt Comites;] *Creationem viginti duum virum clare prosequitur Cornelius Zanfl: et his verbis.* Prætereа hoc anno 1343. cum Leodiensis Episcopus communitatē requireret, vt sibi assistentiam & armatos præberet ad resistendum Duci, ciues sentientes se longo tempore seruitute quadam in pace de Wihongue comprehensa grauiter oppressos, B præsertim super murmurio: ita quod si duo aut tres colloquerentur ad inuicem, tanquam seditionis inuētores, aut murmuratores corrigerentur, multæque libertates, quas olim habere consueuerant, per pacem de Wihongue ipsis sublatæ fuerant, nolebant preces Episcopi sui exaudire, nisi murmurium prædictum penitus aboleret & libertates pristinas de creandis Burgumastris & Gubernatoribus ministeriorum cæterisque huiusmodi plenariè restitueret. Episcopus aliqualiter se reddens austerum in primis, demum præsentibus Rege Bohemiæ ac Comitibus de Marcka ac Montibus, quę ciues postulauerant liberaliter concessit, datâ super his literâ sigillis Episcopi Capituli ac Magistrorum ciuitatis communitâ, quæ vsque hodie vocatur C litera S. Iacobi. Sicque receptis priuilegijs supradictis, ciues vno animo parique sententia promptos & hilares ad inuadendum Ducem Brabantiæ se præbuerunt, expositis in foro vexillis. Sed per interuentum Comitis Hannoniæ & aliorum procerū, treugæ ad tres hebdomadas sunt protelatæ. Et quia per Balliuos, Marescalcos cæterosque officiatos Episcopi frequenter euenerat incolas patriæ contra legem & dictamen rationis grauiter & enormiter molestari, de communi voto Episcopi & trium statuum patriæ decretum est eligi debere viginti duos probos & egregios viros, quorum quatuor essent Domini Leodiensis venerabilis Capituli, quatuor de militaribus, quatuor de Ciuibus Leodiensibus, de Oppidanis ac aliorum Oppidorum, D duo Hoyenses, duo Dionenses, duo Tongrenses, duo Sanctitrudonēses, vnus Fossensis, alter Bullonij, coram quibus prædicti iniuriati vel spoliati suas deponerēt querelas, ac cognitâ iniuriâ perlatâ, dictos officiatos præfati viri possent sub pœnis proscriptionis arctare ad damna resarcienda, & ipsos etiam inuito Episcopo nisi resipiscant à suis officijs amouere. Vnde aliqualis inter eos disceptatio facta est vtrum dicti sic electi perpetui forent, vel annatim amouendi, præualuitque sententia, vt singulis annis in festo S. Luciæ noui crearentur, cedentibus antiquis. His ita Gestis perpendens Episcopus per institutionem viginti duorū, qui suos officiatos corrigere possent se multipliciter circumuentum, nec tamen sententiam latam & sigillatam

reuocare valeret, confractus est corde, & ex melancholia grauissimâ incurrit ægritudinem, secedens præterea in Wereflaria ad aërem natiuum, ac tandem ab ipsa conualuit, & ad suam rediјt Ciuitatem. A

2. *Litera sancti Iacobi, vulgo* la lettre S. Iacques, *quia in manibus omnium est, hic non ascribimus, Incipit.* A tous ceux qui ces presentes lettres verrõt, Adolphe par la grace de Dieu Euesque de Liege, &c. *Et finit:* Donné l'an au iour dessus escrit.

De quæstione An processus habiti Romæ ratione Comitatus Lossensis sunt deponendi ad manus Comitis Hannoniæ, de morte Episcopi, & quibusdam alijs intraneis. B

CAPVT XXX.

VIcesimâ tertiâ die mensis Iulij cum præcedẽti tempore Comes Hannoniæ ad hoc intentissimè laborasset, quod processus Papales contra Dominum de Heinsburg in suis manibus ponerentur, alioqui pax esse non poterat, vt dicebat: Post verò multas disputationes habitas in Capitulo pluribus vicibus, ego præsente Episcopo in Capitulo nostro dixi rationes, quibus defendere aliqui niterentur traditionem processus posse fieri, me in aliquo non mouere: Imo contrarium demonstrabam *per Capitulum, si quis de clericis, 12. q. 2.* C cuius ibi casum breuiter recitaui, & contradicendo recessi: Et cito postea intellexi quod hoc non obstante dictum processum reliqui tradere promiserunt: quorum nomina hic sequuntur. Episcopus, Præpositus nepos eius, Cantor, Dominus Gerardus Chabot, Renerus de Gore, Ioannes Belli, God. de Wildersees, Elbertus de Betincourt, Hugolmus Tinoli, Rodolphus Officialis, Ioannes de Reule, Wilhelmus de Bautersem, Ioannes de Viana. Contradicentes verò præsentes, Ego Ioannes de Hocsem Scholasticus, Dinorãdus de Grãdi Sarto, Balsamus Talami, Raso de landris. Infirmi ad quos non miserunt, Archidiaconus de Nucerio doctor S. Theologiæ, Wilhelmus de Brunshorne, Henr: Blauerius, Henr: de Coloniâ, Remboldus de D Vlodorp, Martinus de Iporegiâ. Absentes à Capitulo, præsentes tamen in Ciuitate Ioannes Hanesanc, & Franco de Ruella. Absentes extra Ciuitatem Leuoldus, Bernardus, Gaufridus Ioannes de Castello, & Ludouicus de Colonster: & hi duo vltimi missi per Capitulum in negotijs Ecclesiæ, nec vocati. Interim hi duo vnde missi fuerãt sunt reuersi. Et tunc indicto Capitulo ad audiendam relationem eorum de nemoribus crudelissimè deuastatis, in primis protestati sunt, cum narratione facti & rationum prædictarum pro se & sibi adhærẽtibus, quod non consentiebant, quod processus prædicti cuiquam extra Ecclesiam

Author defendit non esse ponendas.

Nomina adhærentium authori.

Nomina absentiũ à Capitulo.

Duo aliũde reuersi protestãtur contra traditionem.

A clesiam traderentur, summo Pontifice inconsulto, aut Papæ supplicaretur, quatenus Domino de Heinsburg traderet Comitatum, sed contradixerunt expresse. Tunc Dominus Martinus fecit consimilẽ, addens quod si contingeret aliquid scribi per Capitulum, quod in litera, consentientium tantum nomina scriberentur: Quo verbo scãdalizati sunt promissores. Tunc magister noster Archidiaconus dixit hæc verba, Nolo quicquam in scriptis ponere; sed cum constet nobis omnibus quod Dominus ab initio realem possessionem habuit Comitatus, non imaginariam, vt dicitur, sed vt melius fieri potuit per traditionem clauium oppidorum, & per obedientiam Officiatorum Comitatus hic in Capitulo factam, quâ Dominus spoliatus est, contradico ne processus facti super eiusmodi spolio per Papam, tradantur alicui, & super hoc peto fieri publicum instrumentum. Confusio fit labiorũ, & venenosa verba resultant. Quæ cum percepisset Gerardus chabot, qui tunc absens fuerat, dixit me præsente quod intẽtio sua fuerat, & est, quod literæ processus non traderentur nisi de cõsensu omnium de Capitulo, & de scientiâ nouorum magistrorum villæ & cõsilij siue sedis: Et quod inhibuerat vicedecano ne aliter traderentur. Et eodem momento cœpit inter nos fama volare in crastino B. Iacobi Apostoli, quod increpationes nouæ contra caput culpâ suâ languidũ & eius membra à summo culmine destinantur, quâ concussi, altiori mente turbantur: ordinauerat enim mittere Papa Legatum.

Idem facit D. Martinus.

B

Idẽ Gerardus Chabot.

Increpationes nouæ ab Vrbe contra Episcopum.

C Dominicâ, tertiâ die augusti Populus cum insignibus congregatus non tradi Comitatum Domino de Heinsburg pariter decreuerunt; & hoc vt creditur metu populi, cum maiores insignium, vt dicitur, contrarium decreuissent, dicentes quod nolebant sententijs laqueari; & petentes quod factum Summo Pontifici scriberetur, & ipse de Comitatu suam faciat voluntatem. Postea Capitulum tradidit processus Papales contra Dominũ de Heinsburg Episcopo, vt illos custodiret, & faceret debitum suum de ipsis: Et ipse illos in continenti tradidit Comiti Hannoniæ, in quem compromiserat, & in Dominum Ioannem Auunculum ipsius Comitis, Excepto negotio Comitatus D Lossensis: Quod compromissum me contradicente & quibusdam alijs sigillo Capituli extitit sigillatum, virtute cuius pacem pronunciauit idem Comes, & Comitatum prædictum abiudicauit aduersario, non obstante exceptione prædictâ. Deinde maior pars Capituli requisiuit residuos, vt à denunciatione solemni, quæ contra dictum aduersarium nostrum fiebat quotidie, cessari vnanimiter faceremus: quibus respondi, si hoc faceremus, videremur Comitis de dicto Comitatu arbitriũ cõfirmare; vsusque quibusdam alijs persuasionibus & minis, omnes tunc præsentes, scilicet quindecim Canonici contradixerunt, quod præfata denunciatio non cessaret; super quo recepi publicum instrumentum.

Capitulum tradit processus Episcopo.

Ipse confestim tradit Comiti Hannoniæ.

Ille adiudicat Comitatum aduersario.

Auctor contradicit & cũ eo omnes tũc præsẽtes Canonici.

Hoc anno mense Septembri legatus applicuit supradictus: Timentes igi-

tes igitur ne super Comitatu prædicto aduersarij nostri apud Papam aliquid possent impetrare nociuum, Episcopum induximus ad scribendum nobiscum Papæ & Cœtui Cardinalium literas quæ sequuntur. A

Episcopus & Capitulum scribunt Papæ.

Exemplar literarum.

Sanctissimo in Christo Patri Domino Clementi Papæ 6. &c.

Ab exordio mundi Cain aduersus Abel, & Esau contra Israel, inuidia diaboli vitium inflammauit: Cuiusmodi venenum in terrarum Principes trāsfusum quasi ex traduce aduersus Ecclesias persentimus. Nam cum nobilis Comitatus Lossensis nuper esset ad nostram deuolutus Ecclesiam permissione diuinâ, cuius possessione seu sasiniâ Dominus de Heinsburg cum adiutorio vicinorum Principum Ecclesiam postmodum per violentiam spoliauit: videntes huius spolij patratores tam vitiosam possessionem nullo iuris adminiculo palliatam, excommunicato propter hæc auctoritate apostolicâ non posse diu subsidere detētori, ad hunc finem solum, vt cōmuniter dicitur, quidam Hoyensem populum ac alios quosdam contra Episcopum Ecclesiam eius & patriam commouerunt, vt sic Ecclesia in arcto posita compelleretur in Comitatu prædicto cædere iuri suo. Et cum nutu diuino vidissent suo se demum desiderio defraudatos, fælicitatis vestræ dicuntur, sed minus veraciter, auribus inculcasse, quod nos aut aliqui nostrum in Comitem Hanoniæ ac eius patruum super Comitatu prædicto firmauerimus compromissum, vt sic vulpis astutia sagacissimi falleret ingenium venatoris. B

Quapropter copiam literarum dicti Comitis quibus confitetur expresse super Comitatu prædicto, in ipsum fuisse nullatenus compromissum, quin imò quod in compromisso, de quo fit mentio, exceptus fuit expressissimè Comitatus, prout literę ac instrumenta, quæ vestræ diriginus pietati, manifeste declarant. Insuper, dictus Comes quandam partem modicam processus Apostolici contra præfatum aduersarium promulgari taliter qualiter obtinuit, vt illa vobis ostensa credibilior videretur. C

Quocirca Beatissime Pater non sinatis nobilem Ecclesiam Leodiensem hactenus liberam, quamuis procellarum crudeliter turbinibus agitatam, suis iure subiectis vestro tempore famulari; quod reuera contingeret, si præfatum finaliter perderet Comitatum: Nam occupator eiusdem confœderatus est inuidenti Ecclesiæ cum suis prædecessoribus ab antiquo, qui & alias post occupationem Comitatus, Dominum suum & patriam eius galeato capite impugnauit, & cum præfatus aduersarius noster propriæ salutis immemor excommunicationis huiusmodi sententiam per quadriēnium sustinuerit animo contumaci, dignetur vestra clementia huiusmodi aggrauando sententias suadente iustitia confirmare: Cum pœna crescere debeat, tāti temporis contumaciâ concrescente. Data anno Domini 1343. die 4. Septembris. D

Scribunt & Reuerendiss. Cardinalibus.

Reuerendissimis in Christo Patribus nobilissimo cœtui Cardinalium.

A lium deuoti sui Adolphus miseratione diuinâ Episcopus Leodiensis, Præpositus, Archidiaconi, totumque Capitulum Ecclesiæ Leodiensis orationes humiles, & pium deuotionis affectum.

Ad illos nimirum deuotissima filia vestra Leodiensis Ecclesia cum Ciuitate, his temporibus turbidis agitata procellis, cogitur habere recursum, quos cœli aridæque conditor ad hoc constituit Principes orbis terræ, vt oppressorum iustitiam apud Vicarium promoueant IesuChristi. Sane vestri circumspectam prudentiam in summâ saltem latere non credimus, qualiter nobilis Comitatus Lossensis per mortem vltimi Comitis eius absq; liberis decedẽtis, tam iure feudorum, quam regni consuetudine, & per priuilegia diuorum Principum, sit ad vestram Leodiensem Ecclesiam legitimè deuolutus. Quẽ
B quidem Comitatum ego præfatus Episcopus, licet indignus, per iudicium hominum patriæ possedi pacifice aliquando: Cuius possessione seu saisinia Dominus de Heinsburg inimicorum Ecclesiæ fultus præsidio, Ecclesiam postmodum spoliauit. Propter quod auctoritate Apostolicâ excommunicatus publicè cum suis complicibus quotidie nunciatur; & terra sibi obediens tam Apostolicâ quam ordinariâ est Ecclesiastico supposita interdicto. Verum cum nuper Hoyenses se Duci Brabantiæ fœderassent, & idem Dux patriam nostram inuadere minaretur, ad illum tendens finem, vt euentus rei docuit euidenter, vt nos compelleret ad cedendum cõfœderato suo nostro aduersario Comitatum, & postmodum emeret ipsum, vt dicitur, ab eodem: milites autẽ terræ nostræ, qui præfatum aduersarium nostrum in pos-
C sessione dicti Comitatus promiserant conseruare, aptum suo proposito tempus nacti, vnà cum Comite Hannoniæ, patruoque suo Domino Ioanne, & pluribus alijs, in Capitulo congregati petierunt instanter, vt matura traditio fieret Comitatus. Quod cum constantissime denegaremus facere summo Pontifice inconsulto, minati sunt quod contra inimicos patriam non iuuarent, consensum à præsentium quolibet exigentes, vt combustâ sic patriâ sciri posset, quibus contradicentibus tanta strages debuerit imputari: Exigentes insuper vt processus Apostolici contra prædictum aduersarium in manibus præfati Comitis traderentur: Quod cum contradicente Capitulo assequi non valerent, tandem per impressionem in dictum Comitem
D & patruum suum extitit compromissum. Qui quandam modicam partem dictorum processuum taliter qualiter obtinuit sibi tradi; cuius tamen traditio Ecclesiæ non nocebat: sed vt (quia in dicto compromisso actum fuit expressè, quod super Comitatu prædicto pronunciandi nullam haberent omnimodo potestatem) illam partem ostenderet quatenus intentionem conceptam pronunciandi contra pactum aliqualiter palliaret, sicut finis edocuit: Nam idem contra promissionem suam, quam habemus proprio suo sigillo confirmatã & sigillatam, de facto adiudicauit aduersario Comitatum. Et sic vt intelleximus ad sedem Apostolicam properat ad impetrandum ali-

quod Ecclesiæ præiudicium, quod ipsum impetrare vix credimus, nobis maximè non vocatis. A

Vestrum igitur suffragium flexis poplitibus imploramus, vt vestram saltem causam propitius defendatis: vestram dicimus, & reuera. Nam semper dum Reges & Imperatores Teutonici Romanæ Ecclesiæ rebellarent, illisque semper assisterēt Principes conuicini, Pontifices nostri cum suis subditis resistebant & partem Romanæ Ecclesiæ receptabant: quod Chronica Ottonis vltimi Cæsaris rebellis Ecclesiæ clarè demonstrat, ac alia postmodum Frederici, & nunc vltimo Bauari: Cuius minas terribiles cum fautoribus suis Anglicis, ac quibusdam terræ nostræ Principibus confœderatis eidem, cum corporum ac rerum nostrarum periculis omnium spreuimus, vt nostræ matri Ecclesiæ Romanæ fidem solitam seruaremus. Et nè ficta vobis narrasse aliqua videamur, literarum copias Bauari minas huiusmodi continentes vobis duximus transmittendas. Data anno Domini 1343. Dominicâ, 14. die Septembris. B

Episcopus sigillauit literas prædictas.

Has Epistolas cum Capitulo sigillauit Episcopus, quamuis plus omnibus alijs nocuisset ad Comitatum huiusmodi obtinendum.

Interim ad partes nostras legatus applicuit supradictus: qui processus suos faciens contra Hoyenses & Ducem, ipsum & Rectores Hoyenses excommunicatos fecit publicè nunciari, & totam terram Ducis & Hoyum Ecclesiastico supposuit interdicto. A quo Dux & Hoyenses sedem Apostolicam appellarunt. C

Episcopus reuocat 22. electos & eorum literas lacerat.

Anno Domini 1344. in die B. Mathiæ Apostoli Episcopus mandauit quatuor de Canonicis nostris, qui de dictis 22. electi fuerant; & exegit ab eis, vt dicebant, inuitis per minas terribiles, quod illi iuri renunciarent; & etiam quatuor alios pro Ciuitate modo simili, vt sibi super hoc factam literam reportarent, & tunc Episcopus literas dicitur lacerasse.

Murmur populi de Magistro suo vili, paupere, & fatuo.

Attentatum periculosum.

In crastino cœpit populus murmurare, quod per corruptionē magistri sui, vilis, pauperis, & fatui, qui promiserat Episcopo, quod quādo vellet, in foro Leodiensi mille armatos de ministerio suo & aliorum adduceret, ad cogendum prædictos, vt officio cederent prælibato: quod quamuis expediret Ecclesiæ, factum tamē fuerat malo modo; nam periculosè nimis attentatum fuerat, nisi cautelâ cæterorū ciuium celeriter fuisset obuiatum. Et hoc mediante sibi promiserat Episcopus nouas in Leodio constitutas nundinas abolere; erat enim iste magister de ministerio pannificum seu textorum, qui nundinis istis pluribus pannis aduectis, suos ita carè, vt consueuerant vendere nequiuerunt: vnde indignati insignes & populi se iuramento pariter colligarunt ad puniēdum omnes qui talia procurarunt. Et in vltima hebdomada quadragesimę Dominum Ioannem de Landris militem & Scabinum Leodiensem, Ioannem Polart Scabinum & Episcopi villicum, & deposito primo magistro suo, ipsum & quosdam alios banniuerunt, qui omnes dicebantur huius periculi patratores; Re- D

Magister deponitur & cum quibusdā alijs bannitur.

quirentes

quirentes Ecclesias vt etiam contra suos Canonicos inquirerēt, quos
A etiam dicebant esse participes huius facti.

Feriâ quintâ ante festum B. Ioannis Baptistæ venerunt ad Capitulum Rex Bohemiæ, Comes Hannoniæ, & Auunculus suus Dominus Ioānes de Bellomōte, requirentes quatenus pronunciationem de Comitatu Lossensi, ratificare vellemus; & cum maior pars Capituli cōsentire tenueret, comminando recessit. *Rex Bohemiæ petit ratificari pronunciatum de Comitatu Lossensi.*

Tertiâ decimâ die mensis Iulij scripsit amicis suis dilectis Capitulo Leodiensi quatenus octauâ die mittere vellent aliquos de suis apud Fexhe, vbi venturus erat: & misit literas similes Ciuitati. Interim idem Comes infirmitate graui correptus est: & sic ad tempus Capitulum conquieuit. *Comes infirmitate corripitur.*

B Eodem anno Hoyenses in magna quantitate Leodium nauigarūt de Episcopo conquerentes, quod seruare pronunciationem Comitis recusabat. Et cum 26. die Octobris ad propria remearent, Episcopus in castro Clermont iacens ægrotus Balliuo scripsit Hasbaniæ quatenus eos inuaderet redeundo. Quod cum iuuenis & festinus tentaret efficere, de suis tribus aufugit interfectis.

Die verò tertiâ mensis Nouembris Episcopus debita naturæ persoluit: & sextâ die mensis eiusdem sepelitur in monumento, quod translationi prædecessoris sui Domini Ioannis de Apia fuerat præparatum: cui translationi monachi vallis S. Lāberti, apud quos sepultus est, consentire nolebant, & sic 10. annis manserat vacuum monu-
C mentum, vt patet supra in fine gestorum anni 35. Hic moritur intestatus, quia obligatus in multis, quos elegerat suos executores, in se onus assumere recusarunt. *Episcopus moritur.*

Et cum præcedenti die Capitulum coactum fuisset reuocare Officiatos, Balliuos, & alios, quos posuerat magistris villæ non vocatis, & instaret electio mamburni facienda, in Capitulo breuiter ita dixi.

Domini, non est mirandum si populus & patria non patitur vos eligere mamburnum sine ipsis, sub cuius ducatu habent exponere vitam suam; & hac de causâ in vltimâ vacatione contigit interfectio, & combustio Ecclesiæ S. Martini, vt patet suprà in historia anni 1313. *Populus & patria nō patitur sine ipsis eligi Mamburnū.*

D De iure diuino electio principis spectat ad Deum, *Ecce*, inquit, *constituo te super gentes & regna &c.* Et tamen filij Israël Dauid electum per Deū de facto deseruerunt dicentes, *quæ nobis pars in filio Isai, reuertere Israel in tabernacula tūa.* Electio verò Principis de iure naturali spectat ad populum, & etiam correctio, vt scribitur in Politicis & exercitus eligit Imperatorem, *vt ait Hieronymus 93. dist. cap. legimus.* Plebs Traiectēsium pariter congregata S. Lambertum Episcopum sibi fieri acclamauit. Res de facili reuertitur ad suam naturam; melius est plicari, quam rumpi. Habetis recens exemplum hesternum, quod quicquid ordinaueratis magistris inconsultis ad terrorem eorum vos instanti oportuit reuocare. *Ierem. 1.* *3. Reg. 12.* *Melius plicari quam rumpi.*

 Ex his

Consiliũ auctoris.

Ex his concludo melius esse iudicio meo, quod imminẽte electione mamburni mandemus magistros & alios de patriâ,& sic dicamus, vos Domini laici melius cognoscitis milites patriæ habiles ad hoc officium quam Clerici; nominetis nobis vtiliorem & illum libenter eligemus: Sic seruabitis possessionem & nihil perdet Ecclesia de iure suo, alioqui continget vobis vt heri,& quicquid mali euenerit, vobis sine dubio totum imputabunt. Hæc sententia fuit tunc ab aliquibus approbata. Et mandata fuit patria ad feriam 6. sequentem ad videndum fieri electionem mamburni. A

Renerus suspectus falsitatis.

Nonâ die mensis eiusdem ostensum fuit in Capitulo coram magistris sigillum plumbeum siue stanneum eiusdem Typarij cum magno sigillo argenteo Episcopi, quod inuentum fuerat in manticis Dñi Reneri: quod tamen factũ fuerat de conscientiâ Episcopi pro quadã necessitate, absente sigillo in Curiâ Romanâ: sed magistri dixerunt, quare ergo non reddidit cum alijs sigillis argenteis, nisi quia volebat falsitatem committere; ipse deberet comburi. B

D. Ludouicus de Agimont cõmuni consensu renunciatur mamburnus.

Sequenti die scilicet in vigiliâ Martini habitum est concilium in Capitulo,& per omnes concordatum quod quia sentiebamus ciuitatem affectare quod Dominus Ludouicus de Agimont esset mamburnus, vt illum concorditer eligere deberemus: & sic confirmatũ fuit per omnes, quod suprascripsi ab aliquibus approbatum. Et pariter omnibus congregatis ipsum Dominum Ludouicum Capitulum nominauit, quem etiam milites & cæteri elegerant, quamuis sola Capituli electio sufficere debuisset. C

Barretus cõstitutus per mamburnum excõmunicatur & quare.

Mamburnus autem malignâ ductus persuasione Oeconomum seu receptorem reddituum, quem constitueramus mensæ Episcopali sede vacante deposuit, & alium Barretum Canonicum Ecclesiæ sancti Pauli Leodiensis constituit: qui contra inhibitionem Capituli multa leuauit: propter quod ipsum fecimus virtute priuilegij nostri excõmunicatum publicè nunciari; à quo idem sedem Apostolicam appellauit; cui Ecclesiæ ab initio adhæserunt, sed videntes appellationem esse friuolam destiterunt.

Interim magistris villæ contra Capitulum machinantibus & opprobria dicentibus, popularibus hoc displicuit; sed nullus audebat loqui pro eo, quod eis pœnitentias iniungebant aliquos banniendo. D

Tandem duos elegerunt de se Gubernatores, qui verbum populi liberâ voce proferrent: Quo facto magistri fuêre confusi, & mamburnus se passus est ferrari, & præfatus Barretus cessit officio, & misericorditer petijt se absolui. Et nos Oeconomum iure nostro constituimus sicut prius quendam Hubertum de pratis, quia Hugutio, quẽ primo posueramus, officium reassumere recusauit.

ANNOTATIONES.

1. Anno Domini 1344. in die B. Mathiæ Apostoli Episcopus:] *pœnitentiam hanc Episcopi refert quoq; Cornelius Zantfliet.* Cum Adolphus *(inquit)* Episco-

A Episcopus grauiter pœniteret, quod viginti duos Iudices, vt præfertur, in præiudiciũ dominij sui permisisset institui & eligi, quatuor de maioris Ecclesiæ Canonicis, qui electi fuerant, instanter requisiuit, quod iuri & electioni de se factæ confestim renunciarent intẽtando eisdem minas graues, pariformiter quatuor de Ciuitate electos requisiuit volens ab eis extorquere literam, quam prius diximus tot sigillis cõmunitam. Quam, dum sub quodã mẽdacij pallio quasi in ea aliqua visurus esset Episcopus, mox dicitur penitus lacerasse: vno de Burgimagistris Episcopo super hoc conueniẽte, qui fuit dictus Ioannes Iacquemonte de ministerio panificum & drappariorum, qui totis votis nitebatur cassare & irritare nundinas, quæ post octauas B. Lamberti singulis annis celebrari solent, vt liberius ad libitum ciues pannos B suos omnibus vendere possent, vt pridẽ fieri consueuit, promittẽs insuper Dño Leodiensi, secum adducturũ in foro Leodiensi decẽ ministeria, aut saltem mille armatos, cum quibus residuũ Ciuitatis in suam indubitanter sperabat sententiã inclinare. Quod cum ciuibus innotuisset, illi associatis sibi insignibus contra prædictũ Burgimagistrũ, nec non & Dñm Ioannẽ de Landris militẽ ac Ioannẽ dictum Pollart iuridice procedentes veluti cõtra periculi vel seditionis inuentores, omnes exiliauerunt, requirẽtes insuper Ecclesias, vt similiter contra quatuor Canonicos in huiusmodi reos inquæstam facerent, quos huius facti dicebant esse participes.

C 2. Eodem anno Hoyẽses in magna quãtitate Leodiũ nauigauerũt:] *Istam Hoyensiũ querimoniam & statim post sequutam Episcopi mortẽ refert quoque Zantfliet his verbis:* Eodẽ anno Hoyenses in numero copioso nauigio venerũt in Leodiũ querimoniã facientes de suo prẹsule, quia sententiã arbitralẽ per Comitẽ Hannoniæ latam seruari non curasset, illo ẽ cõtrario affirmante, quod Hoyenses in pœnas appositas per rebellionẽ incidissent. Cũ illi 26. die octobris ad propria remearẽt, Episcopus in castro suo de Clermont lecto decũbens ægrotus, mandauit suo Balliuo Hasbaniæ Lodouico Marcreal, vt sumpto secũ equitatu illos inuaderet: At ille volens iussum sui præsulis explere, Hoyẽses præmonitos & præmunitos circa syluã dictã le Mallieu fidẽter inuasit, sed D habito conflictu, superuenientes equites Hoyensium, de quibus Balliuus ignorauerat, ipsum cum omnibus compulerũt in fugam, tribus viris illic peremptis.

3. Die vero tertia mensis Nouẽbris Episcopus debita naturæ persoluit:] *Idem Zantfliet confirmat his verbis.* Quod .1. quam cædẽ cum Balliuus nunciasset Episcopo grauiter ægrotanti, illo tristi consternatus nũcio, quia non euenerat vt putabat, octauo die post conflictum hoc est 3. Nouẽbris diem clausit extremũ in prædicto castro de Clermont intestatus, quia infinitis debitis obligatus. Statim naui impositus ac Leodiũ aduectus sepultus, est ante maius altare B. Lamberti in excellenti sarcophago laminis æreis desuper operto, quibusdam de morte eius dolentibus, aliquantis admodum iucundatis.

A

De electione Engelberti à Marcka, & de inquisitione contra peculatores facta per populares, nec non de alys quibusdam rebus vicinis.

CAPVT XXXI.

Engelbertus per Papam elitur in Episcopum.

ANno Domini 1345. in vigiliâ B. Mathiæ Apostoli Engelbertus Præpositus Leodiensis, nepos ex fratre Episcopi defuncti, per Papam in Episcopum est electus: Qui 12. die aprilis Leodium veniens tenuit festum solemne. B

Populares inquirũt in peculatores. *Quatuordecim culpati.*

Et paulo post, populares de Leodio, assumpto regimine ciuitatis inquisiuerunt super quibusdam pecunijs, quas quosdam de Ciuitate sibi retroactis temporibus attraxisse dicebant. Inquisitione factâ circa 14. inculpantur; quibus publicè præcipitur, vt infra festum beati Ioannis Baptistæ quilibet soluat summam in quâ ipsum inquisitio contingebat, alioquin à Ciuitate recederent vt banniti. Qui cum eorum aliqui soluere non possent, alij nollent, in vigiliâ dicti festi pariter recesserunt; Inter quos duo milites & Scabini Domini Ioannes de Lardario, & Hubinus Barees, alius Scabinus Ioannes de Brabantiâ, magister Andreas aduocatus Curiæ Leodiensis, & cæteri ciues erant.

Stratagema Comitis Hãnoniæ contra oppidũ Vltraiectense.

Hebdomadâ præcedente Comes Hannoniæ cum sub nomine inuadendi Frisones emisset victualia ab Vltraiectensibus & sagittas, ipsos improuisos, obsedit, armatorũ cum maxima comitiuâ feriâ quartâ octaua die Iunij ipsos diffidauerat, & obsedit eos feriâ 6. sequenti, & decem mangonalibus per sex hebdomodas impugnauit, habens secum duo millia & sexcentos, minus quatuor milites, 18. Comites & 38. Barones, & vulgi multitudinem plus 30. millium, mille & centũ lapides sphæricos, quolibet 200. libras vel amplius ponderante, quos machinis in ciuitatem proiecit: sed nisi virum vnum & fœminam tetigerunt. Ecclesiam B. Mariæ & domos Canonicorum ibidem pluribus ictibus deformauit; & quasdam domos ciuium ex parte ciuitatis, duntaxat 16. interfectis; inter quos vnus armiger, cæteri leues. Ciuitas habuit captiuos Barones, milites & armigeros 40. probos, leuium non erat numerus. Comes considerans ciuitatem munitã pro biennio, & se viriliter defendentem, compositionem inijt sic, quod damna sunt hinc inde remissa, captiui liberari, & partes vt prius amici; & vlterius quod ad pronunciationem Domini Ioãnis de Hannonia quod pronunciare voluerit vsque Remigij: Sed creditur quod non pronunciabit, & erit guerra vt prius. Quadringenti viri de ciuibus nudis capitibus & pedibus à Comite veniam postularunt; ex quo rumor in exercitu suo insonuit, quod se ciuitas tradidisset.

C

Magnus belli apparatus Comitis.

D

Comes componit cum Vltraiectensibus.

Causa

A Causa obsidionis fuit quod Ciuitas quosdā ciues Comitis pecuniaEliter mulctauerat, pro eo quod sine licentiâ Ciuitatis se Comiti obsides dederant, super quadam dissensione quam habebant cum Comite occasione Præposituræ S. Ioānis in discordia collatæ, quia Comes fouebat partem quæ succubuerat litigando. Ita scripsit quidam Canonicus Traiectensis qui cum alijs pacem prædictam tractauit. *Quæ causa fuit obsidionis.*

Eodem anno præfatâ obsidione durante, Iacobus de Artenuelt Tyrannus Flandriæ, de quo supra, extitit interfectus. *Iacobus Artenuelt interficitur.*

Eodem anno præfatus Comes, sicut vehementis animi fuerat, inconsultò, calore iuuenili Frisones inuasit, & præuolans ante alios cū multitudine nobilis iuuētutis, absque defensione, cum omnibus obB truncatur, 26. die mensis Septembris, feria tunc 2. *Comes Hannoniæ obtruncatur à Frisonibus.*

ANNOTATIONES.

1. Et paulo post populares de Leodio:] *Hunc motum plebeum paulo explicatius refert Zantfliet, sic enim ille:* Porro vulgus Leodiense seditione facta in pennarios Ciuitatis milites ac 14. Scabinos eo tempore insurrexit, quia dum Ciuitatem gubernarent, pensiones vitales in quantitate graui vendiderāt, & in vsus domesticos, vt fama erat, conuerterāt. Vnde non immerito populares assumpto regimine Ciuitatis indignati inquisitione facta huius venditionis auctores tam viuos quam hæredes ac vxores superstites requirunt, vt dictas solutiones, & pecuC nias exinde leuatas facta computatione restituant, & deinceps de suis facultatibus persoluant, alioquin infra festum beati Baptistæ Ioannis à Ciuitate recedant proscripti. Quorum aliqui dum summam hanc soluere non possent, aliquāti non vellent, in vigilia dicti festi omnes pariter abcesserunt. Inter quos erant Scabini Ioannes de Lardario, & Hubinus Baret milites, Ioannes de Brabantia, Magister Andreas aduocatus Curiæ Leodiensis, & cæteri quorum nomina pertransimus. His ita gestis pro causis quibusdam veniente Ioanne Rege Bohemiæ apud Namurcum, Episcopus illum rogauit, vt apud Communitatem Leodiensem, cui Rex gratus erat, intercedere dignaretur, vt proD scripti vel banniti ab eis possent libere ad Ciuitatem remeare. At ciues interuentu Regis & sui præsulis inclinati, bannitos omnes reuocarunt, hoc pacto mediante, quod quilibet eorum iuxta consuetudinem & legem, pro qualitate delicti representaret emendam, sicque cessauit tota quassatio.

2. Hebdomada præcedente Comes Hannoniæ:] *Qui volet huius Comitis miseram tragœdiam particularius cognoscere legat Chronicon Ioannis de Beka Canonici vltraiectini in Gestis Ioannis 4. Episcopi vltraiectensis 47. Meminerunt etiam illius Zanfliet, Brustemius, & alij.*

3. Eodem anno præfata obsidione durāte Iacobus de Artenuelt:] *Nec mirū is enim fere tyrannorū finis est, vt ab alijs misere enecentur & pereāt. Longus est Meyerus in describenda huius tyranni interfectione in suis annalibus ad annum 1345.*

1345. & ne quis erret in tempore, quod videntur facere alij Flandriæ scriptores. Sic ille concludit hystoriam: Incidit autem mors Artenuelde in diem decimū septimū mensis Iulij pomeridiano tempore, qui dies dominicus erat, ne quis varietate tradentium amplius erret. A

De bellis Leodiensium contra Hoyenses, & iniuria quam infert Abbas S. Nicasii Ecclesiæ Leodiensi, & de quibusdam alijs.

CAPVT XXXII.

B

Leodiēsium exercitus contra Hoyenses. Concordia.

Eodem anno 5. die Octobris in Leodio expositis vexillis contra Hoyenses exercitus proclamatur. Tandem fit concordia, & supra banniti ad preces Ecclesiarum sunt reuersi; quo mediante, populo gratiam cōcesserunt quod ad bienniū soluēdo florenum de flor. pro 8. scilicet census antiqui debeant liberari: Et sic in festo natiuitatis Domini Episcopus in castro Hoyensi solemne festum tenuit, qui præcedente festo quatuor temporum fuerat in Episcopum consecratus.

Occasio noui belli inter Leodiēses & Hoyenses.

Anno Domini 1346. Cum Marescalcus Episcopi quendam homicidam Hoyensem decapitasset, Hoyenses asserentes quod sede vacāte mamburnus de homicidio illo absoluisset eundem, exeuntes vexillis explosis domum Iustitiarij Episcopi destruxerunt, propter quod discordia renouatur; & Hoyenses cum Leodiensibus & Sanctitrudonensibus confœderationem quandam fieri procurauerunt. C

Papa mittit Leodium Episcopos vt dispēsent super iuramento de non alienanda Mechlinia.

In quadragesimâ Papa ad instantiam Regis Franciæ scripsit tribus Episcopis, Parisiensi, Laudunensi, & Morinensi quod vocatis Episcopo & Capitulo Leodiensi ad certam diem super iuramento quod Comes Flandriæ præstiterat Ecclesiæ Leodiensi de non alienanda Mechlinia dispensarent. Capitulum verò, quia Episcopi dilationem dare renuerant competentem, sedem Appostolicam appellauit.

In hac quadragesimâ priuatus fuit Archiepiscopus Moguntinus; & filius Comitis de Nasaw in Archiepiscopum consecratus & in aliqua parte receptus: & mandauit Papa electoribus vt eligerent Imperatorem; ad quod filius Regis Bohomiæ non multo post fuit electus. D

Abbas S. Nicasij abutitur sua potestate in perniciem Ecclesiæ Leodiēsis.

In mense Iunio eodem anno Abbas S. Nicasij venit Leodium cum literis Apostolicis quibus sibi Papa mandabat, quod si de consensu Capituli procederet, facta concordia inter Ecclesiam Leodiensem & Dominum de Heinsburg, ipsum posset absoluere, & interdictum latum relaxare. Et cum idem Abbas diutius tractasset cum Capitulo, tandem obtinuit quinque Canonicos eligi ad tractandum cum parte aduersâ vnà cum Abbate, ita tamen quod non haberent potestatē

negotium

A negotium terminandi sine Capitulo & patriâ, per quam sasinia Comitatus Episcopo fuerat adiudicata; ipsi tamen nulla relatione factâ Capitulo, Dominicâ ante festum B. Ioannis Baptistæ consenserunt quod Episcopus aduersarium Ecclesiæ de Comitatu inuestiuit. Et ita factum est, quamuis quidam de nostris prædixerint periculum futurum si hoc fieret patriâ nesciente. Vnde eadem septimanâ ferè omnes fuimus interfecti, & fuerunt custodes positi in domibus illorum quinque, & aliorum quorundam, exceptis illis qui præmissa sine patriâ fieri dissuaserũt, illis quinque ad Ciuitatẽ non reuersis. Interim Abbas prædictus abusus potestate suâ absoluit, interdictũ relaxãdo: A quo grauamine Capitulum sedem Apostolicã appellauit, præsentibus Canonicis 18. cum non essent illis quinque nisi duo vel vnus de B residentibus adhærentes.

Inuestit E. de Heinsburge de Comitatu Lossensi.

Illum absoluit & relaxat interdictum.

Capitulum appellat sedem Apostolicam.

ANNOTATIONES.

1. Cum Mareschalcus Episcopi quendam homicidam:] *Explicatius & particularius habes hanc hystoriam apud Zantfliet. Sic enim ille.* Eodẽ anno, scilicet 1346. dum quidam oppidanus Hoyensis in quadam villâ Cõdrosij vim vi repellens inuasorem suum occidisset Leodiẽsem sede vacante: Idem homicida factâ pace cum amicis occisi, procurauit se absolui à facinore per Dñm Ludouicũ d'Agymont Mamburnũ & tutorem patriæ. Verum sublimato Dño Engelberto de Marka balliuus eiusdẽ Episcopi Collinus de Fraipont miles per suum substitutũ Ioãnem de Merode dictũ homicidã cõprehensum fecit continuo decollari, asserẽs tractatũ initũ cum Mamburno nullius esse valoris. Vnde C cõmoti Hoyẽses primâ die Martij, cũ vexillis & armis egressi ad villã Cõdrosij, q̃ noua villa dicitur, domũ dicti Balliui securibus & malleis diruerũt. Ea recepta cõtumelia Balliuus cõquestus Scabinis Leodiẽsibus, de violẽtia facta absente Episcopo, practicauit octodecim oppidanos Hoyenses præconisari & à patria proscribi: De quo cætera oppida patriæ apud Leodiũ cõuocata, mox se cõfœderarunt Hoyẽsibus, & prædictas querimoniã & proscriptionẽ irritas & vanas fuisse & esse proclamauerũt, attento quod homicida prius cũ Mãburno patriæ cõposuisset, quodq; iuxta arbitramentũ Comitis Hãnoniȩ oppidani Hoyẽses per Scabinos Leodiẽses proscribi vel expelli non possẽt nisi pro forefactis, nisi infra immunitatẽ vel bãni leucã eorũ qui D perpetrãt. Porro Episcopus regressus à Westphalia moleste tulit iniuriã illatã suo iustitiario, dissimulabat tamen sibi ascribere vel laudare factũ Balliui, sed quantocius omne consilium patriæ nobilium & ciuium apud Fexhe conuocauit querimoniam longam texens contra Leodienses & Hoyenses simul confœderatos contra se quos asserebat suam infregisse iurisdictionem & dominiũ in effringẽdo domos suorum officiatorum, &c. E contrario Leodienses affirmabant dictã colligationẽ nequaquã cedere in prȩiudiciũ Iurisdictionis Episcopalis, sed in defensionẽ suarum libertatũ, & castigationẽ eorũ qui cõtra fas & legẽ terræ suos confratres & conciues infestare præsumebant.

2. In mense Iunio eodem anno Abbas S. Nicasij:] *Iniuriam illatã Ecclesiæ Leodiensi per hunc Abbatem S. Nicasij refert quoq; præfatus Zantfliet, & alij.* A

De infelici pugna Episcopi contra Leodienses & Hoyenses, & varijs ea propter Epistolis Cleri ad Pontificem, & ad cœtum Cardinalium.

CAPVT XXXIII.

Episcopus meditatur vindictam in Leodienses.

ANno Domini 1346. circa medium mensis Iulij Episcopus intendens se de Leodio vindicare, assignatâ certâ die Leodiensibus per Episcopũ, scilicet feriâ 3. post Margaretæ, in loco dicto Vothem (vbi Scabini quando in Leodio iudicare non audebant, consueuerant pro tribunali sedere) citati sunt, propter quod exeuntes Hoyenses pulchra maneria quorundam Scabinorum & Canonicorũ Leodiensium quos fauere Scabinis suspicabantur funditus diruerũt, & reuertentes ad propria vt ad comparendum dictâ die armati cum Leodiensibus, se pararent. Interim Leodienses omnes eorum Scabinos, vno excepto, videlicet Hubino Bareit, qui cum ipsis remanserat, banniuerunt. B

Leodienses iuncti Hoyẽsibus.

Bãniunt scabinos à Leodio recedentes.

Deinde 2. die ante feriam tertiam de sero supradictam dictum locum pariter occupauerunt, & ibidem totâ nocte & die sequenti, videlicet vsque ad feriam quartam de mane, scilicet 19. mensis Iulij, Episcopi exercitus validus ipsos inuasit; & cum multos inermes procuratores, præsbyteros, & clericos de Leod. interfecissent, resistentibus fortiter armatis Leodiensibus & Hoyensibus, tandem exercitus Episcopi victus recessit, de suis multis nobilibus interemptis; inter quos Dominus de Falcomonte apud fratres minores primo sepultus est, post satis cito ad propria reportatus, & reliqui plusquam 40. milites, quorum 15. nominati mihi fuerunt de terra Comitis de Monte, videlicet Domini, Moor de Fusten; Adolphus de Valkẽborg; Henr. & Theod. de Ellaer fratres; Henr. de Schoenroede minor, miles ibi factus; Eng. de Steinbruxel; Petrus de Kelheyne, Gerardus de Lantscroen, & Henr. de Liewenborg ambo Vexilliferi; Crayt de Ilendorp; Henr. de Permonti; Wernerus Wynt; Hermannus de Vassen; Dominus de Pirmont; & Stole de Lantwaden. Leodienses cũ Hoyẽsibus obtenta victoria sunt reuersi. C D

Exercitus Episcopi inuadit Leodienses minus feliciter.

Nomina nobilium interfectorum.

Hoyenses spoliãt domos quorundam Canonicorum.

Hoyenses verò in domibus Canonicorum qui cum Episcopo exiuerant eadem nocte hospitãtur, asportantes secum quicquid inuenerunt ibidem: & feriâ sextâ sequenti ad propria sunt reuersi. Dicitur autem communiter quod Episcopus habuerit plures equites in adiutorio suo quam Rex Angliæ quando Regem Franciæ inuasit, quodque habuit secum vltrà 7. millia equitum quod casu sibi contingit, quia 9. die ante conflictum filius Regis Bohemiæ Cœci, in Regem Romanorum electus fuit; vbi plurimi nobiles propter hoc conuenerãt, ibique

Vnde tantus exercitus Episcopi.

A ibique ipsum cæterosque rogasse dicitur, vt secum veniret ad diem; quem Leodiensibus suis rebellibus ad abiudicandum quosdam eorũ statuerat vt prædixi; quâ die venerunt ibidem Rex præfatus Cœcus, & filius suus electus in Regem, Comites, Iuuenis Geldriæ, Iuliacensis, de Marka, de Katzenelenboghe, Lossensis & plures alij qui in bello minimè descenderunt.

Vicesimâ sextâ die mensis Augusti Rex Franciæ contrà Regem Angliæ infaustè pugnauit; nam cum Rex Angliæ transfretasset, & Canam villam magnam in Normandiâ destruxisset, venit in territorio haud longè à Ciuitate Ambianensi, ibique cum Rege Franciæ bello commisso Rex Bohemiæ cæcus pro parte Francorum trucidatur, Comite Alenconensi Fratre Regis Franciæ, Duce Lotharingiæ, Co-B mite Blesensi cum infinitis de suis nobilibus interfectis. Et die sequẽti quæ fuit Dominica Rex Maioricarum Regem Angliæ inuasit, & cũ gente sua ferè duas partes gentis Anglorum trucidauit, & ibidem occubuit. Rex autem Franciæ dicitur habuisse secum centum & quinquaginta millia equitum armatorum; Pars aduersa tria millia tantũ, præter sagittarios infinitos, qui telis suis maiorẽ numerum occiderunt: deinde Rex Angliæ ad obsidendũ Calais se transtulit, quasi villã ædificans circum circa ibidem hyemando.

Rex Frãciæ cũ Rege Angliæ infaustè pugnat.

Rex Bohemiæ interficitur cũ alijs nobilibus infinitis.

Circa tempus idem Capitulum nostrum Papæ scripsit literas in hunc modum.

Rex Angliæ obsidet Caletum.

Sanctissimo in Christo Patri &c. Crudelissimæ guerræ fructus an-C ni huius absorbentis & interitum minitantis cæterorum, ne quorũdam interpretatione sinistrâ narrãdo facti seriem possemus fortè de partialitate notari; cum partem nullam in guerrâ fecerimus, tanquam illi ad quos non pertinet, nec facere intendamus, Sanctitati vestræ scribere supercedemus; Cum præsumamus tam notabile factũ iam vndique diuulgatum aures Sanctitatis vestræ non potuisse latere, verum ne tacendo tanto malo consentire, & salutem nostram negligere videamur, ac facere debitum nostrũ erga Ecclesiam quomodolibet postponamus, circumspectionẽ vestram suppliciter exoramus, quatenus ad succursum interitus tam peculiaris filiæ vestræ mentis aciem dirigatis. Tot & tanti namque sunt hoc infausto bello effecti D Ecclesiæ, quæ nihil mali meruit, inimici, quod præter vestram Sanctitatem non extat idoneus, qui possit & velit tantæ plagæ congruam adhibere medelam, aut saltem treugas seu inducias quibus ad tempus suspirare possimus valeat impetrare: Quod nisi fiat celeriter nihil remanebit extra muros fortium oppidorum, quin vorax flamma consumat: Et sic deficiente stipendio cogetur in vituperium ministerij vestri, Cleri pars maxima miserabiliter mendicare. Huius autẽ mali fuit initium, quod cum Abbati S. Nicasij Rhemensis dederitis in mãdatis vt super Comitatu Lossensi inter partes tractaret, & si cõcordiam inueniret, occupatorem Comitatus absolueret, & interdictum reuocaret, si hoc de Capituli procederet voluntate. Qui tractare inci-

Copia literarũ Capituli ad Summum Pontificem.

re incipiens verbis volubilibus, quibus abundat, quosdam de nostris induxit, quos ad tractandum secum deputaueramus, ad hoc quod nõ obstante prohibitione Capituli, & protestatione Communitatis Leodiensis ipsis factâ, ne insciâ patriâ, per quam sasinia Comitatus Episcopo cesserat de ipso Comitatu aliquid ordinaretur, Tractatores ipsi eundem Comitatum occupatori adiudicare curauerunt, quamuis super hoc à Capitulo nullam habuerint potestatem; sed potius, vt præmittitur prohibitionem, Abbasque occupatorem absoluit, eũdemque de Comitatu Episcopus inuestiuit, recompensatione Ecclesiæ nullâ factâ, & sic Ecclesia perdidit funditus Comitatum, quia licet appellauerimus ad cautelam, ipsam tamen appellationem prosequi nõ poterimus paupertate cogente: super quo proinde vestra Sanctitas prouidere dignetur. Insuper Ecclesia, quia caret residente decano, præsertim hoc tempore maledicto, incredibiliter est grauata, nullo volẽte idoneo intercipere vices eius, propter graues offensas quas oportet incurrere aliquando vices gerentem, si facere debeat quod tenetur. Igitur pietatis osculo respicere dignetur Sanctitas vestra peculiarem filiam vestram orphanam & miserabiliter desolatam data 10. die Augusti, anno Domini 1346. A B

Ecclesiæ maior & secundariæ scribunt Episcopo.

Eadem die maior & secũdariæ Ecclesiæ scripserunt Episcopo literas quæ sequuntur.

Exemplar. literarum.

Reuerende Pater & Domine ex literis vestris per duos Prædicatores vltimo nobis missis intelleximus in intimis sauciati, quod sustinere non possetis inimicos vestros Leodiẽses de Ecclesiarum fructibus saturari: Ex quo de necessitate concluditur quod nobis in Leodio remanentibus, quantum in vobis est, Clerus vester famescere debeat, & oues, quas pascere deberetis, fame pereant, ne inimici vestri pascantur cum illis: quæ sententia si menti vestræ irreuocabiliter est fixa, heu, grauis & intolerabilis esset Clero: Habet enim aliqua licet pauca, quæ si vos sequẽs relinqueret, nihil certi extrinsecus inueniret. Nã si pars vestra non parcit quibusdã vt videmus de Clero ita nobis recedẽtibus, Leodiẽses nulli parcerẽt vt apparet: & sic cani cõparari possemus carnẽ perdẽti & vmbrã. Hanc igitur cõceptionẽ irrationabilẽ à mẽte sua pius pastor procul expellat; quę si quãdoque, quod absit, ad superioris deduceretur examen, nulla posset ratione defendi. Aduertatis quęsumus pie Pater honorẽ quẽ Deus vobis exhibuit, in ætate satis iuueni huic præficiẽdo Ecclesiæ nobili, ne illũ perdatis cõsilio laicorũ, quin potius vtendo cõsilio Canonicorũ, qui vobiscũ sũnt, irã quæ vobis infortunio contigit misericordiâ tẽperetis. C D

Nam *impedit ira animum, ne possit cernere verum.*

Tale consilium credimus esse sanum. Ad tempus igitur iram differre vetis, quia tempus mitigat iram; vnde Gregorius, *Restringenda est potestas, nec quicquam agendum, priusquam concitata ad tranquillitatem mẽs redeat, nam commotionis tempore iustum putat omne quod fecerit.* Igitur paternitati vestræ humiliter filialis deuotio supplicat, quatenus *ascendentes*

ad cor-

A *ad cor altũ* despiciatis vilia, & veri pastoris operã assumentes oues vestras debitis pascuis non fraudetis. In Genesi legitur quod Deus pro decẽ iustis viris si fuissent inuenti pepercisset Gomorrę iniquissimæ Ciuitati. *Psal. 63.* *Genes. 18.*

Quâ igitur duritiâ tot & tantos religiosos, clericos, & mulieres ac pueros innoxios mori fame sustinere possetis, vt inimici vestri pariter morerẽtur. *Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat.* Aduertite Pater quod illius Pastoris est ista sentẽtia cuius vices in partẽ sollicitudinis geritis, quã si sequamini nõ poteritis pœnitere. Istis pẽsatis ad vnguẽ, vobis placeat nobis mittere literas efficaces, quibus mediãtibus, fructibus nostris gaudere possimus, & ad concedendum treugas animum vestrum dignemini inclinare.
B Scripta in die Laurentij. *Ezechi. 33.*

Vicesimo 3. die Augusti maior & secũdæ Ecclesiæ scripserũt Papæ & Cœtui Cardinalium literas quarum tenor inferius annotatur. *Ecclesia maior & secundariæ scribunt Pontifici.*

Sanctissimo &c. Armipotẽs dudũ Leodiẽsis patria cũ suis Põtificibus terribilis hostibus quoties Reges Alamãiæ, Rom. Ecclesiæ rebellabãt, quasi limes eius & Castrũ executores eiusdẽ legatos & nũcios, sicut testãtur annales, receptabãt intrepidè defensãdo. Nũc, heu, diabolo superseminãte zizaniâ tritico, quasi in seipsam sæuiẽs, Episcopo cum quibusdã Ciuitatis Insignibus & militaribus extrinsecis sibi assistẽtibus ex vnâ parte, ac cõmunitatibus Leodiẽsi & Hoyensi, ipsisque adC hærẽtibus ex alterâ, intestino bello se mutuo lacerãtibus, ferro flammâque dirutis ędificijs, & in cãpis vastatis iam frugibus, ad grauiora se præparãt hinc inde. Quo manifestè patet ad oculũ imminẽs interitus Ecclesiæ nobilis dudũ principãtis & liberæ, nunc ancillæ, nisi vestra diligentia pie Clemens huic morbo fistulanti succurrat, antequã trãseat ad medullas. Complosis igitur manibus, flexis poplitibus, gemitibus amaris, & geminatis singultibus vestrã Clementiã exoramus adiurantes *per viscera misericordiæ Dei nostri* quatenus vtẽtes plenitudine potestatis, quæ in hoc articulo locũ habet, treugas vestra maiestas sub pœnis cõpetentibus absq; morâ imperare dignetur. Quibus parũper respirantibus, de pace maturius valeat vestra fœlicitas ordinare; vel D alias nobis de remedio prouidere. Conseruet autem statum vestrum Omnipotens multorum vtilitatibus, & nostris in hoc articulo profuturum. *Exemplar literarum.* *Mathei 13.* *Luc. 1.*

Sequitur alia ad Cœtum Cardinalium.

Reuerendissimis &c. Armipotens dudum &c. vsque ibi, Antequam transeat ad medullas: & sequitur, Superueniatque in nos, qui non meruimus, illorum grauis vltio comminata, qui in conflictu infaustè plurimũ perdiderunt. Vos igitur misericordiæ patres, quos ad hoc Christus & Christi Vicarius Principes constituit orbis terræ, vt cooperãtes eidẽ verbo virtutis & opere de mũdo scandala tolleretis, adiuramus *per viscera misericordiæ Dei nostri*, quaten⁹ indilatè Dñm nostrũ sum- *Ecclesiæ maior & secundaria scribunt cœtui Cardinalium.*

ſummum Pontificem inducere dignemini, quem tamen ad hoc ſperamus voluntarium, quod velit treugas partibus imperare, vt ſuffocati ferè, aliquando reſpirare poſſimus: Quibus durantibus pacis cõſilia cogitantes Eccleſiam veſtram ad tranquillitatem priſtinã reducere valeatis. Cuſtodiat vos &c. A

ANNOTATIONES.

1. Epiſcopus intendens ſe de Leodio vindicare:] *De cruento & infelici hoc bello Epiſcopi contra Leodienſem populum ſcribunt quoq; Zantfliet, Chronicon Gemblacenſe, Bruſtemius, & magnum Chronicon Belgicum quod ſic habet.* Iſte Engelbertus habuit bellum contra Ciuitatem Leodienſem & Hoyēſem, quibus inuicem congreſſis, tandem exercitus Epiſcopi victus receſſit, de ſuis nobilibus multis interemptis: Inter quos Dominus de Falcomonte cecidit & alij plus quam quadraginta milites, demptis vulgaribus, quamuis Epiſcopus habuiſſet vltra ſex milia equitum demptis pedeſtribus. Tunc etiam ſolo Caſtrum Claremont æquarũt, vt ſimiliter caſtrum de Hamale. propè Tongrum diripuerunt. *Meyerus de eodem bello ſic loquitur*: Engelbertus à Marcka Epiſcopus Tongrorum, bellum cum ſuis geſſit, victuſque eſt, quamuis Ioannem Bohemiæ Regem, Carolumque eius filium Comitem præterea à Marcka fratrem ſuum, alioſque eminentes viros auxiliares haberet. Occiſi hic Reginates Comes Falcoburgicus, & Guilhelmus Lõgaſpata ſocij Engelberti, cum alijs nobilibus circiter centum menſe Iulio. B

2. Viceſima ſexta dies menſis Auguſti Rex Franciæ contra Regem Angliæ infauſtè pugnauit:] *Quia famoſum hoc bellum de quo auctor mentionem facere voluit multa habet lectu digniſſima placuit & adijcere hoc loco quæ in ſuis annalibus de eo ſcribit Meyerus, ſic igitur ille.* Die Sabbathi poſt ferias Diui Bartholomęi, hoc eſt die 26. Auguſti factum eſt funeſtiſſimum illud prælium Kerſiacenſe in Pontaco: qui quinque interfuerunt Reges, Philippus Gallorum, Eduardus Anglorum, Ioannes Boëmorũ, Carolus Romanorum iam electus, & Rex Inſularum Balearium. Hic Eduardus nuſquam vinci ſolitus, egregiè vicit. Triginta milia hominum cæſa ſcriptores memorant. Inter autem mortuorum nobilium capita inuenti principes (teſte Froſſardo) vndecim: Barones octoginta, quæ ſigna militaria vocantur: & equites balteo donati mille ducenti, Ex his nobiliſſimi Rex Boëmiæ, Dux Lotharingiæ Rudolphus, Carolus Comes Alenconij germanus Philippi Regis: Comites Bleſenſis, Hacuriæ, Sacrocæſarienſis, & Comes (proh dolor) Flandriæ noſter Ludouicus. C D

Nobilis heu Princeps, nimium confidere Gallis,
In miſeram mortem te Ludouice rapit.

Tantæ cladis cauſas quaſdam Galli ineptas adferunt. Ego autem non alias, quam ſupra commemorauimus, citandas puto: Ius nempe Gallorum Friuolum, controuerſum, incertum, & vt non dicam falſum,

A sum certè tanto cruore longè indignissimum. Calamitatem ad hæc sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, quam Reges illi intulerunt, dum pastores eius summos, non alios nisi Gallos, nec nisi in Gallijs creandos habendosque curarent, cum tantâ omnis religionis pietatisque iacturâ, vt nemo vnquam Cicero aut Demosthenes dicere sufficeret. Et hæc sunt quæ Helena, quæ fax illa Galliarum Isabella orbi inuexit mala.

O quantum patriæ portauit adultera luctum:
O quam præstiterat sponsam duxisse Philandram.

Est qui captum tradit Principem Walliæ Eduardi filium à Comite nostro Ludouico, sed liberatum statim ab Anglis. Sunt qui tantâ laboratum apud Gallos discordiâ, vt Ludouicum non ab hostibus, sed B ab Carolo Alenconio Regis fratre occisum referant, Alenconiumq; vicissim ab Ioanne Ghistellano Dominum suum vindicante: sed & Ghistellanum ab Galtero Grinæo, Flandris & Normannis inter se dimicantibus. Ortum odium, quod Principes fermè omnes Regni (vt moriens Milo Noierius Regi aperuit) munera ab Eduardo accepissent, exceptis Ioãne Regis Philippi filio, & Comite Flandriæ. Decretam insuper fuisse Flandro primam equitum aciem, quam sibi deberi Alenconius contendebat.

Hic arcus Manuarius victoriam Eduardo quæsiuit.
Anglorum rigidis cessit ballista sagittis.

Quamuis sexaginta milia pugnatorum dicitur habuisse Philippus C contra decem, aut paulo amplius milia Anglorum.

Palma Dei Donum est, Anglorum milia dena
Hîc sexaginta Gallorum milia vincunt.

Genuenses Arcubalistarij partim ab Anglis victi, partim ab ipsis Gallorum equis potriti, atque in fugam compulsi. Fugit multo maxima pars plebis Gallicanæ, ex quibus tamen postero die multi innocenter perierunt. Flammulam Flani victoriosam gessit eo die Milo Noërius, qui non diu post fuit in humanis: Auctor est Polybius Gallos olim Insubres signa habuisse quædam aurea, immobilia vocitabant, non nisi in extremo periculo ex Mineruæ templo promi solita. D Ab his puto auream Gallorum flammulam promanasse, quæ ex penetralibus templi Dionysiaci promitur cum extremum timetur discrimen. Nulla autem inter Anglos discordia, sed summus consensus erat, magnaque prouidentia & maturitas consilij. Castra ita ordinata erant, vt à tergo fossam haberent; ac veluti murum ex carris, aliaque materia factum. Tres erant acies, Sagittarij, Hastati, & Equites. Hanc pugnam pulchræ Paulus Æmilius conscribit, sed & ipse, & Polydorus Virgilius, pluresque alij ab ipso quo profligata est die aberrant, decimum statuentes calendas Septembris, cum septimo facta sit calẽdas Septembris, die sabbathi à meridie, vt cum nostris quibusdam rectè habent Chronica Brabãtiæ, & Atrebatẽsia, & Ioannes Nauclerus, & Chronicon Vascosani, pluresque alij. Porro omnem

tollit

tollit ambiguitatem inscriptio sepulchri Ludouici, quæ Brugis in principis æde ante aram maximam est huiusmodi : Cy gist noble puissant Prince de bonne memoire mon Seigneur Loys Conte de Flandres, de Neuers, de Rethers, qui trespassa en lan de grace 1346. le 26. iour de mois D'aoust, priez pour lame de luy : Fiûtque eo quotannis die eius anniuersariæ exequiæ, sparso circum sepulchrum viridi gramine. A

Heu nimium præsto Gallis nimiumque fidelis
Gramine sub viridi sanguinolente iaces.
Ni tua cum Gallis te regna Niuerna ligassent
Non foret hostili vita perempta manu
Omnia cura tibi, labor omnia, rara voluptas,
Raraque pax toto tempore, rara quies. B
Pax & summus honos tibi cœlo fulgeat alto,
Sceptraque cum superis commodiora geras.

In libro autem obituum Diui Donatiani hoc modo scribitur : Septimo Calendas Septembris obitus illustris Principis Domini Ludouici Comitis Flandriæ, qui dedit duodecim libras Paris. assignatas super bona de Zendcote. Sepeliuit autem patrē suum filius Ludouicus Centulæ in monasterio diui Rocharij, donec tandē sexto post anno Brugas transferret. Tridui induciæ ad sepelienda corpora datæ. Nobilitas ferè omnis aut oppidis propinquis condita, aut certis signis discreta: factaque potestas cuilibet suos quo vellet asportandi. Corpus Ioānis Luceburgēsis Regis Boëmiæ Luceburgum delatum, ac magnificè sepultum ; vbi & facies (vti lego) quinquaginta nobilium, qui cum eo occubuerunt, celatæ in marmore visuntur. Pugnatum autem est vsque ad noctem : sed postero die (ne semper Galli non essent infortunati) per nebulosum cœlum, magno numero ad gallica quę hostes erexerant confluente signa, tanquam pecudes mactantur. C

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achiui,
Sæpè potentum crimina luunt innocentes.

Simon pollitus ciuis compendianus Lutetiæ manus pedesque truncatas ad patibulum vnco trahitur, illique suffigitur quod ausus esset palam prædicare potiore iure Eduardum quam Philippum Regem de regno contendere, D

De varijs victorijs quas Leodienses Hoyenses & Dionantenses toto integro anno obtinuerunt contra Episcopum, & de infœlici tandem illorum pugna, & pace per eos petita.

CAPVT XXXIIII.

TErtiâ die Septembris Castrum Clermont, quod Episcopus Adolphus acquisierat, & valdè benè reparauerat per Leodienses & Hoyenses

A Hoyenses obsidione vallatur: Et aduenientibus adiutoribus suis Dionantensibus, cum diebus 15. obsedissent, Custodes castri saluâ vitâ deditionem fecerunt; castrumque diruitur solotenus.

Castrum de Clermont diruitur.

Sequēti die, quæ fuit 3. feria, interdicto publicato pro parte Episcopi auctoritate Apostolicâ in Leodio, per maiorem & secūdas Ecclesias, & quosdam religiosos non sine timore organa suspenduntur: Contra quod Leodiēses ciues sedem Apostolicā appellarunt, quibus pars 30. Præsbyterorū, Abbas belli reditus, Fratres vallis Scholariū, Prædicatores, Carmelitæ, & Cruce signati, taliter qualiter adhæserūt iuri nouo dicenti, quod quando maior Ecclesia cessat, oēs alij cessare tenentur, alioquin sententiam excommunicationis incurrunt, amorem vel timorem ciuium præponentes; cæteri omnes Religiosi & B Clerici Canones prætulerunt.

Leodienses verò cum suis adiutoribus diruto Clermont, Castrum Hamala obsederunt quod cum aliquamdiu mangonalibus oppugnassent, tandē intrinseci saluâ vitâ circa 40. numero se captiuos hostibus reddiderunt, qui statim domum ipsam funditus diruerunt, abductis secum captiuis.

Similiter & Castrum de Hamala.

Vicesimâ quintâ die Septembris scripsimus Præposito nostro Cardinali literas quæ sequuntur, licet non fuerit inuentus in Curia.

Capitulum scribit præposito Leodiensi Cardinali.

Exemplar literarum.

Reuerendissime Pater, noueritis quod Ecclesia nostra spoliata dudum possessione siue saisina Comitatus Lossensis, per Dominum de Heinsburg, Capitulum nostrum considerans quod ius Ecclesiæ aliter C recuperari non poterat, necesse habuit ad Rom. Ecclesiā habere recursum. Verum quia bonæ memoriæ Dominus Adolphus penultimus Leodiensis Episcopus, cuius expensis debuisset negotium agitari, cum ad mensam ipsius respiceret lucrum causæ, quicquam apponere noluisset, & Canonici residentes de victoriâ litis pro suis personis & suis successoribus nihil lucri penitus expectarent, quorū magna pars proprijs satis grauabatur expensis, quorum etiam pluribus plus erat æris alieni quā proprij, de prosequendo negotiū nullo modo poterat cōcordari. Vnde felicis recordationis viri scientiâ & legalitate præcipui Dñi Frācisscus de medicis re ac nomine Custos Ecclesiæ nostræ, ac Antonius de Buggella, Canonici nostri, quorū tunc industriâ & consilio Capitulum regebatur, habitâ inter se & pluribus aduocatis D ac prudentibus deliberatione maturâ, de pretio venditionis Mechliniæ sumptus huiusmodi potius debere fieri de pecuniâ, cuius pars tunc, sicut nunc, otiosa iacebat; quam tam famosam hæreditatem ad ius Ecclesiæ deuolutam perdere, vnanimiter decreuerunt: Hac ratione quod satis videbatur acquirere deperdita retrahēdo, nec per hoc periurium incurrere videremur. Vnde appellationem per nos interpositam contra processum Abbatis S. Nicasij, à cuius loquacitate omnia mala, quæ patimur, initium acceperūt, de hac pecuniâ prosequi Capitulum intendebat: Sed modo negotium est mutatum; nam licet Capitulum hanc pecuniam custodiat, eius tamen dispensatio

ad Episcopum vna nobiscum spectare videtur ; vnde sine consensu suo videtur nos non posse prosequi litem illam, præsertim cum de nostro stipendio habemus, nec speremus eius posse procurare consensum, quod fiat de pecuniâ ad emẽdum mensæ suæ redditus deputatâ. Intelleximus etiam multos de Curiâ dixisse quod nõ poteramus de illâ pecuniâ litigare; sed fortè de lite aliâ sentiebant. Vnde cum sine consilio vestro nihil intendamus vlterius facere de præmissis, Paternitati vestræ humiliter supplicamus, quatenus per latorẽ præsentium nobis rescribere dignemini vestrum beneplacitum in hac parte: Scituri quod Capitulum impotens est ad prosequendum appellationem huiusmodi de suo stipendio; quod erit hoc anno & sequenti propter guerrarum voraginem perexile; Et sic spes & res pariter deperirent. De aliâ appellatione super facto Mechliniæ non intendimus extra Curiam Iudices impetrare, quia propter potentiam partis aduersæ ipsam extrà Curiam prosequi non possemus. Vnde pro Deo laborare dignemini quod ibi remaneat de plenitudine potestatis. Datum 25. die Septembris. A B

Fiant treugæ. Tandem appropinquãte hyeme, partibus iam fatigatis, Episcopus cõsensit in treugis, quæ datæ fuerunt inter Episcopum & partẽ suam ex vnâ parte, & Leodienses & suos ex alterâ vsque ad annum, videlicet vsque ad festum omnium Sanctorum duraturæ: quæ tamẽ hinc inde malè seruatæ fuerunt.

Valor censuum à Leodiensibus minuit. Postea Leodiẽses, nescio quo moti spiritu, inter se statuerũt, quod census, qui debebantur Ecclesijs & breuiter omnibus, diminuerẽtur in tãtum quod grossus antiquus qui soluebatur pro 8. denarijs, deinceps pro 18. den. solueretur; & super hoc literas sigillauerunt, & procurauerunt per Hoyenses similiter sigillari: Sed alia oppida patriæ contradixerunt literas sigillare. C

Alij contradicunt.

Plures tractatus pacis habiti frustra. Postmodum pacis plures habiti sunt tractatus, in quibus Leodienses, Episcopo 120. millia scutatorum dare promiserunt, si Scabinos deponeret, & alios annales substitueret inter Consiliarios villæ per Dominum eligendos.

Scribit Clerus Sanctissimo. Deinde Ecclesiæ mandauerunt pro legato, vt emendarentur prædicta vltimâ die Februarij in hunc modum.

Sanctissimo &c. dum nuper Clerus vester Leodiensis dolore cordis & metu intrinsecus, & guerrarum voragine de foris quateretur in nobis, cum nulla alia spes superesset, necesse habuit recurrere ad vestræ Sanctitatis azylum, & vt negotium celeriorem sortiretur effectum, à sacri collegij Cardinalibus, quorum aliqui plus alijs nostræ tenebantur Ecclesiæ, intercessionis subsidium postulare. D

Continebat autem precum nostrarum cæterarumque instantia, quatenus treugas dignaremini partibus imperare, vt his pendentibus de pace liberior tractatus posset haberi. Postea verò super eodem vestræ supplicauimus Sanctitati, & vt nobis Sedis Apostolicæ nuncium dignaremini destinare; quorum hactenus neutrum meruimus obtinere.

nere. Et ecce quod fessis vtrimque partibus circa festum omnium A Sanctorum inter partes treugæ ad annum faciliter conceduntur. Quibus adhuc durantibus, pacis plures habiti sunt tractatus, qui fructum nullum hactenus produxerunt; quin potius antequam nasci posset pateretur abortum, eædemque treugæ iam incipiunt vacillare; & partes conqueruntur hinc inde, quod in pluribus sunt casibus violatæ, & nulla iustitia vel iudiciũ exercetur in patria sæculare, omnibus sic confusis.

Ad vestros igitur deuotos filios, & eorum angustias, quibus premuntur, incessanter mentis aciem dirigentes saltem nunc instante vernali tempore dulciori, virum idoneũ dignemini mittere absque mora, qui iustitiam diligat, & paupertati Ecclesiarum aliqualiter cõ-B descendat, nobisque pacem valeat procurare, cum nullus sit apud nos idoneus, qui aliquid velit & valeat in hac parte. Timemus etiam verisimiliter, & apparet cuilibet subtiliter intuenti, Ecclesiæ irrecuperabile detrimentum, nisi sibi celeriter succurratur; non enim audemus omnia scribere metu partium, quæ præfatæ sedis nuncio securè possemus dicere voce viuâ. Data penultimâ die Februarij.

Hunc nuncium sedis Apostolicæ expectamus.

Anno Domini 1347. mense Aprili circa finem, nuncij Regis Franciæ venerunt de pace tractaturi: sed infecto negotio recesserunt. *Nuncij Regis Frãciæ tractãt de pace sed frustra.*

Eodem anno 4. die Maij quidam de terra de Dolhain & de Falco-C mont de mane combusserunt Miremoort, & interfecerunt circa 120. improuisos. Tunc exiuerunt cum magno sigillo quinque de Canonicis nostris, & quinque tantum de nostris remanserunt, quorum vnus eram. *Miremoort exuritur.*

Circa medium mensis Iunij nuncius Sedis Apostolicæ Archiepiscopus Rauennas venit Namurci; & quasi eadem die Leodienses exiuerunt obsessuri Argenteal. Archiepiscopus autem prædictus venit Leodium in crastino B. Ioannis Baptistæ, & sequenti die iuit ad exercitum Hermale, vbi primo Castrum impetere cœperant; & tradidit ibi bullam magistris, quam Papa mittebat eisdem. Et eâ die in sero D tardè transiuerunt mosam quidam de inimicis; quibus venerunt obuiam Leodienses; & inceptâ pugnâ in mosæ flumine inimici fugiẽdo interfecti fuerunt, circa 80. equites & 100. pedites; & Leodiẽses transiuerunt mosam ex parte alterâ, Argenteal obsidendo. *Archiepiscopus Rauennas venit tractaturus de pace, sed frustra. Hermale obsidetur.*

Nonâ die Iulij Archiepiscopus postquam absoluit prophanantes, & dispensasset cum eis iniunctâ pœnitentiâ, iuit versus Ducẽ & Episcopum de concordiâ tractaturus. Interim Episcopus qui Duci promiserat magnam pecuniam, si tamen eam recuperaret à suis inimicis, vt ei contra Leodienses assisteret, conuocat amicos suos de Alemaniâ, vt Leodienses inuaderet: Hoc autem Leodienses non latuit; vnde castrum ipsum fortiter impugnare cœperunt, iactis lapidibus magnis cum mangonalibus, & fuso metallo in vasculis terreis, ferroque *obsident Argẽteal. Episcopus confœderatur Duci & vocat amicos suos de Alemania contra Leodiẽses.*

roque candente proiecto. Tandem stercoribus de cloacis de Leodio A
adductis & iniectis, cum nec sic proficerent, tandem ducto cuniculo murum suffodiunt ad longitudinem trium virgarum, lignisque suppodiant, quibus igne apposito combustis, murum ruere compulerūt. Tunc Castri custodes turrim magnam Castri conscendunt, quam defendunt viriliter, & lapidibus iactis nonnullos occiderunt. In crastino cum plus non possent, dedito Castro se saluis membris suis Leodiensibus die diuisionis Apostolorum reddiderunt. Erant autem circiter centum numero; quorum vnus miles, armigeri 30. cæterique plebei, duobus verò diebus sequentibus Castrum funditus euerterunt: Et sic pro tunc cessauit theloniū, quod à tribus annis citra, Dominus Castri de nouo instituerat capiendum.

Castrum Argenteal deditur & cessat theloniū.

Ferià tertià sequente Leodienses, Hoyenses, & Dionantenses mouerunt exercitus versus Waleuiam circa partes illas castra metātes; & sabbatho sequēti, scilicet in vigiliâ Magdalenæ, horâ 6. hostes inuadunt, & interfectis quatuor militibus & aliquot alijs, Pars Leodiēsium & primo equites fugâ lapsi, cæteri qui poterant aufugerunt, vt creditur de suis 10. millibus interfectis, & captis pluribus quorū numerus ignoratur. Tūc Dux cōbussit Waleuiā, Waremiā, & Meeffz cū Ecclesiā, & cœteras domus fortes Episcopatus in confinio Brabantiæ. Oppidum S. Trudonis se Duci metu reddidit, ac sibi fidelitatem fecit tanquam superiori aduocato; & per totam septimanam huc & illuc quilibet de parte Episcopi, contra ipsius voluntatem, inimicorū suorum domus per Hasbaniam combusserunt. B C

Leodienses, Hoyenses, & Dionantenses vno integro anno victores vincuntur.

Dux vastat patriam.

Oppidum S. Trudonis Duci se dedit.

Archiepiscopus verò Ducem quærens & Episcopum, equo vno spoliatur, ita quod imperfectà ambasiatâ suâ, neutri loquens eorum, recessit iratus. festinabat enim quia Papa sibi in viâ Archiepiscopatū contulerat Patracensem.

Rauennas iratus recedit.

Eadem septimanâ Leodienses duodecim personis electis, potestatem dederunt pacem faciendi cum Episcopo; sicut fecerunt, ita quod quasi omnibus renunciauerunt pro quibus guerra fuerat inchoata; & Leodienses pro se & suis adiutoribus omnibus qui contribuent, 140. millia scutorum aureorum Episcopo soluere promiserunt; liberatis hinc inde captiuis, & erunt in Episcopi potestate. Leodienses verò seruient Duci cum sexcentis peditibus 40. diebus quando fuerint requisiti, in eorum expensis. D

Leodienses 12. personis elect. is. dant potestatē faciēdi pacem cum Episcopo.

Et ista pax fuit Leodij sequenti sabbatho post bellum de sero publicè proclamata.

Pax publicatur.

Sic Cummunitas Leodiensis quæ per annum & diem victrix fuerat, in vigiliâ Magdalenæ dei iudicio victa fuit. Quod ei propter tria præcipuè creditur contigisse.

Primo namque propter census quos pro libito statuerunt soluere diminutos, ita quod Ecclesiæ sic ipsos recipere noluerunt; & sic per annum integris censibus sunt priuati.

Victi Leodiēses tribus potissimū de causis.

Secundo quia Canonicos qui ipsos non offenderant rebus suis

quosdam

A quosdam præsumpserant spoliare.

Tertio quia vexillum, quod quasi sacrum seruat Ecclesia, sub quo etiam patria pluries triumphauerat, nec a laico tangebatur, nisi pro defensione patriæ, per Decanum maioris Ecclesiæ ferendum mareschalco solemniter traderetur, præfata Communitas præsumpsit inuadere, vt sub illo cõtra Dñm propriũ dimicaret: vnde vexillifer primo congressu captus est: sicut Oza tangens arcã fœderis cõtra fas, pœnã mortis exoluit, *2. Reg. c 6.* vnde illud propheticũ potest aptari: *deiecisti eos dum alleuarẽtur: quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierũt propter iniquitatem suam. Psal. 70.* Et ne Clero videar adulari, timendũ est valde ne peccatis nostris exigentibus euenerint ista mala. Quis enim Clero magis læditur ista clade? stipendiarij Episcopi totũ victoriæ lu-

B crum portãt; Clerus & Ecclesiæ maius damnũ, præter id quod in posterũ expectatur. Vnde Dux intrãs S. Trudonem sub vmbrã aduocatiæ accepit dominiũ oppidi, oẽs oppidanos sibi iurare faciẽs, & deposuit Scabinos veteres, nouos statuens; & lacerauit oẽs cartas & priuilegia eorundem. Demũ Leodiẽses se Duci cõfœderauerunt, promittẽtes se mutuo iuuaturos; & in octaũ S. Dionysij omnes in Palatio congregati sex Burgensibus de Louanio & Bruxellã hoc fœdus pariter iurauerunt. *Dux vsurpat Dominium S. Trudonis.*

ANNOTATIONES.

1. Tertiâ die Septembris Castrum Clermont:] *Quæ auctor de deditionibus Castrorum de Clermont & Hamal refert, probant Cornelius Zantfliet, Chronicon Gemblacense, Bruistemius, & alij posteriores.*

C 2. Circa mediũ mẽsis Iunij Nũcius sedis Apostol.] *Quæ de hoc Nuncio & gestis eius, refert auctor noster, cõprobat fusè Zantfliet & Bruistemius.*

3. Et quasi eodem die Leodienses exiuerunt obsessuri Argenteal:] *Caussam obsessionis clarè exprimit Zantfliet his verbis:* Eodem ferè die cũ Dñs Renardus de Argenteal Borgauius Lymburgensis ex mandato Ducis thelonium à nauigantibus inter Leodium & Traiectũ ab inuitis cõtra solitum exegisset, & pluries quoque Leodienses offendisset, illi e diuerso Castrum suum Argenteal cœperunt obsidere, &c.

4. Tandem ducto cuniculo murũ suffodiũt:] *Hanc rationem destruẽdi*

D *refert quoque Chronicon Belgicum his verbis:* Ceperunt Leodienses Argẽteal inter Leodium & Traiectũ supra Mosam, suffodientes murum ad lõgitudinem trium virgarũ, & supplentes lignis, quibus igne apposito combustis, murum ad ruinam cõpulerunt. *Hac ratione Archiepiscopum Coloniensem Ernestum, Bauarum ingentem Templi molem Abbatiæ Tuiciensis, ne Apostata Truchesius contra ipsos illam muniret, septem dierum spatio destruxisse scribit Michael ab Isselt lib. 3. belli Coloniensis.*

5. Pars Leodiensium, & primo equites fugã lapsi:] *Victoriam Engelberti Episcopi de Leodiensibus, Hoyensibus, & Dinãtensibus describit quoque Meyerus his verbis:* Leodienses ex superiore victoriã tollentes animos, ædes nobilitatis per fines suos diripiunt & incendunt. Engelberto Episcopo suo parere detrectant.

Iungit sibi Episcopus Brabantiæ ac Reginaldi Gelriæ ducum auxilia. A
Facto prælio Leodienses grauiter cæduntur, perduntque ad quindecim hominum milia, die Sabbathi pridie feriarum Mariæ Magdalenæ. Hoyum de hinc & Thuinum ab Episcopo capiuntur: Sarcinium .i. fanum Trudonis in fidem redit & Leodienses pacem petentes imperata faciunt.

Admiranda de Nicolao filio cuiusdam molendinarij Tribuno Romanæ vrbis effecto.

CAPVT XXXV. B

De Nicolao molendinario miranda.

IN hac æstate filius cuiusdam molendinarij, Nicolaus Laurentij nomine, satis facundus, assumptus est in Dominum per Tyrannidem vrbis Romæ: & plusquam 60. Ciuitates attraxit, quibusdam de nobilioribus per colla suspensis.

Creatur miles & ab omnibus principibus Italiæ accipit donaria.

Plures legatos Papæ destinauit cum literis suis, quas vidit decanus S. Ioannis Leodiensis in Curiâ, & legit, sicut mihi scripsit. Scripsitq; se liberatorem Reip. Romanæ, ac Tribunum Clementem & Seuerum; nuperque factus est miles; & in die promotionis suæ ad militiam omnes Tyranni Italiæ miserunt ad eum solemnes nuncios, & donaria magna, populusque Romanus hunc titulum dedit sibi nouum, Candidatus Spiritus sancti miles, Nicolaus Seuerus & Clemens, liberator vrbis, Zelator Italiæ, amator orbis, Tribunus Augustus. C

Citat vtrumque Imperatorum Bauarum & Carolum de Bohemia.

Post assumptam militiam citari mandauit Bauarum, & Dominum Carolum de Bohemiâ, ut ad certum diem comparerent coram eo, ad docendum quis eorum potius ius haberet in Imperio Romano: Et super præmissa citatione noua peruenerunt ad Curiam in Bartholomæi; & citationis copia, cuius tenor sequitur in hæc verba.

Exemplar citationis.

Ad honorem & gloriam summi Dei, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & BB. Apostolorũ Petri & Pauli, & S. Ioannis Baptistæ, in cuius sacratissimo tẽplo, in cõcha videlicet sacratissimi Principis, gloriã militarẽ accepimus, pręfulgẽte titulo Spiritus sancti, cuius indignus seruus & miles existimus; necnõ ad reuerentiã & honorem S. Romanæ matris Ecclesiæ, & Domini nostri Summi Pontificis statum prosperum & augmentum sanctæ Romanæ vrbis, sacræ Italiæ & totius fidei Christianæ, nos Candidatus Spiritus sancti miles, Nicolaus seuerus & Clemens, liberator vrbis, Zelator Italiæ, amator orbis & Tribunus Augustus, volentes & desiderantes donum sancti spiritus, & libertates antiquorum Romanorum principum imitari notum facimus vniuersis quod pridem à nobis post assumptum Tribunatus officium, Romanus populus de consilio omnium & singulorum Iudicum, D

A cum, Sapientium, & aduocatorum vrbis, recognouit se adhuc illam habere auctoritatem, potestatem, atque Iurisdictionem in toto orbe terrarum, quas habuit à principio & summo augmento vrbis præfatæ, & omnia priuilegia facta in præiudiciũ auctoritatis, potestatis & Iurisdictionis huiusmodi ad se reuocauit expressè.

Nos itaque potestatem, auctoritatem, & Iurisdictionem antiquam & arbitrariam potestatem nobis concessam à Romano populo in publico parlamento, & nuper à Domino nostro Summo Pontifice, vt patet per apostolicas bullas eius, ne videamur de dono & gratia Spiritus sancti ingrati quomodolibet vel auari, tam Romano populo quam populis sacræ Italiæ supradictis, & per negligentiam iura & Iu-

B risdictiones Romani populi permittamus amplius deperire, auctoritate & gratia Dei & Spiritus sancti ac sacri Romani populi, omni modo, iure, & forma, quibus melius possumus & debemus, decernimus & declaramus & pronunciamus ipsam sanctam Romanam vrbem caput orbis, & fundamentum totius fidei Christianæ; ac omnes & singulas Ciuitates Italiæ liberas esse, & easdem ad cautelam integræ libertati donauimus; & omnes & singulos populos totius sacræ Italiæ liberos esse censemus; & ex nunc omnes præfatos populos ac ciues Ciuitatum Italiæ facimus, declaramus & pronunciamus ciues esse Romanos, ac eos Romanâ volumus libertate gaudere.

Item eadem auctoritate & gratiâ Dei, Spiritus sancti, ac Romani populi supradicti dicimus, profitemur, ac etiam declaramus Roma-

C num Imperium, Electionem, Iurisdictionem & monarchiam totius sacri Imperij ad ipsam almam vrbem, & eius populum, necnon ad vniuersam Italiam pertinere, & ad easdem esse legitimè deuolutas multis rationabilibus de causis, quas suo loco & tempore declarari faciemus; dantes & præfigentes in his scriptis, omnibus & singulis Prælatis, Imperatoribus electis, Regibus, Ducibus, Principibus, Comitibus, Marchionibus, populis, vniuersitatibus, & quibuscũque alijs in specie & communi, cuiuscunque præminentiæ, status & conditionis existant, & contradicere volentibus, seu in electione præfatâ ac ipso Imperio Iurisdictionem, potestatem, & auctoritatem præ-

D tendentibus quoquo modo, terminum hinc ad festum Paschæ & Penthecostes proximè futurum, quod infra dictum terminum in ipsâ almâ vrbe, & sacrosanctâ lateranensi Ecclesiâ coram nobis & alijs Officialibus Domini nostri Papæ & Romani populi debeant cum eorum iuribus comparere; alioquin à dicto termino in antea procedemus secundum quod de iure fuerit, & Spiritus sancti gratia ministrabit.

Et nihilominus ad prædicta omnia in specie & communi citari facimus Illustres Principes, Dominum Ludouicum Ducem Bauariæ, Dominum Carolum Regẽ Bohemiæ, qui se asserunt Romanos Imperatores vel ad Imperium iam electos, Dominum Ducem Bauariæ, Dominum Ducem Saxoniæ, Dominum Marchionem Brandeburgensem,

gensem, Dominum Archiepiscopum Moguntinum, Dominum Archiepiscopum Treuerensem, Dominum Archiepiscopum Coloniẽsem, qui in dictis terminis & loco, & infra terminum prædictũ coram nobis & alijs Officialibus Romani populi debeant personaliter comparere; Alioquin, vt prædicitur, procedemus eorum absentiâ & contumaciâ non obstante. A

In prædictis autẽ omnibus & singulis nostris actibus, processibus, & executionibus quibuscunque, auctoritati Iurisdictioni sanctæ matris Ecclesiæ, & Domini nostri Papæ, & sacri Collegij in nullo volumus derogari, quinimò volumus ad augmentum & honorem semper actus nostros dirigere, ut tenemur, per omnia reuereri.

Indictione 15. die primâ mensis Augusti, Publicata fuerunt prædicta coram Romano populo, accepta & approbata per ipsum populũ B existentem in plateâ Lateranensi, Præsentibus Domino Vicario Domini Papæ, de vrbe, Domino Paulo de Comite, Domino Lofredo Scotto, Fratre Iacobo præceptore Sancti spiritus; Fratre Hugolino ordinis prædicatorum, Domino Frãcisco de Velleto Iudice, Domino Mathæo de Reate, Paulo Angeli de fuscis, Domino Nicolao Nichole, Domino Vbaldino Pittonis de Eugubino, Domino Vguitonne Petri, & Guiccio de Baucene.

Calais deditur Regi Angliæ.

In hac æstate Rex Angliæ cum diu obsedisset Calais, & præ defectu victualium non possent diutius se tenere, ad deditionem coegit eosdem; Piratis & cæteris nequam amputatis capitibus, cæteros abire C permisit. Et parum post inter duos Reges vsque festum B. Ioannis treugæ conceduntur hinc inde.

In hoc anno scilicet 1347. fuerunt vina præcedentis anni vbique debilia & agrestia, & valde cara: melius vinum Rhenense vendebatur ama 12. florenis; sed quæ creuerũt anno reuoluto, fuerunt optima in Alsatiâ & cara; vendebantur 6. amæ. 1. carrata quinquaginta Regales. Circa Leodium & in Brabantiâ nihil creuit, omnes vineæ Capituli nostri nisi octo amas Agrestæ dederunt cum torcularibus. In Alsatiâ & Franciâ fuerunt multa & bona.

Bauarus moritur.

Hoc anno circa Septembrem Bauarus Imperator condemnatus moritur, & fertur quod hausto veneno sibi porrecto per ducissam Ostrogotiæ vxorem Ducis Alberti diu languidi, in fauorem Ludouici nuper electi in Imperatorem: quæ statim ascenso equo, dimisso D curru suo, celeriter aufugit.

Nicolaus Tribunus vrbis scribit Reynaldo Archidiacono Leodiensi. Exemplar literarum.

Hoc mense fuerunt missæ literæ à prædicto Tribuno vrbis Nicolao Domino Reynaldo de filijs Vrsi, Archidiacono Leodiensi, Notario Papæ in Curiâ, quarum tenor sequitur.

Reuerẽde Pater & amice charissime post conculcationẽ fundorũ Comitis quã fecit virtus Spiritus sancti absque effusiõe sanguinis, & aliquo ictu ensis, nescientes & nolentes à seruitijs & honore S. Ecclesiæ, & Domini nostri Summi Pontificis desistere, sed eis viriliter insudare ad remouendum Ioannem Gaitanum ab exercitu quem ordinauerat

A nauerat contra Comitem Campaniæ, vel per treugam & pacem inter eos nobis facientibus cum eiusdem Spiritus sancti auxilio secuturam, vel per resistentiam oportunam per vires nostras, viribus præfati Comitis Campaniæ roboratis, misimus in seruitio dicti Comitis gentem nostram; & speramus in Domino quod pax resultabit exinde. Sicut quoque Paternitatem vestram scire cupimus, quod aliquos vrbis nobiles, qui nobis & populo Romano erant aliquali suspicione notati, prout Deo placuit, in manus nostras comprehensos, in carcere nostro, in Capitolio duximus, curialiter nihilominus, retinendos, Dominum Stephanum de Columna, Dominum Reynaldum de Vrsinis, Comitem Bertholdum, Iordanum & Vrsum Domini Iacobi de filijs Vrsi, ac Ioannem de Columna: Purgatoque B apud conscientiam nostram scrupulo suspicionis immissæ, vt non solum nobis reconciliaremus eosdem, sed etiam ipsi Deo, sumpto colore infrascriptæ astutię, eos fecimus deuotissimè confiteri: videlicet quod decimâ quintâ die Septembris quotquot erant, tot Fratres & religiosos electos ad eos misimus in carcere prælibato, qui nostram puram intentionem penitus ignorantes, & credentes nos in eis seueritate vsuros, prout per nos eis mandatum fuerat, dixerunt nobilibus prælibatis; Dominus Tribunus intendit vos mortis iudicio condemnare. Et interim campana ad parlamentum valenter & assiduè pulsabatur, propter quod nobiles ipsi perterriti mortis periculum eis imminere credentes, non expe- C ctantes aliud nisi mortem, deuotissimè & cum lachrymis sunt confessi.

Quo vt præmittitur celebrato, totus Rom. populus ad inductionē & petitionem nostram (qui nobiles ipsos in eorum absentiâ in ipso publico parlamento non solum excusauimus, imo laudibus & seruitijs duximus efferendos: & sic pacati populi eis beneuolentiâ præcaptatâ ipsos venire fecimus totius populi in conspectu) vnanimiter remisit eisdem, & quicquid ipsi populo quouis modo restituere seu reficere tenerentur, & de totius populi voluntate ac ipse populus cum voluntate nostrâ eisdem nobilibus contulimus annulos consecratos, honores, & officia infrascripta: videlicet quod Dominum Stephanum de Columna, Comitem Bertholdum, Dominum Rey- D naldum, & Vrsum Domini Iacobi Romanorum Consules clarissimos & patricios perillustres, ac Ioannem de Columnâ Romani exercitus Principem spectabilem, Iordanum Romanorum Consulem clarissimum, alimentorum pręfectum, & Patricium perillustrem, Et Colam vrsinum Romanorum exercitus in Tuscia Ducem spectabilem pręficimus: & sanctę Ecclesię, nostra & Romani populi mandata puris & spontaneis cordibus iurauêre contra omnem, qui vellet statum vrbis pacificum perturbare.

Deinde die decimâ septimâ huius mēsis Septēbris pręfati nobiles

confessoribus iterum euocatis, sancti Spiritus flamine inspirati, denuo sunt confessi, & postea missæ solemnijs Spiritus sancti in altari A
Capitolij celebratis, existente ibi capite B. Gregorij & vexillo, cum
Ioan. 8. quadam inspiratâ eiusdem Spiritus sancti gratiâ, qui *vbi vult spirat*, petierunt instanter cum lachrymarum profluuijs, quæ sunt contritionis inditia, & pœnitentiæ veræ signa, Eucharistiam reuerenter; sacerdoteque existente præparato, & dicente orationem Salomonis
2. paral. 6. in Paralipomenon libro scriptam, quæ incipit, *Domine Deus meus exaudi has preces, quas fundit famulus tuus*, &c. Et cum venit dicere partem illam, vbi dicitur, *In caput proprium & vlciscaris*, Præsbyter manu tetigit capita singulorum. Et volentes cum nostræ intentionis proposito circa conseruationem boni status vrbis & augmentū Romanæ Reipublicæ cum reuerentiâ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ eorum reddere dona conformia etiam & vnita, comparticipauerunt nobiscum B
singuli corpus Sanctissimi ipsius nostri Domini Iesu Christi, & gratiâ Spiritus sancti, sic nobis & populo sunt effecti vnanimes, quod prout videtur in conseruatione boni status vrbis erunt semper nobiscum & populo non fictâ charitate concordes: vident enim sine partialitatis vitio nos nolle vti seueritate iustitiæ, in illis quæ possumus cum clementiâ perlinire. De quibus dignemini Dominum nostrum summum Pontificem informare, mei suæ humilis creaturæ supplici recōmendatione præmissâ. Nec omittimus quod omnes nostræ actiones post promotionem nostram fuerūt in seruitio sanctæ matris Ecclesiæ & Domini nostri Summi Pontificis, sunt, & erunt, nec expedit C
aliquem inde sollicitum fieri, cum abinde sit nos impossibile remoueri.

Ad ea quæ nobis obijciuntur in Curiâ de lauacro militari sumpto in conchâ paragonicâ Constantini, dicimus quod in eadem intrauit Constantinus paganus, & inibi lotus fuit; & credimus quod si nos Christianus deuotus & cum lachrymis honestus & castus per manus Vicarij Domini nostri Papæ loti fuimus in eadem, credentes quod corpus Domini nostri sit res maioris venerationis quam concha, & tamen ipsum frequenter sumimus & deuotè:

Si comedimus cum Vicario Domini nostri Papæ ad mensam suam in quâ prius ludi consueuerat ad taxillos, & postea est semper proinde præcipuè honorata, & hæc omnia cum deuotione fecimus, non D
videmur propterea deliquisse.

Quod autem nobis obijcitur de gladio bis acuto, est falsissimum, & omnia quæ nobis falso obijciuntur in Curiâ, Deo relinquimus vltionum; & Romanus populus audientes has friuolas obiectiones & falsas, obiecta ipsa in derisionem maximam habuerunt; credentes tamen hoc procedere ex innato odio nationis, vel ad inuentionē eorum, qui non solum statum vrbis desiderāt impedire, sed eam euerti funditus anhelant; diiudicet illos Deus.

Dicitur quod pueriliter agimus. Respondemus quod verum est

quod

quod purè agimus, quod per pueritiam denotatur; & Deus mandat
A *quod pueri laudent ipsum:* A toto tamen Romanæ prouinciæ in admira- *Psal. 112.*
tionem deducitur, quod circa talia in Curiâ laboratur; & dicunt, vtinam Sanctissimus Dominus noster, & Domini Cardinales Ecclesiam & mundum vniuersum in tam bona dispositione paceque viderent, quod de grauioribus agere discriminibus non haberent.

Nos finaliter procedemus in singulis, prout gratia sancti Spiritus gressus nostros diriget, actusque nostros pro suâ voluntate disponet.

De Iubilæo autem Romani non sunt tãtum auidi, quod propterea multum oporteat laborare.

Hodie 17 Septembris ad honorem B. Mariæ virginis fieri facimus
B in vrbe processiones solenniores, quam factæ fuerint à quinquaginta annis citra; omnibus Clero & populo mediatatis omnium Regionum vrbis cum Canonicis Ecclesiæ Lateranensis à dextrâ, & aliâ medietate Cleri & hominum cum Canonicis Ecclesiæ S. Petri ab alterâ parte plateæ sanctæ Mariæ prædictæ conuenientibus, ordinatè laicis post Clericos existentibus: Et vnus de Canonicis lateranensibus paratus ascendet in concham porphyream inibi existentem, ibi lecturili bibliâque paratis, & leget in modum lectionis orationem scriptã in vltimâ parte libri paralipomenon, quæ incipit *Benedictus es Domine* *1. paral. 29.*
Deus Israël patris nostri ab æterno in æternum &c. vsque vbi dicit, *Salomoni quoq; filio meo &c.* Et postea vnus de Canonicis S. Petri leget ibidem le-
C ctionem scriptam in vltimâ parte Iesu fili Sirach, quæ incipit *Confitebor tibi Domine Rex, & collaudabo te Deum saluatorem meum*; vsque vbi dicit. *Eccl. 51.*
& inclinauit Salomon genua sua. Deinde vnus de Canonicis S. Mariæ maioris ibidem incipiet *magnificat* altâ voce, respondentibus primo Canonicis Lateranẽsibus; & deinde Canonicis S. Petri, & vniuersis clericis cum eisdem, secundum quod sunt situaliter ordinati. Et postea vnus Episcopus, vel Abbas proponet ibidem, *Te deum laudamus &c.*

Domino nostro Papæ & Cardinalibus alijs non scribimus, quia ad Curiam credimus quod ambassiata Romani populi & nostra honorabilis dirigetur.

Nec intẽdimus curare multos in Curiâ procuratores habere; sed
D Deus & veritas, cui corda patent, diiudicet inter nos & detractores nostros. Scimus enim quod immeritò & etiam contra Deum de bonis operibus lapidamur ibidem; & quod curamus corpora sabbatho criminamur, ab illis videlicet qui opera nostra meditantur insaniam & vitam sine honore. Spes nostra in Domino fundata est, à quo futura sæculi prœmia speramus æterna.

Cursori nostro pridie cum literis nostris ad Curiam venienti vltra Durentiam fuerunt ablatæ literæ & laniatæ, virgâ quam ferebat in capite sibi fractâ; cassulâ quam portabat lateri ablatâ pariter & confractâ, & dictum, sibi mandatũ esse quod singulis nostris Cursoribus ita fiat, & sic vacuus ad nos redijt capite cruentato de quo, nisi quia

cohibet & restringit iustum quatumcunque animi nostri motum Reuerentia Domini nostri Papæ, procederemus viâ iuris contra Regimina, Consilium & commune ciuitatis Auinionensis. A

Tandem Reuerentiæ Domini nostri Papæ deferimus, & speramus, quod per Sanctitatis suæ mandatum talia corrigantur, vt in posterum non tenentur. Processum tamen istum Concilio reseruamus.

Datum in Capitolio, in quo regnante iustitiâ recto corde vigemus, die 17. mensis Septembris, primâ Indictione, liberatæ Reipublicæ anno primo.

Addicimusque volentes quod Romanus populus retrahatur à reatibus lasciuiæ consuetæ, quamuis satis per Spiritus sancti gratiam sit reductus, ordinauimus hodie data præsentium per constitutionem factam in publico parlamento, quod singuli ciues vrbis, saltem semel in anno, per confessionem & Eucharistiæ sumptionem ad Dei gratiam se reducant, sub pœnâ tertiæ partis omnium bonorum suorum, pro medietate videlicet applicandâ Ecclesiæ de cuius parochiâ fuerit, & pro aliâ medietate Cameræ vrbis; & quod notarij qui per tempora testamenta conscribent, diligenter de testatore indagent & inquirant, si constitutionem huiusmodi seruauerit, & quicquid de obseruatâ vel neglectâ constitutione reperiet in libris Cameræ vrbis faciat annotari; de sciendis huiusmodi defectibus vel negligentijs duntaxat alijs adinuentis. B

Decens equidem reputauimus, vt sicut Augustus Reipublicæ temporalis procurat augmenta, ita bona spiritualia efferat & augmentet. C

Rogauimus etiam totum Clerum ac populum vniuersum, vt sancto Spiritui deuotas & continuas preces fundant, quod ipse Spiritus sanctus aperire & replere dignetur corda Domini nostri Summi Pontificis, & Dominorum Cardinalium, vt almam vrbem Sanctorum repletam corporibus, ad iustitiam, libertatem, pacemque reductam, Ciuitati Auinionensi à Sanctorum corporum participio segregatæ, vtinam non à cultu virtutum, impurâ dilectione præeligant & preponant. Candidatus Spiritus sancti miles Nicolaus seuerus & Clemens, liberator vrbis Zelator, Italię, amator orbis, & Tribunus Augustus. D

Ista debet præcedere illam, quę est supra: Ad honorem & gloriam.

Iacobi.1. *Scribit suæ Sanctitati.* Sanctissime Pater & clementissime Domine: Dati optimi donique perfecti gratiam à patre luminum descendentis, qui sacro vestro Romano populo in venerando festo Paschę Penthecosten pręterito proxime de cœlo lucem veritatis emisit ad cognoscendam amplectendamque libertatem, cum sanctę pacis iustitięque complexu, in Sanctitatis vestrę notitiam pagina meę insinuationis adduxit. Nunc autem eiusdem doni continuata crementa, quæ huic almæ vrbi ve-

strę &

A vestræ & eius pacifico statui fœcunda largitas Spiritus sancti facit, vestræ Reuerendæ significo Sanctitati.

Sanè post commissum per eundem vestrum Romanum populum, qui in tot partes, pro dolor, iam diuisus fleuerat miseriæ suæ statum quot erant in vrbe eiusque districtu capita Tyrannorum, mihi, licet indigno, tamen inspiratione diuinâ, libertatis, pacis, & iustitiæ tribunatum, per me non ambitione officij, sed dilectione communis boni præfatæ nostræ vrbis, & totius Romanæ prouinciæ humiliter acceptatum; aciem mentis meæ conuerti ad vrbem totamque Romanam prouinciam in libertate, pace, & iustitiâ gubernandam; & ad deponendam superbiam Tyrannorum, quorum fauces pollutæ sanguine populari mansuescere nesciebant. Et operante Spiritu B sancto, (à quo istud regimen sumpsit exordium, & fœliciter tenet statum) singulos vrbis magnates, Tyrannos, & Principes ad obedientiam meam adduxit mirabiliter dextra Regis Regum in tantâ temporis breuitate; quod non solum ordinatio sed cogitatio; non perfectio tanti operis, verum eius expressio sermonis, fuisset difficilis, imò impossibilis omni viro: Assistenteque mihi Spiritus sancti gratiâ singulariter & singulis eisdem magnatibus sub vexillo sanctæ Ecclesiæ de parendo mandatis Sanctitatis vestræ, sacri vestri Romani populi, atque meis, superque corpore Domini nostri Iesu Christi veneranter super altari posito, secundum Capitula, quæ pro honore & Reuerentiâ sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sanctitatis vestræ, C ac pro conseruatione ipsius status libertatis, pacis, & iustitiæ ordinari mihi spiritus sanctus dedit, recepi spontanea iuramenta.

Rocchis, portibus, fortalitijs, & terris alijs per Tyrannos ipsos occupatis à longo iam tempore mihi & Romano populo liberè restitutis.

Portasque claustrorum singulorum vrbis magnatum, quæ infamibus & latronibus consueuerant dare tutelam, feci ad Capitolium deportari.

Necnon & pro honore sanctæ Romanæ Ecclesiæ cum Sanctitatis vestræ feci per totam vrbem præconio inhiberi, quod nullus Romanus D deinde auderet aliquem, nisi solam sanctam Ecclesiam, Sanctitatemque vestram in Dominum nominare, vt cognoscat Romanus populus se alij quam Deo, sanctæque Ecclesiæ, ac Summo Pontifici non subesse.

Et quod nullam armorum picturam, Vrsinorum, Columnensium, Sabellensium, & aliorum quorūcunque magnatum, quibus singulæ Romanæ domus erant inscriptæ haberent in domibus suis, deferret in scutis, nisi solum arma sanctæ Ecclesiæ, Sanctitatisque vestræ, & Romani populi. Et statim extitit factum ita: Nam statim omnes armorum Tyrannorum huiusmodi depictiones sunt abolitæ & deletæ; nec nominatur Romæ alicuius dominium nisi sanctæ Ecclesiæ, atque vestrum.

Salmam etiam quæ Romanæ Cameræ erat fructus modici vel nullius, reduxi ad talem fructuum vbertatem, quod annuatim valet trecenta millia florenorum: Ciuitatesque & terræ omnes Romanæ prouinciæ antiquum censum viginti sex denariorum antiquæ paruæ monetæ pro quolibet foco lari de præsenti, valentium Carlenū vnum & denarios quatuor, qui temporibus patrum nostrorum & vestris gratiâ bonorum Rectorum vrbis insolitus fuerat & relictus: Et ad mandatum meum liberè exoluerunt, & soluere sunt contentæ pro eo quod pecunia ipsa, quam causâ militiæ retinendę pro personarum & rerum earum salute & tutelâ defensionem meam experiuntur & habent; apertissimè cognoscentes quod census præfati solutio soluentibus plus cedit ad commodum, quā suscipienti proficiat ad augmentum. A B

Et sic per Spiritus sancti clementiam & Reuerētiam vestræ benignissimæ Sanctitatis in vrbe, totâque Romanâ prouinciâ, libertatis, pacis, iustitiæ status viget; lætantur pauperes, exultant etiam impotentes; quos tam diu sub Rectoribus prauis, inimicis iustitiæ, seruis pecuniæ, causis inuidiæ, crudelibus in humiles, & humilibus in superbos, Saluantibus improbum, & occidentibus iustum, affugit insatiabilis clades, & sæuities Tyrannicæ feritatis: Gaudent boni, gloriantur pacifici, & Deo coniubilant mansueti; dum rapinis cessantibus vident oportere, quod omnes de laboribus & fructibus suis viuant.

Duo solum, videlicet Ioannes de vico olim præfectus vrbis, & Comes Fundorum, qui semper fuerunt Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ inimici, rebellionis spiritum assumpserunt; & ambo etiā Fatricidæ, vt nequaquam rebellionis in notâ sint dispares, qui in Fratricidij dānatione sunt pares. C

Quem Ioannem de vico hostem Dei & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli (quorum causam prosequitur labor meus) proditorem & rebellem sacri vestri Romani populi atque meum, sententiâ iustâ damnaui, ab omni dignitate, & officio priuans ipsum in pleno publico parlamento; æquitatem & mansuetudinē propterea non omittens. Quod si erroris sui proteruiam recognoscere voluisset humiliter, & Richam rispani Cameræ vrbis donarium per ipsum diu infæliciter occupatam restituere liberè & deuotè; de quo, vijs congruis feci eum sæpe requiri, paratus eram & misericorditer indulgere. Ipse autem, quem læsa conscientia stimulat, & cor eius peccatū indurat, nolens subesse iustitiæ, cui summa est optemperare libertas, quoad salutis viam vocatus est altius & obstinatius more *aspidis suas aures obturauit* Ego qui vulnera quæ scindenda sunt ferro, quæ sanari non possunt vnguento; in Dei nomine direxi victoriosum Romanū exercitum contra eum; & iam castrum Beralle idem Romanus exercitus cum fauore S. Spiritus occupauit: & est in obsidione Viterbij, vbi ad tantam est proditor desperationem adductus, quod vbi pedes teneat, D

Psal. 57.

Stupe-

A stupefactus ignorat.

Quod autem dolenter refero, & dolentius fero inde videns mihi prouenire discrimina, vnde fauoris præsidia præstolabar, Dominus Rector patrimonij B. Petri in Tusciâ cum proditore se vniens & impiâ confœderatione connectens, dat ei contra vestrum Romanum populum indebitè auxilia, & fauores, immemor iniuriarum & damnorum, quæ proditor ipse iam intulit Romanæ Ecclesiæ atque sibi. Et eodem modo Comes Campaniæ Comiti Fundorum assistit.

Nec vestram lateat Sanctitatem, quod de alijs ambobus excessiuè vestra opinio est decepta; quorum tacerem libenter infamiam, nisi eos publica fama detegeret, & euidentia operum accusaret, Nam, Deum testor, pecuniam insatiabiliter appetunt, & iustitiam ac honorem sanctæ Ecclesiæ, & Sãctitatis vestræ negligunt. Dictus equidem patrimonij Rector, adhærendo Tyrannis detentoribus terrarum Ecclesiæ & vestrarum, pauperes (quos potuit & debuit, si sanctæ Ecclesiæ & vestrum Zelauisset honorem, in domos eorũ reducere) passus est ire exules per varias mundi partes.

Comes verò Campaniæ Nossum & Chicchum de Cechano, qui cũ cognatâ obstrupuerunt, & duos eius filios, & ipsam etiam occiderũt, absoluit pro modicâ pecuniæ quantitate. Necnon & Fundorum Comitem absoluit, qui nequiter & proditoriè interfecit Franciscum de Cechano, & Reynaldũ de Murolo nepotes suos, dum eos ad prãdium inuitasset; ac vltra centum Romipetas ad Smyrram euntes tempore cruciatæ per suum territorium transeuntes dirobari fecit, impieque necari. Ioannem de Pileo patricidam pro centum florenis absoluit: atque Dominus Angelus de Monteleone, frater dicti Comitis Campaniæ, cum quatuor bannerijs equitum in contrarium sanctæ matris Ecclesiæ accessit ad Aquilam in fauorem Serlalli & gentis Hungariæ, quæ est ibi.

Videat vestræ Sanctitatis intuitus, si Officiales vestros decet talis qualitas operum & impietas actionum.

Supplico igitur Clementiæ vestræ sanctæ, reuerenter, humiliter, & instanter, quatenus statum vestræ vrbis & totius patriæ clementi diligentes affectu, dignemini in his prouidere de remedio oportuno, vt inter eos, quos ob vestræ reuerentiam Sanctitatis, vt patres reuereor, & vestrum Romanum populum & me, cesset materia scandali, & aditus futuro discrimini præcludatur.

Ego quidem in virtute Spiritus sancti & spe fauoris Sanctitatis vestræ, & de Romanorum bonitate & strenuitate confisus, necnon de suffragijs & sequelis Ciuitatum Tusciæ, & totius sacræ Italiæ, (quorum ferè omnes vel pars maxima ambasiatores miserunt pro conseruatione status & regiminis huius liberaliter offerentes eorum potẽtiam vestro Romano populo atque mihi. Recepti etiam ambasiatores Reginæ Ioannæ, ac Vicarij Regis Hungariæ Aquilæ permanentis, de causâ dissensionis eorum compromittendo in me; & super

quiete

quiete Regni misi ambasiatam solemnem ad Reginam & Vicarium A supradictos) dictorum proditorum & aliorum quoruncunque rebellium & hostium vestri Romani populi spero & credo indubie posse prostrare superbiã, proteruiãq; domare, & contra eos cum Spiritus sancti gratiâ & fauore inuictas vires sacri vestri Romani populi triũphabiliter experiri.

Cæterum Sancte Pater & Clementissime Domine, quanquam hæc omnia à Spiritu sancto processerint, euidenter tamen cum Reuerentiâ & conscientiâ venerabilis Vrbeuentani Episcopi, vestri in vrbe Vicarij, nouerit vestra paternitas facta esse: disposito me, quod sanctæ matris Ecclesiæ vestrisque honoribus, ac pacis, & iustitiæ statu, quos scio Deum diligere & expedire statui totius fidei Christianæ, nó euitare discrimina casuum, & pro tuendo iure Reip. sub religione fi- B dei, cuius augmenta salubria mea quærit, Deo teste, deuotio, mortem etiam non vereri.

Post prædicta tamẽ noueritis sancte Pater, quod proditores præfati tractari faciunt de veniendo amodo ad mandata; quorum considerãs sceleratissimas actiones, reputo impiũ pie agere cũ ijsdem, nec ad receptionem eorũ me posset aliquid inclinare; Imo totâ intẽtione quærebam ipsos confundere & totaliter eneruare, ...
. . . . Ipsi enim in coniuratione contra Romanum populum & me, homines ciuitatis & loca istarum partium non desinunt concitare, cuius causam inuenire nequeo coniuratione aliquâ vel etiam coniecturâ, cum semper C studuerim eis grata peragere, & continuè complacere. Gabella etiam nulla noua, nec grauitas facta est alia per me Ciuitati alicui siue loco; imò gabellas impositas & solitas reuocaui: Et Tuscanellam sitam in patrimonio B. Petri, quæ à tempore bonæ memoriæ Bonifacij Papæ 8. huc vsque soluerat & soluebat mille libras pecuniæ, debitum in centum libras ceræ offerendas anno quolibet Ecclesię B. Marię de Arâ cœli, de gratiâ commutaui: omni faciens & intendens iuxta Spiritus sancti gratiam, pro seruitio & honore sanctę Ecclesię, pace iustitiâ & libertate hominum & locorum; de quo si à dictis Officialibus vestris auxilia merear, vel machinamẽta dissidij, Sãctitatis vestrę iudicio relinquatur.

Nec omitto quod Comes Bons Vicarius prædicti Regis Hunga- D rię Aquilę permanens, postquam ambassiatores mei applicuerunt Aquilam, vbi ab Aquilanis fuerunt multum honorati & amore recepti, Causam regni pro parte suâ in nos liberè compromisit; treugamque imposuit, quousque ipsi ambassiatores mei Neapolim ire valeant & redire.

Nec possum tenere silentio consuetudinem sceleratissimam, quæ culpâ dictorum Rectorum Campanię, Maritimę ac patrimonij in ijsdem partibus inoleuit, videlicet quod baiuli & officiales eorum in Ciuitatibus & castris istarum partium ordinati, vt Officiales vrbis in eisdem

A dem ciuitatibus & locis manentes in scelerum punitione præueniant compositionem faciunt de homicidijs, rapinis, alijsque delictis, antequam delicta & maleficia committantur; de homicidio pro decem florenis, & minori quantitate etiam componentes: propter quod Officiales mei præuenti malefactores punire nequeunt; & poenæ facilitas, imo ipsa impunitas, exemplo damnabili dat alijs materiam delinquendi.

Et hæc probare me offero: quæ si vera non sunt, obligo me sententiæ excommunicationis perpetuæ, & damnationis æternæ. Datũ in Capitolio vrbis, vbi regnante iustitiâ, recto corde vigemus; die 7. mensis Iulij: 15. Indictione, liberatæ Reip. anno primo. Nicolaus seuerus & clemens, libertatis, pacis, Iustitiæque Tribunus, & sacræ Romanæ Reipublicæ liberator illustris.

B Prima corona, quercus præsentetur per Priorem Ecclesiæ Lateranensis dicentem, Suscipe quercum, quia ciues à morte seruasti.

Ceremonia coronationis Nicolai Tribuni vrbis.

Secunda corona de hedera fuit præsentata per Priorem S. Petri dicentem, Suscipe hederam quia religionem amasti.

Tertia corona de myrto fuit præsentata per Decanum S. Pauli dicentem, Suscipe myrtum, quoniam officia & scientiam obseruasti, & auaritiam odisti.

Quarta corona fuit de lauro, præsentata per Abbatem sancti Laurentij extra muros vrbis, dicentem, Suscipe laurum, quoniam officia & scientiam obseruasti & auaritiam odisti.

C Quinta corona fuit de oliuâ præsentata per Priorem S. Mariæ maioris, dicentem, vir humilis suscipe oliuam, quoniam cum humilitate superbiam superasti.

Sexta corona fuit argentea, & sceptrum, fuerunt præsentata per Priorem sancti Spiritus in Saxo, dicentem, Tribune Auguste suscipe dona Spiritus sancti, cum coronâ & sceptro spiritualẽ coronam.

Pomum autem detur per Dominum Godefridum militem sic dicentem, Tribune Auguste suscipe & cole iustitiam, da libertatem & pacem: & osculetur eum.

Vicarius Domini Ostiensis dirigat coronas. Dominus Archiepiscopus Neapolitanus non permittat auferri argenteam coronam.

D Et cum prædictus Tribunus coronabatur, secum quendam pauperem habebat vilissimè indutum, gerentem gladium in manu & coronas de capite dicti Tribuni auferebat, & fiebat in signum humilitatis, asserens supradictus Dominus Tribunus, quod antiquus mos erat, quando Imperatores Romani cum triumpho redibant, tolerabant & sustinebãt omnia verba iniuriosa per quoscunque eis dicentes illo die.

Dicto die dictus Dñs Tribunus in consilio primus surrexit, collaudãdo Ambassiatores & Ciuitates, quæ aduenerũt in subsidiũ Romani populi, offerendo se & Romanum populum dictis ambassiatoribus

& ciuitatibus ad omnia quę fuerint eis necessaria & oportuna.

Item sciatis quod Ioannes de Columna signanter electus & factus est Capitaneus contra Comitem Fundorum, non remouendo ipsum Capitaneum in partibus Tusciç, imò potius confirmando. A

Hoc anno incepi solus II. Antiphonans super *Magnificat*, ante vigiliam Natiuitatis Domini, quę incipiunt ab O. nullo Canonico tûc prçter me prçsente in Ecclesiâ, aliquibus tamen prçsentibus in Ciuitate.

Duo Nepotes seducti à rebellibus vrbis & Tribuni.

Ad finem huius anni scriptum fuit nobis de Curiâ quod duo nepotes Domini Neapulionis dudum Cardinalis, seducti à rebellibus vrbis & Tribuni venerunt cum alijs vsque ad portas vrbis prędando; & demum 30. illorum de maioribus capti fuerunt, & tenētur per ipsum Tribunum. Et tamen Papa dicitur de isto Tribuno malè contentatus. B

Papa male contentatur de Tribuno.

Tribunus scribit D. Reynaldo Notario Papæ Leodiensi Archidiacono.

Exemplar literarum.

Litera sequens missa fuit per eundem Tribunum Domino Reynaldo de filijs Vrsi, Notario Papę & Archidiacono Leodiensi.

Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in eâ: Dies in quâ populi & iusti congaudeant, & Tyranni singuli (contrà quos pro libertate populi Romani semper nititur labor meus) fremant, defleant, & tabescant. Sanè veridica ad vos iam fama produxit qualiter post aduentum legati ad partes Romanę prouinciç, (in quâ pax vigebat & iustitia colebatur, regnabat libertas, stratarum patebat securitas, & omnis adeo Tyrannidis erat mortificata pernicies, quod si quis venenum latens gerebat in pectore non alium inficiebat quam seipsum) per damnandæ memoriæ nequam viros Reynaldum & Iordanum olim milites de Vrsinis, proditores corporis Domini nostri Iesu Christi, nostros, populique Romani, Stephano & Ioanne de Columnâ paribus proditoribus ipsos ducentibus, imò seducentibus ad malũ proditionis & scelus, status iste pacificus (qui à Deo sumpsit exordium, & iuge recipit incrementum) extiterit per occupationes, disrobationes & combustiones Castrorum, Monasteriorum, hospitalium & piorum locorum; disrobationesque peregrinorũ, & aliorũ pacificorum virorum, lacessitus absque aliquâ culpâ nostri, qui cum eis pro maiori eorum de nobis & nostrâ de eis securitate, piè participauimus corpus Domini nostri Iesu Christi, nolentes ab eis maius pignus, neque maiorem fideiussoriam; quam ipsum Dominũ Iesum Christum, & eos per datam receptamque fidem super ipsô corpore Iesu Christi collationem officiorum honorabilium, aliquos enim eorum fecimus vrbis Consules & patronos, & Ioannem prædictum fecimus Romanæ militiæ Principem, & per alia purâ mente factarum promissionum genera ad amorem Romani populi & status pacifici ciuitatis procurauimus reuocare. C D

Prędicti itaque proditores de factis per nos eis honoribus & deturbatione vrbis extrinsecâ non contenti, sicut pessimorum est moris, vt malis peiora cumulent ad ruinam, sitientes desolationem & depopu-

A depopulationem ipsius almæ vrbis intrinsecam, quam diuina vult gratia reformare (dignũ est enim vt ipsa sancta Ciuitas quod in perfidiæ tempore singularis præeminentiæ habuit, in fide recuperet; quod etsi non meretur aliqualis transgressio ciuium, vel Rectoris, sparsus tamen in eâ sanctorum sanguis & sepulta corpora exigunt & firmiter impetrabunt) Commachinato per proditores eosdem cum Ioanne de Vico vrbis præfecto, qui sub fauoris colore fuerat ingressus in vrbem, de proditione vrbis eiusdem populi Romani, quamuis ipsum præfectum & suos in manus nostras, ab omni sanguine innoxias & insontes, machinatio patefacta conclusit.

Propter quod eorum fuit refrenanda temeritas, & audacia compescenda: Nihilominus tamen vrbem intrare violenter sunt conati, B bonos & pacificos afflicturi, dicentes prius mortis velle subire discrimina, quam pati vltra quam sex mensibus officium nostrum esse:

Et verum erat, quod à die pentecostes, quo sumus assumpti ad vrbis regimen, vsque hodie, diem nostræ victoriæ, spatium semestris temporis est completum: Sed quod vita eorum contradicebat nobis, eorum conflictio & interitus confirmauit. Quantũ autem eos mouerit bonus Zelus, inspicite, quod de prædationibus & incendijs commissis per eos in Ecclesiâ & Monasterio S. Mariæ de criptâ ferratâ minime satiati, venientes, vt intrarent in vrbem, Monasterium S. Laurentij foris muros, in quo beatorũ Laurentij & Stephani mar-C tyrum corpora requiescunt, disrobauerũt totaliter, & pro parte domos ipsius Monasterij combusserunt. Deus autem noster qui non deserit nostram & populi innocentiam intuens, & conspiciens puritatem, qui pro libertate, pro securitate, pro iustitiæ causâ pugnauimus, eorum introitum in interitũ ipsorum dignatus est conuertisse; *digitos nostros*, quos ad calamum ars ipsa docuerat, *docens ad bellum, & ad prælium* manus nostras, vt mites Domino nostræ iustitiæ gaudeamus subiecisse in calamo, & superbos domare in ense experirentur & bello: Nam assistentibus nobis martyribus gloriosis, quibus iniuriam fecerant, & in quorum Ecclesiâ nostra laurea corona fuerat cõsecrata, damnatæ memoriæ viri Stephanus de Columnâ, Ioannes de D Columnâ eius filius, qui ipsum sanctum Stephanum, cuius domus eorum est plena nominibus, debuerunt præcipuè reuereri, & Petrus Agapiti de Columnâ Apostata simul & proditor, olim Præpositus Massiliensis (qui huiusmodi turbinis causa principalis extiterant) victoriosum nostrum & gentis nostræ, dato per nos nostris militibus nomine sancti Spiritus, prout in talibus moris est dari nomen, ferre impetum non valentes occubuerunt, ante pedes nostros in ore gladij trucidati. *Psal. 143.*

Dignum fuit etiam, vt quos clementia nostra vitæ seruabat inuitos boni gladius iustæ punierit vltionis.

Et ecce iterum à Iudith alter occiditur Holofernes, ita quod infra *Iudic. 13.*

octo dies inimici nostri omnes sint, aliqui occisi, aliqui carceri A
nostro dati, & aliqui ignominiosè conflicti, de quorum infelici decessu etsi exinde in quantum est malis, quæ nobis & Romano populo parauerant obuiatum & conclusum in causâ Tyrannidis, Deo proferente & exequente pro libertate sententiam, lætari nos deceat: Ex innatâ tamen lenitate compassiuæ clementiæ lacessimur in præcordijs ad dolendum. Nollemus etenim aliquem gladij, quamuis iusti, seueritate perire, quem possemus ad gratiam sine libertatis, pacis, & iustitiæ offendiculo reuocari. Multique alij ex inimicis exterminati sunt ense crudeliter; multi etiam miserabiliter captiuati: Quamplures banderiæ ex hostibus, quamuis in equitum multitudine, in quorum copiâ confidebant, nos qui
Psal. 71. confidimus in ipso Domino, *qui fecit mirabilia magna solus*, multum B
excederent, triumphaliter acquisitæ, ex nostris, per Dei gratiam, nullo læso, impletæque sunt de eis nostrarum series scripturarum, & literæ, quibus eorum meritis, prout in literis per nos iam de hoc missis ad eos, quarum copiam in Curiam recolimus destinasse pronunciatum plenius continetur; videlicet quod aderat tempus illud, in quo post quadraginta annos, quibus fore noscuntur ad pœnitentiam expectati, commissorum in Bonifacium pœnam luant: Et quod in primo nostro exercitu contra eos nostros debebant occumbere ante pedes, quæ vtrum per nos eis prædictæ fuerint literæ destinatæ aliæ in Romanam Curiam missæ literæ probant. C

Propter quæ directè conspicimus tam boni status Romani populi augeri seriem continuis incrementis; & quod ad eneruandam aliorum rebellium & prædictorum reliquias nobis sit via facilior & facultas habilior, Romanorum animis (quos credebant & nitebantur proditores ipsi seducere) in libertatis amore, quam à Deo vident mirabiliter eis dari, propterea maxime roboratis:
Psalm. 113. de quo non nobis Domine non nobis, sed laudem & gloriam sancto nomini tuo damus, in quo & nos & vos exultare condecet & lætari.

Omittere cæterum nolumus quod duobus diebus ante victoriam D
nobis euenit visio satis grata, in qua sanctæ memoriæ Bonifacium vidimus nos hortantem, & dicentem quod in breui cum Tyrannis debebamus deuenire ad prælium & triumphabiliter obtinere; quod illo in publico parlamento & conspectu Romanorum omnium retulimus, & ad Basilicam sancti Petri ad altare præfati Bonifacij deuotè accessimus, calicem ibi & pallium offerentes; & demum (Deo gratias) iuxta visionem ipsam sumus victoriam consecuti, Assistente etiam nobis beato Martino Tribuni filio, in cuius festo glorioso proditores prædicti peregrinos Romam ad Indulgentiam venientes, in stratis publicis disrobarunt; de quibus ipse Beatus Martinus fecit per manus Tribuni die tertiâ vltionem; in festo videlicet beati

Colum-

A Columbini, columbam ſtantalis noſtri fœliciter exaltantis. Datum in Capitolio die victorioſo prædicto, vigeſimo Nouembris. In quo ſex de Tyrannis Columnenſibus perierunt, ſuperſtite inſelici ſene Domino Stephano de Columnâ ſemimortuo; ecce ſeptimus; & ſic ſeptem coronis & pomo, quæ in coronatione pro ſeptem donorum ſancti Spiritus memoriâ ſumpſimus, æquatus eſt numerus Columnenſium occiſorum. Nomina vero eorum ſunt hæc . . . . . . &c.

Adiecit poſt datam præſentium, illud diuina clementia miraculum, quod cum mareſcalci noſtri cum certâ gente verſus Marenum accederent, & illi de caſtro leonis, in quod aliqualiter requieſcere requirebant, eos non reciperent, murus, in quo ad defenſionem contra noſtros aſcenderant corruit, & noſtris vidētibus ex illis circa

B 24. interierunt. Datum Auinione die vltimâ Decembris, anno Domini 1347.

Poſt hæc venerunt noua de Curiâ quod Romani hunc Tribunum fugauerunt adnitente legato Sedis Apoſtolicæ Domino Bertrando de Docio Cardinali, Præpoſito noſtro Leodienſi. *Tribunus fugatur ab Vrbe.*

Anno Domini 1348. ſcriptum nobis fuit de Curiâ quod Regina Ioanna præſentiens veniſſe Regem Hungariæ Beneuenti, receſſit à Neapoli die vigeſimâ quartâ Ianuarij de nocte, cum Comite Camerario ſolo abſque aliâ notabili perſonâ, iuitque Aquis in Prouinciâ, vbi dicitur arreſtata. *Regina Ioāna recedit à Neapoli.*

C Die verò decima ſeptima eiuſdem menſis aufugit Dominus Ludouicus de Tarento maritus eiuſdem Reginæ ſiue potius procus eius, quia conſanguineus in gradu prohibito, & Dominus Nicolaus de Acziarolis, ſine aliquâ perſonâ notabili cum eodem. *Fugit & maritus ſeu procus eius.*

Poſtea die vigeſima menſis Dux Duratij & Princeps Tarentinus cum viginti equitibus, ſiue pluribus iuerunt ad villam Auerſa, vbi Rex Hungariæ morabatur, qui eos recepit vultu hilari apparenter. *Dux Duratij vadit ad villam Auerſa.*

Et die vigeſimâ ſecundâ menſis eiuſdem omnes Regales Neapolitani, qui fuerunt quinque, Dux iam dictus cum duobus fratribus ſuis, & Princeps cum vno, qui eadem nocte fuerunt omnes

D capti; & res eorum, quas habebant Auerſæ, deprædatæ ſunt. Hungari ſtatim cucurrerunt ad domos eorum Neapolim, quicquid inueniunt rapiendo. Duciſſa Duratij fugit ad Monaſterium ſanctæ Crucis, & vxor & ſorores dicti Principis ad Monaſterium ſanctæ Claræ. *Capiuntur omnes noctu.*

Vigeſimâ quartâ die menſis, illuceſcente die, ſtatim noua diſperſa ſunt per Ciuitatem Neapolim, & mirati ſunt omnes, qualiter iſta, ita clam poterant contigiſſe. Rex autem præfatus adhuc Auerſæ commorans gentem ſuam fecit armari, quia Neapolim venire volebat, quod & factum eſt ſine rumore. *Duciſſa Duratij fugit ad Monaſterium.* *Rex Hūgariæ armat gentem ſuam & venit Neapolim.*

 Poſtea

Postea Rex pransus est cum gente suâ, fecitque Ducem equum ascendere, & iunxit eum lateri suo: & cum essent iuxtà Ecclesiam S. Petri Auersæ, Rex dicit Duci, eamus ad videndum locum vbi frater noster fuit mortuus: Et Dux respondit, Domine non est tempus videndi talia; Cui Rex ait quod omnino videre volebat. Et reuersi sunt ad locum vbi occubuit Rex Andreas, Rex autem fecit Ducem expoliari vsque ad diploidem; & Dux se mortuum reputans confessionem petijt. Cui Rex. Proditor, Fratrem nostrum sine confessione mori fecisti, & ita tu proditor morieris; & ascendentes locum vnde Rex Andreas proiectus in terram fuerat, statim quidam Hungarus eum ter in collo ad decollandum eum, licet ex toto non decapitauerit eum, & proiecerunt eum desuper in terram, vbi proiectus fuerat Rex Andreas, & mandari fecit sub pœna capitis, nè quis cadauer remoueret à loco, statimque Rex ascendit equum, & recessit à loco, dimittens alios Regales in carcere sub custodiâ . . . . de gente suâ. A B

Ducit Ducem Duratij inuitũ ad locum vbi occiderat fratrem, & eum afficit miro supplicio.

Idemque Rex cum reliquâ gente suâ venit Neapolim, omnibus acclamantibus, *viuat Rex Hungariæ, viuat, viuat.* Et primò intrauit Ciuitatem Neapolim Comes Fundorum cum magnâ gẽte: & postea Dobaldus & Frater Monsregalis, & Ammiratus antiquus cum multâ gente, & erant omnes armati cum Barbutis in capite; & vltimò Rex cum multâ gente supra paruum roncinum armatus sicut alij cum Barbutâ.

Dicitur ibi quod iste Rex facit omnia per incantationes, & quod nunquam visa sunt talia; & dicitur Curia Papæ multum timere; status illius terræ quietus est. C

Rex Hungariæ dicitur omnia per incantationes facere.

Et est Tribunus, qui fugatus fuerat, restitutus, & potentior quamvnquam fuerat ante fugam.

Tribunus restituitur & est multo quã ante potentior.

Interim Leodienses minabantur se tradere Duci, nisi Ecclesiæ remitterent eis de censibus; quo metu diminuti sunt census per 10. annos in quintâ parte. In mense verò martio Regina prædicta venit Auinioni cum paucis, & Dominus Ludouicus de Tarento.

Leodienses minantur se tradere Duci.

ANNOTATIONES.

1. In hac æstate filius cuiusdam Molendinarij:] *Tyrannidem huius Nicolai quam diligenter & fusè prosequitur auctor, confirmat quoq; Platina his verbis.* Interim Romæ creandorum senatorum ex auctoritate Apostolicâ commutatâ ratione, Nicolaus Rẽtn ciuis Romanus populicus Scriba, vir quidem erecti ad libertatem excelsique animi, occupato armis capitolio, tantum sibi beneuolentiæ & auctoritatis apud omnes comparauit, vt facilè quo vellet mentem populi Romani flecteret. Is autem quo magis animos hominum cõmoueret, hoc titulo vsus est: Nicolaus seuerus & clemens, libertatis, pacis, iustitiæque tribunus, ac sacræ Romanæ Reip. liberator illustris. Hac autem verborũ D

pompa

A pompâ tantam de se & admirationem & opinionem concitauit, vt omnes Italici nominis per legatos pacem amicitiamque ab eo petierint. Fuêre & quædam externæ prouinciæ, quæ ad Romani Imperij gloriam renascentem, vt ipsæ putabant, respicerent. Sed parum inoleuit fuceta gloria: Nam dum parti ciuium consulit, parti aduersatur, repentè ex patrono tyrannus est habitus. Hanc ob rem septimo magistratus sui mense, sponte suâ, ignaris omnibus, mutatâ veste, per obscuram noctem Româ abiens, ad Carolum Ioannis filium in Bœmiam proficiscitur: quem Clemens Pontifex ob multarum linguarum literarumque peritiam, in Bauari etiam contumeliam, ab electoribus in Cæsarem designari ante fecerat. Captus itaque Tribunus à Carolo & Auenionem missus, pontifici dono datur. *Idem quoq; scribit Volatuer. lib. 22.*

B

2. Rex Angliæ cũ diu obsedisset Calais:] *Quia hystoria obsidionis Caleti eiusq; deditionis plurima lectu vtilia cõtinet placuit illam ex annalibus Meyeri hic attexere* Inter hæc (*inquit*) classem multarum nauium cum grandi commeatu Calesiam importando mittit Philippus Rex ex Harfleto Bononiam: cuius tamen classis præfectus cognitâ Anglorum etiam in mari potentiâ, & munitione ad portum Calesiacum factâ, non ausus vltra progredi, Harfletum cum omnibus nauibus redijt. Post hæc ex Atrebato Hisdinum Rex mouit cum Ducentis (vt traditum est) pugnatorum milibus: vt obsessæ Calesiæ suæ succurreret. Reperio oppidanos adeo domitos fuisse fame, vt non modo equis, sed etiam ca-

C nibus, muribus, felibus, & arborum corticibus miseram vitam tolerarẽt. Ex Hisdino per Blangiacum Frugias, Falcobergam, Lumbrias, & Ghisnas, vsque ad montem Zantgatam inter Wissantum & Calesiam peruenit, vbique castra fecit & acies instruxit. Quanto autem exultabant gaudio obsessi cum tantum viderent exercitum sibi auxilio venientem, quis eloqui possit? Milliario dumtaxat distat mons ille ab Galesiâ. Primam aciem Marescali, secundam Magister Balistariorum & Carolus à Monte Morency cum peditatu, tertiam rexit Dux Normanniæ Ioannes cum plurimâ nobilitate. In quartâ Rex erat cum signis militaribus 63. eratque plene armatus. Ioannes Ha-

D nonicus, & Comes Namurceus cum aliâ sequebantur acie. Postremæ verò præfuit Dux Borbonius. Interea Flandri, quos Galli finibus suis non egressuros arbitrabãtur, relictâ Greueningâ castris, se Anglicis coniunxerunt. Recentem quoque militem Dux Langastrius ex Angliâ adduxit. Venerunt & ex Germaniâ Eduardo quædam auxilia. Inter leuia quæ committebantur prælia mittit ex primis proceribus celebrem Philippus Rex Legationem ad Regem Eduardum, qui postulent oppidum relinquat, procedatque in apertum campũ ac pugnandi faciat potestatem. Respondet Eduardus non se arbitrio hostiũ bellum gerere: annum se fermè totum magnis hic sumptibus consedisse, semper fuisse paratum, & adhuc esse ad pugnandum, sed loco se mouere nolle, donec oppidum ceperit. Si Philippus vir sit, veniat

& ab

& ab oppido depellat, Non poterat adiri facile Eduardus nisi à mari, A
& ponte, quem Millanum vocant. Et vtrobique præsidium habebat, quod validum satis ratus est, grandi ad mare excitatâ turre, quæ obsessis omnium erat perniciosissima. A Flādriâ transitus clausus erat, & reliqui aditus seipsos per paludes suas tutabantur: Nec Galli seu per portum, seu per pontem penetrare magnopere tentabant, non secus atque imbelles & ignaui homines de victoriâ desperantes: sed cum omnium ingenti admiratione tam immensum Rex exercitum reduxit, atque Hisdinum Atrebatumque repetijt, postquā duo vocati ab eo presbyteri Cardinales, perplures dies frustra conati essēt aliquā concordiā aut inducias fabricare, ad eximendū oppidum obsidione. Tunc vidisses alios carros suos, & impedimenta relinquere, alios vina sua effundere, multos tabernacula incendere, pro se quemque B
certare, ne in extremo esset fugientium agmine, neu terga sibi cæderentur ab hostibus. Decreuerant Galli & irrumpere in Flandriam, eamque in rem plurimus commeatus ad Odomarones & Fossam nouam missus erat: sed illo quoque omisso consilio vniuersum exercitum dimisit, & magno cum dedecore absque vllâ pugnâ, vllâ pace, vllis inducijs se domum recipit. Quanto autem tunc miseri obsessi essent in dolore & animi angustiâ, nemo facile perscripserit.

Post Gallorū discessū Eduardus cū perdere ferro & igni minaretur obsessos, ob longinquam obsidionem, & maximos sumptus, flexus, tandem procerum suorum precibus has illis imponebat conditiones. Sex præcipui totius oppidi ad supplicium producerentur, si C
reliquam multitudinem saluam vellent, alioqui omnes ferro perituros. His in oppidum nuntiatis, fletus, & eiulatus ortus incredibilis, adeo vt nec ipse præfectus Ioannes lachrymas teneret.

Cōuocato Senatu, vt cōsuleretur qui forēt producēdi, cæteris cunctātibus Eustathius à Fano Petri, oppidi totius facile Princeps, surgit, seque pro miserâ multitudine deuouit, ne tam multi pereant, dicens se certo scire inuenturum suam mercedem apud Deum. Huic se iungit Ioannes ab Ariaco, Surgit & Iacobus à Wissanto vir locupletissimus, dicitque se velle adiungi suis duobus cognatis pro ciuium salute: Idem facit Petrus à Wissanto Iacobi Germanus, quintusque & sextus, quorum non inuenio edita nomina. Hi laqueos collo, claues oppidi manu gestantes, in amictu interiori, capita pedesque nudi D
ad pœnas producti à Rege necari iubentur. Intercedit vehementer nobilitas, ne victoriam crudelitate maculet, fœdum fore exemplum, & haud dubiè in se aliquando versurum: dignos esse vitâ, qui tantâ charitate ad liberandos communes ciues se offerrent: orare suppliciter pro illorum salute. At ille pertinaciter preces omnes reijcere. Tum Philippa Regina vterum gestans, ac partui propinqua, patriæ Hanoniensis Belgarumque amans, honesta ac pia matrona cum lachrymis ad Regis se proijcit pedes. Domine (inquit) postquā huc domo euocata ad te veni, nihil abs te quicquam petij: Nunc autem

propter

A propter amorem Iesu Christi dona mihi istos sex homines. Ad hæc Eduardus non tenens vltra lachrymas (vnice enim eam dilexit) vellem (inquit) non adesses. Habe eos, & hinc facessant ex meo conspectu. Regina acceptos ciues in ædes suas introduxit, ablatis laqueis prandio refecit, singulisque senos nobiles aureos donauit, & liberos dimisit. Ioannes Viennensis, alijque Præfecti ducti captiui in Angliā pecuniâ redimendi. Miseri populares postquam cibum accepissent cum singulis vestimentis discesserunt: quod quidē quam triste erat visu, facile potest intelligi. Cæteræ ciuitates captæ, quamuis nonnunquam & bonis spoliatæ, patriam tamen retinent: Isti non modo fortunas, sed lares focosque in summâ miser.â relinquere coguntur; Pars ad fanum Odomari, alij alio deueniunt. Nobiles tandem B ære redempti hoc apud Gallos solatij inuenêre, vt ante alios ad honores & dignitates promouerentur. Sed plebis nulla habita ratio est. Hunc in modū dedita Calesia mense Augusto, Colonia ex Anglia eo deducta, in quâ opulētissimi ex Lunduno ad 36. mercatores. Tres omnino ijque senes ex veteribus ciuibus retenti, Sacerdos vnus, & duo Iureconsulti, vt nouæ Coloniæ essent vsui. *Hactenus Meyerus. Idem affirmat & Polyd. l. 19. Retinuit vero Anglus Caletum circiter 210. annis vsq; ad annum Domini 1555.*

3. Ista debet præcedere illam quæ est supra. Ad honorem & gloriā:] *Hæc verba inserta sunt textui originali auctoris nostri veteri admodum scriptura, vt verisimile est, manu ipsius auctoris. Ego nihil immutare volui: neq; etiam* C *immutatio multum ad rem faceret.*

De pace quoq; petitâ per Trudonenses, & honorificâ Episcopi per eos receptione, & quibusdam alijs externis.

CAPVT XXXVI. ET VLTIMVM.

PEnultimâ die Martij Dominicâ quâ cantatur, *lætare*, Sanctitrudonenses videntes quod eorum negotia male ibant, Episcopus autem plures eorum prouocari fecerat ad pacem, & abiudicatis quibusdam ex eis ad dissensionē pronioribus, cum Dux qui promiserat D eos ab hoc periculo liberare, nec apud Episcopum de hoc aliquid poterant impetrare, timentes cæteri, contra ductorem suum imò seductorem quendam pseudopræsbyterum, Ioannē de Meruille, qui totius mali causa erat, murmurare cœperunt, qui sentiens hoc, fugit ad domum suam: Communitas statim clamare cępit ad arma; & sequentes præsbyterum ipsum in frustra secarunt, sic ille malè viuendo finiuit. Tunc suasum est villico Thenensi, qui vices Ducis gerebat in oppido, quod recederet, sicut fecit, & res ad suam naturam de facili est reuersa: Misit que Communitas pro Episcopo, cui venienti

Episcopus plures Trudonensium prouocat ad pacem.

Villicus Thenēsis vices Ducis gerens in S. Trudone fugit.

exiuerunt obuiam processionaliter, vt dicebat.

Interim mortuus est Comes de monte, qui Capitulum nostrum diffidauerat sine causâ. Et Dominus Reynardus de Argenteal iam domum suam reædificare cœperat, quæ iam multum ascenderat, inde Leodienses multum conqueruntur. A

In Curiâ Romanâ tanta fuit mortalitas hominũ, tam diuitũ, quã pauperum, quod maior pars Cardinalium recessit, & indictæ fuerũt vacationes circa pascha vsque Michaëlis. Medici non audebant infirmos visitare.

Decimâ octauâ die Iunij in vigiliâ Sacramenti Capitulum reuertitur postquam in Namurco exulauerat per annum & 23. dies.

Circa hæc tempora Rex Hungariæ recessit versus regnum suum, B nescitur quomodo, aut quare, nisi quod timebat Epidymiæ mortalitatem: Gens autem sua quæ remanserat per aduersarios suos extitit interfecta.

Tribunus verò Romanus non comparet.

ANNOTATIONES.

In Curia Romana:] *Mortalitatem hanc maximam explicatius refert Platina.* Hoc tempore (*inquit*) pestis adeò triennio totam Italiam peruagata est, vt vix decimus quisque ex millesimo homine superfuerit. Nec id quidem mirum, cum ob iubileum contagione hominum & multitudine vndique Romã cõmigrantium squalore, situ, pedore, C omnia inficerentur.

Soli Deo honor & gloria.

APPENDIX PRAECIPVORVM AVCTORVM, QVI ALIQVOT HISTORIAS HOC SECVNDO TOMO CONTENTAS,

Puta,

Triumphum sancti Remacli de Malmundariensi cœnobio,

Triumphum sancti Lamberti de Castro Bullonio,

Eiusdem Triumphum in Steps,

Nec non veram originem festiuitatis corporis Domini, ex professo scripserunt,

Primum studio & industria R. D. Ioannis Chapeauille Canonici & Vicarij Leodiensis typis primum excusi.

VITA AVCTORIS EX EIVS SCRIPTIS.

AVctor Triumphi S. Remacli de Malmundariensi cœnobio fuit Religiosus ordiniis S. Benedicti Monasterij Stabulensis vt ex prologo lib. 2. patet, vir in sacris literis eruditus, vt cuiuis hæc legenti videre est. Nomen eius in veteri M. S. codice Stabulensi, quo vsi sumus, non extat, vel quia auctor illud supprimere voluit, vel quia librariorum incuria intercidit. Scripsit vero hunc S. Remacli de Malmundario Triumphum accuratè & fideliter, vt pote qui rebus in eo gestis partim interfuit, partim à fide dignis audiuit, vt ipse de se testatur lib. 1. cap. 18. 26. & alibi.

Floruit circa annum Dominicæ incarnationis 1100.

Desumpsimus hoc scriptum ex vetusto M. S. Codice Monasterij Stabulensis.

A PROLOGVS TRIVMPHI SANCTI REMACLI DE MALMVNDARIENSI COENOBIO.

FRATRIBVS Ecclesiarũ Dei quæ sunt in orbe Romano, Fratres Stabulenses salutem & pacem bonã
B ex animo.

Regnante Henricō 4. postea Romanorum Augusto anno Domini 1071. regni autem ipsius anno 15. de his quæ erga Dei confessorem almifluum Remaclum nosque eius famulos & locum nostrum acta sunt, scribimus vobis exultantibus animis in Domino, cum antehac quidem vtrobique intus & extra vehemẽs incubuerit nobis dolor & tribulatio. Sed de his omnibus à Deo magnificè liberati, tam vestris, qui compatiebamini orationibus, quam meritis eiusdem patroni
C nostri Remacli interueniẽtibus, gratias ipsi plenissime agimus, vt pote qui tali Domino fideles, malis semper obnoxij, vsque in finem perseueremus. *Aetas auctoris*

Acturi igitur septenis idibus Mayarum omnibus ætatum successionibus commemorandam celebritatem huius diuinæ operationis, quæ manifestè fieri visa est ad honorẽ tanti & incomparandi Christi confessoris, dignum duximus vobis significare, vt & vos quoque, si placet, agatis diem glorificationis habitæ, in quo beneplacitum fuit Deo in populo suo notam facere suam virtutem, vt sua gratia exaltaret mansuetos in salutem. *7. Idibus Maij celebritas triũphi S. Remacli.*

D Itaque & nunc & semper magnificate Deum nobiscum & exaltemus nomen eius in idipsum, qui in sanctis suis iure mirabilis prædicatur in sæculum. Vellem siquidẽ nostris eum vt cumque laudibus efferre super his mirabilem, sed excellenti ipsius magnificentiâ, qua fecit hunc sanctum omni virtute commendabilem, nostrum exile succumbit ingenium. Vnde efflagitandum est erigi nos ab ipsius cooperatoris spiritussancti gratia, vt & aspirante astipulatione veritatis, & ex simplicitate verborum, *Psal. 38.* *Modestia auctorũ.* *Inuocat S. Spiritus gratiam.*

 borum,

borum,liberè currat puræ narrationis hiſtoria; Neque enim an- A
nitendum eſt, vt ipſa cuiuſlibet artis fucata mẽdacio, quaſi quædam meretricula, procedat in publicum ſermone pompatico, quæſitura tãtum fauorabilis auræ plauſum à populo, & non potius quæ & quanta fecerit nobiſcum Deus, prædicaturâ humili ſimplicique colloquio.

Ergo, vt dictum eſt, glorificans mirabilis Deus ſuum antiſtitem, dicemus ſuis in locis. qualiter fecerit per ſe diuinis æquè beneficijs admirabilem. Sed nunc interim ne diutius immorãdo proëmij velut ſimile quiddam protrahamus, vt quæque dig- B
na memoriâ geſta ſunt, hoc primo in opere, ab incæpto ſingula percurramus.

Annotationes.

De totã hac hiſtoriâ legendi ſunt, primo Bulla Leonis 9. pontificis, quam ad calcem huius hiſtoriæ annectimus. Secundo documentum & declaratio Frederici Archiepiſcopi Coloniẽſis, quod ad calcem ſecundi capitis huius tomi imprimi curauimus, tertio Geſta Abbatum Monaſteriorum Stabulenſis & Malmundarienſis, quæ pariter ſecundo capite huius tomi citamus. Quarto Lambertus Scafnaburgenſis in ſuo Chronico, cuius etiam mentionem facimus tom. 1. *ad calcem ſexageſimi capitis. quæ habet Aegidius Aureæ vallis libri ſui cap.* 2. *quorum* C
occaſione Triumphum S. Remacli hoc loco attexuimus.

A

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI.

Abbatis

INDEX CAPITVM
LIBRI SECVNDI.

B

De duo-

LIBER PRIMVS TRIVMPHI S. REMACLI DE MALMVNDARIENSI COENOBIO. A

De dissidio Cœnobiorum sæpius elaborato, & Episcoporum Coloniensium adnisu super id per tempora multa frustrato.

B

CAPVT I.

Dissentio Monasteriorum Malmundariensis & Stabulensis.

Act. 4.

CVm igitur perspicuum sit, hunc sanctum, de quo loquimur, Remaclum hæc duo struxisse cœnobia, quẽ apud Deum singularem patronum se gaudet habere tota penè Gallia; itemque suis successoribus eâ reliquisse conditione, quâ rexerat habitâ, vt vtrisque non longè sepositis sub vno rectore, sub vnâ lege *cor esset vnum, & anima vna:* alterius partis fuit semper quodam morbo dissentire magis, quam vinculum fraternitatis synceriter retinere. Hic morbus inquam erat animæ, vt quia vnum C eorum respiciens erat ad Metropolim Coloniensem, nostrum verò claudebatur præcinctu parochiæ Leodiensis, nitebantur, qui erant illius partis, aut Dominationis ius sibi vendicare, aut non violandæ pactionis dissidium facere.

Quæ res ridiculosa clandestinis sæpè agitata concertationibus, cũ aliquandò peruenisset in medium repressa est, & offuscata priuilegijs & auctoritate maiorum. Ipsi etiam Agrippinæ Archipræsules inducti in hanc eorum casso labore sententiam, antistites prædecessores nostros fatigatos, sed non permotos reddiderunt, siue per occasionẽ, siue per vim.

Nunc verò quia ex votoproficiebat eis hoc tempus quibusque bonis incommodum, ac perindè corrupti mores, & (quæ multos mortales falsos fieri subegit) ambitio consenserat principum, aggressi sunt hoc se posse perficere, quod retro actis temporibus, satis licet elaboratum, non contigit ad effectum peruenisse. Ab initio enim alij pro alijs succedentes causamque ad hoc pulchrum facinus perpetrandũ suscipientes, ad hæc vsque infortunata nobis tempora pertraxerant, semper id fieri annitentes. D

ANNOTATIONES.

1. Cum perspicuum sit hunc sanctum, de quo loquimur:] *S. Remaclum:*

A *clum construxisse hæc duo Monasteria Stabulense & Malmūdariense vt ab vno Abbate regerentur, quamuis diuersæ essent Diœcesis; clarum est ex Harigero Tom. 1. cap. 55. & 56. & clarius ex documento & declaratione Frederici Archiepiscopi Coloniensis, quæ habetur Tom. hoc secundo cap. 2. annotatione 1. vbi sic habes.* Stabulensis Ecclesiæ priuilegia diligenter relegimus, in quibus inuentum est beatum Remaclum vtriusque loci (*Malmundariensis scilicet & Stabulensis*) ædificatorem, post constructum à se Malmundarium, suæ & successorum suorum habitationis & sepulturæ principalem locum apud Stabulaus elegisse, & pro eo quod idem locus in Diœcesi Leodiensi parochia est, omnes per successionem vtriusque loci Abbates ab Episcopo Leodiensi consecrari debere, &c.

2. Quæ res ridiculosa clandestinis sępè agitata concertationibus:]
B *Concertationes fuisse frequentes de præeminentia inter religiosos Stabulenses & Malmūdarienses patet ex documēto & declaratione Frederici Archiepiscopi, de quo paulo ante, vbi sic loquitur.* Quod Malmundarienses eo vsque hactenus infirmare conati sunt vt tempore diuæ memoriæ Ottonis secundi &c. *vt habes loco ante citato.*

De pactione Malmundariensium cum Annone Episcopo, & de Corpore S. Ailulphi Coloniæ translato,

CAPVT II.

C Aderat festiuitas S. Petri, quæ vocatur ad vincula, in quâ cōtigit apud nos curiam regalem haberi magnâ principum frequētiâ. Rex adhuc puerulus annos infantiæ non excesserat, sed mater Imperatrix pro eo vices in Rep. satis agebat.

Inter plures coëpiscopos affuit & Anno Coloniensis Archiepiscopus, qui postea non sine iniuria Regiæ dignitatis, iniectis in Dominum suum manibus, ac quasi tutandi gratiâ, puero à matre per vim abstracto, nō dubitauit ad se transferre ius Dominationis ausu temerario. Hunc quia vir erat magnæ industriæ acrisque ingenij adeunt Malmundarienses monachi, talemque consulendum vtile sibi profuturum putant de intentione sui consilij. Post plura quibus cautum D hominem in sui familiaritatem asciscunt, ad locum suum, Malmundarium visendi gratiâ inuitant, tutoremque rerum suarum, quasi in quo sitæ forent spes opesque omnes, fortunæ suæ conciliant. *Malmundarienses conciliant sibi Episcopum Annonem.*

Habebant tunc corpus cuiusdam probatæ fidei sanctitatis quem dicunt Ailulphum, quem etiam tradūt annales primò Abbatem Stabulensem, posteà fuisse Agrippinæ Archiepiscopum. Hunc vt à Domino Abbate Theoderico sibi expetat prauâ sollicitant suggestione, vt eo translato, quasi eius obtentu speraretur eadem locus sub ipsius ditione. Quod vtrum eius voluntate sit factum, nescimus: tamen *S. Ailulphus transfertur Coloniam.*

men ita euenisse indignum tulimus. Dominus Abbas tanquam ignarus eius rei, rogatus annuere non distulit, quod postmodum, licet eo non animaduertente, totius sequentis mali occasio claruit. Nam vt tunc plerique quodam præsagio mali significauêre, eo ex tempore cum illis penè omnia ei aduersa fuêre. Igitur Archipræsul susceptas venerabiles reliquias huius, quem præfati sumus sancti, honore condigno recondidit in loco, quem decebat Martyrem Christi. A

ANNOTATIONES.

Habebant tunc corpus cuiusdam probatæ fidei sanctitatis quem dicunt Ailulphum:] *Hic idem est, vt existimo, qui à Molano in Natalibus sanctorum nominatur Agilolphus. De quo idem sic loquitur* : Coloniæ natalis & translatio S. Agilolphi eiusdem vrbis Archiepiscopi & Martyris. Hic Ioppiliam venisse scribitur in vita S. Switberti Cal. Martij ad ægrotantem Pipinum Principem, multumque allaborasse ne hæredem scriberet Carolum Martellum ex Alpaide pellice genitum. Quod tamen impetrare non potuit. Deinde passus est martyrium in pago Arduennensi Amblauæ, qui locus à præterfluentis fluminis nomine sic vocatur: & in Ecclesiâ S. Laurentij Malmundariensi Monasterio contiguâ sepultus est, & varijs claruit miraculis. De ipso scriptum est Malmundarij in libro miraculorum S. Quirini martyris: Nobili stirpe editus, Anglino loci huius Abbati à parentibus est traditus sub institutione monachi regulariter informandus. Qui patris spiritualis mores imitatus, eiusdem in voluntate Dei successor est factus: Dein Sedi Coloniensi antistes datus, Abbatis etiam non deposuit onus, donec vtrumque strenuissimè gubernando, propter fidem regni, apud Amblauam coronatus est martyrio, atque apud nos, vbi Abbatis præfuerat nomine, & opere, vsque dum Deus voluit, locum habuit sepulturæ. Chronicon verò vulgatum Coloniense habet occisum esse ab hostibus, dum causa pacis à Martello ad Saxones mitteretur: quodque à Brunone, qui frater erat Othonis Imperatoris, Coloniam ad gradus sit delatus. Sed ego cædem Episcopi ad tempora filij aut nepotum, qui etiam contra Saxones bellauerunt, referre non dubito: eoquod literæ Zachariæ, qui mortuo Martello factus est Pôtifex, de legato Bonifacio recipiendo ad eum etiam dirigantur. Deinde historia S. Annonis, cui multum est tribuendum, testatur S. Agilolphi corpus ex Malmundario auectum esse Coloniam per S. Annonem, vbi id reposuit, in Monasterio suo ad gradus. Est autem Malmundarium secunda S. Remacli Abbatia, à Stabulensi dependens, olim Diœcesis Coloniensis: sed nunc, nisi fallor, Leodiensis territorij, quoad vtramque iurisdictionē. Dum enim B. Poppo his præesset, stabiliuit perpetuâ lege, vt Malmundarienses professionis suæ sponsionem apud Stabulenses facerent. Natalis incidit in vltimum diem Martij: sed à Coloniensibus simul cum translatione recolitur

B C D

die:

A die Nonâ Iulij: eo quod in fine Martij Ecclesia semper occupetur officio quadragesimæ, aut passionis, vel resurrectionis Dñi.

Conspiratio Coloniensis & Bremensis simul habita, & Abbatiarum Corbeia, Laurisanni. Stabulaus, & Inda traditio ipsis à Rege iniustè facta.

CAPVT III.

B POst hæc quidam qui consultores dicebantur in ipsis, quique auctores erant huius, vt videbatur . . . . Coloniam adeunt, & cum Archiepiscopo confirmato consilio suæ, quam prædiximus, intentionis, voti sui compotes domum redeunt.

Hi regressi improbè nobis insultando, sibi verò congaudendo cõsodalibus suis dicuntur hoc nuntium ab Archiepiscopo detulisse, nihil eos de se vel suo promisso diffidere, sese illis tanquam patrem affuturum in omni iuuamine, præterea se esse securum ac si eos iam in manus haberet cum loco, omnique loci possessione.

Anno Episcopus suscipit patrocinium Malmundariensiu.

Quibus verbis in spem illi certã adducti, feliciores se nobis deinceps fore iactitabant, vt pote quos contingeret pacatius diutiusque C sub illo viuere, non secus quam volebant. Ac ne fortè ab illis falsa pro certis finxisse arguamur, idoneis quibusdã ex ipsis pro teste vtimur: dixisse videlicet hæc verba Lambertum, vnum ex his qui adierant Episcopum, qui post immaturâ morte præuentus, cum vitâ in medio reliquit consilium.

Non ergo quis æstimet hæc mala de confratribus nostris idcirco nos meminisse, vt malimus eos perperam quam rectè fecisse: sed nefas putamus prætereundum silentio, quicquid dicere postulat suscepti operis ratio.

Eo igitur ex tempore Archiepiscopus animum illò intendere, mostri, oportunitatem quærere quoquo pacto potiundi. Nec suberat ei D strenuo valentique ingenio fidere, quodlibet factum tam esset difficile, quin cœptum posset ad quos vellet exitus vir cautissimus perducere.

Est strenuo valentique ingenio.

Post illam quam præfati sumus violatam regiam dignitatem, quâ Rex puer haud spontaneam deuenerat sub ipsius Pontificis tuitionẽ, indignè ferebant Magistratus & optimates regni, quasi expotestatiuum suum Regem; prætereà administrationem Reip. in dispositionem noui hominis cecidisse. Etenim eo tẽpore infamabatur à nonnullis quod exactam cõmutationem reciperet pro dignitatibus cuique adipiscendis, & maximè pro honoribus Ecclesiastici ordinis.

Diffamatur à nonnullis de Symonia.

Quam inuidiã sibi conflari intelligens, ac non ignauo astu honori

Cedit administrationi vt cõsulat famæ.

famæque suæ consulens, egit strenuè vt sub honestæ rei occasione administratio illa tuitioque Regia transferretur in alterum Pregmẽsis videlicet Ecclesiæ Archiepiscopum. Quem statim ita sibi deuinxit familiaritatis gratiâ, vt alterutrum paciscẽtes inirent hoc inuiolabile fœdus, quatenus alter os esset alterius. Videns itaque Pregmẽsis ille omnia sibi ex sententiâ cedere, nitebatur Patriarchatum in sede suâ constituere. Sed quia vires ad supplendum deerant, tentauit augere ex his quæ regij iuris erant. Et quia vt dictum est inter vtrosque statutum ius erat eius pactionis, vt alter alterius faueret commodis, ad hoc etiam non erat eis difficile obtinere quæ vellent ab Regis simplicitate. A

Init fœdus cũ Archiepiscopo Bregmensi.

Bregmensis Episcopus frustra sibi vendicat duas Abbatias.

Actum est ex consensu Agrippinæ Coloniæ Antistitis, vt ille duas Imperiales Abbatias Corbeiam & Laurisannũ vendicaret suæ Diœcesi. Sed frustrà vendicatas quomodo valuerit obtinere, alias inquirenti satis poterit patere, nos nostra habemus exequi non sine moerore. B

Ipse compari suo volens rependere vicissitudinis gratiam, de regalibus beneficijs, quæ nouerat illum sibi competere, facit eum obtinere dono regio Malmundarium & Indam. Qualiter ea sit facta quasi furtiua traditio præter ius fasque, ac non præter iniuriam Regiæ dignitatis, quamuis memorari sit dolor, tamen non incongruum duximus tradere posteris.

ANNOTATIONES.

Administratio illa tuitioque Regia transfertur in alterum Pregmensis videlicet Ecclesiæ Archiepiscopum:] *Legendum* Bremensis, *vti legit Lambertus Scafnaburgensis in suo Chronico.* C

Curia apud Treuiros habetur, & ibi, Abbate nescio, traditio confirmatur.

CAPVT IIII.

Curia regalis habetur Treuiris.

EO tempore, recurrente principis Apostolorum martyrio decorata annuâ solemnitate, Curia regalis apud Treuiros habebatur non sine detrimento huius Ecclesiæ. Susceperat hospitio Dominus Abbas apud S. Maximinum Archiepiscopum Coloniensem, cui magno deuotionis & charitatis obsequio impenderat omnem humanitatem, vt pote qui nihil aduersi suspicabatur ab eo sibi moliri ob ante actam familiaritatem. Sed ille ex amico factus inimicissimus, non inueniens quid ex æquo inferret iratus, quæsiuit astutus quod ex iniquo auferret temerarius. Nam ignorante eo retrò tendẽs insidias, vt leo pro nihilo duxit in se adimplere luctuosam psalmistæ D

Anno supplantat Abbatem S. Maximini.

decan-

A decantationem. *Qui edebat panes meos magnificauit super me supplantationem.* *Psal. 40.* Ipso etiam tempore in ipsa curia, impetrante Domino Abbate, recitatæ erant chartæ nostræ impræsentiarum, & ipse Rex auctoritate suâ renouauerat præcepta prædecessorum Imperatorum, & vt inuiolata permanserant ad vsque suum tempus, sic deinceps permanere confirmauerat per subscriptionem manus. Porrò vt erat puer in vtramlibet partem flexibilis, malè consultus horum decurionum suasibilibus verbis, statim sua & antiquorum statuta infirmauit, violauit, in manus alienas sine iure & iudice contradidit. Denique discessum erat iam vndique de Curiâ, cum nil adhuc Dominus Abbas perceperat de huiusmodi veritate clanculo perpetratâ. Nam nefas putabat credere quem habebat velut amicum vnanimem, in se potuisse committere sine causa tantam impietatem. Verum in redeūdo vbi etiam ipsi rogatum dabat seruitium, quid actum sit primum sibi est indicatum bonum videlicet S. Remacli per legatos suos illum inuasisse, vendicasse Malmundarium. Quis hæc memorando tenere potest animū, nisi quod tristitia illa modo magis versa est in gaudiū? Cum fama illa nostrorum attigit aures, quantus dolor & mœstitia nostras æquè cum illo mentes perculit? Quid ageret, quo se verteret in dubio erat animus, nisi quod hanc iniustitiam Deo commendare id esset melius.

Rex puer in vtrâque partè flexibilis.

B

C

Abbas Theodericus & Dux Fredericus simul consulunt: Munitio fit super Malmundarium, ad curiam simul euocantur: Dux verò respuens, de iniustitiá conqueritur apud Regem per internuncium.

CAPVT V.

D ITaque reuersus Dominus Abbas Malmundarium, non inutile sibi ratus est de huius rei instanti necessitate consulere Ducem Fredericum communem videlicet ex iure antiquitatis vtriusque Ecclesiæ aduocatum. Nam is tunc erat vir tam probatæ fidei tantæque probitatis, vt non frustra speraret post Deum in eo fidere pro defensione huius offensionis. Ad hæc ipse Dux egregiâ nobilitate non minus quam pietate itemque iustitiâ præstantior omnibus ac veritate, spondet se omnimodis affuturum re, consilio, atque iuuamine: se quidem quod factū erat grauiter ferre, nunquam verò quoad viueret permissurum separationem fieri boni huius Ecclesiæ. Aiebat præterea se malle occumbere, quam non sic relinqueret, vt in aduocationem acceperat, inuiolabile.

Dux Fredericus Aduocatus laudatur.

Non vult permittere separationem Monasteriorum Malmundariensis & Stabulensis fieri.

Statim

Statim ergò mandat per internuncium Archiepiſcopo, vt ſi quic- A
quam de vitâ curare haberet cum honore terreno, ab hac intentione
& inceptis deſiſteret omni modo. Interim cum militari manu Mal-
mundarium venire diſponit, commeatum abunde præcedere facit,
non ignauiter defenſurus locum, quæ vſui forent parat & inſtruit.
Munit Malmũdarium. Dein pro repellendâ hoſtili manu munitione quadam montem pro-
ximum occupat, iuxta ac ſi hoſtes adeſſent vallo, atque foſſâ muniẽ-
do cum ſuis inuigilat, vbi etiam menſem integrum cum expeditione
conſummat.

Dum hæc his partibus geruntur, res huiuſmodi ad curiam delata
per aulicos ventilatur; & reus vterque Dux & Dominus Abbas, qua-
ſi contra Remp. feciſſet, hoſtis publicus adiudicatur. Igitur ab his
decurionibus, quorum conſilio, vt diximus, corrumpi videbatur dig- B
Citatur Dux cum Abbate ad Curiam. nitas regiæ poteſtatis, tanquam ex nomine Regis diriguntur literæ,
hos vtroſque rationẽ reddituros ad curiam proficiſci debere. Quod
Dux indignum ſibi factum ratus, legationẽ hanc indignatus reſpuit,
Respuit legationem. conqueſtus multum de iniuſtitia, quam Rex Conſilio deprauatus ſa-
cerdotum S. Remaclo ſibique fecerit. Præterea comminatus Regi
hoc remittit nũcium, niſi reſtituat ſancto quod ſubſtraxerat bonum,
ſe illi regnoque ſuo cum ſuis omnibus obeſſe plurimum.

Cuonradum nepotem Dux redarguit pro aduocatione Malmundarij, & cum Abbate ad Curiam coacto Roricum procuratorem dirigit, à quo relictus, diu à Rege eſt detentus. C

CAPVT VI.

EA tempeſtate, quâ vſurpauerat Archiepiſcopus bonum Chriſti
confeſſoris nepotem ipſius Ducis Cuonradum ſcilicet acrem
virum aſciuerat ſibi militem pro beneficio huius aduocationis.
Cuonradus fit aduocatus Malmundarienſis. Is quidem ante infeſtus Domino Abbati dicitur ex voto ſuſcepiſſe
aduocationem Malmundarij, vt eo grauiores inimicitias exerceret
vltioni. Quod vt inopinatè peruentum eſt ad Ducis ipſius Patrui au- D
ditorium, non minor quam de priori famâ indignatio eius perculit
Arguitur à Duce Frederico. animum. Accito tamen illo paternâ correptione redarguit inſolen-
tiam eius animi, conqueſtus multum cur offenſâ ſui gratiâ, itemque
non ſeruatâ reuerentiâ debiti honoris & prouectionis, auſus ſit ſuper
ſe attentare, quod ſui erat iuris & negotij. Illo quidem ſe expurgare
volente, non quicquam contra bonum honeſtumque eius affectaſſe.
Præterea ſaluâ eius gratiâ nihil præter morem coæqualium feciſſe,
comminatus eſt, id vlterius ne auderet præſumere, quod nouerit ſibi
in proſperum non cedere.

Iterum

A Iterum ergo mandatur Dominus Abbas ex Regis nomine, vt si non properaret ad curiam indicto die vel tempore, præiudicium pati haberet totius boni quod tenebat ex Rege. Qui diffidens quidem suæ prosperitati, sed non desperans de misericordiâ Dei iter illud tristis est aggressus, non minus se Deo, quam fidelium suorum commendans orationibus. Huic Dux suum procuratorem Roricum functum legatione itineris Comitem adhibet, qui pro se vices causasque coram Rege suisque satis ageret. At ille vbi propter quæ venerat coram exponit, alij aliter assensêre, alij verò à quibus, vt dictum est, priuato magis quã publico negotio curia Regi videbatur, rem omnem perturbauêre, vtrosque videlicet, quia vim contra Regnum fecissent, meritos præiudicium subire. Quod malum ille intelligens B non minus sibi parari quam suo Domino, inconsultus rediens domum, Abbatem reliquit in periculo. Hic Archiepiscoporum consilio detinetur ad curiam, quæ tunc habebatur apud Triburias sedem regiam. Illic cum rationem sui in medio habitam ex recto iustoque firmare conaretur, iudicantis magis odio quam iure iudiciario discutitur, calũniatur, iniurijsquoque secus, quam dignum pati erat egregiæ nobilitatis virum, attrectatur. Nam sæpe iussus pastoralis curæ baculum reddere, dicitur adeo renitendo virtutem tenuisse constantiæ, vt diceret non nisi in partes è manibus ereptũ iri, quia teste Deo & conscientiâ non erat quid euidens, vnde deberet iuste præiudicari. In quâ sententiâ fixus totum penè mensem præter spem detinetur C exilio, multas incommoditates itineris non minus quam famis passus, denegato sibi totius humanitatis adminiculo. Tandem amicorũ precibus qualicumque emissione à Rege impetratâ, tanquam qui vix ereptus rabiem Leonum declinat, celeriter remeauit ad propria. Nobis ergo non sine dolore saluti vitæque illius iuxta timentibus, ex eo quod per internuncios audieramus reditui eius diffidentibus, improuisus adest de se semper sollicitis & inquirentibus.

Abbas Stabulensis iterũ vocatur ad Curiã Regis.

Iter aggreditur nõ desperãs de Dei misericordia.

Detinetur in Curia.

Constantia Abbatis.

Multas incommoditates patitur.

Amicorũ precibus liberatur.

Ducis obitus & luctus & miseria subsequitur & vt iusserat Stabulaus sepelitur.

D

CAPVT VII.

STatim eo recepto cum lachrymas fundimus inuicé præ gaudio, ecce iterum super ingruente tristitiâ, inopinato perculsi turbamur gaudio, de quo non minus quam de priori irremediabiliter dolemus infortunio. Audimus, prô dolor! Ducem, quem non nisi præoccupante morte indefessum prædiximus Ecclesiæ nostræ defensorem inualescente languoribus molestiâ ad extrema loborantem. Confestim Dominus Abbas visendi eum gratiâ illo se proripit,

Gaudium mox noua tristitia exoritur.

Morbus Frederici Ducis. & cum Episcopo Leodiẽsi peractis omnibus, quæ ritu catholico competebãt eius viatico, non lætior, quam si pariter occumbere contingeret, rediјt. Posterâ die vir, cui fide & honestate omnis erat mundus inferior, excessit è medio, nobis æquè ac suis, verum & omnibus bonis, non tam miserum de se dolere, quam pium flere relinquens in sæculo. A

Lam eius & mors. Erat igitur eâ tempestate videre miseriam, dolebat quidem inconsolabiliter tota illius familia, sed non minor ob instans periculum destitutos nos omni humano iuuamine possidebat tristitia. Verũ nõ minima nos tenebat admiratio, quod cum magis prodesse videretur, facta sit nobis tanti viri repente sublatio, nisi quod peccatis promerentibus, quæ per eum reprimi posset, transire habebat in nos hæc tribulatio. Ergo vt viuens statuerat nunquam discedere à S. Remacli patrocinio, sic mortuus impleuit, vt honorificam haberet sepulturã in eius Monasterio. B *Sepelitur Stabuleti.*

De his pro re satis meminisse sufficiat, dum ad ea, quæ mœroris sunt plena, prosequenda necessario accingi non pigeat.

Archipræsul ad Malmundarium sibi vendicandum & Abbatem eligendum Cuonradum dirigit, & Abbas Theodoricus monachos de promissione sibi factâ requirit. C

CAPVT VIII.

Archipræsul cœptũ repetit. ARchipræsul comperiens occubuisse, quasi cædendo sibi vnum aduersariũ, statim quod timore illius intermiserat, repetit, ad id quod cœperat peragẽdum. Continuo Cuonradũ Comitem, cuius supra fecimus mentionem illò dirigit satis ad id voluntarium, vt sibi quod alterius iuris erat vendicaret, solidaretque Malmundarium. Præterea ex ipsis Monachis omnes priores ac quoscumque valentes indicto die ad se conduci iubet, vt si forte inter eos idoneus repeririretur, Abbatem eis præficeret. At ille non ignauiter facturus quod iussus erat properè aggreditur, quod patrui sui reuerentiâ omiserat, vt pote qui Abbati nostro plurimum obesse ardebat. D *Mittit Cuonradum Comitem vt nouum Abbatẽ Malmundarij eligat.*

Abbas Stabulensis contranititur. Parum quid quod supra prætermisimus, his inserenda repetere nõ incongruum duximus. Dominus Abbas post eam, quæ sibi facta est, iniuriam ab Archipræsule, diffidens suis viribus obniti posse contra potentiam illius & ingenium valẽtius omni humano conamine, admonuit Malmundarienses monachos de sibi seruãdâ fidelitate, itemque secundum regulam S. Benedicti de obedientiâ & professione. Quibus simulatâ perfidiâ spondentibus se illi omnia seruare, interdixit sub Christi obtestatione, ne præter se susciperent alium quemlibet

A libet, nec paterentur admitti alienum dum ipse aduiueret. Quæ qualiter seruauerint luce clarius post patuit. Credebat nempè se illis quadam simplicitate tanquam fidissimis, nec quisquam tam manifesta referre poterat de illis, quin semper velut immunes eos æstimaret huius facinoris. *Decipitur à suis monachis.*

Sacramentis Malmundarienses Episcopo confirmãtur, persecutio grauis super nostros agitur, Corpus sancti nostri in medio exponitur.

B

CAPVT IX.

ERgo vbi Cuonradus de aduentu suo illis opinantibus mandat, & apparatum sibi abundè fieri imperat, videres eos lætos festinare, discurrere, illum velut angelum Dei venientem suscipere, seipsos, sumptusque, itemque alia quæ vsui forent officiosè impendere, ne quam offensam nouus aduocatus videretur incurrere. *Cuõradus qualiter recipitur.*

Postquam ex nomine Archipræsulis obligauit Sacramentis homines Ecclesiæ, admonuit illos de his, quæ in mãdatis habebat, si abdicato Theoderico Abbate, ei, cui donati erant, vellent obedientes esse. Paucis quidem non assentientibus, pars maxima sine cunctatione profitentur se ita facturos velocius. Quæ res nobis luctuosè C comperta, velut nox Lucem ingruentibus tenebris, sic nos operuit mœstitia. Quidam tamen ex nostris cum baculo patroni nostri illuc adeunt, reuendicatoque loco ex nomine eius, quod irritum fuit, ab illis inuisi redeunt. Comes prædictus satis indigne tulit id factum iri super se, efferatisque animis cupiebat hoc vlcisci tam super Monachos, quam super Laicos Ecclesiæ. Vndè & maxima persecutio incubuit nostris, vt nec quoquam auderent palam progredi diffusis vbique locorum militaribus insidijs. Placuit ergo communi consilio fratrum venerabile corpus Domini nostri Remacli exponi in mediũ, sicque cum eo, cui fiebat iniustitia, propensius esse supplicandum, hoc mo-D do, qualecumque dolor exigebat remediũ. Iusta enim causa dolendi erat suis omnibus, proprium videlicet bonum eatenus inuiolatum ereptum iri ab iniustis mortalibus. Eo ex tempore non defuit nobis dies noctesque luctuosa decantatio, Aspice Domine quia facta est Ecclesiæ tuæ desolatio; eam, quæ sedet in tristitiã, non est qui consoletur, nisi tui solius miseratio. *Malmundariẽses abdicãt Abbatem Stabulẽsem.* *Stabulenses cũ Baculo S. Remacli reuendicant Malmundarium.* *Ira Comitis Cuonradi.* *Stabulenses Deo supplicẽt.*

A

Tegeno Abbas Malmundario præficitur, Abbas verò noster ad Marchionem Longobardiæ Godefridum se pro auxilio confert.

CAPVT X.

MAlmundarienses igitur tametsi ex nomine Domini Abbatis progressus eis contradiceretur, tamen vti res erat pro voto Agrippinam Coloniam proficiscuntur. Inquisiti ab Archiepiscopo de sua voluntate & Abbatis ordinatione consulti, referunt se magis aliunde quam ex suis id velle. Quibus ad sua remissis, euocatur Abbas Tegeno ex cœnobio Broulwilre, quem proprijs priuatum non sine industria facit Episcopus aliena suscipere. Nam eum Abbatem vere exordinat Malmundariensium, quem velut furem aliunde cogit intrare, sed non per ostium. Ergo fiduciâ & conductu Comitis Cuonradi venientem suum Abbatem suscipiunt Malmundarienses Monachi, nocte videlicet quâ erat celebritas Michaëlis Archangeli. Cui intranti, tanquam ad subripiendum, per noctis tenebras, illi voluntarij ad suscipiendum adhibent faces & lampadas. Nec iniustum hoc quidem fuerit, vt qui nocte latenter intrauerit, velut fur fugatus rapinâ caruerit. Dominus Abbas tunc temporis inter nos non aderat, quia post obitum Ducis re consilioque destitutus, quid ageret, quo se verteret in dubium venerat. Neque enim illius similem inter mortales inuenire habebat. B C

Verum quia Godefridum, qui tunc Marchio erat Longobardiæ, non ignorabat valere præ cæteris potētiâ & dignitate, itemque apud Regem & optimates posse plurimum consilio & familiaritate, ad illum recuperandi gratiâ se totum contulit precio precibusque. Is nimirum tunc affectabat in Ducamen prædecessoris sui succedere, cui Dominus Abbas Stabulensem aduocationem annuens malebat etiã simul ab Rege appetere. Enimuerò (quod saluâ eius gratiâ dixerimus) in hoc minus rectè fecisse reprehenditur, quod in humanis auxilijs spē recuperãdi nimium fidisse dicitur; cum minime sit tuta defensio, quæ per hominem posse consistere putatur. D

Per hominem non est tuta defensio.

ANNOTATIONES.

Euocatur Abbas Tegeno ex cœnobio Brouwilre:] *De hoc Abbate Monasterio Malmũdariensi præfecto, loquitur satis aperte Fredericus Archiepiscopus Coloniensis in diplomate per nos ante citato his verbis.* Tempore quoque Dñi Hērici Imperatoris huius nominis quarti per Dominum Archiepiscopũ Annonem, rursus facto diuortio, Abbas quidam Malmundarij ordinatus est, &c.

CAPVT

A

Narratio super naturâ & Moribus & distantiâ horum duorum Frederici & Godefridi Ducum.

CAPVT XI.

IGitur Godefridus vir quidem potens & strenuus, bonusque consilio, fide tamen ac veritate longè discrepabat à Frederico: Quos vtrosque viros egregios, quoniam res obtulit in præsenti narratione, indignum putauimus de virtute & eorum moribus silentio prætterire. *Comparatio Frederici Ducis & Godefridi.*

B His genus, ætas, potentia, propè erant æqualia, magnitudo animi, par & gloria; sed alij aliter alia: Frederico innocentia, & vitæ integritas inerat, cui seueritas cum honestate reuerentiam dignitatemque addiderat, rebus etiam ipsis palam dabat intelligi, quod neque amicitiam, neque propinquitatem generis, ad hoc nec sublimitatem regni iustitiâ & veritate vnquam potiora habuerit. *In quibus similes.* *In quibus dissimiles.*

Ast in Godefrido ingens virtus corporis & animi, bellis militaribusque exercitijs enitens, claritudinem viro parabat, in quo eloquētia æquè ac prudentia acri ingenio præminebat. Verum verbis non C minus quam factis sui famam nominis extēdere, item honores dignitatesque sæculi ambire, magnum exercitum parare, bella interdum mouere, laboribus dies noctesque inuigilare, cædes, incendia, prædasque bellicas facere, his omnibus pro re & tempore non inglorius vti habebat delectabile, qualia nunquam in altero locum inuenêre.

Huic, idest Frederico semper pax fuit charior bellis, pacatumque reddebat prudenti ingenio quicquid in bella & seditiones moueri sentiebat ex aduerso. Cum in altero esset malis exitium, in isto miseris perfugium. Nunquam in eo Dominus suus inuenit contrarium sibi aut reprehensibile, quia mentiri, vel peierare semper illi D fuit pro crimine: Bonus esse, quā videri malebat, & ideo magis gloriam assequebatur, quam minus appetebat.

Fatemur & in Godefrido fuisse artes optimas, quas tamen aliquando præpediebat cupiditas. Id erat in illo vnum minus laudabile, quod sæpè rogatus, cum posset auxilium ferre, dicebatur pollicitando magis differre, quam prodesse, vt animaduerti potest in huius textus prosecutione.

Cum ergo Dominus Abbas illum, vt diximus, adisset velut fidissimum amicum, magnificis pollicitationibus dat satis fidere, tanquam per se quod perdiderat recuperaturū; sed minimum profuisse *Abbas à Godefrido decipitur.*

 in hoc

in hoc rerum genere satis habemus compertũ. Itaque pro hac eiusque sui vtilitate suadet secum proficisci ad Curiam, vbi pro eo spondet plurimum impendere sui operam. A

Abbas noster S. Corpus suo loco restituit: Abbatem super se statutum obtestatur sub interminatione diuinâ vt discedat, & iniustè possessa relinquat.

CAPVT XII.

INtereà Dominus Abbas fratres, quos tristes reliquerat habuit reuisere, veniensque venerandũ corpus Domini nostri S. Remacli inuenit depositum in pauimẽto iam multos dies iacuisse. Insuper quo tristius nil audire poterat, alienum loco suo audit Malmundariensibus præsidere. Visum est ergo ipsi rectius inito consilio, vt si corpus S. referretur in locum suum honore debito, non idcirco nobis minus deesse suo, cum vellet, auxilio. Quod & ita factum est. B

Corpus D. Remacli iacet in pauimento.

Restituitur suo loco.

Post hæc non inconsultè agens, se regente patientiâ, cum facilè suas vlcisci posset iniurias in illo suo aduersario, continuit se magis beneuolentia, & per quosdam seniores ex nostris mandat illi secundum hæc verba. Si iustè agis, quisquis es contra me, tuimet sapientumque iudicio æstimandum vide. Si malum esse scis supplantationem fieri, cur in hoc reprẽhensibilis sedem meam alienus inuasisti, quam non iure nec iudicio vnquam culpatus amisi? Ne ergo durius, cum rectè possim, videar tecum agere, precor & moneo sub Christi nominis obtestatione, & S. Benedicti regulæ, vt si habes Deum aliquando timere pro hac iniustitiâ, ne fraudulenter retineas aliena, sed discedens nobis relinquas propria. At illo nil certi ad hæc respondente, non ex voto consulti nostri rediêre. C

Patientia & prudentia Abbatis.

Dux Godefridus effectus rectè iudicat S. Bonum suum debere restitui, quod Episcopus protelando facere non acquieuit, & templo & ærario nostro spoliato, res nostra irrita mansit. D

CAPVT XIII.

POst hæc cum Marchione Godefrido ad Curiam Goslar Abbas proficiscitur, vbi ille ducamen cum aduocatione Stabulensi adeptus, Magister militiæ Lotharingiæ denuo sublimatur. Dominus

A minus verò Abbas de illatâ sibi iniustitiâ conquestus, priuatim & publicè quibuscumq; potest Romani Imperij Episcopis & Ducibus nō cessat rem suam notificare, quos etiam sibi suffragari postulat in hac sui necessitate. *Multi compatiuntur Abbati.*

Multis ergo huiusmodi compassione susceptâ hoc iniustum esse factum profitentibus, veritatemque Regi non occulendam benignè suggerentibus, decretum est tandem iudicari debere, si licitum fuisset id fieri sine causa & iudice. Godefridus Dux admonitus legem dare iudicij, rectè iudicat vicario S. Remacli bonu debere restitui, quod ab eo nefas fuisset auferri. Cuius sententiæ multis ex æquo assentientibus, solus ex aduerso obnitens contradicit Archiepiscopus. *Godefridus Dux iudicat pro Abbate.*

B Sed vt multi tunc dixêre, post iudicium latum contradicentem illum satis ex iusto rectoque posset euincere, si fidelis aduocatus æquè ac Fredericus retinendo ac propugnando voluisset bonum sancto solidare; nisi quod suspectum habens eum pro beneficio quod ex eo tenebat facere dubitauit, idipsum auaritiâ præpediente. Nam & item impleta prophetia videtur, quæ dicit *factum est iudicium & iudex accepit, propterea lex subuertitur, & ad finem iudicium non perducitur.* Interpellatus ab omnibus qui aderant rogatur Episcopus acquiescere iusto iudicio, sed vt erat vir inflexibilis à suâ sententiâ, cum aliter non posset euadere, inducijs acceptis consilium differt in proxima Curia. *Habacuc. 1.* *Archiepiscopus nō acquiescit iudicio.*

Ex tunc de Curia in curiam induciarum semper extenditur dilatio. Et Dominus Abbas vanis licet frustratus pollicitationibus fati-C garetur sæpè numero, non tamen defessus quieuit id iniustum sæpè proclamādo, donec respectus misericordiæ proueniret ab altissimo. Quicquid pretiosius videbatur in rebus Ecclesiæ, semper in spem recuperandi adductus, profuturum sibi putat liberaliter distribuere per amicos videlicet quos his beneficijs habebat sibi acquirere, Rex pluris æstimans ærarium captus est ipse auaritiâ, expetit in partem suam ex his cedere aliqua. Erat commutationis indicta vicissitudo, vt si quātitas pecuniæ Regis inferretur ærario statim boni quod subtractum erat, absoluta fieret redemptio. Sed expoliato templo, & his quæ supererant sublatis, hic cumulus malorum nostris accessit D infortunijs; nam irrita nobis mansit promissio imperialis. *Abbas non parcit rebus pretiosis Ecclesiæ.* *Rex capitur pecunia.* *Nec seruat promissum.*

Annotationes.

Impleri prophetia videtur quæ dicitur:] *Habacuc 1. sic legit vulgata editio: Et factum est iudicium & contradictio potentiorum propter hoc lacerata est lex, & non peruenit vsq; ad finem iudicium: quia impius praualet aduersus iustum, propterea egreditur iudicium peruersum.*

CAPVT

Corpus sancti apud Curiam Aquis defertur, vbi iussu Episcopi nullo honore excipitur.

CAPVT XIIII.

EOdem anno Aquisgrani celebratur Regalis Curia, quo tempore agebatur quadragesimalis parsimoniæ obseruantia. Dominus Abbas annuente Rege placitũ acceperat illic adesse, in propatulo locuturus tam de suâ, quam de sanctuarij rectitudine. Rex enim de his quibus res erat in dubio se iustè facturum promiserat, si præceptis & priuilegijs prædecessorum posset infectum iri quod fecerat, sed id iterum frustrà fuit. Nam animo Episcopi male fixa sententia minimè auelli potuit, imo ipsius Regis animum, quem possidebat velut quoddam mancipium, prauo ingenio à recti sententiâ deduxit. B

Rex frustrà promittit.

Deducitur à recti sentẽtia.

Effecerat insuper apud eundẽ de cætero nil profuturum eiusmodi clamorem. Quod vt nobis compertum est, ita euenisse, visum est communi consilio fratrum corpus patroni nostri Remacli illuc deportari debere, vt eo præsente, vel sic compuncti vererentur aduersarij bonum eius retinere. Itaque delatum est ad locum, eius quondam Dioecesim non sine dolore & gemitu, prosequente non paruo eiusdem familiæ comitatu. C

Corpus S Remacli defertur ad Curiam.

Vbi Malmundarienses de sacri corporis euectione percipiunt, statim cum celeritate Archiepiscopo id intimare non differunt, obsecrantes eum contra tenere sui constantiam, fidemque, quam cum eis firmauerat non facere irritam. Qua de causa ille Rege adito, ex eius nomine Dominum Abbatem constrinxerat grauis necessitatis articulo, quod nisi vetaret nos propius accedere, dono regio haberet omnino carere.

Venit ergo quasi sic facturus tristis & mœrens nobis obuius, sed eum super hac re minime audiuimus. Continuo enim illo inuito, seque infelicem proclamãdo prosilimus, apprehensoque lipsano sancti, oppidum Aquense intramus. Audires luctum & vociferationes qualis nunquam fuerint nostris temporibus, qualibusque lachrymis nisi peccatis præpedientibus, etiam ipsum cœlum petere non diffideremus. D

Archiepiscopus frustra impedire nititur.

Sed his motus non est à suâ sententiâ Agrippinensis ille, imo quia secus processit quam voluerat, dicitur dedisse operam contradictionis. Nam debitum honorem, quem decebat patronum totius Galliæ, exhibere prohibuit à clericis ipsius quondam parochiæ. Cuius venerando corpori exequias incessanter celebrant Angeli, cuiusque anima gaudium possidet paradisi: hunc iniuriando velut sui similem

Perstat immobilis.

Honor reliquijs SS. debetur.

vnum

A vnum ex infimis mortalibus repellere præsumpsit à suis conspectibus.

Annotationes.

Apprehensoque lipsano sancti:] *Lipsana tantum pluraliter declinatur. Nomen est quo apud nos reliquiæ significantur.*

Nobis lugentibus, & cum populo proclamantibus proteruè Spirensis Episcopus glebam nostram efferri iubet, & ad vltimum cum graui mœrore simul etiam cum
B *S. Corpore à nobis illinc discessum est.*

CAPVT XV.

Continuato ergo planctu & lamētatione, iniustitiam hanc proclamantibus in domo Dei genitricis, missus à Rege Spirensis Episcopus, causam inquirit proclamationis: Paucis pro re auditis, nihilque certi ab eo cognito, nos, quibus pro muto erat animus fidens in Domino, ascendentes palatium ad vsque regias fores procedimus; vbi pauci intro admissi cum baculo nostri Domini flentes coram assistimus. Rex nihil dat responsi sedens velut mutus & attonitus, sed eius vice pro voto respondet Archiepiscopus, nil iniustū dando proprium fecisse Dominum nostrum, nec se recipiendo quicquā peccasse in sanctum nostrum, quibus respondentibus hoc posse animaduerti ex præceptis & priuilegijs maiorum, si licitum fuisset id fieri: dilatum est in crastinum id diligenter examinari.

Monachi ingrediuntur Regiā.

C

Res differtur in crastinum.

Populis autem, quibus videbatur nil satis esse factum, adhuc proclamātibus, desuper proteruè inclamat ille Spirensis Episcopus, efferte hinc, ait, glebam vestram, cum importunis clamoribus, quos indecens est pati Dominum meum cum suis fidelibus. Quod infame dictum, grauiter quidem tulimus, sed persuadente Godefrido Duce, ne quid mali in nos fieri post doleremus, in Ecclesiam sanctæ Aldegundis, quæ nostri iuris erat, sacrum corpus obseruandum detulimus.

Infame dictū Episcopi.

D

At ille Coloniensis veritus posse superari præmissā auctoritate, vel etiam iussu regio, tergiuersationem faciens festinus abit ex palatio, Duci Godefrido committens vices suas pro se satis agere super eius fidei Sacramento.

Postero mane velut iam fisi eo potiundi quod differebatur, palatium repetimus, nam sero ad balneas Rex, pro quibus petebatur, omnia se facturum erat pollicitus, sed nefas illi fuerit, pro quo nos fefellisse criminis arguitur.

Ducem Godefridum multis aggressum precibus prolocutorem nostri se pollicitantem, ad illum præmittimus. In eo solo vna omnium pendebat fiducia, quasi ex animo nobis tunc adesset impensa A
Dux Godefridus male versatur. sui opera. Sed secus id processit, quam de illo à nobis credi debuit. Eo enim in tempore omnes interdum principes expetentes & iudices verba ad gratiam loquentes, promissionibus omnino fidem non facere, quasi quædam inuaserat tabes. Recitatis ergo impræsentiarum præceptis Imperatorum ipsiusque genitoris, non fuit quicquã contradicere obniti volentibus aduersarijs.

Dum ergo id esset eo deductum dictãte iustitiâ vt, rectè facere cogeretur Rex auctoritate suimet atque paternâ: Dux intercepit consilium huiusmodi dicens, se Fidei gratià nullo modo posse perpeti B
Domino suo absenti vim vllam fieri. Sic inducijs acceptis vbi adesset Episcopus in aliam curiam. Dies illa frustrata omnium spe nobis adauxit tristitiam. Videres iterum cum sancto corpore, clamores fletusque tales fieri, qualibus putaremus ab ipso throno diuinitatis ipsam misericordiam compati, nisi peccatis exigentibus compleri videretur illa prophetæ vaticinatio, *oppositam esse nubem ne nostra transi-*
Thren. 3. *ret oratio.* Sed tribulatis corde nundum venerat tempus miserendi, reseruabatur enim ex diuinâ prouidentiâ, tempore oportuniori maior glorificatio confessoris Christi. Qui viderant nos venire cum
Monachi Stabulenses redeunt tristiores quã venerant. tristitiâ, dolebãt tristiores redire ad propria, cum aduersarijs nostris ex voto veniret lætitia. Verebamur præterea velut inquietando iniuriam fecisse tanto sacerdoti, ne forte propter nos ab iniustis mor- C
talibus in contemptũ veniens, tanto habitus esset neglectui. Sed impie agere in electis dei impune non cedit, vt sequens tempus etiam in hoc declarauit.

Rex graui infirmitate apprahensus, S. redditurum cuncta pollicetur, itidem dolore grauatus Episcopus facit, sed post parum procedit.

CAPVT XVI. D

NEcdum annus in se reuolutus transierat, cum de his iudicium
Rex in secretioribus naturæ partibus, à Deo percutitur. Dei agitari iam coeperat: Rex apud Frideslarense oppidum morabatur, vbi grauis infirmitatis apprehensus molestiâ cruciabatur: qui morbo inualescente in secretioribus locis naturæ, per singula momenta clamabat exanimari nimiâ pressus doloris grauedine. Suggestum est à fidelibus ob iniustitiam S. Remaclo illatam id illi non immerito contigisse, diuinam prouidentiam sui confesso-
Optimum fidelium consiliũ. ris iniuriam vlcisci in eo cœpisse: Porro si vellet hoc euadere iudicium, quod iniuste substraxerat sancto reddere non differret eius hæreditarium

A reditarium. Ille vt lubens sed tamen astrictus necessitatis articulo, adhibitis fide iussoribus Magũtino & Fridellarensi Episcopis, ac Duce Engliberto bonum hoc committit eorum Fidei sacramento, vt item eo recepto ab Archipræsule qui tunc aberat, manufidei sancto restituerent, cui abstraxerat.

Euocatur iterum Dominus Abbas ad curiam, fide iussores deliberationem fidei manus suæ fieri dant operam, sed Archiepiscopus scire recusat huius deliberationis cõuentionem habitam, illis alijsque Fidelibus nitentibus eum hoc modo persuadere; Non sine Dei iudicio id actum fuisse; tam salubre consilium non renui debere, quo remedium sanitasque Domino suo videretur peruenisse. Ille vt anguis lubricus ad latebras tendit, perspectoque aditu quo trilingue caput B efferat, inducias petit. Nam quâ nescio conditione inter se habitâ nil erat tam difficile, quod illi auderet Rex licet iurato abnuere. Sic & hac vice ad augendam nostrorum omnium miseriam obfirmauit ille in nos sui constantiam.

Rex illud amplectitur.

Archiepiscopus cõtradicit.

Etenim non multo post tempore visitatur & ipse plagâ non dissimili in occultioribus item naturæ. Torquebatur æger non immerito doloris angustiâ, sed durabat animo male fixa sententia. Cumque de vitâ disperatus de re nostrâ moneretur ab amicis (nam & falso rumore iam auditum erat apud nos de eius exequijs) dicitur pollicitus fuisse se facturum omne quod iustum erat fieri de bono videlicet cõfessoris Christi. Sed quomodo sperabatur ad voluntatem eius id posse fieri, non ita dispositum erat ex sententiâ altissimi, qui sine illo mirabilius id habebat operari.

Ille à Deo quoque percutitur in secretioribus partibus naturæ.

C

Archiepiscopo Treuirorum defuncto, inuentus cum illo quem inuitus substituerat Anno etiam ille proteruus Episcopus Spirensis, velut canis immundus colaphisatus cum dedecore propellitur.

CAPVT XVII.

D Archiepiscopus Treuirorum obierat, ipse præpositum suum eius loco substituerat. Pro qua re à Treuirensibus iustas odij causas sibi conscierat, quia spretâ eorum electione suam inuitis proposuerat.

Iubetur ille magniloquus Spirensis Episcopus conductum præbere nouo Archipræsuli, vt ille etiam diuino actus iudicio crimen infamiæ experiretur in se vindicari. Deuenit in villam Biettemburghe non paruus vtrorumque Episcoporum comitatus, quibus erat abunde supellectilium copiosus apparatus. Cumque dormitum esset, ecce aduocatus Treuirorum Theodoricus Comes cum hostili manu ir-

ruit, omnia vastat & diripit, ipsum nouitium pontificem inhumanè A
tractans in vincula conijcit, Spirensis autem Episcopus in Ecclesiam
secus altare se præripiens delituerat, qui requisitus inuentusque,
non immeritas soluit pœnas, ob vicissitudinem quam sancto irrogauerat
dum glebam nostram efferri tumidus proclamauerat. Nam colaphisatus & propulsus à sanctuario, velut canis immundus abstrahitur, & vt erat intectus nudisque pedibus, vili iumento impositus, sic ad sua redire præcipitur. Nec tamen ista sufficiunt eius iudicio qui per prpohetam loquitur: *mihi vindicta, & à me erit retributio.* Denique pro his quæ sibi non ex sententia obtigerant dolore & tristitiâ confectus plurimum, vitâ excessit infra illius anni curriculum. Quid illi de suo fecerint Episcopo hic nunc persequi non vacat, quantum ad nos attinet de his satis dixisse sufficiat. Attamen ad malum hoc B
illi à Deo in futuro non reputetur, propter quem tantum crimen tamque nefandum homicidium perpetrari potuisse creditur. Sed iam ad narrationis seriem redeamus.

Episcopus Spirensis iuste luit pœnas pro iniuria illata S. Remaclo.

Deut. 32. Rom. 12.

Iterum Abbas licere sibi reuendicare locum suum à Rege impetrat, Malmundarium repedat, & delato secum sancti corpore, oẽs & monachos & laicos sub sacramẽto prælato refrænat.

C

CAPVT XVIII.

EXacto tempore induciarum, quas acceperat Archiepiscopus, Dominus Abbas ad curiam redit in ipsis natalitijs diebus. Erat in ipsa celebritate Rex apud Bauenbergam ciuitatem, vbi corã eo & optimatibus eius, non insolito repetit proclamationis suæ mẽtionem. Sed obstinato corde, etiam renuente Archiepiscopo, totus penè conuentus curiarum Domino Abbati fauebat ex animo. Ipse Rex consentiens veritati, beneuolus erat ad reddendum bonum Christi confessoris, nisi quod in dubio erat, ne id faceret præter eam quam suspectam habebat voluntatem Episcopi. Nam ante hac D
infra ipsum annum, cum apud nos esset cum Reginâ, bonum hoc ipsi sancto per baculum ipsius reddiderant, cum etiam sacrum lipsanum expositum hac de causâ in medio, ipse reuehens in loco eius condignis laudibus relocauerat. Nos testes sumus qui audiuimus & vidimus hoc fieri, quamuis postea timore pontificis nefas illi fuerit hoc inficiari. Attamen nunc animaduertens Abbas tam eius beneuolentiam quam ipsius optimatum, aggressus est eum deprecari, vt saluâ eius gratiâ, tametsi nollet Episcopus, liceret ei reuendicare locum in ius proprium.

Rex consentit Abbati.

Auctor scribit visa & audita.

His iustis petitionibus Rege non renuente, imo cunctis assentientibus id

A tibus id iustum fieri debere, Dominus Abbas Malmundarium rediit, ac ne illud frustra per se videretur reuendicare, per ipsius præsens corpus, cuius prędium erat hæreditarium, maxime id fieri decreuit. Nos non inuiti statim illò maturauimus, sed viæ nostræ illos contradictores inuenimus. Vt enim auditum est apud illos de nostro aduētu cum sancto corpore, videres omnium rerum dubios trepidare, exangues pallescere, ac ne quasi vinculo debitæ seruitutis astringerentur, totis nisibus elaborare. Nam pudor erat eos dici, quod tamen diffiteri non poterant, seruos sancti Remacli, cuius reuera ipsi beneficijs & opitulationibus viuebant ingrati. Monachi laicos, laici monachos in hoc cohortabantur se inuicem, vt dño Abbati, qui aderat, contradicerent venerandi corporis susceptionem, aut si inuitis eis B per vim inferretur, ipsi de contra Monasterium vel locum egrederentur.

Abbas Stabulēsis vadit Malmundarium.

Qualiter se gesserint Malmūdarienses monachi.

Quibus Abbas cognitis, nunc blanditijs tum terroribus repressit contumaciam seruilis audaciæ, vt tandem acquieuêre sine offensâ Dñm suum suscipere. Cum ergo Dominus Abbas ad præsens celebraret mysterium humanæ redemptionis, ad laudes Deo nobiscum referendas, nec vnus quidem eorum interfuit missarum solemnijs: adhuc enim fidentes, de potentiâ Episcopi & suffragatione præsumebant, quia id eius non esse voluntatis non ignorabant.

Abbas agit Deo gratias cū suis.

Sic loco reuendicato, reuocatisque Abbas hominibus Ecclesiæ sub suo Sacramēto, itemque monachis licet infidis sub regulari instiC tuto, Stabulaus rediit nihil aduersi suspicans illos moliri de cætero.

Abbas Romam veniens apud Alexandrum Papam suas prosequitur causas, qui etiam pro eo suas Coloniæ mittit Epistolas, sed totum id fuit frustra.

CAPVT XVIIII.

D IPse paucos infra dies Romam petijt, Ecclesiæque nostræ priuilegia auctoritate Apostolicâ innouaturus, Alexandrum Papam Romanorum adijt. Illic pro se, pro loco, pro aduersis casibus, itemque pro iniustitijs, quas sancto Remaclo sibique intulerat Agrippinæ Coloniæ Episcopus, satis pro tempore causam prosequutus, grātam admodum consolationem inuenit ab illo & à reipublicæ consulibus. Nam ipse Papa relectis prædecessorum suorum decretis, non mediocre periculum agnoscit, Archipræsulis miratus tam sapientis viri deceptam prudentiam, tam inconsultè potuisse desipere in his. Itaque tam rogatu Domini Abbatis, quam pro eo quod sollicitudinem de omnibus, vt pote vniuersalis pastor gerere habebat, ex auctoritate Petri Apostoli in suis scriptis illi denunciat,

Alexander Papa consolatur Abbatem.

Archiepiscopus vir sapiēs in his desipit.

ciat, vt ne quenquam pro his iustè damnare habeat, vlterius alienis, quæ sui iuris non erant, vim inferre timeat. Multa (inquit) ex te bona opera ad sedem vsque Domini mei Petri delata cognouimus, quæ velut quadam nube mihi offuscari videntur his tuis præsumptionibus. Non ergo eget Deus offerri sibi quid ex iniustitiâ: *Quare sic fiunt ei victima ex rapinâ, quomodo si mactet quis filium in patris præsentia* ac ne dando videaris offendere Petrum, relinque quod sancto illi est proprium, cuius vicariâ vice Abbas Theodoricus nostrum implorat iudicium.

Admonetur officij.
Esa: 66.

Horum exemplar ab ipsius legato cum accepisset Archiepiscopus, non magis quam adamas ferro emollitur eius animus. Nam cum Romam iter ageret Abbas, necdum excesserat patriâ, cum Malmûdarienses de his quæ erga se & locum acta sint, illi mandauerant omnia. Et quia tunc non erat ipse in prouinciâ, dicuntur Gerlasio procuratori eius dedisse præmia, vt ex ipsius nomine cito reuendicaretur locus vice contrariâ. At tum his ille cognitis animi sui constantiâ retinens iracundiam, veniebat de loco Sareuelt, quo tunc morabatur, quasi aduersus locum nostrum sui vindicaturus iniuriam. Ferebatur etiam tunc decreuisse formari castrum in eisdem Malmûdarij munitionibus, quas sibi contrarias ante firmauerat dum aduiueret Dux Fredericus. Sed ne id faceret dissuasus amicorum consilijs, alia via parat vlcisci suam iniuriam aduersis iniurijs.

Non mouetur.

Gerlasius procurator Episcopi accipit pecuniam à Malmundariẽsibus.

Gerlasius procurator Episcopi, ex ipsius nomine iterum inuadit Malmundarium, sed audito rumore incerto citius festinat reditum.

CAPVT XX.

IGitur Gerlasius Malmundarium iterato inuadens ex nomine Pôtificis reuendicat, non veritus manum inexpertam possidentis ipsum locum. quem protegendum adhuc ex toto non reliquerat. Neque enim, vt nunc palam est, quis vnquam illi auferre poterit, nisi quod absit *pro præsentis inhabitantium ipse primum vt* Hieremias ait, *hereditatem suam vlcera non curans reliquerit.* Ac non ideo toties calumniando, toties remancipando, manum alienam super se patiebatur, quasi inualida manus eius ad defensionem illam deficere videretur, sed volens in aduersis corripi seruos suos ad tempus, quos videbat ex somnolentiâ labi in deterius, præuidebat oportuniori tempore recedentes etiam aduerso humero, ad se retrahere beneficijs & mirabilibus.

Hier 12.
Deus ad tẽpus suos corripit.

Vix patratis his pro quibus venerat miles temerarius, monachis etiam non minus quam laicis, vt pote in quorum arbitrio res huiusmodi

A modi pendebat, relapsis ex voto sub alienis ditionibus, difficile moras in redeundo patiebatur fugiens fure properantius. Nam rumor exierat tanquam ex nostris partibus multum exercitum superuenire, quo terrore perculsi per fugam . . . . . . se inuicem adeò debilitauêre, vt equis deficientibus ad sua quisque vix posset proripere.

Abbas à Roma reuertitur parum Epistolis Apostolicis adiutus, imo per Fredelonem quendam acrem virum persequutio ipsi & nobis innouatur, & per Gerardum, qui B *Deo iudice postea est pessundatus.*

CAPVT XXI.

INterea Dominus Abbas reuersus de sede Apostolicâ nil certi ad nos retulit præter auctorisata priuilegia, nam & epistolam illam, cuius exemplar penes se habet, quam dicebāt ab Apostolico missam esse Archipræsuli nil profuisse persensimus rerum nostrarum vtilitati.

Fredelo ab Archiepiscopo fit aduocatus Malmundariensis.

Post hæc Archiepiscopus Cuōradum Comitem suosque familiares de sui fidelitate admonet, vt in Abbatem eiusque fideles suas C vlcisci iniurias operam dēt. Sed cognitam in Abbatem & Comitem grauiter ferebat amicitiæ conuentionem, infidelitatis arguens suum militem, quod iniussu suo inimicis suis communicans non satis ageret pro se vicissitudinem. Quare aduocationem Malmundariensem ex nomine suo vice illius Vicarij commendat acri æque viro, Fredeloni vt oportunior acriorque insisteret loci illius defensioni. At ille acceptâ potestate, tanquam maiorem adepturus ob hoc gratiam aut præmium, toto adnisu cum suis inuigilat dies noctesque ad huiusmodi negotium.

Maxima iterum nostris incumbit persecutio, adeo vt seruos se esse D S. Remacli, non nisi discrimen passuris, libera esset professio. Vnde & quosdam ex melioribus Ecclesiæ diræ captionis pergrauauit infestatio. Sed sic valeant omnes in nos volentes exurgere, quo modo ille gaudere habet cum suis ob hoc pulchrum facinus in sanctū Dei surrexisse. Nam defluxisse liquet hunc de bonâ famâ ad infamiā, itâque ex magna opulentiâ ad inopiam. Præterea suorum quendam intolerabilis audaciæ nomine Gerardum, qui ad cædes & incendia non minus quam ad prædas & latrocinia promptior efficatiorque in nostros efferebatur, velut animal rabidum diuino potius quam humano iudicio constat pessundatum.

Gerardus diuinam experitur vltionem.

CAPVT

A

Episcopus Romam proficiscitur, Abbas eum insequitur: ante Papam & Senatum discutiuntur; ad vltimum, sine aliquo nostro profectu dirimuntur.

CAPVT XXII.

POst hæc Episcopus non diffidens suis viribus tanquam austeritate suâ deuictis omnibus, nam & Regem acquiescere fecerat, ne de hac re se interpellaret vlterius, Romam parat profectionem, quasi ab Apostolico recepturus super hoc bono, priuilegij au- B ctoritatem.

Archiepiscopus & Abbas pergunt Romam.

Dominus Abbas satis vtiliter necessarieque consultus à suis fidelibus, decernit illò pariter adesse, auctoritate videlicet maiorum cōtradictionem illi facere. At ille regiâ legatione functus, ibat potens per Italiam quasi perfecturus Regis negotiū, sed longe aliter ac ratio erat, ea res cessit in dubium. Ventum est ergo ad beati Petri confessionem, sed Abbas preueniens, eisdem, quos ante adierat, eandem repetit proclamationem, de qua re sane consultus à Domino Apostolico, aduenienti Episcopo in satisfactionem se exhibens, humiliat coram ipsius scilicet altari cuius deuotionis gratiâ veniebat. Sed, prò nefas! neque timore, nec amore dulcissimi Petri dolentem consolari, C humiliatumque non respexisse dignatum dicitur, imo cum eâ pertinaciâ ad celebrationem diuinorum sacramentorum progreditur. Rursus inter ipsa sacramenta quæ celebrat, Abbas efflagitans se miserari humiliat, sed neque sic à suâ sententiâ pertinax animus discrepat. Ipse vt iussus erat, si non impetraret, ad sedem Apostolicam reuertitur. Papa cum suis non magni pendens illius religionem, hanc impietatem execratur.

Abbas humiliat se coram Archiepiscopo, sed frustra.

Vterque apud lateranas ex eius præcepto ad publicam audientiā inuitatur, habebat præterea Apostolicus in Archiepiscopum iustam causam iudicij, quod suo iniussu cōmunicauerit æmulo suo Parmensi videlicet Episcopo, quem anathematis perhibebant subiacere iudicio. Igitur ex Senatus consultu iubetur ob hoc arceri à conspectu D Papæ totiusque Romani Concilij, nisi publicâ satisfactione purgaret offensam, quam commiserat contra ius honoremque Vicarij Petri Apostoli. Pro quâ re ille consultus, prò delicto conductu Marchisæ Beatricis nudis pedibus procedit in publicum, postque satisfactionē, datâ indulgentiâ, suscipitur in consortium.

Archiepiscopus publicam agit pœnitentiā & quare.

Illic Dominus Abbas coram Romanæ Ecclesiæ iudicibus ac reipublicæ consulibus exponit omnia, quibus ille tenebatur obnoxius, omnem videlicet supplantationis consequentiam, præterea contra fas vsurpando bonum S. Remacli, factam ab eo iniustitiam, postremo tam

A mò tam præsentis Papæ, quam antecessorum auctoritatem decretorum violatam. Quibus ille ex conscientiâ tanquam reus facti confusus expallet, ac maximè omnibus in conuentu illo id iniustum proclamantibus. Pauca ex industriâ loquutus, satis pro se ad præsens respondet Legato Regis Romanorum per dedecus inferre vim vllam non debere: præterea vt cōcessa sibi dono regio perderet, non ideo se illuc aduenisse.

Cùm ergo rogaretur à Papâ, vt amore beati Petri, suique in illo iustam humanitatem faceret, spondet se omninò facturum, dum in patriâ coram Rege vterque veniret. Igitur post hæc & alia quamplurima, discessum est ab vtrisque de Italia. Attamen nil horum obtinuit Episcopus, quarum maximè rerum ierat gratiâ. Reuersus B in patriâ, non solum quæ promiserat fecit irrita, verum & ipsum Regem despectum aiebat in suâ iniuriâ, vt in Abbatem illius animū graui permutaret inimicitiâ. Sed de diuersis partiū studijs, itemque de Abbatis nostri laboribus maximis, postremò de qualitate totius aduersitatis, si singillatim differere velimus tempus quam res non deficiet maturius. Quamobrem his finem facere, quæ mœroris plena videntur tanquam earum rerum tœdio fessis animo libeat: ad ea verò quæ gaudij sunt & lætitiæ propensius accingi non pigeat.

Finis libri primi.

Soli Deo honor & gloria.

LIBER SECVNDVS A
DE TRIVMPHO ET MIRACVLIS SANCTI REMACLI.

PROLOGVS. B

IN TEXTV prioris operis de aduersis casibus, qui nobis obtigerant tristem admodum expleuimus historiam, exercitium verò sequentis operis ex secundis rebus, quæ ad glorificatiorem sui confessoris à Deo successerunt, iam nunc percurrat
Math. 28. Luc. 24. Ioan. 20.
parem Apostolorum ex resurrectione lætitiam. Quemadmodum enim illis tristibus magistri sui morte, gaudere contigerat in ipsius resurrectione, nihil nobis minus æquè tristibus, C
& iam quinquennio & eo amplius afflictis, prouenisse quodammodo gaudemus, ipso eodemque tempore, in confessoris sui tam admirandâ glorificatione. Tu verò noster Domine Theodorice Abbatum reuerendissime, lætioribus videndum animis accipe & hoc opusculum, inculto quidem stylo
Auctor religiosus Stabulensis.
ex archa nostri ingenioli prælatum, sed tuo maturiori sensu examinando, corrigendum. Petimus ergo tuâ corroborari auctoritate, priusquam in publicas aures diffundatur incorrectâ garrulitate.

D

CAPVT.

A

Quod in progressu versus Leggiam baiuli corporis S. Remacli conquerebantur se trahi à præcedentibus, præcedentes se impelli à posterioribus.

CAPVT I.

Regalis curia condicta erat Legiæ celebrari, dominicæ videlicet resurrectionis adueniente tempore solemni. Illic omnes qui habebant causam iudicij iussi sunt conuenire de singulis parti-
B bus Romani Imperij, inter quos etiã cœnobialis pater Theodoricus aderat, cui Rex de damno Ecclesię placitum illic indixerat, vt si vllo modo flectere posset Annonem Archiepiscopum, qui sibi Malmundarium, quod S. Remacli iuris est, cum omnibus appenditijs suis vsurpauerat, ipse iuberet & laboraret reddi quod abstulerat.

Curia regalis Leodij celebratur.

Prædictus quoque pater noster pro eo quod in vanum plurima dederat de Ecclesiæ thesauris, tandem affectus tœdio, & diffidens omnibus humanis auxilijs, licet sero, seniorum nostrorum acquieuit consilijs; quibus placuit ad eandem curiam corpus deferri eiusdem S. Remacli nostri protectoris, in quâ villâ quondam ipse præfuit magister pontificalis honoris. Quo consensu voti compotes facti quod inceperant ad effectum, prouidentiâ Dei suffulti, producere maturabant. Sed aliquantulum nostrâ profectione tardante, Dominus Ab-
C bas pridie processerat nosq; dignè tractato sacro corpore sequi mandauerat. Quapropter in exitu nostro cum progrederentur celerius anteriores baiuli sacri corporis, quam sequentes possent ferre labores itineris, conquerebantur posteriores se trahi à præcedentibus, itemque præcedẽtes se impelli à posterioribus. Ductis namque diuino impulsu sacris reliquijs, prohibiti sunt portantes immorari vestigijs. Vnde non dubitabatur S. Remaclus S. Lambertum velle visitare, cui pridem in carne factus est ipse refugium singulare; vt quomodo alteri compassus est in persecutione, ita nunc alter alteri subueniret in redimendâ possessione. Quippe satis euidenter ostendit
D eorum subsecuta coniunctio, quam pia coniunctione illam præcederet intentio. Ex eorum denique sacratissimâ societate corporum, nobis quidem incomparabile gaudium, infirmis autem & debilibus peruenit salubre suffragium: Verum hæc alias.

Abbas diffidit de humano auxilio.

Experiri incipit diuinum.

A

De reliquijs S. Symetrij, & quod per noctem in aëre via ostensa sit ab oratorio Stabulensi vsq; ad domum S. Lamberti.

CAPVT II.

Reliquiæ S. Symetrij Leodiũ delatæ.

CVm autem venissemus in villam nostri iuris Louincias nomine, S. Martyris Symetrij à Ladernaco nobis obuiam delatas reliquias suscepimus honorifice, quæ non frustra in nostrum adiutorium simul delatæ sunt Leodium cum sacro patroni corpore, sine dubio adauctâ omnium spe ex vtrorumque dignâ præsentiâ, profuturæ nobis Dei Misericordiæ. B

Signum mirabile.

Nobis igitur illâ nocte in villâ eadem cum sacris reliquijs quiescentibus, hora matutinorum ostensum est Leodij quibusdam signũ mirabile, S. Remaclum eo deferendum nescientibus. Videbatur ab oratorio Stabulensi vsque ad domum S. Lamberti quasi quædam via lucida splendifero tractu in aëre protẽdi. Cuius rei species quid pertenderet dum videntes mirarentur, ilico tanti hospitis aduentu soluebantur, cui rem visam procul dubio seruire fatebantur.

Auctor venit Leodium cum reliquijs Sãcti.

Nos quoque primo gallorum cantu surgẽtes de loco in quo quieuimus, difficultatem viæ sine labore & impedimento faciles gaudentesque peregimus. Nec deerant inter eundum laudes dñi per posse & nosce comitantis populi. C

Timor humanus Theoduini Episcopi Leodiensis.

Non longe tamen ab vrbe præstolabamur nuntium præmissum ad Dominum Abbatem, qui reuersus nuntiat præter spem fidemque procedendi fieri contradictionem, nec audere dñm antistitem nostrum Theoduinum venerabile corpus S. vt dignum erat suscipere, quia timebat id indignanti Metropolitano displicere. Nos tametsi res in dubio pendere videbatur, tamen diffidentes properanter illo progredimur.

ANNOTATIONES.

S. Martyris Symetrij à Ladernaco nobis obuiam delatas reliquias suscepimus:] *De hoc martyre Symetrio sic Molanus loquitur in natalibus Sanctorum Belgij* : Ad 26. Maij Romæ sanctorum Martyrum Simetrij & aliorum viginti duorum. Cum enim titulo quem pius Papa construxerat apud Praxedem latitaret & diuina misteria celebraret, Antonius Augustus eos absque vllâ interrogatione gladio puniri præcepit in eodem titulo. Quorum corpora Praxedis collegit & sepeliuit septimo calendas Iunij. Ladernacensis Ecclesiæ historia addit eum in infantiâ à beato Materno esse resuscitatum, eaque occasione Albanam eius matrem cum prole Fidei sacramenta suscepisse, eique nomen dedisse Symetrium sextum Comitem de Salmis apud Tungros, D

que m-

A quem paulo ante sanctus Maternus baptisauerat. Cæterum sanctus Babolenus qui Remaclo successit, corpus è Roma Stabuletum attulit, & in primariâ Monasterij hæreditate Villa de Lierneu, siue Ladernaco congruo honore collocauit. Fuitque decretum, vt prædicta Villa se filiam Ecclesiæ Stabulensis recognosceret, sub censu vnius esterlini ex qualibet domo persoluendi: & vt sarcofagum Martyris annue nonâ die Maij Stabuletum cum hymnis & processione in indicium filialis subiectionis deferrent. Fit autem mentio loci & Martyris, in libro vigesimo miraculorum Remacli, qui Notgeri est Leodiensis Episcopi: Fiscus (*inquit*) Ledernans nostro Monasterio addictus est. In eo Ecclesia est sancti Symetrij, & aliorum, virtutibus illustris.

B

Leodiensis Episcopus corpori sancto obuius procedit, & cum Clero omniq; populo honorificè suscipit.

CAPVT III.

INterea Episcopum adeunt, iniuriam Sancti grauè ferentes Archidiaconi, ac de domo quique sanum sapientes Clerici, protestantes præter æquum bonumque id fieri: consulere debere non mi-
C nus sibi, quam etiam totius vrbis saluti, vt tantus pastor quondam eorum mirificus, inter præcipuos Galliæ sanctos famosos honorificè, vt dicebat, susciperetur cum Dei laudibus.

Item ipsi adeuntes Archiepiscopum ad consensum flectere nitebantur eius animum. Qui licet alias aliter sentiret, in hoc tamen ne tam iustæ cunctorum voluntati contraire videretur, præbuit assensum. Ilico parat se ad procedendum cum omni clero suo Dominus noster Episcopus, Metropolitano remanente in palatio cum sibi cōsentientibus. Fiebat nobis interea maxima impressio vndique cum laude Dei populis accurrētibus, in quâ nec modice quidem lædebatur quisque ex conuenientibus, cùm multi vi substernerētur impel-
D lentium pedibus.

Archidiaconi bonum præstāt officium.

In quo conuentu, quis abstinere potuit à lachrymis, cum vnus ex militiâ cœlestis Imperatoris iam diu palmam obtinens perennis gloriæ & immortalitatis, expetendæ iustitiæ causa videretur adire curiam hominis Regis? Maxime clericorum super hoc iusta erat cōsideratio, quorum corda ad lachrymas compunxerat de tantâ iniustitiâ pia compassio, itemque de humiliatione tanti confessoris, non sine pauore digna admiratio.

Idem facit Theoduinus Episcopus.

Cæterum Dominus noster Episcopus, licet ab initio huius mali, satis pro tēpore, re, & consilio sese impēderit, nunc tamen cū optimis

 clericis

clericis suis, cum ducibus & præsentibus cœptis id annitendo totum biduum impensius peragit, quatenus Regem & Archipræsulem A vtrosque huius facti reos ab incepti sententiâ deduceret.

ANNOTATIONES.

Cæterum Dominus noster Episcopus licet ab initio huius mali:] *Theoduinum intelligit, quem superiori capite timidioris fuisse animi indicat, modo instinctu Archidiaconorum & aliorum prælatorum animum resumpsisse, & toto biduo pro recuperando Malmundariensi cœnobio insignem operam nauasse significat.*

B

Regem de iniustitiâ pœnitet: Episcopus Vercellensis Archipræsulem super hoc monet, ille negat constanter.

CAPVT IIII.

ADmodum quoque pœnitebat Regem in eas manus hoc bonũ tradidisse, à quibus cum vellet non præter iniuriam poterat retrahere: quem etiam susurrabãt parem esse in crimine propter lapsus imperialis potentiæ. Nam ipse Archiepiscopus eò inflexibilem offirmauerat animum, vt si quando de hac re consuleretur, displiceret ei cum auctore omne consilium. Episcopus Vercellensis quasi familiarior rogaturus de hac re illum adijt, ac ei persuadere cupiens, hæc auribus eius humillimè suggerit: Si iustis, inquit, consi- C lijs summe Archipræsul acquiesceres, tuæque saluti rite consuleres, iustissimũ videretur oportere te honorem Deo facere, Sãctoq; huic iustitiam impendere, quam iustè videtur expetere. Agnouimus id iniustum esse quod agis, agnouimus & ob hoc tibi imminens periculũ, ni sententiam mutaueris, eoque monemus, vt rectum suum recognoscas S. illi, cui hoc adiudicat consensus principum totiusque populi: hoc vult ipse Rex magnopere, qui non frustra timet inuolui eodem discrimine. Quid sanè consilij referam edicito, nam ad te consulendum veni transmissus ab illo: Ille refert motus sic indignando D loquutus. Desine me his, frater, & coëpiscope, desine me his importunè obtũdere, quibus animo nil grauius vnquã fuit intẽdere, nã definiui apud me sub iureiurando velle me satius emori, quã ex me infirmari sententiam huiusmodi. Quid tibi vis dicam? non his mutabimur vnquã. Etiã ipse quẽ dicũt sanctũ si corporali specie resumptâ, per se rogaturus veniret, nequaquam meo permissu suæ petitionis compos fieret. Bona, inquit ille, bona quæso verba, ne ad pontificalis ordinis infamiam in publicas aures diffundantur hæc minus honesta, vel etiam occasione huius sententiæ, abutantur potentes cæteri quasi quadam auctoritate. Ergo etsi non precibus neque con-

Consilium sanũ Episcopi Vercellensis.

Mira Archiepiscopi pertinacia.

A filijs amicorum, tamen credimus te id vel virtute Dei facturum. Si hoc, ille inquit, dum vita comes fuerit de manibus istis videris ereptum, spiritum simul eripi sit à Domino præceptum. O mira Dei clementia, sanctique confessoris sui patientia, non statim cum ereptâ possessione subsecuta est vindicta, licet secundum suam optionem Archipræsul pateretur iudicia recta: sed non est Deus vt homo gratis propicians conformari limo.

Fratres pedibus suis prostratos ad S. Ioannem in insulâ Archipræsul dimittit sub responsione incertâ.

B

CAPVT V.

IN crastino qui dies erat Dominicæ resurrectionis nostri seniores ad templum S. Ioannis in insulâ vbi dedicationis eiusdem templi agebat mysteria prostrati pedibus eius, *misericordiâ Domini* (inquiūt) *plena est terra*. Ne ergo alienum ab illâ te contingat fieri, fac eam, quā querimus misericordiam, vel ob nomen Domini. Ille non præter solitum vsque cautâ locutione dubios dimisit sub incertâ responsione. *Psal. 117.*

C

Ad Deum intenta supplicatio & clericorum ac laicorum intuentium pia compassio.

CAPVT VI.

IGitur ipsâ die conuocatis principibus & Episcopis coram Rege ad placitum præsente Domino Abbate nostro cum Archipræsule cœpit de nostra re agitari consilium.

Interea cum præ foribus præstolaremur rei euentum, incidit nobis omnibus his melius consilium pro instanti necessitate auxiliatori Deo soli magis esse supplicandum. Itaque assistentes in spiritu humilitatis sanctæ trinitatis altari, super quod iacebat venerabile corpus pijssimi nostri patroni: *Veni creator spiritus* vsque ad finem hymnificauimus, quo cum dulcissimâ supplicatione perfinito, septem psalmos cum litania percurrimus animo contrito. Deinde processionem fecimus decantando *Magna vox laude &c.* ad sanctum Lambertū in criptâ. Inde ad sanctam Mariam cum responsorio, *Christi virgo dilectissima*; vnde & reuersi sumus *ad S. Trinitatem* cum antiphona *Te Deum Patrem ingenitum*, subsequentibus alijs orationibus ad impetrandū eiusdem S. Trinitatis auxilium.

D *Supplicatio.* *Cantatur veni sancte Spiritus.* *Litaniæ.* *Christi virgo.* *Te Deum Patrem.*

At verò

At verò quique clericorum ac laicorum intuētes vultum nostrorum immutatumque colorem indicantem internum animi dolorē mente vulnerabantur, confluentesque publicâ supplicatione nostri similes efficiebantur. Protendentes ergo manus in cœlum vniuersi deprecabantur Deum nobis propitium fieri. Non modica verò erat nostrorum obsecratio, imo & trepidatio, pro eo quod in contemptum venire tanti confessoris videntes reuerentiam, loci desolationem timebant affuturam, amplius insultantium perpessuri blasphemiam.

Timor irreuerentiæ erga S. Remaclum.

A

Sed qui non obliuiscitur misereri Deus, extulit hac occasione sanctum suum sublimius.

B

Scrinium sancti cum Sonitu ab altari subleuatur & inde consolatio plurima cernentibus datur.

CAPVT VII.

POst expletam namque supplicationem, quæ prædicta est, ambiētes Regis præsentiā, vt coram fandi saltem cōsequeremur licentiam, manifestè Regis omnipotentis experti sumus prouidentiam, per virtutum suarum insignem & admirabilem potentiam. Etenim scrinium sancti, quod impositum erat S. Trinitatis altari, cum repentino sonitu visum est in aëra subleuari. Quod nimirum in admirationem promouerat eos qui astiterant, quique vnà cum custode Sanctarum reliquiarum excubias celebrabant, & quod visum est dignâ fide nobis dubitantibus exponebant. Vndè plurimum consolati, toto nisu Deo commendauimus finem facti.

Dei mira prouidentia.

C

ANNOTATIONES.

Etenim Scrinium sancti quod impositum erat sanctæ Trinitatis altari:] *Ex hoc capite desumpsit Aegidius Aureæ vallis secundum caput Gestorum S. Theoduini, quod incipit:* Anno 1071. 7. idus Maij, 6. autem dissentionis Malmundariensis & Stabulensis cœnobiorum, &c.

D

Regem super prandium Fratres Circumueniunt, Bauebergensis Episcopus iustitiam protelat in crastinum.

CAPVT VIII.

CVm ergo moras nobis protendi ab Rege & Archiepiscopo intelligeremus (nam & Dominus Abbas iam dixerat nil certum sibi tractari ab aliquibus) consilium hoc in commune inimus, vt adeun-

A vt adeuntes Regem pro nobis ipsi vt res poscebat, coram eloqueremur. Intrantes itaque pomarium, vbi Regali magnificentiâ discũbebat Rex cum suis optimatibus ad prandium, assistentesque cum piâ supplicatione, vni commisimus præloquium.

Rex, inquit, Domine felix per sæcula viue,
Et Victor regnes velut optamus Stabulenses.

Suggerimus humiliter tuæ Majestati, vt quod facto opus sit, videas; & quid commiseris in sanctum Dei, cui seruimus, recognoscas, factâque recognitione cum patribus tuis in æternum viuas. Obsecramus quoque te pro statu regni quod possedisti, pro bono sancti, quod cupiditate quorundam deprauatus infirmasti, quodque sibi contulerunt & confirmauerunt potentissimi prædecessores tui, quod etiam B inuiolatum & inconuulsum permansit, vsque ad hæc tempora tui Domini, vt sic præcipias illud restitui, quomodo priuilegia testantur Monasterij: vel si secus vis fieri, erit tibi causa periculi. Locus enim noster quondam honorabilis & opulentus videtur, penitus desolari tuis temporibus, quem ante te coluerunt Imperatores summis honoribus. Contrariâ namque illatâ conditione, vndique distrahuntur illius optima quæque. Ergo ne consistas illis inferior, vel in aliquo regni statuto deterior, *plantetur in corde tuo iustitia, & firmabitur Thronus tuus in secula.*

Stabulenses religiosi per se Regi loquũtur

Oratio Stabulensium ad Regem.

Prou. 25.

Rex autem cum in Archiepiscopum intenderet, quasi docendus ab ipso quid fieret, ipseque cupiditate boni tentus conticesceret, apC posuit adhuc noster orator, vt diceret: Quid Domine Rex propter hunc solum hominem obmutuisti, cui contra decus Regni indecenti discipulatu te subdidisti? Conuersusque ad circum sedentes. Quid vos, inquit, Episcopi regnique optimates; cur coram conticescitis pro iustitiâ loqui timentes?

Admonent Regem officij.

Et regni optimates.

Ad hæc vultu mutato Archiepiscopus, quid (inquit) vobis auferendo admisi reatus? aut quo sancto viro sum obnoxius? Nil causæ ad impetrandum habentes frustra nitimini, quia nihil vnquam vestri iuris attigi. Ille è contra, non nisi rectum iustâ causâ querimus, præbendam scilicet nostram, quam inconsulte, annuente Domino Rege inuasisti temerarius. Qui enim ab initio constructa hæc duo cœnobia præsul & Abbas rexerat, sicut in ambobus constitutis cor D esse vnum & animam vnam voluerat, sic vt vna esset præbenda omnibus ætatum successionibus tenendum reliquerat. Sic ergo & nos velle tenere non est iniustitia, sed te abstulisse quantum nefas vide, quantaque sit iniuria. At Episcopus Banebergensis, qui prouisor Regiæ domus erat tunc temporis, si iusta est (inquit) vestra petitio, cras Dominus meus statuit examinari id generali iudicio, non enim patimur quicquam iniustum crescere in eius imperio donec auctoritas huius ordinis Reip. aderit consilio.

Archiepiscopus respondet.

Illi Archipræsuli.

ANNOTATIONES.

Vbi Regali magnificentia discumbebat cum suis:] *Allatas fuisse ad Regem sancti Remacli reliquias cum pransurus discumberet, testatur disertis verbis Lambertus Schafnaburgensis, sic enim ille:* Inito consilio (vt fertur) diuina ad hoc reuelatione incitati, ossa beati Remacli leuant, Leodium deferunt, & Rege celebri quodam loco conuiuium agente, super mensam ipsam apponunt. A

Corpus S. in præsentiarum afferunt super mensam & de inducijs conquerentes, petunt iustitiam. B

CAPVT IX.

HIs Episcopi verbis increduli, imo dubij facti de crastino, quia nihil satis festinatur cupienti animo, corpus patroni nostri in præsentiarum afferre necessarium duximus communi cõsilio: quo ex improuiso exposito super mensam regiam; en, diximus, ipsum cui Rex facis iniustitiam, recognosce ergo ei, quod totus orbis ipsi adiudicat proprium; eccè pro ipsâ iniustitiâ tuum super terram requirit iudicium: vide ne negligas, vt non in cœlis aduersum te quærat iudicem Deum. Propter te (inquit Rex ad Archipræsulẽ) fit nobis hæc importuna inuectio. Sed quamdiu præter morem maiorum meorum hæc pati habeo? Animaduerte quod nisi mutatâ sententiâ aliud decreuerimus, de salute nostrâ periclitari ob hoc in proximo poterimus. Sed illo nil nobis proficuum ad ea respondente sed magis pronunciante nos nimiæ præsumptionis & audaciæ. Rex iterum sponsionem fecit per inducias in crastinum, se nobis omnẽ iustitiam pro voto nostro facturum, non esse, inquiens, oportunum tempori rem diffinire talis negotij. Identidem omnis consessus Episcoporum hortabatur, rogabatque, vt interim referretur in templũ corpus venerabile. Incertum est, diximus, quid paritura sit dies crastina, dum modo æque benè facere non minus sit licitum imperiali potentiæ. Pro salute suâ itemque pro stabilitate sui imperij Regem petimus ne diutius nos suspendat his induciarum dilationibus. At bonæ indolis Regina coniux ipsius, cum prodesse quidem nõ posset, lachrymas fundebat pro precibus.

Rex offensus Archipræsuli. C

Pertinacia Archipræsulis.

D

Regina pro precibus fundit lachrymas.

ANNOTATIONES.

Recognosce ergo ei quod totius orbis ipsi adiudicat:] *Huius obsecrationis religiosorum Stabulensium, meminit quoque Lambertus Schafnaburgensis his verbis:* Obsecrantes (*scilicet Religiosi præfati*) per Deum, vt si minus filiorum, saltem patris tanti insereretur iam cum Christo regnantis, & de iniurijs suis quotidie ad tribunal æterni Iudicis proclamationem facientis.

CAPVT

A

Regem & Episcopum à Mensá exilientes insecuti fratres, à palatio sunt prohibiti, & relato corpore super mensam fabrica ipsa solo decidit.

CAPVT X.

CVm persisteremus in his petitionibus, & hac luctâ, Archiepiscopus exurgens apprehensâ Regis dextrâ, Quid (inquit) Rex ignominiose hic sedes? Assultum tibi fecerunt cum suârusti-
B canâ manu hi procaces monachi, vim inferentes contra fas regiæ potestati, quasi ad cogendum nos obtemperare suæ voluntati. Non tui est honoris temeritatem illorum diu spectare, quos etiam pudor est palam audire. Sic Rex spretâ mensâ prosiliens cum suis omnibus, inconsultos nos, sed non defessos reliquit & ipse inconsultus: habẽtes nobiscum illam fiduciam, quâ nil poterat esse securius: quid tũc fieret in promptu non erat consilium, nisi Regem, pro quo veneramus, si fortè prodesset, abeuntem sequi in palatium; quo dum fuisset peruentum, præcedentes cubicularij indignam sancto fecerunt repulsam ad introitum. *Cubicularij Regis iniuriam faciunt sancto.*

Quis verò planctus repentè quantusue mœror excreuerit nostrorum omnium, quantus denique in cœlum clamor popularium, qualesque voces hanc iniustitiam Deo proclamantium, quis fluctus elo-
C quentiæ, quæ lingua potest euoluere? Cum quo inter hæc non pateret aditus quoquam honestè progredi? Nam vndique clausum erat pomarium confluentiâ tumultuantis populi, monentibus ipsis curialibus, qui erga sanctum & nos benigne se habebant piâ miseratione commoti; relatum est corpus sancti ad eundem locum super mẽsam regiam sub aspectu omnium miserabili. Quod æstimandum videtur non præter voluntatem ipsius confessoris Domini. Nam statim vt materies illa insensibilis quodam modo sensit sancti Lipsanũ, quasi non ferre præualens pondus illud diuinum, facillimè instar cereorum dissoluta est in frusta, videlicet firmissimum robur illud
D tripodarum, demissumque ad terram humillimè iacuit ipsum pignus sacratissimum. Implebatur ilico de viciniâ & totâ vrbe vtroque sexu amplitudo totius illius pomarij, multiplicabatur in cœlum clamor dolentis populi: Cur Iuste Domine iniustum hoc sinis in terra fieri?

ANNOTATIONES.

Sic Rex spretâ mensâ prosiliens:] *De hoc Lambertus Schafnaburgensis sic loquitur:* Hoc supplicationis genere quod ad captandam beneuolentiam comparatum fuerat, Rex versâ vice nimium efferatus, concitus se

citus se relictis epulis, in palatiū proripuit,& quo exēplo in Abbatem A tam audacis facti incētorem animaduertere deberet, plenus irarum cogitabat.

Tibia Gonteruli oppressa & contrita resolidatur & vsq; ad fores regias producitur.

CAPVT XI.

Frangitur Gontero tibia.

IN eius itaque, quam diximus, humiliatione, quidam ex nostris seruientibus ipsius familiæ dum mensæ inuisus, pedem supposuit incautè, ex ruinâ molis irruentis fractum crus ad se non potuit retrahere: iuuantibus verò socijs seorsum extractus, subtritam pelliculam perquam pes pendebat præcidere volebat dolor constrictus. B Gonterulus erat nomen seruuli, qui premente angustiâ temerè aiebat, quasi derogando sancto confessori: hæccine est virtus tua, mi Domine, vt quod inimicis tuis promerentibus forte differebas facere, mihi tuo fideli, tibi obsequenti maluisti contingere? Necdum verba finierat cum subitâ factâ ossium collisione, ex diuinæ virtutis cooperatione resolidatur fracta tibia, surgensque sanus stetit vtrisque pedibus velut insomnis exactâ angustiâ. Cucurrerunt vndique plurimi ad hoc miraculum, multi etiam ex palatio conuenerunt ad hoc spectaculum. Ad comprobandam igitur rem diuinæ operationis discalciari iuuenem fecerunt, & in loco læsionis pro cicatrice quoddam signum instar rubri fili tibiæ circumducti non sine admiratione conspexerunt. Rei ergo veritatem ad Dominum suum Regem continuo retulerunt, ipsumque vsque ad regias fores pro teste deduxerunt. Sed propter impressionem concurrentium, non est admissus in medium. C

Insultat S. Remaclo.

Sanatur miraculosè.

Cæca mulier ibidem illuminatur.

CAPVT XII. D

Aliud miraculum.

INtereà clarescentibus meritis glorificandi confessoris, factum est quoddam aliud mirabile in præsentiâ videlicet omnium qui aderant in ipso loco quo corpus iacebat venerabile. Cœca mulier de proximo Leodij territorio deducta stabat ad venerationem cum piâ supplicatione, quæ noctem continuam cœcitatis se incurrisse deplorons iam longo tempore.

Dicitur exclusis lucem meruisse tenebris.

Hæc accipiens crucem quæ ibi erat, nemine sibi dante cœpit venerabiliter deosculari, ac sic omnibus prædicare factā in se virtutem Confessoris Domini.

Anno-

Annotationes.

A Intereà clarescentibus meritis:] *De subsecutâ hac miraculorum multitudine fidem facit & Lambertus Schafnaburgensis, sic enim ille.* Ita deinceps per totam noctem sequentemque diem tanta circum sanctum corpus coruscabat miraculorum multitudo, vt corporali quodam modo proclamatione videretur B. Remaclus ius suum expostulare.

Regem perturbatum Episcopus obiurgat, referri corpus ad Sanctuarium imperat, & tandem missis cubicularijs id fuit frustra quoniam velut saxum immobile perdurat.

B CAPVT XIII.

CVm hoc vtrumque factum celebre diuulgaretur in palatio, & Rex, in re aliquid diuini operis inesse intelligens, non frustra timeret ne sibi repentè diuina superueniret vltio: Non bene (inquit ad Archiepiscopū) nobis consulimus in hoc nostri, ac Reip. negotio; potest ne nobis hæc lux grata, aut cœli iucundus esse spiritus, quamdiu tantam proclamationem, tantam super nomine nostro infamiam tamque importunam insecutionem sustinuerimus? Num vides ora omnium in nos conuersa non solum popularium, verum etiam totius regni mei Principum, iure, vt reor, non iniustè reum C operis huius incusantium? Verè fateor egisse me vnquam nil insipientius, quam quod à te malè consultus iniuriam sancto huic faciens quod suum erat tuis contradidi manibus. In me sit, ait ille, hoc peccatum, & hæc imprecatio, mihi totum imputa quicquid ob hoc facinoris tibi obijcitur ex aduerso. Ne facilè his credas Rex inuictissime, quos iustius punire censendum est pro inaudito ausu eorum superbiæ. Quid enim simile æstimari potest huic eorum temeritati; quā, quod dici pudet, te tuosque de mensa Regia surgere compulerunt, te inquam Dominum totius Romani Imperij? Putasne, si sapis, hoc parui pendendum, ac non imperiali censurâ tanquam in reos maiestatis animaduertendum? Non ergo perturberis ex his quæ modo D dicuntur hic fieri mirificè, quia non nisi ad commouendum nos hic sanctus virtutes operari fingitur eorum molimine.

Timor Regis.

Archiepiscopi pertinacia.

Audi tamen ex consilio, quod interim saluo tuo honore faciendū censeo. Corpus sanctum, quod quasi pro accelerandâ super nos vltione iactauerunt in terram, iube referri ad sanctuarium, quia importunas has proclamationes te tuosque ferre incongruum est. Cucurrerunt ilico cubicularij deferentes nobis hoc, vt fieret secundum iussum sui Domini. Abnuimus omnino velle nos id facere; remissâ per illos ad Regem satis congruâ excusatione, nimirum debere credi hanc iniuriam & despectionem displicuisse Deo omnipotenti, qui in electis suis etiā nunc patitur quicquid illis ingeritur aduersi; decere

ſaltem vt poſt contemptum ipſo cum pœnitentiâ redeunte, ſic factâ illi iuſtitiâ referretur honorificè, quod ſi aliter Rex velit, id caſſo labore experiri poterit. Valdè enim indecens, vt tantus Domini confeſſor ab illo repudiatus eatenus, illum ſe auertentem rogatum eat vlterius. A

Mandatum factum Abbati. Reuerſi igitur qui ab Rege venerant, obſtinatos noſtrorum animos renunciant. Mandatur ſtatim Domino Abbati ex Regis nomine, cur tam proteruè monachos ſuos in Dominum ſuum ſineret agere: Præterea non impunè putaret ſibi cedendum, velut in quo conſcio facti eſſet animaduertendum, quicquid à diſcipulis temerè videbatur admiſſum. Porrò ſi pro eo quicquam haberet facere, reuehi quantocius faceret corpus venerabile. *Abbatis excuſatio.* Aſſeruit Abbas ſub Chriſti teſtimonio penitus id factum eſſe ſe neſcio, nedum conſilij conſcio. B Cum lachrymis inſuper aiebat nũquam ſe fuiſſe triſtiorẽ, quia prorſus diffidens timebat conſilium noſtrum verti in perniciem. Venit ergo ad nos cum miniſtris illis & curialibus, æſtimans vi cogi, aut dirimi poſſe illos populares tumultus, ſed obſiſtentibus multis velut ad propugnandum milibus, non magis illic eius valuit poteſtas, aut humilis precatio, quam anteà per internuncios ipſius Regis iuſſio.

Miraculum. Poſt hæc quidam de cubicularijs irruperunt in turbas, accenſis animis, & ad ſacrum corpus irruerunt quaſi fortiter pro voto facturi. Cum igitur arriperent vndique ad ſubleuandum illud ſancti Scrinium, tanto pondere ſentiebatur diuinitus affixum, vt ex eodem loco leuari non poſſet velut immobile ſaxum. Quod illi admirantes tanquam Deificum voto fruſtrati redierunt, ac Dominis principibus C non ſine admiratione retulerunt.

Epiſcopus hæc omnia phantaſticè accipiens, corpus ſancti de medio auferri iubet, ſed miſſi reuertuntur inanes, pecuniam pro hoc ipſo offerentes.

CAPVT XIIII.

D

CVm his adhuc fidem Archiepiſcopus non adhiberet imo omnia phãtaſticè fingi aſſereret, iuſſit ex nomine Regis ire quamplures ex palatio, vt nobis grauiſſimè mulctatis, corpus ſacrum vi auferrent è medio. *Archiepiſcopus exiſtimat omnia agi phãtaſtice.* Illis ergo illò irruentibus, factus eſt cõmixtæ multitudinis clamor ingens & ſtrepitus. Nam vniuerſis noſtræ partis obſiſtentibus illis aduerſarijs, ſatis pro re actum eſt, non tamen ſine diuinis auxilijs.

Hoc illi viſo, nutu diuino facti velut attoniti, nec quicquã virium habentes iuſſa maiorum exequi, reuerſi ad eos, illis inquiunt, res eſt pro anima, nihil Domine Rex ad hoc valet tuorũ vis atque præſentia. Ex-

A tia. Experti enim sumus illic quoddā inesse diuinū, nisi beneuolentiâ & amore id feceris, aliud quodcunque velis manebit irritum.

Missi à Rege diuinum quid experiuntur.

Crede, quauis potestate non sunt cogendi S. illius fideles monachi, vtrum moueri debeat an non Sāctus annuit eorū volūtati. Omnes ergo prostrati pedibus eius cum lachrymis, Domine Rex, inquiunt, si benè vt suademus in hoc tibi consulis, eis, penes quos res agitur, nihil aduersi feceris, fac satis voluntati eorum, quia iustam, vt concepimus, causam habent ad impetrandum: nihil enim tuorum terrori est illis, defensorem habent fortissimum, quapropter tibi timemus imminens periculum. Volumus id potius quolibet precio ab Archiepiscopo ipso redimere, quin non impetret hic Sanctus quod B requirit magnopere.

Bene consulūt Regi.

Rex Episcopum Leodiensem & suum cancellarium ad Fratres misit & parum profecit.

CAPVT XV.

At ille considerans satius esse bono vinci, quam malo vincere, Dominum nostrum Episcopum ad nos oratum misit cum suis alijs optimatibus, vt quod ipse vellet nos incunctanter faceremus, C si quod petebatur ab eo impetrare vellemus; mandans praeterea hoc esse Regiam dignitatē deturpari notâ infamiae, si velut prae potestate cogi videretur ad obediendum subiectorum potentiae. Ille egressus à Rege, ab alto circunspectans vndique pomarium refertū populis, diffidens peruenire ad locum deficiente valetudine, vt pote vir debilis cum Abbate S. Laurentij, praemisit Regis cancellarium, vt pro se legationem regiam perferret ad Stabulensem coetum. Quibus auditis vt Rex mandauerat, responderunt pauca prout animo res inerat. Si habet, inquiunt, Rex pro se timere, tanquam instante periculo, quod facillimè potest, dummodo vacat effugere iustitiam D exercendo, cur sibi salutem hanc differt, ignarus quid futurum sit in crastino? satis agnouimus eius induciarum officia, quibus toties quaesitam & promissam differt huc vsque iustitiam. Quid amplius opus est nos vtrobique verbis diffluere? Nisi Rex ipse veniens, per se id fecerit, si tamen sic S. Confessori placuerit, vt confidimus hac die hinc moueri non poterit.

Cancellarius legatione fungitur, id fratres Stabulenses.

Responsio fratrum.

Pars his mota minis, reddunt contraria dictis.

Sed & hi similiter redeuntes, nihil (inquiunt) Domine Rex, nihil in hoc promoues, quoslibet velis modo labores, fixos suâ sententiâ illos inuenies. Quia parum, ait, vt volui proficio, proficient & ipsi minus ex me, quam velint hoc consilio.

CAPVT

A

Abbas ipse ad satisfaciendum Regi cum Vltraiectensi Episcopo venit ad vesperas, quo discedente in vacuum nocturnas excubias fratres ibidem peragunt.

CAPVT XVI.

IGitur in tantâ tamque continuâ impressione, quæ ineuitabiliter fiebat pijssimi confessoris Dei amore, in quâ alij alios supergressi, ab alijs impellebantur assiduè, nemo læsus, nemo perturbatus dicitur doluisse, nisi pauxillâ sitis anxietate, quæ tamen nimij æstus B incremēto collecta, statim aurâ soluebatur aspirante gratissimâ. Dominus Abbas volens manifestè purgari ab eâ, quâ impetebatur falsa suspicione ab apparitoribus Regis tanquam obnoxius eis ipse auctor esset huius cōtradictionis, tentauit iterum tam per se, quam per amicos potentes remouere huiusmodi consilium à suis.

Abbas tentat se purgare apud Regem.

Venit ergo iam aduesperascente cum Wilhelmo Episcopo Traiectensi, sed nec modo magis pro reuerent à tantæ dignitatis admissus est ab illâ populari multitudine, quæ vt dictum est amore tanti Confessoris, in vnum confluxerat pro ipsius defensione. Qui cum obsistentibus illis nihilo magis proficere possent, id responsià nobis acceperunt, non adeò inconsultè ne contra se putarent id à nobis fieri C temerè, quia non erat locus, vt ipsi videbant, quicquam eiusmodi nos pro voto nostro facere; prætereà valde incongruum videri, vt qui eatenus diuinâ virtute affirmabatur non posse moueri, nos præter sui voluntatem id præsumendo efficere conaremur ingrati. Video, inquit, Episcopus casso vim vllam his posse inferri, satius est sic dimitti, quam quicquam, quod cum periculo fiet, moliri. Post hæc claudente diem vesperâ, nocturnas excubias peregimus non sine diuinitatis ope mirificâ.

Religiosi quoque Stabulēses se purgant.

De duobus cæcis assidentibus, vnus est ibi insperato illuminatus. D

CAPVT XVII.

IPsâ horâ procubuerant duo cæci remedij gratiâ coram S. corpore, iuxta quos assedimus acturi congrua pro re & tēpore. Contigit ergo ex oblatione illic offerentium de scrinio cadere nummum ante vultus eorum qui videbantur expertes luminum, hunc vnus ex illis accipiens nobis videntibus, quasi cuius monetæ esset cœpit inspicere diligētius, qui tamen eundem statim porrexit vni ex astanti-

Auctor videt miraculosam. Cæci curationem.

A astantibus. Interrogatus si quicquam anteà videre fuisset illi possibile, respondit se cœcitatem pertulisse iam longo tempore, sed tunc primum aliquid cernere diuinitus refuso lumine.

De Columbâ de scrinio progredi à quibusdam visâ.

CAPVT XVIII.

EAdem nocte, quæ nobis erat in vigilijs celeberrima, ostēsa fuit illic quibusdam glorificandi Confessoris magnificentia. Videbatur prodire columba candida de scrinio, quæ locum illum
B excubiarum circumuolans perlustrando, instar illius de arcâ Noë in diluuio prodierat, mentes mœrentium quiddam diuinum portendendo lenibat, & vt illa per oliuam pacem terris redditam; sic ista significabat iram Dei conuersam in misericordiam, quæ cum gyrasset per totum illud spacium, visa est reuolare ad eundem vnde prodierat loculum. Ipsi qui hoc meruerant intueri, non sine diuinæ maiestatis fideiq; cõmunis obtestatione, factâ die quibusdam ex nostris indicauêre rem tanti prodigij.

Columba prodit è scrinio S. significans irā Dei in misericordiam conuersam.

C *De Ioculario inter excubias de casibus ipsis cantilenas protrahente, & de Rege auscultante & in laneis & nudis pedibus pernoctante.*

CAPVT XVIIII.

CAntor quidam iocularis ipsâ nocte cum sodali suo apud hospitium dormitum ierat, qui statim somno excitus.

Sodes, ait, surge, nos illo præstat abire,
Non est hoc vanum, non est hic crede morandum,
Excubias illas celebrare iuuat venerandas;

Cumque ille renuens eum erroneæ visionis argueret, non fallor,
D ait, somno ludificante, sed testor Deum, quendam venerandi habitus quasi manu apprehensâ me illuc trahentē vidisse. Quibus dictis præpeti cursu se contulit inter vigiles, ac ignarus quid caneret, fortuitu

Cœpit de sancto percurrere plura canendo.

Ac nostros digestim referendo casus, tristes suâ quodammodo solabatur cantilenâ choreis concinētibus. Rex autem desuper auscultans per fenestram de se metuenda memorantem intendebat sollicitus, qui pro eo quod acciderat, indutus laneis & factus nudis pedibus iugiter pernoctabat cum timore & obsecrationibus.

Vir sanctus apparet cantori ioculari qui historiam publicat.

A

Mane facto sacrum corpus communi consilio ad Sanctuarium reuehitur.

CAPVT XX.

Diuersa curialium iudicia de facto Stabulensium.

FActo igitur mane vnum item omnium erat consilium reuehi oportere sacrum corpus ad sanctuarium, satis illud ostentui esse potentium arrogātiæ, nihil actum esse, quod eo iniuriarum expositus dicebatur magis conuiluisse. Alij sic, aliter alij nunciabant nobis ex curiâ, consiliariq; Regis in nos tractare nimis contraria; humana videlicet iudicia secundum leges debere perpeti, quod inauditam contradictionem fecissemus in præsentiarum regiæ potestati. At vnus ex principibus quosdam ex nostris aduocans eisque condolēs ex animo, fixam in nos aperuit sententiam, quod nisi referretur sanctus, nil nobis profuturam esse omnem humanam industriam, Dominum suum nil pensi habere, vel quicquam posse disponere, dum à nobis sic detineri contingeret corpus venerabile, prorsus omnes bonos æstimandum videre, nil nos velle aliud, quod nefas erat, sic vlcisci de nostro communi principe. B

His auditis consulto Domino Abbate alijsque in commune fratribus, statim honorificè nostri spem vnicam, in templo virginis Matris retulimus. C

A Rege Fratribus cruciatus & pœnæ parantur, & Bauebergensi Episcopo corpus sancti destinatur.

CAPVT XXI.

Inhumana Regis Consilia.

POst hæc expletis missarum solemnijs Dominus noster testamēta priorum deferens palatium petijt cum suis, facturus solitam proclamationem coram dominis, vbi cum intellexisset proposito nostro, alijsque vniuersis videlicet qui regali imperio contradixerant, nouissime cruciatus exiliumque parari, remissos à se iussit cauere, ne fortè pœnas darent inuenti. Nam iusserat Rex iratus suos in nostris armatos se circumferre, nec cuiquam monacho vel laico, quin raperentur ad pœnam, parcere. Etenim hoc erat consilium Archipræsulis rem nostram toto conamine perturbantis, eius etiam instinctu & studio dicebatur Rex id habere consilij, vt concessiū nimeius dono corpus patroni nostri sibi auferret Episcopus Bauebergensis. D

Sed

Sed quid iam morabimur eloqui, quod omnibus auditu æque de-
A lectabile credimus non sine gaudio lachrymabili? Non ferre diutius potuit fidelium suorum diutinam afflictionem pia patroni prouidentia, imo deficiente omni humano iuuamine, statim apposuit se in adiutorium nostrum cooperante diuinitatis potentiâ. Diu sustinuit probra & infamiam, satis spectauit suorum perseuerantiam, despectus quodammodo in terris ab principum tyrannide, totum penè orbem in momento fecit agnoscere quid posset in cœlestibus apud omnipotentem, vt seu vellent, siue nollent aduersarij diuinâ flexi virtute obedirent eius voluntati.

Deficiente humano iuuamine adest diuinum.

ANNOTATIONES.

B Iusserat Rex iratus suos in nostris armatos se circumferre:] *Consonat Lambertus Schafnaburgensis.* Quo exemplo (*inquit*) in Abbatem tam audacis facti incentorem animaduertere deberet, plenus irarum cogitabat.

Concussione non modicá in templo facta scrinium S. cubito leuatur in aëra, & Episcopus Cameracensis orans in cripta diuina & Sanctorum perlustratur præsentiâ.

CAPVT XXII.

C ANnus erat ab Incarnatione Domini 1071. sextus autem discissionis Ecclesiæ Malmundariẽsis & Stabulensis, cum septimo idus Maij gratiæ diuinæ placuit eam restitui, & horâ, quâ vergit sol ad meridiem cęli nobis misericordiã distillauerũt desiderabilem. Morantibus nobis Leodij in domo S. Lamberti, factus est denuo sonus tanquam aduenientis vehementis spiritus, qui humanos replẽs auditus templum pariter repleuit, quo multi conuenerant ex diuersis partibus. Factâ igitur concussione non modicâ vbi sancti ossa quiescebant sacratissima, visum est palam moueri scrinium, ac suble-
D uari quasi vno cubito in aëra. Non minor quam superius factus est subtus in criptâ eodem momento sonitus, vbi pretiosi martyris Lamberti quiescit sacratissimum corpus. Illic eâ horâ intentus erat psalmodiæ cum suis clericis Lietbertus Episcopus Cameracensis, qui ex eo quod acciderat aliquantulum pauore perterritus, fugiẽtibus alijs, vt vir Deo plenus & altioris ingenij intelligens quiddam diuinum, restitit, nosse desiderans quis esset rei exitus, quæ tam prodigialiter insonuit. Nam vt ipse testatus est, densa nebula primitus locum illũ offuscatum reddidit, quâ statim disparente, subsecuta lux sole clarior resplenduit. In medio illius splendoris velut in excessu mentis

Sonitus etiam in criptâ ad corpus S. Lamberti martyris.

SS. Remaclus & Lambertus colloquuntur. effectus antistes conspicatur duos apparuisse mirâ claritate fulgentes Remaclum videlicet & Lambertum sanctissimos æque pontifices, quos audiuit arcano quodam murmure de his quæ acciderant inter se colloquentes. A

ANNOTATIONES.

Annus erat ab Incarnatione Domini :] *Ex hoc loco Aegidius Aureæ vallis hausit alteram partem capitis secundi sui libri, quod incipit* Anno Dñi 1071.

Ad exemplum commemorantur dicta sanctorum.

CAPVT XXIII. B

NOn ergo sit onerosum intento lectori quod paululũ videmur hic ab historiâ digredi, vt ad confirmandã fidẽ huius miraculi gratiâ quædã colligamus de simili. B. Papa Gregorius *ibi,* inquit, *sanctos necesse est maiora signa ostendere, vbi de eorum præsentiâ potest mens infirma dubitare; quod vtique hunc sanctum manifestum est idipsum de se dubitantibus ostendisse. Vbi verò, vt iacet sancti in suis corporibus, ac maximè vbi plerumque contingit ossa sua reuisere beatos spiritus, non dubium est, quin valeant, sicut & faciunt purâ mente quærentibus innumera monstrare miracula, sicut de nonnullis legitur, & de Helisæo Regum testatur historia.* *Pulchra D. Gregorij sententia.*

Egit ergo pius Iesus pietate sui solitâ cooperans sancto suo diuinitatis suæ gratiam, vt puncto temporis toto penè agnoscente mundo innotescere daretur etiam futuris sanctis quanti esset meriti apud se sanctus iste, qui ab iniustis tanto contemptui ducebatur in terris. Nunc ad rem redeamus, vt quæ sequuntur fideliter disseramus. C

Mulier nimium contracta ad sanctum deportata statim est sanata, & ad hoc confluente populo impletur Ecclesia.

CAPVT XXIIII. D

INtereà coram glorificato patroni nostri corpore deportatum est quiddam monstri simile, creaturæ quidem, sed non hominis habens effigiem in miserando corpore. Erat enim mulier ex parochiâ Parisiensi ad sanctorum merita non sine nutu Dei delata in hanc nostram prouinciam, quam morbus paralysis in modum globi constrinxerat, cum vexatione corporis horrifica. Erat huiusmodi videre, quod ad prædicandam omnipotentiam saluatoris monstri simile dixi- *Mira mulieris contractio.*

A le diximus, vtrosque videlicet talos retrorsum adhærentes renibus, vtrarumque manuum in volam reflexis vnguibus, cõtractisque neruis, cute tantum supraductâ siccis, obriguisse ossibus.

Talis vt coram sanctuario est deposita, reuiuiscere diuinâ virtute membra cœperũt arida, paulatimque videbatur reformari vultus & habitudo corporis in virtutem pristinam. Ac primum extẽsis manibus trementia membra contrectabat diligẽtius: ac sensim nitebatur se extendere vnâ tantum tibiâ remanente debili, cæterorum dissolutis artuum contractionibus. Fluunt totis ex partibus, adsunt *Sanatur spectante multo populo.*

Notus & ignotus, ciuis simul & peregrinus.

Ast illud templum venientes non capit amplum.

Implentur patentes porticus & claustrorũ ædificia vnâ voce proB clamantium in cœlos Christi magnalia. Vt sese habet fides tunc illic assistentium, quid ad laudem creatoris potuit adijci potissimum? Omnis creatura visa est in confessore suo collaudare Christum Dominum, sicut animaduerti potest ex adiectione sequentium.

Campana maxima dat sonitum nullo impellente, multitudo languentium dicto citius sanitati pristinæ restituuntur.

CAPVT XXV.

C Factâ igitur tanti Confessoris glorificatione, campana maxima repentinum sonitum cœpit dare nullo impellente. Post hæc cũ aliæ simul ob hoc miraculum pulsatæ laxarentur, illa vt cœperat perseuerans ob solemne Dei miraculorum semper audiebatur, quia vt putatur ex Dei prouidẽtiâ innotescere volens vniuersis cooperari Deum in sancto suo virtutum incrementis, quibus valebat protestabatur indicijs. Suspicantibus verò quibusdam ne forte, vt est mos humani ingenij, hoc opere cuiusquam latẽter fieret, ascensâ turri editus nil reperit quod huiusmodi fictitiũ reprehenderet. Vulgatâ ergo famâ vnius salutem recuperantis, cœcorum, claudorum, aridorum confluxit mox multitudo miserabilis, ex quibus multos D palam fuit videre, ex diuersis regnis præsentibus dicto citius restitui pristinæ sanitati, gloriosissimi patroni meritis interueniẽtibus. Quis hominum sigillatim potuit dinoscere genera sanitatum in diuersis ægrotãtibus, quæ illic cœlitus exhibita sunt diuinis medicaminibus? Nam sicut valens medicus gnarus cuiuslibet ægritudinis, vt cuique nouit prodesse, potionem aut antidotum porrigit inualidis, sic diuina gratia quibus placuit cœleste medicamentum infudit aduenientibus singulis. Qui alienis aduecti fuerant manibus, ad sua proprijs remeabant gressibus. Quis illic tenere se potuit à Dei laudibus? Ecclesia, vt diximus vsquequaque plena erat Deo gratias clamantium cõgratulantiumque vocibus.

A

Contractus quidam in criptâ Episcopo Cameracensi præsente erigitur, & alter debilior cæteris à cubicularijs duobus delatus coram omni populo sospitati redditur.

CAPVT XXVI.

SIcut ergo hunc Dei Confessorem magnificè superius, sic & martyrem Christi operari manifestum fuit inferius. Nam eadem horâ quâ illic aderat memoratus Episcopus, aderat & quidã eleemosinã ab eo postulans accipere totis cõtractis artubus. Auditâ verò huiusmodi forinsecus operatione, postulabat se iuuari ne impediretur, illic se turbis comprimẽtibus, peruenire. At Episcopus, noli inquit, ne non peruenias diffidere, potens est Dominus eandem tibi misericordiam per eadem merita sanctorum hic impendere: Quæ verba statim secuta est virtutis efficacia, nam restitutus ille peregrinus gressibus antiqua firmauit vestigia. Festinauerunt inde quidam ex cubicularijs ad Regis palatium, irruerunt alter quisque post alterum. Quiuis ergo posterior quasi nouũ id nunciabat, quod alius prior identidem edixerat. Domine Rex, inquiunt, audi & intellige, quid possit sanctus ille, quid nunc operatur magnificè: verè testamur hodie vidisse nos mirabilia, quæ ipse Deus operatus est per sui Confessoris merita. B C

Archiepiscopus incredulus experimentum sumit veritatis.

Cumque necdum fidem dictis adhiberet Archiepiscopus, fecit experiri factis hoc modo rem omnem diligentius. Cucurrerunt statim duo ex cubicularijs, & arripuerunt quem inuenerunt iacentem in porticu debiliorem cæteris, non dissimilẽ illius, quem descripsimus in virtutum exordijs. Hunc deportatum coram Sancti præsentia in pauimentum proiecerunt velut sarcinam, non se penitus mouere valentem in parte alterâ. Videres ilicò diuinâ virtute dissipati membra compingi, neruos stringi, iungi ossa, compleri viscera, valetudine firmari singula membra. Qui paulatim se suberigens apprehenso cornu altaris in pedes constitit, sicque formosus facie, & habitudine alter quodam modo quam videbatur apparuit. D

Auctor visa scribit.

Hæc non nisi visa scribimus, quæ pariter viderunt milia populi ex diuersis nationibus.

CAPVT

A

Dum pro his pendet in dubio animus Regis & Archiepiscopi, quidam in præsentia ipsorum defert baculum paralytici curati sub attestatione capitis sui.

CAPVT XXVII.

NVnciata sunt hæc ita se habere Regi & Archiepiscopo, propter quæ pendebat eorũ animus in dubio. Astitit interea in medio quidam, cuius nomen excidit, de curialibus, ostendensque pro B teste baculum, en, inquit, hoc indicium virtutis accepi ab vno, qui erat paralyticus, quem coram diuinitus sanari, & exilire vidi vtrisque pedibus.

Magnum Curialistæ testimonium.

Quis verò potest esse tam auersus à vero, tam mente captus, qui neget hæc omnia quæ vidimus, imo sine Dei nutu ac potestate administrari credimus; Non est meum, ô Rex, te fallere, si quid in hoc mentior, caput ex me accipe.

Cameracensis Episcopus vtrisq; visa denunciat, & Regi exterrito Archiepiscopus bonum restituit per baculum quem manu tenebat.

C

CAPVT XXVIII.

DVm ista dicuntur, & illa referuntur, cum necdum Archiepiscopus quod iniustè tenebat ad reddendum vllo modo flecteretur, Lietbertus Cameracensis Episcopus adueniens admissus est, quæ viderat verbis euidentibus coram elocutus est. Non est tibi, ait, vtile sedendum, Domine mi Rex, quia quod tandem es facturus, credo serius quam velis facies. Noueris duos illos cœlestis Imperato D ris milites graues super te causas inter se agentes, & quia timeo tibi imminens periculum nunciaturus inde venio tibi sanum consilium. Sine morâ si non vis perire, quæ iniustè tulisti sancto sua restitue. Adiungunt se huic, tam Episcopi quam duces cum cubicularijs idem deprecantes fieri non fictis lachrymis.

Episcopus Cameracensis Regi dat instantes minas.

Tunc Rex his velut exterritus exurgens de solio, conuersusque ad Episcopum, non amplius, inquit, differre possum id, vt video, nec enim in hoc tibi plus consentio. Quod à me non bene consulto accepisti, si vis restitue, quoniam ei, qui tam euidenter à me suum requirit, velis nolis, meum erit reddere. At ille, quãdo quidem, inquit, sic Deo placet, nec aliter potest fieri (porrigit baculum quem tenebat) en inquit, Domine bonum recipe quod dedisti.

Rex exterritus admonet officij Archiepiscopum.

Archiepiscopus cedit Malmundariensi cœnobio.

CAPVT

A

Rex vi suorum irrumpens in Ecclesiam accepto baculo sancti bonum reddit, satisfactione humiliter factâ, & contractus quidam erigitur eadem horâ.

CAPVT XXVIIII.

PRocedens itaque Rex de palatio stetit super gradus, qui præminebant in templo; persultabat ergo Ecclesia vocibus gaudentium, Deumque laudantium. Ipse autem admirans, tardè, ait, vt reor illuc perueniam, vt sicut sancto placet ei satisfaciam; Vix igitur irrumpētibus ministris iter, per populi medium peruenit in præsentiâ, vbi fiebat opus diuinitatis celeberrimum. B

Rex publicè satisfacit sancto Remaclo.

Accepto itaque statim à custode pastorali baculo sancti,
Stans ait, En recipe quod reddo tuum tibi sancte
Ignoscendo mihi, veniam concede roganti.

Confitetur peccatum humiliato capite.

Sic Rex reposito baculo super corpus venerabile, confitens peccatum humiliato capite, regressus est celerrimè. Eadem, vt comperimus, horâ, quâ facta est sancto ab Rege iustitia.

Quidam contractus gressu stat sospite sanus.

Protinus ergo dantur Deo Altissimo ab vniuersis laudes & gratiæ, concinitque pariter clerus ciuitatis, *Te Deum laudamus* officiosissimè. C

Quæ vel quanta miracula post hæc facta sint impossibile est cuiquam scribendo perstringere, ex quibus nonnulla propter concursum strepitumque tumultuantis populi, ad nostri notitiam non potuerunt peruenire, ea tamen quæ vidimus, vel ab alijs visa fideli relatione didicimus silentio præterire nefas putauimus.

Visa & audita scribit auctor.

ANNOTATIONES.

Procedens itaque Rex de palatio stetit super gradus qui præminebant in templo:] *confirmat hanc satisfactionem & humiliationem Regis Lambertus Schafnaburgensis his verbis*: Attonitis omnibus tantæ rei nouitate, Rex timore vehementissimo correptus, ne fortè si cunctaretur, cœlestis in eum protinus vltio procederet, non solum ablata restituit, sed recentibus etiam donis pro munificentiâ regiâ magnificè cumulauit. D

CAPVT

A

Relatio quare Aquisgrani quondam deportatus nil simile fecerit, sed hic in suâ sede Pontificali.

CAPVT XXX.

HOc etiam adijciendum operæ pretium est huic operi, quod cũ efficere nõ dissimiliter posset hoc alibi, vel in suo quo requiescit loco, aut quò similiter deuectus est Aquisgrani palatio maluit hoc effectum iri in suâ quondam sede pontificali. Egit enim diuina gratia dignâ recompensatione, vt vbi pro contemptu sæculi olim honores dignitatesque reliquerat, eligens Deo arctius inhærere, illic magnificentius exhiberetur ei honor & gloria Dei administratione. *Digna compensatio.*

B

Neque verò reticendum est hoc eius patientiæ pietatisque exemplum, quod eos qui aduersari sibi videbantur, in hoc iam plurimũ magis beneficijs attraxerit, quam qualibet plagâ vel vltione meritos coërcuerit.

C

De Matronâ quadam ipsius vrbis orbata, & lumini pristino restauratâ.

CAPVT XXXI.

MAtrona quædam de ipsâ ciuitate per multum tempus priuata fuerat oculorum lumine, quæ vt ex voto pro se rogatura peruenit ad corpus venerabile, statim ex diuinæ clarificationis præsentiâ, detersâ tenebrarũ caligine, lux orbibus refulsit gratissima, ipsa pro huiusmodi munere diuinitus adepto, duos è familiâ suâ tradidit sancto.

D

De cæcâ nata & visui condonata.

CAPVT XXXII.

QVædam item mulier ad hoc solemne miraculum deducta fuerat, cui lumen oculorum ex matris vtero, vt ipsa fatebatur, natura negauerat, hæc orando fideliter cum cæteris, non casso promebat talia ab intimis cordis: Sancte Dei pie & exaudibilis, qui tanta, tamque mira Deificè hic operaris.

Qui præstas alijs citius quæcumque rogaris,
Quem non nosco diem da cernere, pelleque noctem,
Quæ me tetra diu miseram possedit ab ortu.

Sanguinis profuso testis miraculi. A

Statim vt caput erexit cum oratione, aperti sunt pariter ocelli cũ sanguinis profusione;

Nam virtus tetris splendens iubar intulit vmbris,
Mox & amica dies vacuos illuminat orbes.

Illa verò videns lumen insolitum, vt iure, laudauit lætissima medicum, ac pro teste huius miraculi stillãtem ob oculis cruorem protulit in aspectum populi.

B

De misero Strumam habente in capite & sanato.

CAPVT XXXIII.

Cicatrix testis miraculi.

CVidam misero struma creuerat in capite, quæ intumescens aurem occupauerat cum facie, quæ pestis non minus misero videbatur incommoda, quam erat omnibus visu turpissima. Hic vbi cum cæteris astitit coram sanctuario, repentè disparuit omnis vitiosa illa inflatio. Nam his qui eum anteà viderant intuentibus nõ sine admiratione visa est remissa cutis suo loco æqualiter resedisse, nec quicquam ex eo morbo remansisse, præter cicatricem in capite. C

De puellâ septenni paralyticâ & sanata.

CAPVT XXXIIII.

MVlier filiam suam septennem scilicet paralyticam illic deposuit, cuius fides filiæ salutem statim impetrauit. Hi ergo qui Dei virtute sanatam puellam videbãt erectam super populũ manibus offerebant, ac meritum Confessoris Christi teste miraculo magnificabant. D

Magnus clamor omnium testis miraculi

Cum autem ignoraremus, quæ esset virtutis huius efficacia: mater propè assistens cum lachrymis exclamauit lætissima. Hæc ait, quã video, processit ex meo vtero, de cuius paulo ante solo funere mihi erat expectatio, quia ex omni parte præmortua, spiritu tantum palpitabat tenuissimo. Tunc verò tantus ab vtroque sexu factus est clamor admirationis, vt non videretur posse finiri vox continuata cum lachrymis: Exultabant enim omnes in laude Dei voce sine verbis, tanto sonitu, quantum vix ferre posset auditus quilibet capabilis.

Videba-

A Videbatur præterea cuique foris aduenienti repletam fuisse totã illam Ecclesiam gloriâ & maiestate Domini, vbi delectabantur inhabitantes tanquam ex Dei præsentiâ suauitate inenarrabili, vt reuera illic posset dici, sicut & dicebatur non immerito: *Dominus est in loco isto.* Ipso ergo die celebritatem hanc diuinorũ operum gauisa est & terra quodammodo se sentire non minus quam cœlum. Quæ enim tribus exactis mensibus nõ madueret aquis, herbis cum germine penè arescentibus, eadem nihilominus die diuinâ operatione omnem virorem recepit largiter infusis imbribus.

Ecclesia Dei gloria repleta

Gen. 28.

Terra virorem recipit.

B *De Clerico distortis pedibus ab ortu, & sanato.*

CAPVT XXXV.

CVm iam sol vespertinus ad occasum declinaret, & adhuc populus frequens in laudes Christi Confessoris acclamaret, factũ est aliud quoddam diuinæ operationis mirificum, ad prædicãdum eiusdem pij protectoris meritum. Ad illam venerationem salutiferam quidam clericus à patre est deuectus, qui transuersis vestigijs distortos pedes ab vtero matris fuerat passus. Nec mora, visitatus est ab eodem medico in medio circũstantium, qui singulis, prout nouerat competere, porrigebat eiusmodi medicamentum. Ille statim salutem se sensisse indicabat, sed eiusmodi res intuentibus, non ad liquidum fidem præstabat, quia cum priori similitudine adhuc calcei C pedibus hærebant.

De curiâ verò cubicularij ac plerique nobiles aderant, ipsi discalceatis pueri pedidus virtutem Dei admirantes Christique Confessoris in ipso meritum efferentes magnificabant.

Curialista virtutẽ Dei Christique Confessoris mirantur.

Altero manefacto Consilium agitur, vt glorificatum corpus ad locum suum referatur.

D

CAPVT XXXVI.

CLauditur illa dies retinens per sæcula laudes,
Acta quies nocte, redeunt spectacula mane.

Requisiuit ergò Dominus Abbas de reuehẽdo ad locum suũ glorificato sancti corpore consilium à suis, & datum est sanum consilium minimè reditum differri, ne posteà id quod ex voto cesserat, quicquam nobis fieret impedimenti.

Igitur cum honestissima clericorũ S. Lamberti cooperatoris, vt verè fatemur, earum virtutum, tam processione, quam pari deuo-

tione decessimus exultantes ab illâ ciuitate: Erat autem vox vna omnium in laudes Christi confessoris acclamantium. A

Hymnus in laudem S. Remacli.

Aue to præsul agie, patrone noster inclyte,
Spes o tuis fidissima, nos tuâ iuua gratiâ,
Tu lux decusque Galliæ, cum plebe clerum protege,
Cui posse scimus plurimum, cura languores criminum:
Huc te delatum plurimis effulsisse miraculis,
Hinc redire cum gloriâ tota congaudet patria:
Ab huius cœtu curiæ redduntur tibi gratiæ,
Quæ tota tuo ex nomine celebratur magnificè.

De statione cis mosam factâ & de puerorum scholarium laude nominatissimâ, & de ipsius loci traditione à possessoribus sancto firmatâ. B

CAPVT XXXVII.

Matth. 21. NEc minus his dignum videtur illud commemorandum, quod ad illorum similitudinem puerorum, Dominicum *Osanna* redemptori proclamantium, in laudem quoque huius sancti factum esse creditur, non tamen præter diuinæ gratiæ placitum.

In redeundo itaque transmisso amne cum cis mosam peruentum esset in locis campestribus stationem illic fieri ad audiendam missam impetrauit à Domino Abbate omnis ille ciuium extraneorumque populus. C

Laudes puerorum scholariū. Interea factâ morâ dum parabatur celebrari diuinum officium, de tota ciuitate puerorum scholæ conuenerunt tanquam ad eius venerandi patris obsequium. Qui scandentes proximi montis cacumina, extulerunt voces velut angelicas per nubila. Nam dispertiti à se quasi tribus per choros ordinibus laudem Deo cecinerunt pro cõfessoris sui triumpho & Christi mirabilibus.

Introitum cantus magna vox laude tenemus,
Inde Crucifixum laudate in carne secundo,
Salue festa dies resonant hoc ordine laudes. D

Non abs re ergo creditur æstimandum id actum esse, quod nullius magisterij professio, vel humana suaserit suggestio, sed hæc sicut & alia fieri destinauerit fideliter inuocata sanctæ Trinitatis opitulatio. Nam sicut quod ante cecinerat psalmista futurum, ita etiã credimus in Christo impletum, sic sanè & in hoc sancto propter inimicos à *Matth. 21.* Domino manifestata *perfectaq; est laus ex ore infantium.*

Finitis itaque prædictis modulationibus descenderunt acturi nobiscum diuinorum mysteriorum celebritatẽ, quæ omnia completa sunt cum fidelium votiuis oblationibus.

Eodem

A Eodem verò die sancto tradiderunt locum, in quo factâ statione quieuerat, hi qui erant hæredes eiusdem cespitis, eiusque in honore piè perseuerante solemni deuotione plebis, fundamenta Ecclesiæ statim iactata sunt ab accolis, quæ postmodum ad perfectum deducta creuit in opus Diuinæ seruitutis. *Origo Ecclesiæ S Remacli.*

ANNOTATIONES.

Fundamenta Ecclesiæ statim iactata sunt ab accolis:] *Extat adhuc hodie Ecclesia parochialis propè portam & pontem Amari cordis, quæ ex miraculo illo Ecclesia S. Remacli nominatur non longe à montibus è quibus scholares laudes S. Remacli hic cecinisse scribuntur.*

B

Ad propria læta regreßio, Malmundarij reuendicatio, & postremò mane Stabulaus tendentibus auiculæ ignotæ super scrinium sancti seßio, & oßium sanctorum suo loco repositio.

CAPVT XXXVIII. ET VLTIMVM.

C INdè digressi ad propria festinabamus læti; ipso vespere Malmundarium protectorem nostrum atque triumphatorem detulimus, quem locum cum triumpho nobili reacquisitum ipse per se reuēdicauit pater legitimus.

Hunc inquam locum nunc æternaliter reuendicauit, quem in initio vepribus omnique spurcitiâ eliminatâ primus incoluit, electūque sibi habitaculum diuinis cultibus mancipauit; traditumque sibi â Rege Sigiberto decentissimè regendo tenuit, regendumque suâ vice suis successoribus eatenus reliquit. *Malmundariū à Sigeberto S. Remaclo datū.*

Reuocatis ergò legitimè tam monachis quam laicis sub ditione Abbatis ex eius nomine, Stabulaus reuersi sumus potiti optatâ securitate.

D Taliter ergò post innumerabilia diuinæ virtutis miracula, victricia diuini patroni nostri ossa suo loco sunt reposita.

Vndè gaudeamus tanti confessoris adepti patrocinium, qui nobis cum deesset humanum, meritis suis diuinum obtinuit auxilium.

Gaudeat etiam cœnobialis pater noster eatenus confectus mœrore diurno, cui ad hoc labor impensus nil profuit exacto amplius quinquennio.

Gaudeat inquam præter spem sibi prouenisse tantam gratiam, quam non potuit adipisci per humanam gratiam.

Non potentum ac principum iuuit priuata gratia, nil ad hoc valuerunt humana consilia, nil profuit ad curiam frequens itus & re-

ditus, nil prætereà promouit huic exhaustus ærarius, nil auri vel argenti, quæ prima mortales ducunt, largitio facta iusto profusius. A

Gratia autem Dei soliùs per meritum sui Cõfessoris, cum voluit, his finem imposuit miserijs.

Et nos in his finem facere cupientes, paulo cessandũ ab hoc opere decernimus, vt si ad alia scribenda, quæ post hæc apud nos per eum magnificè claruerunt intendimus, interim vires scribẽdi per otium reparemus.

FINIS.

Diploma quo antiqua controuersia Malmundariensium contra Stabulenses sopitur. B

LEO Episcopus seruus seruorum Dei, Religioso Abbati Venerabilis Monasterij S. Petri, sanctiq; Remacli Stabulao positi, tuisq; successoribus perpetuam in Domino salutem.

Cùm summæ Apostolicæ dignitatis apex in hoc . . . . dinoscitur præfulgere, si in exercendis Dei laudibus, sui impensius studebit laboris exhibere certamen, ob hoc debita nos eiusdem Apostolicæ pastoralis compellit sollicitudinis cura, quæque ad stabilitatem piorum pertinere dinoscuntur locorum iterum peruulgare, & Apostolicæ institutionis censura confirmare.

Igitur quia postulasti, frater, à nobis, quatenus Monasteria in honore S. Petri constructa, id est Stabulaus & Malmundarium, sita in saltu Ardennensi, priuilegio nostræ auctoritatis muniremus, & quia justa visa est petitio tua, assensum tibi præbentes per huius nostri Apostolici priuilegij constitutum sancimus atque decernimus secundum antiquorum dicta Regum. r. Sigeberti, Clodouei, & Dagoberti, qui & eorundem constitutores fuêre Monasteriorum, nec non & Imperatorum Caroli, Louinci, & Ottonis Augustorum, vt loca vel villæ, aut possessiones, quæ à Regibus, Imperatoribus, cæterisque bonis Christianis, præfatis sanctis locis largita atque oblata, & in postmodũ cõcedenda sunt, firma stabilitate perpetuoque iure incõcussæ permaneant, iuxta quod eadem loca venerabilia Apostolico, Imperiali, Regioque constituto priuilegioque constant munita; nec liceat cuiquam magnæ vel paruæ personæ inibi pertinẽtibus demere quicquam. C D

Stabulenses & Malmundariẽses religiosi vnum habent Abbatem.

Et profectò prætereà huic Apostolico decreto id vigilanter inserere, atque Apostolica auctoritate roborare curauimus, vt defuncto per successionem Abbate, secundum quod à iam dictis Regibus necnon & Imperatoribus est diffinitum ex vtrisque in vnum cœnobijs confluentibus monachis, habeant sine simulatione, sine exceptione personæ secundum S. Benedicti regulam Abbatem eligendi liberam optionem:

A optionem; ea tamen præponderante ratione, Malmundariensium pace, vt quia beatus Remaclus vtriusque Monasterij constructor, & Tungrensium antea Episcopus & pastor, maluit in altero eorum, id est Stabulensium locum sepulturæ deligere sibi, ipsi primam electionis obtineant vicem, si apud eos melior meritis, & instructior literis inueniatur: Si autem non illic, sed melior Malmundarij reperiatur, vtrique loco præficiendus ab eo potius quam ab externis assumptus intromittatur.

Et qua ratione & vnde eligendus.


Si quis autem, quod non optamus, nefario ausu præsumpserit his, quæ ad laudem Dei à nobis pro stabilitate iam dictorum Monasteriorum statuta sunt, refragari, aut hæc in quoquam transgredi, sciat B se anathematis vinculo innodatũ, & cum Diabolo, & eius atrocissimis pompis, atque Iuda traditore Domini nostri Iesu Christi æternis incendijs concremandum: At verò qui pio intuitu obseruator & custos in omnibus extiterit huius nostri Apostolici constituti ad cultũ respicientes benedictionis gratiam à misericordissimo Domino Deo multipliciter consequatur, & vitæ æternæ particeps effici mereatur.

✠

C



Data 3. Non. Septẽbris, per manus Petri Diachini Bibliothecarij & Cancellarij S. Sedis Apostol. anno Dñi Leonis 9. Papæ, 1. indictiõe 3. anno Dñicę Incarnationis 1048.



A

VITA AVCTORIS
EX EIVS SCRIPTIS.

AVctor triumphi S. Lamberti martyris de Castro Bullonio fuit Canonicus Leodiensis, ut ex prologo, ex aliis locis passim facile colligere est, vir facundus & in sacris literis valde eruditus. Nomen eius in veteri M.S. Codice Alnēsis Monasterij, quo maxime usus sum, non habetur. Mihi coniectura est esse Nicolaum Canonicum Leodiensem, qui & auctor fuit vitæ S. Lamberti, quæ hodie in Ecclesiâ Leodiēsi B *legitur, tum quod Alnensis Codex post vitam S. Lamberti per dictum Nicolaum proculdubio scriptam, immediate subijcit hunc S. Lāberti triumphum nullá interiectá mentione alicuius alterius auctoris, tum quod idem stylus est utriusq; libri elegans scilicet & grauis, & ubiq; phrases sacræ scripturæ, vel ipsas scripturas, vel verbotenus citans, vel obiter citans. Deniq; quod auctor in prologo & alibi indicat se de numero Canonicorum Leodiensium fuisse, qui prosequuti sunt reliquias S. Lamberti cum Bullonium deferrētur & inde referrentur, & scribere partim quæ vidit ipse, partim à fide dignis audiuit. Flore-* C *bat vero tunc temporis, hoc est circa annum Domini 1130. dictus Nicolaus nec ullum alium tunc temporis hystoriam Ecclesiæ Leodiensis scripsisse legimus.*

Hausimus hoc scriptum ex veteri Codice pergameneo MS. Monasterij Alnensis, & altero quem R. P.

Conuentus fratrum Augustinianorum prior nobis suppeditauit.

A PROLOGVS TRIVMPHI S. LAMBERTI MARTYRIS DE CASTRO BVLLONIO, ANNO DOMINI 1141. INDIC. 4. regnante Romanis Conrardo 2. Anno regni eius 4.

AVctor temporum, salutisq; nostrę dispensator Deus, cuius sapientiæ legibus distincta sunt tēpora tacēdi; vt caduca mortalitas ne noxia dicēdo peccaret, fręno
B sui silentij restringeretur, cū rei deposcit vtilitas, & fraterna psuadet charitas, indulget tēpora cū modestiâ loquēdi. *Eccleſiaſ. 3.*

Vtētes itaq; nobis indultâ veniâ, ad laudem & gloriā nominis sui, & memoriā B. Lamberti mart. patroni nostri, quod ipsi permiserit loquamur, qualiter scilicet diebus nostris, *recordatus misericordiæ suæ, memoriā mirabiliū suorum fecerit*, qualiter *depositis potentibus de sede* dans victoriā *de inimicis cornu salutis erexerit.* *Intentio authoris.* *Psal. 110.* *Luc. 1.*

Adiuuet Deus desideriū nostrū, & rubiginē linguæ nostræ spirituali calculo auferat, q *ora mutorū aperit, & linguas infantiū facit disertas*: ipse enim est qui gratiâ meritorū sui Mart. *confundit fortia*, vt infirma corroboret, *superba & alta deijcit, vt humilia exaltet*, vt *qui gloriatur, in Domino glorietur*: quia *nō saluatur per multam virtutem*; & *gygas in multitudine fortitudinis suæ, sed dextera tua & illuminatio vultus tui, Domine, saluos facit sperantes in te.* *Precatio eiusdem.* *Apoc. 2.* *Sap. 10.* *1. Cor. 1.* *Math. 23.* *1. Cor. 1.* *Psal. 32.* *Psal 137.*
C

Iure igitur omnis creatura creatorem suum benedicit, qui fidelibus suis pro veritatis testimonio occisis, adeo præmia digna rependit, vt non diffidamus omnes gloria & honore coronatos in cœlis, quos apud minutos ipsorum cineres, signis euidētibus diuersorum charismatum mirificare non cessat in terris. *Lambertus martyr regnat in cœlis.*

D Sed qualiter hæc acta sint quæ loqui intendimus, cōpendiosè quidem & fideliter prosequamur, vt habeat futura posteritas, quod suis quoque infundat filijs, narrare videlicet laudes Domini & mirabilia eius, qui vsque modò operatur, & *nobiscum*, sicut est pollicitus *manebit*, nec desinet *vsq; ad consummationem sæculi*, tam potestate quam pietate; qui *guttas pluuiæ* numerat & legem ponit procellis sonantibus, imperat ventis & fluctibus, & maria tranquillantur. *Acta praeclara posteritati commendanda.* *Math. 28.* *Eccle. 1.*

A

Qualiter primo castrum acquisierit Ecclesia.

CAPVT I.

Concursus ad recuperandam ciuitatem Hierosolymorum.

ANnno igitur incarnationis Dominicæ millesimo nonagesimo sexto, regnante Henrico tertio huius nominis Romanorum Imperatore anno regni illius quadragesimo, factus est cōcursus innumerabilium occidētalium populorum nobilium & ignobilium, diuitum & pauperum, ex omni professione hominum ad ciuitatem Hierosolymorum, quę à filijs alienis, à prophanis videlicet paganis possessa in opprobrium christianæ religionis eorum sacrilegis ritibus contaminabatur. B

Cruce signantur.

Vbique pax.

Christiani itaque populi signo, & virtute sanctæ crucis signati, & armati vltum ire parant Dei suasque iniurias in hostes christiani nominis, & quanto quisque hactenus ad exercendam mundi militiam erat pronior, tanto ad execrādam mundi malitiam fit promptior; firmissimâ interim pace vbique compositâ.

Matth. 22.

Erat eâ tempestate Dux Lotharingiæ Godefridus Godefridi Gibbosi ex sorore nepos, vir magnæ potentiæ & famosi nominis, qui valde erat in fide pietatis catholicus, & in re militari strenuus; egregiè dispensans seundum concessam *sibi mensuram donationis Christi, quæ Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo.*

Intentio & zelus Ducis Lotharingiæ.

Is ea intentione, quâ cęteri, sed maiori deuotione quam plures alij, C zelum piæ actionis iam mente conceperat, in tantum vt possessiones suas venderet, & earum pretium secum deferret, interminabiliter in præsenti peregrinaturus, quod Deo sibique militantibus erogaret.

Prouerb. 19.

Castrum Bulloniense fuit patrimonium Godefridi Lotharingi.

Descriptio Castri Bullonensis.

Itaque patrimonij sui, quod ei satis magnum remanserat pretium, *fœneratus est Domino dum miseretur pauperibus*, & pro temporalium impendijs, æternorum lucratus est stipendia meritorum. Huic inter cœtera possessionis suæ prædia erat castrum Bullio nomine, naturæ opere valde munitum, quod inter confinia duorum regnorum positum, Francorū videlicet & Lotharingorum adiacentibus vtriusque regni prouincijs hinc inde non minus damnosum erat quam terrificum. D Rupes enim adiacenti flumine Symoi, quod vtroque latere idem castrum alluit, in directum procedens, & in enormem se attollens magnitudinem in superioribus suis in longum latus & arduum protenditur, sed nec ibi vlla sibi blandiens planitie intercisis prærupta scopulis, eis quoque quos recipit præter artis adminiculum inaccessibilem se profitetur. Quæ quidem inter medium montium posita, vtrobique ab eis circumuallatur, sed à se eos decliuis sinus vallium, & alueus subterfluentis fluminis secernit, diuisis separatisque spatijs, vt ei sint potius ad munimentum, quam ad vllius machinamenti, quod obstare possit, detrimentum.

Ab his autem montibus, qui in castello fuerit, nec iactus lapidis A nec tractus reformidat balistarum vel arcuum, quin à supercilio rupis descendat per viam vsu & arte tritam ad aquam hauriendam, penè ab omni securus iniuriâ, nisi ab ipso vallis confinio ei iaculum intentet cum sui periculo cautus arbalista.

Hæc vero rupes in se vel in suis præruptis scopulis nullos nisi de nubibus veretur assultus: & videres eos nec contingeres de scopulo ad scopulum repere manibus ac pedibus. Sola ei obesse potest iugis obsidionis cum innumerabili multitudine iniuria, si desit obsessis victualium & necessariorum copia.

Qua ratione capi potest Bullonium castrum.

Locus autem ad vnum vel duo penè miliaria condensis circumdatur saltibus, vt vix aliquis per arctas & angustas vias, si non est qui B prohibeat, admittatur exercitus.

Hæc itaque insignis marchia Leodicensi nimium vicina Episcopio, illud assiduè vastabat cædibus, rapinis pupillorum & viduarum, omni genere dissipabat, & maximâ ex parte suis reditibus & iustitijs mutilabat.

Bullonium dãnosum Episcopatui Leodiẽsi.

Hac inductus necessitate Obertus, tũc temporis nostræ sedis Episcopus vir sagax vtiliumque prouisor, in negotijs diuinis & humanis apprimè eruditus, dum venalis hæc possessio proponeretur, expertus quid per eam mali passus fuisset vel pati posset, videbat omnino si eam posset adipisci, quod non solum sibi, sed duorum quoque regnorum paci consuleret.

Oberti Episcopi laus.

Aliud exẽplar legit, sed suorũ quoque paci.

Distulit tamen huic se negotio ingerere, donec diuinâ donante clementiâ, hæredum successio ab hoc placito desisteret, & memora-C tus Dux, cessantibus carnis hæredibus, accepto beneficio, Ecclesiam B. Lamberti huiusce possessionis hæredem conscriberet.

Adfuit diuina misericordia, permouit Ducẽ vt offerret beatæ virgini & pio martyri prædictum castrum ob memoriam animarum prædecessorum suorum, conditione interpositâ, vt si infra tempus præfinitum à se vel à suis successoribus tribus quos ipse præscripserat, non redimeretur, deinceps possessio sicut diuiserat cum castello in totum tempus Ecclesiæ assignaretur:

Dux Godefridus suæ possessionis hæredem scribit S. Lambertum.

Episcopus itaque miserijs pauperum compatiens, pie violentus D memoriam beati martyris loculum scilicet in quo iacebant sacratissimæ eius reliquiæ auro coopertum excrustauit, & in maiori Ecclesiâ & omnibus totius Episcopij Ecclesijs, aurum, gemmas, & cætera, quæ decoro ambitu altaria pulpita & textus Ecclesiarum venustabant, detraxit, & mille trecentis argenti purissimi marcis vndecumque corrasis, hac summâ pecuniæ Duci traditâ, prædictum castrum emit, direptiones, captiuitates, mendicitates, pericula mortesque redemit.

Obertus emit Castrum Bullonium 1300. argenti purissimi marcis.

Dux quidem & fratres sui Ierusalem adierunt, vbi strenuè rem vitamque consummauerunt: hæredes subcripti diem obierunt, & possessionem Bullonij sine omni reclamatione legitimis successoribus

 de me-

de medio factis libentibus animis reliquerunt. Sic absque omni iniuriâ Dei dispositione; piâ consideratione, Oberti prouidentiâ, possessio Bullonij in ius ditionemque Leodiensis cessit Episcopij. A

Loci Bulloniensis accolæ quales.

Multorum quidem paci & saluti prouidit, verum rem sibi plenam laboris, periculi, detrimenti acquisiuit. Nam loci illius accolæ inopes, vagi, infidi, rapaces, cum feris contubernium habentes, dum in saltibus bestias insequuntur aduncis manibus, animo plerumque in bestias degenerant, adeò perfidiæ familiares, vt cum siti habendi exæstuant, illi fidem exhibeant, qui maiori eam fuerit mercatus pretio vel munere.

Castrum Bulloniium solicitum postulat prouisorem.

Ipse quoque locus cautum sollicitumque postulat prouisorem, qui quodammodo sui firmitate in se excitare videtur proditorem: quantò enim difficilius capitur, tanto fortius in se admissos tuetur. Obertus quidem quem nullum latebat genus hominū, suo tempore sollicitè custodiæ inuigilauit, animos accolarū magnis frequentibusque donarijs, vt potè vir animo ingens, sibi cōciliauit: & quod acquisierat quo labore tueretur, sedis suæ successoribus experiendum reliquit. B

A duobus pontificibus Obertum sequentibus castrum pacifice possessū.

Sub duobus sanè post eum præsulibus idem castrum cum pace & quiete possessum est, nec erat quispiam, qui sibi ius aliquod aduersus Ecclesiam proponeret, vel euidenti quolibet tumultu molestare eā præsumeret. Suscepit post eos tertio loco sedem clauumque regiminis Alexander, vir magnæ prudentiæ, sagacis facundiæ, in humilitate præcipuus, in oratione deuotus, in eleemosinis pauperum nulli suo tempore secundus. C

ANNOTATIONES.

1. Concursus innumerabilium populorum:] *De expeditione Hierosolymitanâ, vide quæ notauimus in gestis Pontificum Aegidij Aureæ vallis in Oberto, cap. 13.*

2. Vt potius sint ad munimentum:] *Ita legit Codex vetustus pergamenus Alnensis. Codex Augustinianorum Leodiensis legit* munimen.

3. Sed duorum quoque regnorum paci:] *Codex Augustinianus legit*, sed suorum quoque paci.

4. Hæredes subscripti diem obierunt:] *Ita Codex Alnensis: Augustinianus legit*, supra scripti.

5. Sub duobus sane post eum Præsulibus:] *Codex Augustinianus adijcit*, Frederico & Alberone. D

Quâ occasione castrum sit proditum.

CAPVT II.

Totus fere orbis Romanus plenus dissentionibus.

INterea, dum turbato rerum statu in toto ferè orbe Romano, sub duobus Apostolicis Innocentio & Anacleto, duobus Regibus Lothario & Conrado, duobus Lotharingiæ ducibus Godefrido Louaniensi

A nienfi & Pagano de Lemburch omnia diffenfionis nutarent motibus & in iudicijs caufarum iuftitia plurimum periclitaretur impunitate fcelerum, multi aduerfus Ecclefiam calcaneum erexerunt cædibus, rapinis, incendijs Epifcopium Leodicenfe attriuerunt, illi maximè, qui fi incumberent hoftiles acies, illud defendere & tueri debuerunt, completâ fententiâ, quæ dicit: *inimici hominis domeftici eius.* *Math. 10.*

Nec defuerunt periclitanti Ecclefiæ fuæ patrocinia beati martyris cum ipfius tunc Moyfes contra Louanienfem pugnaturus Amalech orationum munitus clypeis, triduano indicto ieiunio in congreffu licet impar, innumerabilem fub mœnibus Durachij fugauit & protriuit exercitum, proftratâ ibi noftris inauditâ diebus multitudine aduerfariorum. Cantandum eft Domino, hymnufque ei dicendus in B his quæ magnifice fecit, ne fi fortè reticendo minus laudes eius annuntiauerimus, filentij noftri pœnas luamus, vt pote eius ingrati beneficijs: & fi enim *fecretum Regis celare bonum eft, opera Dei annuntiare* nihilominus *honorificū eft.* In hoc enim benignior erga nos apparet gratia noftri prouiforis, qui *confringens capita inimicorum verticem capilli perambulantium in delictis* humiliat, & quos aliquando fibi caftigando percutit, ad fe poftmodum conuerfos vt filios fouet & enutrit.

Sub mœnibus durachij noftri innumerabilē profternūt multitudinem.

Tob. 12.

Pfal. 67.

Alexander itaque dum quafi domefticis intendit hoftibus, ab eorum concurfione fines fuæ diœcefis vix conferuans, dumque pluribus tam fuis quam regni infiftit negotijs, diuifus ad multa minus fufficiebat cogitare de fingulis.

Alexander diuifus ad multa.

C Vnde nactus oportunitatem Comes quidam Barenfis, Rainaldus nomine, homo fingularis perfidiæ proditionumque famofiffimus fignifer, Bullonium, corruptis pecuniâ promiffifque maximis cuftodibus, probrose & cum ignominiâ intrauit, nocturno furto, funibus vt dicitur tractus intro ab illis qui fibi tradiderant, & beatum martyrem domo, quam fuo ornatu & de pauperum eleemofinis acquifierat, fpoliauit.

Rainaldus corruptis pecunia cuftodibus Caftrum nocte ingreditur.

In quo fanè non multum culpanda eft pij noftri præfulis prudentia; finit enim hæc fieri fuauiter omnia difponens Dei fapientia, vt mirabile quoque effet in oculis noftris, cum in thefauris poneret D abyffum huius confilij fua prouidentia.

Deinceps noftra refpublica valde attrita eft, & Ecclefiæ quoque facies à priftino vigore multum immutata eft. *Sed nunquid obliuifcetur mifereri Deus, aut continebit in irâ mifericordias fuas.* *Pfal. 76.*

ANNOTATIONES.

1. Cum ipfius tunc Moyfes:] *Codex Auguftinianus adijcit,* Alexander Epifcopus, videlicet præmemoratus.

2. Innumerabilem fub mœnibus Durachij:] *Vide quæ de hac victoriâ notauimus in Geftis Pontificum Aegidij in Alexandro c. 24.*

3. Cùm in thefauris poneret abyffum huius confilij fua prouidentia:] *Ita legit codex Auguftinianus. Codex Alnenfis habet* prudentia, *minus correctè.*

De electione Alberonis secundi.

CAPVT III.

Psalm. 43. Albero cõmunibus suffragijs eligitur Episcopus Leod. & quare. Matth. 20.

CVm itaque in *derisum & subsannationem essemus his qui erant in circuitu nostro* post Alexandri excessum, communibus votis pari assensu, Clerus & populus subrogauit sedi Leodiensi Alberonem Primicerium Metensis Ecclesię iuuenem quidem ætate, sed in signum maturæ mentis canũ capillo, & ei laborãtis Ecclesiæ pondus & æstus portare cõmisit. Elegerũt eum sanè colũnæ Ecclesiæ, hac spe maximè, quod esset de prosapiâ à mari vsque ad mare, palmites suos protendenti, & sororis suæ filius Dux Louanij. Qui duo principes genere, possessione, potentiâ, multitudine illi præsunt regioni, & per eos bella sedari possunt, & pax firmari, ablata restitui & restituta seruari. B

Laceras Episcopij partes magna diligentia recolligit.

Adeptus itaque sedem pontificalem Albero, cœpit totâ vigilantiâ laceras Episcopij sui partes recolligere, impignoratas redimere, àb alijs ereptas arte qua poterat, & modis omnibus reformare. In quibus autem per se non sufficiebat, regiam auctoritatem precabatur, magnis & grauibus expensis eius frequentans curiam, omniumque potentium exorans clementiam.

Cõqueritur præsertim de Raynardi proditione. Psalm. 90. Adit Romam refugium miserorum.

De iniustitiâ & tyrannide quorundam violentorum in conspectu principum conquerebatur, maximè tamen super Bullonij amissione, C & ignominiosâ Raynaldi detestabilique proditione. Ille autem quia metuebat eum, per parentes, cognatos & necessarios amicos ei aduersabatur. Sed Deus misit angelum suum & custodiuit eum per viã quâ ibat, faciens eum à timore liberum, & in periculis securum. Romam quoque adijt supremum refugium miserorũ, querelam suam in auribus beati Petri eiusque Vicarij deposuit, petens & flagitans vt ei iustitia non negaretur, & anathematis sententia in obstinatũ rebellemque tyrannum iacularetur.

Raynardus præiuerat.

Hoc pridem sibi cauerat versutus ille & callidus, Romam adierat, D Apostolicum salutauerat, & in gratiam curiæ iam receptus erat, Haymerico cancellario mediante: vbi etiam mendaciter fictam narrauit Apostolico fabulam, hæreditariâ successione Mathildis marchisæ hanc sibi prouenire marchiam, fingens Ecclesiæ se velle reddere quã præstiterat mille trecentarumque marcarum possessionem.

Promittitur illi quod nõ excõmunicabitur. Albero secũdo Romam frustra vadit.

Conciliatis ergò sibi potentioribus animis, hanc ab eis vt dicitur accepit sibi confirmatam attestationem, quod quamdiu viueret, nũquam pro hac re ei intentarent excommunicationem.

Quapropter Episcopus secundo redijt, nec apud Regem iustitiam, nec apud Vicarium beati Petri vllam consequutus misericordiam.

ANNO-

A ANNOTATIONES.

Quapropter Episcopus secundo rediit:] *Codex Augustinianus adiicit,* inefficax.

De Fossensi incendio.

CAPVT IIII.

B IRritauit potius suos aduersum se inimicos, qui soluto fræno malitiæ ac tyrannidis suæ, improuisi superuenientes, hominesque partes eius sequuti, vt ampliarent aduersus eum deceptionem, insigne oppidum, quod à situ loci Fossis dicitur, occupauerunt. *Inimici Episcopi Oppidũ Fossense occupant.*

Oppidani sane repentino aduentu aduersariorum turbati de stratis consurgẽtes, in munitionem confugerunt, oppidumque rapinis, igne, ferro, depopulandum reliquerunt. *Illud depopulantur.*

Et quia *calix inebrians erat in manu Domini*, cuius pro peccatis *nondum erat fex exinanita*, ignis erumpens de villà, sacras ædes corripuit, & oratorium beati Foillani cum claustro & cæteris canonicorum officinis omnino depastus est, vt penitus domus non remaneret quam ignis non inuaserat. *Psalm. 74. Ignis erumpẽs de villa sacras ædes corripit.*

C Hac itaque plagâ crudeli attritus Episcopus, suum in miserationibus Domini ponit refugium, Romam iam tertiâ vice adiit, in auribus pii pastoris B. Petri iterum querelam suam deposuit, orans vt miseriam suarum ouium respiceret, hostium superbiam, & pro beneplacito voluntatis Domini secundum misericordiam vel iudiciũ subueniret. *Albero tertio vadit Romam, & frustra.*

Attentauit iterum Apostolicum, rogans humiliter vt à communione Ecclesiæ illum filium perditionis separaret, & censurâ Ecclesiasticâ *traderet eum Sathanæ in interitum carnis* vt vel sic resipiscendo saluus fieret. Pecuniâ quoque aggressus est vt eum flecteret; sed nec sic D quidem præualuit; reseruabat enim sibi Deus lachrymas viduarum, miserias orphanorum, clamores & mendicitates pauperum, & iniurias sanctorum, sicut rei probauit euentus. *1. Cor. 5.*

ANNOTATIONES.

Vt vel sic resipiscendo saluus fieret:] *Sic Codex Alnensis: Augustinianus legit* Spiritus saluus fieret.

CAPVT

Consilium & initium obsidionis.

CAPVT V.

REuersus tandem & per viam spinis insidiarum plenam, à Domino liberatus, postquam Leodium venit, omnes Episcopij potentiores Ducem comitesque ad se conuocat, denique si qui ex ipsis in eum deliquerant, dimittit iniurias, donat beneficia, honorifice eos secum cum largo apparatu discumbere facit, sibique caute eos amicitiâ potentiâque deuincit.

Albero quibusdam secreto aperit se velle armis repetere Bullonium.

B Et quia non omnium est fides, paucis, sine quibus res agi non poterat, secretum consilij sui aperit, dicens per misericordiam Dei & eorum auxilium Bullonium se velle repetere: & quia deerat ei Apostolica regalisque iustitia, Dei iudicio deinceps exitium rei committere. Monuit eos vt nulli aperirent cardinem huius consilij; tutissimum namque in expeditionibus creditur facienda nesciri.

Tutissimū est in expeditionibus facienda nesciri.

Hortatur denique vt suos stipendiarios congregent milites, famæ cupidos, ingentes animis, laborumque patientes.

Sed quia cogitabat si congregaretur exercitus, quod cito possent hostes conijcere mysterium consilij huius, castrumque munire armorum victualiumque copijs. Insuper, iter carpere per semitarum C angustias parua manu rem dignam multitudine aggreditur. Atque loco proximus, commone facit suos pro patriâ pro sacris, pro titulis gloriæ viriliter agere, libertatemque suam & pacem fortiter armis tueri.

Parua manu rem magnam aggreditur.

Primus occursus & fuga hostium.

CAPVT VI.

Hugo & Rainaldus incursiones faciunt in Episcopatū Leodiensem.

EA porrò die condixerant filij Barensis Comitis Hugo & Rainaldus incursiones in fines Episcopij facere, sicut sæpe fecerant, & D incolas cum substātiâ & peculijs eorum in captiuitatem ducere. Quapropter multos habebat secum milites in rebus bellicis strēnuos, quos sua inopia auidius instigabat ad concupiscendum & diripiendum aliena.

Occurrerunt itaque sibi inuicem: sed fœlici omine faustoque principio hostes perterriti sunt, & ad nostros terga ad fugā studia conuerterunt. Verum nostrates, itineris difficultate superatâ, insecuti sunt fugientes, eosque per pontem qui est supra Symoin, oppidum quod sub rupe tunc erat, fugere compulerunt, & viriliter eos temerarieque

Leodienses fugant illos.

A queobſederunt, quamuis loco hoſtibus eſſent inferiores, numero penè pares adhuc, ſed auſu præſtantiores. *Caſtrum obſident.*

Auxerat autem hoſtibus formidinem, quod multo plures latere in inſidijs credebant, quam eſſent hi, quos videbant, & per anguſtias locorum, ante caſtrum ditionis alienorum, tam paruâ manu, tanto auſu, tam grande facinus noſtros ſine magnis copijs attentare non credebant. Hæc interim ſollicitudo timorque ſuſceptus pauit exercitũ Domini: quem cum magnâ iocunditate exceperunt valles abundãtes frumento, letæque ſegetes ab omni prorſus iniuria immunes: arridebant eis copioſæ benedictiones abundantiæ, quâ ſufficienter interim adminiſtrare poſſent & equis pabula, & viris alimenta. *Obſeſſorum timor.*

B

ANNOTATIONES.

Sollicitudo timorque ſuſceptus pauit exercitum Domini:] *Ita Codex Alnenſis: Auguſtinianus legit,* Timor ſuſpectus iuuit:

Hæc prima die facta ſunt.

CAPVT VII.

ERat ſub ipſâ arce ſuper ripam fluminis domus, quam ab officij C ſui proprietate molendinum vocant, ſatis vtilis & neceſſaria, in quâ frumenta trita & in tenuem redacta ſpeciem, pane confirmarent obſeſſos. Huic aqua ſeruire cogebatur, quæ per palos, virgaſque palis intextas, ſuper rotarum alueos influebat, & infuſione ſua celeriter mouere & voluere faciebat. Quæ res valde erat obſeſſis idonea, eiſque magnam parabat reſiſtendi audaciam, & obſeſſoribus ſemper ſuæ pigritiæ improperabat ignauiam. Huic machina erat ſuperpoſita, quæ defenſores ſuos in ſuis mœnibus & propugnaculis tuebatur, & impugnatores ſuo loco appropinquantes telorum turbine per baliſtarios & ſagittarios remouebat. *Molendinum Bullonenſe.* *Machina molendino ſuperpoſita noſtris incõmoda.*

Itaque Henricus Comes Namurcenſis, iuuenis quidem ætate, ſed animo ingens, cuius induſtriæ & potentiæ maior pars huius militiæ D obſecundabat, præceps fluuium quaſi campum ingreditur, hortatus iuuenes miniſtros militum, vt alueum dirumperent, & aquam ſuæ libertati reſtituerent, vt quæ in anguſtum coacta ad hoſtes fortior profluebat & vtilior, in latitudinem diſtenta tenuior redderetur, & officinæ ſuæ ferias induceret, dum propter ſui raritatem opus molẽtis impediretur. *Henrici Comitis Namurcenſis egregium facinus.*

Vbi voce agnitus & habitu, à tribus baliſtarum iaculis tractus eſt: quorum vnum equi, cui inſidebat, armos poſteriores penetrat, alterũ crus Comitis ſauciat, tertium equi nihilominus ilia perfodit, ipſumque vnacum Domino in medium fluminis deijcit: ſed cito ei ſubue-

nitur. Clamor magnus & fragor vtrimque oritur, hostibus audacia simul & lætitia geminatur. A

Deiecto in flumen subuenitur.

Erectus verò vaginâ liberat ensem, & quia proximus erat hostibus, simul euentu rei turbatus, vnum suorum, qui eum tenebat, hostē ratus, in capite percussit, qui tamen cassidis beneficio illæsus permāsit. Exclamat ille denique, se socia arma gerere non hostilia, & suæ ereptioni venisse famulatum non captioni.

Henricus Comes acrior redit & quod prius aggressus erat perficit.

Ita reductus ad suos, vbi primum vulnus à se ipso attrectatum & inspectū stillare cruorem cessauit, ne diutius hostes inaniter gloriarentur, iterum equo ascenso, acrior ex hoc effectus, ad negotiū quod cœperat reuertitur, effecitque alueo dirupto, ignauo silentio, mutam torpere molendini officinam. B

Has primitias operum dies ille primus habuit: hoc ordine Episcopus suum Bullonium visitauit, hac benedictione sui Episcopij partes ab alijs peruasas salutauit. Sic diei cursu consummato, nox superuenit quâ canitur *quod mentes fessas alleuet, quod luctus soluat anxios.*

Hym. Ecc.

Obsidentium sollicitudo, & timor.

CAPVT VIII.

SEd quæ alijs parit quietem, laborumque largitur otia, pro tempore, exercitui Domini attulit sollicitudinem, videlicet vigilias procurare, excubias ordinare, cautaque prouidentiâ quid oppidani moliantur, explorare. C

Obsessi multa timent.

Nam quia in castro & in eius suburbio copiosa multitudo tenebatur hominum, si conarentur eruptionem facere, vix qui obsederant possent eorum incursum sustinere. Coërcebantur autem virtute diuinæ potentiæ, *sub quo curuantur qui portant orbem.* cuius consilij altitudo iam erat manifestanda, & *in portu filiæ Syon* mirabilia eius prædicanda: quæ enim alia vis quam diuina eos continebat, cum adeò parui penderēt quos videbant, vt noctem illam in castro iocis, plausu, choreis, citharis & citharedis, iuuenes, & pueri, puellæque, totam penè ducerent insomnem. Quid aliud eos quam diuina dispositio obsidebat, cum ingredi vel egredi, efferre vel inferre liceret quod vellent absque omni obsessoris reuerentiâ. D

Iob. 9.
Psal. 9.

Obsessi diuina virtute continentur.

Verebatur exercitus Domini ne veniret è regione Rainaldus senior collectâ auxiliari manu, vt eos ab oppido castroque deterreret, suosque qui intra tenebantur, ab obsidione liberaret.

Præterea deerant exercitui cibaria, quia per angustias locorum nullus erat qui transferre auderet victualia cibi & potus, donec adeò inualescerent virtute & numero, vt metum hostibus incuterent, formidinemque & detrimenta mercatorum tollerent, & vndique castelli.

stelli mœnia pro sui firmitate, omni fortunæ armorum resistentiâ,
A viris & armis circumcingerent.

His difficultatibus circumuenti, statuerunt milites semper in armis paratos esse ad omnem tumultum sollicitè sibi quemque consulere; & si rei poposcisset vtilitas, pro famâ & patriâ, pro vitâ & gloriâ volentibus animis promptisque obsequijs se clarissimos exhibere.

Presul Albero itaque concione aduocatâ, vt experiretur in incœpto eorum constantiam & fidem, simulque vt consilium rei faciendæ caperet breui oratione pro tempore libatâ, sic ad eos cœpit.

Albero suorũ animos explorat.

ANNOTATIONES.

B

Præsul itaque concione aduocatâ:] *Ita Codex Alnensis: Augustinianus legit Præsul Albero.*

Oratio Præsulis ad milites.

CAPVT IX.

Ecce nobilissimi Heroës, strenuique milites, adest dies quam vestra virtus flagitare videbatur, negotium ingessit se vobis animis vestris conueniens & studijs.

Doctâ & graui oratione acuit animos suorũ militum, primo ex iustitia causæ.

Famæ enim gloriam (quam inconsulto furore virtus vitæ prodi-
C ga inanibus appetebat ineptijs in tormẽtis torneamentorum vestrorum) hic tantam acquiretis, vt memorijs æternis nomen vestrum semper laudabiliter viuere faciatis: Illic enim detestabili periculo contra ciuiles cognatasque acies solâ plerumque ostentationis causâ, aut ornatioris & venustioris caballi cõcupiscentiâ pugnabatis, hic magnifico conflictu veros hostes verâ persequuti militiâ, à finibus patriæ propulsabitis: Illic leui incursu lancea mortis interimẽte ante ad plausum iudiciumque fortunæ occiso lethaliter commilitone vestro, crimẽ gloriæ vestræ impingitis: hic si occideritis victoria est: si occubueritis propter causæ iustitiam, peccatorum venia & iudicis
D speratur misericordia: Illic, longè à studijs militaris professionis aduersos, contra ius & fas ipsa vos faciunt arma nocentes: hic autem auctoritas pugnandi ab ipsis procedit legibus, per quas sancitum est, vt qui aliena peruadit, non exeat impunitus.

Ex vera gloria assequenda.

Ex libertate patriæ.

Pugna vobis est, egregij milites, cum hoste cuius virtutem dolus, cuius audaciam fraudulenta deceptio, cuius triumphos latrocinia, cuius promotionem proditiones semper illustrauerunt. His studijs imbuit adolescentiam, exercuit iuuẽtutem, sic omnem impræsentiarum duxit ætatem: Diuitiæ eius rapinæ: opes eius damnum commune: gaudiumque & lætitiã eius miseriæ luctusque plubicus auxerũt.

Ex Flagitiosa vita Raynaldi.

Ex damnis patriæ illatis. Ex quo immanis ac fera hæc belua nostris irrepsit finibus, scitis equidem quanta nobis detrimenta, quod calamitatis reliquerit monumenta. Hæc præsumptuosam temeritatem vestra ei, quam obsedistis, confert marchia, in qua tutum se gaudet habere refugium, quā in exterminium patriæ nostris præcessoribus abstulit per immane flagitium. Ipsius scelera terra ferre non sustinet, videre cœlum refugit: quibus enim abstinuit sacrilegijs huius violentia raptoris? Vsque ad altissimum eius peruenit superbia, qui volens terminare peccatum, vos operis huius ministros elegit, vt *Dei in hoc adiutores* efficiamini, qui & virtuti vestræ augebit gloriam, & labori vestro mercedem rependet non perfunctoriam. A

1. Cor. 3.

Ex remissione peccatorum. Hæc denique bella expiabunt quicquid à vobis alias delictum est: hæc seria corripient quicquid iocis nocuisque nenijs minus consultè commissum est. B

Ab exemplis sanctorum & fortium virorū è sacra scriptura petitis. Gaudete vos magnanimos, beatissimorumque virorum in hoc imitari vestigia, qui pro patria pugnantes occisi pro domo Israel, in memoria sunt æterna. Sic *Iosua, Dauid,* & *Ezechias* pugnauerunt: hoc ordine *Iudas*, *Ionatas*, *Symon* cæterique Machabeorum principes sanguine quique suo, & morte patriam redemerunt.

Iosue. 24. 3. Reg. 2. 4. Reg. 20. 2. Mach. 8. & seq. 1. Mach. 12. 1. Mach. 16.

Nec diffido huic nostro operi diuina affore præsidia, nec deerunt nobis beatæ virginis pijque martyris, cuius deuotioni famulamur, patrocinia.

Expergiscimini itaque aliquando viri fortes & vos industrios iudicet negotij præsentis experientia, quod multis argumentis commēdauit pietas, fides, & iustitia. C

Ex præsidio diuino & Sanctorum.

Non hic, vt ille ait, agitur de vectigalibus, non de sociorum iniurijs, libertas & anima nostra in dubio est. Quapropter, consulite vobis, prouidete famæ, succurrite patriæ, quæ in manibus vestris suam libertatem posuit, quæ prostrata vestris pedibus ereptionis suæ opus vos perficere supplicat, vt quæ vestram laudat audaciam, miretur patientiam, & per vos partam pacem gaudeat hominibus non solum huius, sed & futuri temporis.

Ex pietate in patriam.

Hostibus equidem nostris diuina & humana infesta sunt, quos circumuallabat horror animi, & torquebunt in corpore diræ scelerū actiones, condemnabitque eos dira conscientia, censor suarum nequitiarum. Superabit profectò virtus vestra si quid est arduum, qui belli negotia per vsum exercitationemque pluris semper fecistis quam otium. D

Et quia pro pace Ecclesiæ hic quoque in fame & siti, in frigore & nuditate, laboribus & ærumnis carnem vestram affligitis, in armis vestris signum victoriæ Christi ponetis, & sint vobis dogmata militaria crucis inuictissimæ insignia, vt per signum quod ostendit Dominus Ezechieli, ab omni aduersitate liberemini. Hac humilitatis vestræ consideratione miserebitur vestri Deus omnium, nec *relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum.*

Ex virtute signi crucis.

Ezech. 9.

Psal. 124.

Et

A Et quoniam in multis offendistis, & iram superni iudicis irritastis humi prostrati, veniam præcedentium delictorum petite, absolutionem & benedictionem potestate à Deo nobis indultâ suscipite, omnemque huius operis laborem, in fructum veræ pœnitentiæ, remissionemque sustinete. Inueniet humilitas vestra clementem Dominũ, qui non *spernit cor contritum & humiliatum*, Certe pulsabit eius aures vestra pœnitentia, nec à castro remouebimur, donec portas eius nobis aperiat diuina misericordia. *Exhortatur ad pœnitentiam.* *Psal. 50.*

ANNOTATIONES.

B Quibus enim abstinuit flagitijs huius violentia raptoris?] *Sic legit Codex Alnensis: Augustinianus adycit.* Quibus enim pepercit Ecclesijs, quibus abstinuit sacrilegijs.

Petitio tollendi martyrem.

CAPVT X.

Postquam præsul finem dicendi fecit, erecti omnes quasi diuino mouerentur oraculo responderunt: Enitemur pro viribus modis omnibus, dabimusque operam vt res nostra prospere admi-
C nistretur, si venerit in castra noster ille martyr cui militamus, qui constantiam infundat animis nostris, & corporibus prouideat sanitatem, animabus æternam impetret salutem. Ille denique si huc afferatur, afflictos consolabitur, tœdiosos roborabit, vulnera nostra curabit, omnemque languorem auferet, opus cœptum maturabit, & paci nostræ consulet, & Deum pro nobis orabit, & placatum faciet. *Milites quasi diuino moti oraculo corpus S. Lamberti martyris ad castra deferri petunt.*

Respondit præsul hæc difficilia esse, vt thesaurus tamdiu absconditus reuelaretur absque sui præsentiâ, cum per se quoque vix auderet illud sacratissimum corpus mouere, nedum transportare absque Archiepiscopi & Suffraganeorũ suorum, Comitum quoque & Prin-
D cipum, cæterorumque regni primorum solemniter aduocatâ præsentiâ. Mandaret quidem populo de ciuitate villisque & vrbibus vt sibi cum armis & victualibus affatim subueniret, beatus verò martyr vt pote qui deuotione præsens erat, pro eis intercedere non cessaret. Quibus, cum hæc verba non satisfacerent, sed magis magisque instarent, dicentes se loco negotioque desistere si non impleretur quod ipsi diuinitus inspirati acclamabãt. Victus tandem Episcopus, videlicet, quem pro tempore vrgebat necessitas, communicato consilio cum Archidiaconis quos secum habebat, consensit, vt beati martyris reliquiæ illo afferrentur. *Albero Episcopus non audet corpus S. martyris locomouere, sine superiorum licentia.* *Instantibus militum precibus vincitur Episcopus.*

Præmiserat quidem nuntium cum litteris, quibus mandabat con-

A

ANNOTATIONES.

1. Hæc fide, quâ poterat, cum lachrymis quoque Archidiacono prosequente:] *Augustinianus legit: His cum lachrymis Archidiacono quoq; prosequente. &c.*

2. Persuadente D. Ioanne Archidiacono necessitas coëgit assensum:] *Ita legit Codex Alnensis: Augustinianus adijcit:* persuadente D. Ioanne de Louuerual Archidiacono.

3 Quid autem ea nocte æditui Ecclesiæ:] *Aegidius Aureæ vallis de his aliquid dicit cap 30.*

B

Miracula in delatione S. Martyris.

CAPVT XI.

VEnit dies, quæ toto desiderio expectabatur, & conuenerat ferè tota ciuitas suum visura antistitem, quem cum metu & reuerentia viri religiosi de secreto illo in quo diu iacuerat, ad publicũ nostrum produxerunt, & in medio Ecclesiæ deposuerunt. Resonabat Ecclesia laudes Deo pro memoriâ beati martyris, omnisque sexus & ordo cum gemitu & lachrymis eius se commendabat patrocinijs. Illi diei vix certè totius Bullonij fructus & vtilitas potest comparari, cum *seruirent* vtique Domino *cum timore & exultarent ei cum tremore,* & peccatorum remissionem impetrarent, & iram iudicis flecterent fructuosæ fidelium lachrymæ. *Aetas auctoris.* C *Psal. 2.*

Postera die, tempestiuis horis dictis regularibus, impositæ sunt reliquiæ quæ delatæ sunt in illo feretro quod auro olim exuerat Obertus Episcopus, dum Bullonium venderet Ecclesiæ B. Lamberti Dux Godefridus.

Præcedente itaque clero cum crucibus & cereis, pia sarcina humeris deportata est per montem publicum ad Mosam fluuium: Antecedebat quoque beatum martyrem portio ligni viuificæ crucis, quæ cũ magnâ veneratione apud nos seruatur, quam portabat sacerdos quidam Ioannes, lignum per quod Diabolus est victus, in quo signum victoriæ portusque & ara salutis datur piè credentibus. *Feretrũ sancti Martyris per publicum montem ad mosam defertur.* D *Portio quoque ligni viuificæ crucis.*

Plena erat via matronis & pueris imprecantibus prospera maritis & filijs & patribus & se luctuosè sacris reliquijs effundentibus, vt lætificaret iucundo reditu, quos contristabat tam luctuoso discessu.

Vbi autem naui impositum est feretrum, sequuti sunt oculis quoad potuerunt, & tanto patri tamque fideli patrono valedicentes, ad propria quasi de quolibet dilecti funere remearunt. *Imponitur Feretrum naui.*

Exibant autem obuiam sancto martyri de vicis & villis iuuenes & virgines

Lignum crucis & merita martyris multis salutem adferunt.

virgines, senes cum iunioribus, & laudes Deo canentes, benedicebant in nomine Domini prætereuntibus. Fiebat autem via salutaris per signum viuificæ crucis & beati martyris merita gloriosa, & diuersis infirmitatibus oppressis multa Dei pietas impendebat beneficia. A

In villa freitura cæcus illuminatur.

Vnde in villâ quæ dicitur Freitura, cœcus quidam egenus obuiam factus beatis reliquijs, vt tetigit loculum, cum fide quâ credidit, lumen recepit.

Alius Lambertus nomine sanatur.

Præterea, miles quidam Lambertus nomine, qui quaterno typo diu laborauerat, & graui dolore capitis assiduè molestabatur, ad ferêdam deuotam sarcinam pie suppositis humeris, miro iucundoque euentu, dum onus leue portat, onere annuæ egritudinis solutus est. B

In Vsey prima nocte quiescût S. Lamberti reliquiæ.

Secunda in Telin.

Nocte illâ ad Vsey in Ecclesiâ delatæ sunt reliquiæ, vbi cum cereis & luminaribus deuotio fidelium pernoctauit oppido gaudens pro tâto hospite. Mane cœpto itineri insistunt missarum & horarum solênijs celebratis, & vespere ad Telin villulam peruenerunt. Hæc autê villula quia ciues Hoyenses quos sustinuerat velut hospites beneuolos, in direptionibus annonæ & totius peculij sustinuerat prædones crudelissimos, omnibus suis erat destituta.

Terror hostium ex aduentu corporis S. Martyris. C

CAPVT XII.

Quidam Canonicus nunciat aduentum Reinaldi & suorum.

Legatio Abbatis montis Cornelij ad Episcopum.

Corpus S. Martyris venit Vilanciam.

INter eundum verò quidam de canonicis beati Lamberti, regressus de hostico nuntiauit Archidiacono & primatibus, qui erant in exercitu Reinaldum penè cum quindecim milibus peditum & equitibus quingentis appropinquare, & à castello spatio vix quatuor miliariorum distare, & sequenti die tertio videlicet Kalendas Septêbris, horâ diei tertiâ, cum nostris velle confligere. Vnde festinè nocte mediâ dirigitur legatus ad Episcopum Abbas montis Cornelij cû Ioanne sacerdote sanctæ crucis custode, qui certius ista discerent festineque renunciarent, vt ad auxiliû sociç multitudinis prout necessitas incumberet festinantius accelerarent. Mane denique cum maturius cum pignoribus beati martyris de Telin mouisset exercitus, celeriter Vilanciam peruenerunt, vbi Ioannes sacerdos rediens, eo die hostes denunciat pugnaturos. D

Nostri per viarum angustias properant ferre opem, socijs.

Hoc igitur nuntio multorum fracti sunt animi, multique refugerunt, plures tamen qui remanserant signo victoriæ Christi præeûte, alacres & iam de victoriâ præsumentes, viarum ingressi angustias opem ferre socijs celeriter properarunt.

Continuit autem Deus eo die impetum hostium iucundo satis e-

A uentu. Missi erãt altrinsecus exploratores, qui sibi inuicem occurrẽtes, alterutrũque taciti tanquam nihil vidissent, & perterriti quique ad suos redierunt. Et aduersariæ quidem multitudini sui retulerunt exercitum, qui castellum obsederat, multum esse & fortem, superuenisse tamen eis multo numerosiorem. Hoc itaque nuntio attoniti, quod proposuerãt non impleuerunt. Milites vero nostri vt erant hac expectatione loricati, occurrerunt beati martyris reliquijs, humique prostrati salubribus lachrymis eius se deuotioni commendauerunt, & humeris gestantes, castellanis suum defensorem præsentauerunt. Cantabãt clerici Deo laudes impositã antiphona *O crux splendidior cunctis astris*, & ad laudem patroni sui conclamantes: *Fortis in aduersis.* Laici verò post eos *resonabant in voce exultationis & confessionis.* Dum igitur B solenni tripudio exultarent, & beatum martyrem humili affectione supplicarent, Dominus omnipotens fecit virtutem propter fidem & testimonium sui antistitis, & tunc quoque *cælum eius patuit precibus, & oratio ad supernos peruenit auditus.* Nam hi, qui in turribus erant & superbâ loci firmitate confidebant, vt beati martyris loculum viderũt, subitâ formidine sunt attoniti, & rebellibus iam fracti animis, hac singulari machinâ præsagierunt se posse superari.

Occurrunt sibi inuicem exploratores.

Hym. eccle.

Psal. 41.

Hym. eccles.

Hugonis confessio.

C

CAPVT XIII.

STabat in vestibulo basilicæ respiciens per fenestras Hugo Rainaldi filius miles egregius, caput & princeps obsessorum, qui viribus subitò destitutus, repentinaque formidine correptus, exanimis corruit ad aspectum sanctarum reliquiarum.

Hugo conspectis S. martyris reliquijs exanimis corruit.

Verum subleuatus à suis, vt primum sanæ menti restitutus est, vocato seorsim fratre suo Rainaldo, & quibusdam primoribus suis, quorum maximè innitebatur cõsilio, Et quid (ait) commilitones egregij, diutius resistimus? Quamdiu cõtra ius fasque domus huius iniusti peruasores contra Deum sanctosque eius pugnabimus? An cõsideratis obsessores nostros quos adiuuat etiam ipsa causæ iustitia qualiter augentur viribus, copijs, multitudine, quibus nec patris mei D potẽtia, nec omnium auxiliariorũ eius possit manus resistere, quin insuper cœlesti se muniunt beneficio & virtute?

Oratio Hugonis ad suos.

Hactenus quidem arcem insuperabilem omnibus machinis strenuè defendimus, fortunam nostram & audaciam hostibus quoque nostris gloriosam ostendimus, nec segnitiæ nos arguere possunt, nec pigritiæ denotare: vsque nunc fortes fortibus quia homines compositi fuimus hominibus paresque eis videmur robore mentium, quia nullum adhuc inter nos discrimen fecimus virium: Nunc autem cum sacra secum attulerint, quæ se causantur spoliata decore, fraudata

data domo, iniuriata quietis suæ habitatione; cauendum nobis est ne offendamus Dominum, contra *quem non est ratio, non est consilium.* A

Prou. 21.

Honesto itaque conueniente placito, celamus diuinitati humiliemus animas nostras omnipotentiæ eius, interim dum locus est veniæ, dum adhuc saluti nostræ & vitæ parcitur, quia miles emeritus, qui nunc in castra venit, velimus nolimus, sua domo non fraudabitur. Quapropter si vestra patiatur benignitas, descendam, domumque hanc vna mecum perpetuæ virgini pioque martyri dedam, ne veniat super nos indignatio, & corripiat nos Deus non iam in misericordiâ, sed in iudicio.

Suadet reddere castrum.

Num. 1.
Iob. 3.

Instantia Hugonis pro castri deditione. B

CAPVT XIIII.

AD hæc verba iuuenis, dum frater ipsius & alij diuersa sentiendo nutarent, vnus eorum dixit: Vtile quidem est, amantissime iuuenis, quod persuades & necessarium, licet dignitati tuæ nostræque famæ titulis videatur indecorum: imputabunt enim hæc hostes nostri formidini, non sano consilio, & suæ multitudini, non propitiæ diuinitati, & in crimen vertetur gloriæ nostræ tam præcipitata deditio. Præterea sacramentum patri tuo fecimus, quod sine eius consilio nullâ violentiâ domum istam cuiquam restituemus: C vnde nec tibi in hoc obtēperare possumus. Sed quia res imperat quod consilijs differatur hac hebdomada deditio, interim mittetur patri tuo Domino nostro tuæ voluntatis & nostri consilij legatio. Accelerate, inquit iuuenis, & nolite negligere, inuitus moras has patior: si quid enim veri mihi mens augurat, non sine nostro deinceps terminabitur incommodo & indecore. Ita quidem se spondent facturos.

Primores dissuadent.

Rem ad Rainardum Comitem referendā dicunt.

Mirabantur tamen, nec satis admirari poterant de subitò mutatâ animi eius magnitudine, cuius timiditatem nunquam experti fuerant vllo belli discrimine. At verò iuuenis sui non immemor, sacerdotem, quem secum clauserat obsidio, consulit de animæ suæ salute, locum, quem dono patris sui iniustè susceperat, abdicat dicens D se grauiter metuere, ne periculum, quod verebatur, incurrat.

Mirantur Hugonis mutationem.
Hugo apud Sacerdotem abdicat se castro iniustè à patre sibi dato.

Tandem transactâ hebdomadâ, conuocat eos, qui indutias deditionis acceperant si iam consilio priori acquiescerent, dederentque se necne. Qui cum respondissent se curis maximis implicitos minimè adhuc quempiam misisse, toruo vultu eos respiciens: cur, inquit, negligitis, cur tardatis, & mea verba quasi vilis mancipij paruipenditis? Misereminі mei, ô milites, si quid vnquam de vobis benè merui, & solliciti iuuenis anxietatem cōsiderate, crucior interius & torqueor, vixque sanæ mentis compos sum. Mittite citius qui mādata perferat, ne nos obstinatos Deo & rebelles fuisse non expediat.

Igitur

A Igitur, cum viderent eum eadem animositate quod cœperat prosequi, non valentes eius vltra contraire voluntati, eadem nocte per viam occultam Lambertum militem, & antesignanum militum ad Rainaldum direxerunt, fide ab ipso prius susceptâ, quod in sequentẽ dominicam ad eos rediret, omni occasione postpositâ, nisi mors aut captiuitas eum præoccupasset. *Obsessi mittũt Lambertum militẽ ad Rainerum seniorẽ.*

Dum itaque illius præstolantur reditum, defluxit hebdomada, & lapsa est fides non solum temporis, verum etiam promissorum effectu: nihil enim de obsessis quorum legationem susceperat, Rainaldo retulit, sed sociatus Herberto de firmitate cuidam prædoni inter cõdensa syluarum latens, in hos, qui vectualia exercitui deferebant, latrocinia exercebat.

B

ANNOTATIONES.

Tandem transactâ hebdomadâ conuocat eos, qui inducias deditionis acceperant, si iam consilio priori acquiescerent:] *Sic legit Codex Alnensis: Augustinianus aliqua interserit hoc pacto.* Tandem transactâ hebdomadâ conuocat eos, qui inducias deditionis acceperant; sciscitaturque ab eis, quem patri miserant, & quid ab ipso in responsis acceperint, si iam consilio priori &c.

Amentia Hugonis.

CAPVT XV.

C

HVgo tamen ad diem denominatam conuocatis eis cum quibus rem habuerat, vt didicit nullũ emersisse salubre cõsilium, nec Lambertum fuisse reuersum, vltima desperatione affectus: occidistis me, inquit, amici, & ecce pereo: domum enim hanc beata Dei genitrix, & testis Domini pretiosus restituent nostris obsessoribus, mihi verò iam diuinâ vltione cum sensu rationalis intelligentiæ aufertur compositæ mentis habitus.

Et hæc dicens cœpit pugnis pectus tundere, manibus crines lace-
D rare, toto corpore coram fratre & amicissimis suis militibus se miserabiliter dissipare: Etiam omnino aliena loquebatur, sæpius tamen in hæc verba ferebatur: quærite consilium, quærite consilium. *Hugo pugnis pectus tundit & manibus crines lacerat.*

Dum sic iuuenis torqueretur, sui tandem flentes & dolentes in secretiorem eum locum deportauerunt, deputantes ei custodes, qui manus pedesque illius continerent, ne, sicut cœperat carnes, scinderet vnguibus, & implacabiliter se vulneraret.

Ille tamen linguam morsibus appetebat, & valde suspirans, crebra ducens suspiria, triste iudicium paternæ tyrannidis, infœlici euẽta cum sæuissimo sui corporis cruciatu soluebat. *Linguam morsibus appetit.*

Tandem consilio habito, decreuerunt Rainaldum iuniorem delationem fraternæ necessitatis patri nuntiare, vt pater viso placaretur filio, & affectiōe alterius filij in supremis cōstituti deuictus, parui pēderet possessionem, propter quā tam gratissimū amittebat hæredē. A

Diuina in omnes obsessos vltio.

CAPVT XVI.

Rainaldus iunior frustra ad patrem mittitur.

ERat adhuc in castris equus magni pretij, cursu cæteris velocior & nondum, vt alij, defectus viribus, quem à Theoderico de turre commodauerunt hac conditione, vt si perderetur, nec ei restitueretur, sexaginta libras susciperet pro equi commutatione. B

Equus ad iter paratus diuinitus redditur immobilis.

Paratur equus, & frenos suscipit ore, conatur minister vt prodeat è stabulo, terret voce, cædit flagello, sine sensu doloris, veluti in simulachrum obriguisset, animal immobile perseuerat. Insidet tergo equi, vrget calcaribus, amictu velat oculos, vt vel sic decipiatur & exeat, sed equus nullo modo cædentibus obtemperat. Sic defatigati dimittunt cui imperare non poterant, & vix tandem senserunt stolidi quia *fallax equus ad salutem.* Et ita quidem iuuenis cui parabatur, remansit: comprehenderat enim eos Dominus *in sagena sua* & retibus tenebantur, quibus se explicare non poterant.

Psal. 32.

Ezech. 12.

Mane sequenti, Dominus equi dolens, iussit ministro, vt si posset eum aliquo modo educere, largiretur eum alicui de hostili multitudine, quia mortem eius videre vt nefas ducebat: quem sine vlla repugnantia de stabulo eductum, & de supercilio montis ad aquas deductum, Comes Namurcensis, cui mittebat, paratum ascendit, & in cursu reuera velocem & bellicosum reperit. C

Donatur Comiti Namurcensi.

Denique non solum filios Rainaldi diuina vltio sic castigabat, sed & omnes, qui in castello tenebantur, seditio, dolus, ira & dissentio afficiebat. Die quidem necessitas defensionis eos ab inuicem continebat: noctibus verò dum post laborem quietem sperarent, sibi suspecti sibique infensi inuicem penè consumebantur ab inuicem. Plerūq; strictis inter se pugionibus decernebāt bacchantiū more furētes, & causas irarū penitus ignorantes. Hæc quidē interius agebātur. D

Obsessi seditione, dolis, ira, dissentione miserè afficiuntur.

Bacchantium more furore agitantur.

Diuina pro obsidentibus beneficia.

CAPVT XVII.

VT verò ad ea quæ extra gerebantur redeamus, Episcopus beati martyris loculū iussit ferri in eam partem castelli contra malū pertu-

A pertusium, in pratum, quod dicitur sancti Lamberti, quod Symois alluit, vbi & castris locus & exercitui commeatus suppetebat.

Feretrū in medio exercitus collocatum.

Illic in paruo arctoque satis posuerunt feretrum tentoriolo, deputatis in circuitu suis in tugurijs cum Domino Ioanne Archidiacono clericis, qui *vespere, & mane, & meridie narrarent & annuntiarent laudes Domini*, vt in tempore oportuno exaudiret voces eorum.

Psal. 54.

Illic quoque ciues & populus Legiæ sua fixêre tentoria, quibus præesse iussus est Eustachius aduocatus de Hasbania.

Eustachius aduocatus Hasbaniensis præest militibus Leodiensibus.

Tertia verò die postquā illuc nouus venerat exercitus, vt sua mœnia solueret hostibus post missarum solemnia, post admonitionem verbi Dei & confessionem absolutionemque peccaminum, machinam, quæ supra Symoin erat & molendinum tuebatur, vi assiliunt,
B ignique iniecto in fauillam & cinerem vnà cum domo quam seruabat redegerunt.

Machina quæ molendinum Bulloniense tuebatur igne concrematur.

Contigit autem eo die duos in exercitu ruere, pluribus vulneratis, inter quos & Gerardus sacerdos iaculo ictus caput, vulneris dolore postea occubuit, dum vult fortiter agere, dum sine consilio exit in pugnam.

Denique per dies viginti, cœli fuit valde serena facies, & velut *columna ignis* olim Dominus populum suum in nocte illuminabat; sic etiam castra illius exercitus lunæ clarioris sydere serenabat. Fouebat exercitum omnino grata temperies, & suppetebat pene ad superfluitatem omnium necessariorum copia. Pax quoque inter eos tāta erat
C & concordia, vt inter vulgares quod etiam in vrbibus obseruari difficillimum est, vix saltem verbo sonarent aspera, sic continebant manus suas, vt nulla aut parua in toto hostico exercerentur latrocinia. A Domino vtique hoc fiebat, qui ponebat *eius solitudines quasi ortum Domini* vnde infra hos dies non belli discrimina, sed quasi feriata negotia tractabant, velut inuitati ad nuptias, & frequenter inter vina ludebant & epulas.

Per viginti dies magna cœli serenitas.
Exod. 13.
Copia commeatus.
Maxima in castris concordia.
Esa. 51.

Quapropter dum insolenter & liberius iusto vagaretur exercitus abundantia superflua peperit inopiam, & pauperes populi cœpit grauare caritas victualium, famæ cupidos cœpit tædere morarum, im-
D properantes ducibus consiliorum segnitiam; & quia nil iubebantur facere, minus clarere suam dolebant audaciam, impediebant enim nostri duces certaminis Episcopum quidem machina quam parabat in Bellomonte ad capiendum illum cum minori suorum detrimēto, Comitem vero, domus quæ trahēda erat, super Symoin, in qua arbalistæ constituendi calumniarentur aquam haurire obsessos.

Abundātia peperit inopiam.
Prudentia humana.

Cæterum Deus qui suo nomini ascribere volebat victoriam, adeo omnium prudentium exercitus nostri perdebat sapientiā, vt nunquā aut vix mane teneretur quod vespere consuleretur. Vnde & populus dilapsus est dum viderent inefficaci studio se tempus perdere & sua consumere, adeò vt vix in duabus noctibus diebusque tribus in omni circa eam partem in qua tentoriolū B. Lamberti splendebat planitie

Deus vult suo nomini ascribi victoriam.

remanerent trecenti partim tœdio, partim inopia necessariorum, A
partim metu hostium, qui superuenturi sperabantur pluribus recedentibus.

Iam magna Ioãnis de Lovvernal Archidiaconi.

Ibi Dominus Ioannes de Loujerual Archidiaconus cum sua familia noctu excubans in castris circa reliquias patroni sui, iam cœli immutatâ facie inundantiam imbrium supra vires & ætatem alacriter tamen sustinebat, & alios, qui licet iuuenes ætate & agiles essent corpore iam penè deficiebant, de patientiâ admonebat vir consilio prouidus, prudentiâ callens, sapientique & modestâ eloquentiâ summus, cuius merito, quam in hoc hostico exercuit, laudanda esset industria, si adhuc *diei sufficeret malitia sua.*

Math. 6.

Fama denique ferebatur in castris Rainaldum exercitum congregare, auxiliariorum manum validam contrahere, ad ereptionem suorum festinato properare, quæ licet minus implere sufficeret, non mediocri tamen impedimento erat principibus nostris omnia suspecta habentibus, & impensas tantæ multitudinis non sine vexatione sustinentibus. B

Fiducia obsidentium in Deo & S. Lamberto suo patrono.

CAPVT XVIII.

DVm hæc in exercitu agerentur, venit nox, in qua memoria agitur gloriosi martyris. C

Sola fiducia Dei & patroni sui Lamberti inuadunt castrum.

Itaque propter preces fidelium non sine diuino instinctu misit Deus in mentem principum, vt non diu expectarent domum vel machinam, sed manefacto confisi in Domino & sui patroni adiutorio, inuaderet pedestris exercitus Bellum montem, militaris verò cohors intra duas munitiones consistere conaretur.

Igitur quinto decimo Calend. Octobris in natalitio beati martyris, vt se quisque ad assultum prępararet, ædictum est in castris. Certatim igitur quisque de syluis in congeriē ligna deferebat, & igni supposito turrim ligneam Bellimontis conabantur incendere. Sed vento vehementi ex aduerso veniente, fumi iniuria simulque flammarū globi plus offuit assilientibus, quam impediret obsessos: tamen quos igne lædere nequibant missilibus nimis, assiduoque vsque in vesperam assultu affligebant. Nihilominus de intus pluebant in nostros saxorum telorumque grandines, & de scorpionibus dirigebantur lapides, sudibusque præustis, & rotis rotatis in præceps omnique genere defensionis laborabant. Eo tamen die nostrates licet incautè dimicarent, & toto corpore forent hostibus expositi, vix fuit aliquis qui quereretur vulnera, qui grauatum se assultu diceret, martyris patrocinio omnē illis euentū prosperante. D

Nostri quãuis toto corpore hostibus expositi essent, non vulnerantur.

Miles

A Miles verò qui reptabundo gressu iam superni montis præcipitia euaserat, nullum passus est in ascensu impedimentum, præter naturaliter inuia abrupta collium: de cæteris etenim munitionibus in circuitu nullus fuit qui resisteret ardua montis præoccupare nitentibus, omnibus qui in eis erant intestino inter se malo dimicantibus. *In castro omnes intestino malo inter se dimicant.*

Iam verò facto vespere, cum pars exercitus descendisset, Comes vero Namurcensis temeraria & periculosa audacia plusquam dignitati suæ & diuitijs conueniret, cum parte aliqua militari (quos tamen in ascensu solita animositate præcesserat) inter iuga duarũ munitionum resedisset, conati sunt, qui erãt in Bello monte eum abstra- *Audacia Comitis Namurcensis.*
B here. Sed dum iterum se grauari ab eo assiliendo viderent, dextras petierunt vt cessaret assultus, vsque ad mane sequentis diei.

Hugo petit absolui ab Episcopo & cum suis promittit deditionem castri intra septem dies.

CAPVT XVIIII.

HOc die Comes Salmensis Henricus natus de sorore Comitis Rainardi venit in castra, petijtque Episcopum vt concederet tibi visitare nepotes suos quos infirmari audierat. Et ne forte
C suspectus esset exercitui ipsius ingressus, mitteret secum virum sani consilij & boni testimonij, qui de pace cum ipsis consuleret. Multis super hoc consilijs principes dies detinebant, & tandem dum in aliquo vtile fore quod quærebat autumant, propter viri fidem, prudentiam, & honestatem, & modestiam, quod humiliter petebat, ei concedunt. *Henricus Comes Salmensis petit ad castra accessum.*

Qui ingressus, vt vidit cognatũ vnicè sibi dilectũ torqueri miserabiliter, lachrymis ora rigauit, & pro tempore verba retulit quæ imperabat dolor. Et quoniã aduertit hanc diuinæ vltionis esse plagam, consilium habuit cum his qui inclusi tenebantur, quos suprema for- *Aduertit in Hugone cognato diuina vltionis plagam.*
D mido angebat ne similia paterentur. Nox illa teterrima fuit & horrida pluuijs, procellis, tempestatibus, loca castrorum replens omnia, & vt verè fatear, nisi Dominus *diluuium inhabitare fecisset, forsitan aquam tam intolerabilem non* sustinuisset exercitum tam prædicanda patientia: gaudebant enim suis in miserijs, & humili expectatione virgam sustinebant Dominicæ probationis, vt consolaretur eos baculo piæ visitationis. *Nec confusi sunt, quoniam sperauerunt in Domino*: nam & milites qui excubabãt armati in supercilio montis, (quod mirabile forsitan videatur & incredibile) asserebant se nunquam leuius belli pondus & armorum tulisse. *Patientia obsidentium.* *Psal. 28.* *Psal. 30.*

Manefacto, descendens de castello Comes Salmensis impetrauit ab Epis-

ab Episcopo & primoribus obsidionis vt Hugo ferretur ad feretrum A beati martyris, commotis omnibus ad misericordiam dolore calamitatis ipsius, & terrore nimio stupefacti super nouis & recentibus Domini mirabilibus. Spoponderunt autẽ qui in castello erant, quia nisi infra septem dies eis à Domino suo subueniretur, quod omnino tunc erat impossibile, castrum dederent impunitate rerum & corporum concessa, & interim obses detineretur infirmus.

Obsidentes stupent audire ex Comite Salmẽsi Domini mirabilia.

Obsessi promittunt deditionẽ intra 7. dies.

His firmatis conditionibus, deportatur infirmus in lecto ante Episcopum, cuius tantummodo cognitionem tenuit, Dominum eũ appellans, & petijt vt ab excommunicatione eum absolueret, & indulgentiam eorum, quæ in sanctum deliquerat sua peruadendo hac extrema necessitudine largiretur. Flebat autem Episcopus, & charitatis affectu compatiebatur misero, & ne quid *super dolorem vulnerum* B *adderet*, absolutionem & indulgentiã prout petebat, ei non negauit. Deinde ad patrem illius comes Salmensis reuertitur.

Hugo petit absolui ab Episcopo.

Psal. 68.

Absoluitur.

Deditio Castri Bullonij.

CAPVT XX.

Diuini examinis vindictã, dolorẽ filij, supremas suorũ necessitates barbaris auribus explicat; hostiũ alacritatẽ, fortitudinẽ, C multitudinẽ denũtiat, eius se pedibus prosternit flagitãs vt sibi vel sero consuleret & honeste saltem filio mori concederet, deditionem persuadet fieri castrumque melius vltro, quam cum iactura omnium suorum dimitti.

Comes Salmensis persuadet castri deditionem.

Expendens itaque vir efferus quia in se vadit cum vadit in Deum, annuit fieri quod petebat, si tamen viuens adhuc inueniretur filius qui ægrotabat: at si vita excessisset, iunior filius in obsidiatũ transiret Episcopi, deditio vero in suum differretur aduentum.

Repedant legati, iuuenem viuentem reperiunt, castrique deditionem continuo faciunt. O triumphalem & faustum diem!

Castrum deditur Episcopo.

Post hæc, frater Hugonis iunior Rainaldus adductus ante feretrũ martyris, toto fere inutilis corpore, absolutionem postulat & meretur, promittitque quod nihil in æternum de B. Lamberti possessionibus vsurpabit, si ei præsens iudicium euadere donetur. D

Rainaldus iunior petit absolui ab Episcopo.

Sic eiectis de castro aduersarijs, intromittũtur reliquiæ beati martyris & locantur in medio Ecclesiæ, omnibus in commune Deo laudes canentibus, ex recordatione præteritorum mirabilium & exhibitione præsentium.

Reliquiæ S. Martyris intromittuntur in castrum.

Erat autem nox in qua solemnizat Ecclesia natalitium beati Mauritij sociorumque eius, quorum sociali agmine beatus patronus noster stipatus, famosum de hoste consequutus est triumphum.

Aguntur Deo gratiæ.

CAPVT

A

De morte Hugonis.

CAPVT XXI.

ITaque ea nocte legitimis possessoribus in castro exultantibus, aduersarij quondam nostri, qui viderant oculis suis Dei mirabilia, dolore torquentur geminato, mortuo Hugone iuuene clarissimo, egregio satis milite & industrio. *Moritur Hugo corporaliter.*

De quo quidem multi nostrorum bonam spem habent quod veniam & misericordiam possit adipisci, si permittat *altitudo diuitiarum* *Rom. 11.*
B *sapientiæ, & scientiæ Dei, cuius viæ inuestigabiles, & iudicia incomprehensibilia*: tertiâ enim antequam excederet die, humili affectu viaticum susceperat, & postquam beatus Martyr gloriosus victor in castellum delatus est, in eius tentoriolo se deferri fecit, in loco in quo iacuerat sanæ menti restitutus est, gratias de triumpho martyris, de arce reddita egit, gratias eis quoque, qui sibi infirmo in castris obsequium præstiterant, retulit. Et licet mortem temporalem non euaserit, potens est Deus ab æterna morte liberare eum, qui non iudicat bis in idipsum. Et quis scit an ideo *raptus sit, ne iterum malitia mutaret intellectum illius?* Non enim ideo grauatur eius causa quia mortuus est, cum mortibus corporum alios quoque legamus non propter sua sed aliena peccata, vbi
C magis est in dolore cordis plaga viuentium, quam in resolutione carnis pœna morientium: vbi animæ de corporibus exeuntes habent causas suas vel bonas, vel malas, non ideo grauatæ, quia exutæ. *Spes de salute animæ Hugonis.* *Sap. 4.*

ANNOTATIONES.

Itaque ea nocte legitimis possessoribus in castro exultantibus:] *Codex Augustinianus addit.* Et circa reliquias patroni sui clericis cantantibus, &c.

D

Corpus S. Lamberti martyris Leodium refertur, in itinere plura fiunt miracula.

CAPVT XXII.

MAne post missarum solemnia cum exultatione & lætitia inclitus triumphator è castro elatus est, cuius sacrum feretrum super carrum impositum, vsque Dionantũ oppidum, euectum est.

Auctor narrat visa à se miracula. Quid referam solemnem gloriam, triumphum magnificum ingenio tenui, lingua vix balbutiente, cum si adesset mihi Maronis vel Homeri facunda loquacitas, non sufficeret explicare? A

Deuotioni tamen tuæ, beate Martyr, prout vires dederis famulabor, dicãque quod vidi, quam gloriose Namurci cœcum illuminaueris à natiuitate puerum septennem. Andanæ iam de ipsis mortis faucibus reuocasti clericum iuuenem. Hoij contracto gressum dederis, quem nunquam parentes viderant euntem.

Iam perlatus Leodium, quâ deuotione susceptus sis, quanto honore ciuitatem tuam coronaueris, dicant tui filij, quos dulciter enutris, fortiter defendis, misericorditer tueris: dicant altiori ingenio, digniori eloquio, dentque meæ pusillitati veniam, qui fideliter B catholici & catholicè religiosi in cæremonijs Domini tuo patronatu multis præeminent ciuitatibus sinceræ & orthodoxæ fidei inuiolabilem firmitatem seruantes, & per *rationabile obsequium* quod Deo exhibent, omnem hæresim, & quicquid sanæ doctrinæ aduersatur, destruentes. *Precatio pia & modesta auctoris.* *Rom. 12.*

Illi inquam gloriam, quam à Deo in regno suo consequutus es, dicent melius quia sapientius & potentiam tuam loquentur: tu verò secundũ bonitatẽ tuã miserere mei, quia *imperfectum meum vident oculi tui.* Tu mihi beate martyr Christi & venerande sacerdos impetres perfectionem & populo tuo perpetuam pacem, vt de transitorijs tẽdentes ad perennia, quò nunc suspiramus, possimus respirare cantãtes tecum: *beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Amen.* C *Psalm. 138.* *Psalm. 83.*

Soli Deo honor & gloria.

A

VITA AVCTORIS
EX EIVS SCRIPTIS.

AVctor triumphi S. Lamberti in Steppes fuit Canonicus Leodiensis, vt videre est cap. sexto huius libri, sic enim ibi de se ipso loquitur: vidimus postea illos, *scilicet Abbates per Hugonem excommunicatos*, in nostro maioris Ecclesiæ capitulo confusos nimiũ & abiectos.

Fuit professione Theologus, vt apparet ex ipso libri prologo.

Nomen eius hucusq; reperire nõ potuimus, vel quia illud modestiæ causa subticere voluit, vel quia librariorum incuria periјt.

B *Quidam Lambertum vocatum fuisse autumant, eo quod sub idem tempus Scholasticus Leodiensis Lambertus vocaretur, cuius est res capituli scribere & asseruare.*

Scripsit tres libros; quorum duobus primis, ex professo vitam S. Odiliæ Leodiensis, & filij eius Ioannis Abbatuli, eorumq; occasione plerasq; res insignes, quæ illo tempore in patria & diœcesi Leodiensi acciderunt, verè & accuratè tãquam partim à se visas, partim à fide dignis auditas, depingit. Tertio triumphum de Henrico primo Brabantiæ Duce precibus & meritis B. Lamberti martyris in loco de Steppes obtentum, eadem fidelitate & diligentiâ prosequitur; quem hic primum typis excudi curamus.

C *Fuit verò auctor vir non eruditus tantum, sed pius, & virorum piorum amãtissimus, & inter alios S. Odiliæ & Ioannis Abbatuli de quibus diximus. Sic enim in fine secundi libri felicem dicti Ioannis ex hac vitâ transitũ describẽs ait;* Siquidem vsque modo viri Dei prosecutus materiam, quem viuentem dilexeram, diligam & in morte, quia charitas non excidit. *Et paulo post.* Certè quo ad vixit currebamus pariter, quanquam diuerso genere : Nam & illo constitutus in stadio, veritate & opere currebat ad brauium, ego

D verò cursus illius modum circuiens, suorum virtutes inuestigabam operum, mandans illa sedulo proximis in exemplum.

Desumpsimus hunc tertium librum ex veteri M. S. codice pergameneo Bibliothecæ q. R. Domini Arnoldi à VVachtendonck, Ecclesiæ collegiatæ S. Martini Leodiẽsis Decani, de historiâ Ecclesiæ Leodiẽsis benè meriti: priores duo libri M. S habentur in Bibliotheca S. Martini Louanij, sed primo capite mutilati.

PROLOGVS AVCTORIS. A

DE TRIVMPHO S. LAMBERTI MARTYRIS IN STEPPES OBTENTO.

In libris Theologicis non verborum compositio sed materies rei gestæ probatur.
1. Cor. 4.

QVoniam in libris theologicis non sermonis facundia, aut verborum compositio, sed scriptoris simplex intentio, & descripta meræ rei gestæ B
materies, apud veros Rhetores approbatur: volenti mihi seriem istius texere lectionis, ipsius quoque finem concordare principio, pro *minimo est vt hoc qualecunq; meum à vobis diiudicetur eloquium*, dummodo pijs lectoribus materiæ veritas patefiat; nec superfluis, & quæ ad rem non pertinent, verborum folijs inuoluatur. Tantum in hoc mihi deprecor indulgeri, si forté prout res expostulat, in loquendo modum excessisse videar: cum super hoc & historiæ me defendat auctoritas, quæ dignitate sui, sub molestâ C
breuitate non patitur coarctari.

Dignitas materiæ non patitur se breuitate coarctari.

Cum præsentis ergo lectionis, tota materies tam mera per totum veritate refulgeat, vt nullius mendacij tenebroso velamine indigeat palliari: lectorem meum moneo, vt dictis fidem adhibeat. Digitum ori meo superponere, quam vera non dicere, maluissem.

Auctor fidem sibi haberi petit.

Igitur quia Leodiensis Ciuitas meritis & patrocinio sui martyris gloriosa, nūc peccatis exigētibus ab hostibus Brabātinis deprædatur: operæ precium est rerum gestarum causam & ordinē D
paginæ præsenti inserere, qualisque paulo post de prædicto scelere sit lata victoria: quantaque similitudine visiones prædictis respondeant, quas seruis suis Dominus, hoc est matri & filio, dignatus est reuelare.

ANNOTATIONES.

Matri & filio:] *hoc est S. Odiliæ & eius filio Ioanni Abbatulo viro quoq; sancto, de quibus auctor duobus suis prioribus libris agit.*

CAPVT

A

Quod castrum de Moha seminarium fuit destructionis ciuitatis.

CAPVT I.

CVm Comes de Moha Albertus ex vxore non posset hæredem suscipere, Domino inspirante, deliberauit animo gloriosum martyrem Comitatus sui propinquum statuere, pro temporali munere bona sibi perennia thesaurisans.

Comes de Moha meditatur S. Lambertum hæredem instituere.

B Erat autem tum temporis Hugo vir magnus ex regali prosapia Leodiensi Ecclesiæ præsidens, qui viri propositum ad finem idoneũ perducere satagebat. Cuius Comes ductus consilio, die sibi præfixâ venit Leodium, & ipsum allodium cum suis appendicijs super altare maioris Ecclesiæ nostræ tam deuotè, quam solemniter per ramum & cespitem reportauit. Quod vt esset firmum in posterum, charta de his componitur, & ipsorum sigillis principum confirmata, penes Ecclesiam seruanda reponitur in hæc verba.

Reportat castrum de Moha ad manus Hugonis Episcopi.

Vt ea quæ geruntur in tempore non labantur cum tempore, scripti debent munimine perennari.

Charta reportationis.

C *Innotescat igitur tam futuris quam præsentibus, quod Comes Albertus de Moha, allodiũ suum de Moha, & de VValeue, cum familiá & omnibus appenditijs suis pro se & omnibus antecessoribus suis, ad honorem Dei & B. Dei genitricis Mariæ & B. Lãberti, Ecclesiæ Leodiẽsi cõtulit liberè & absolutè; tali interueniente cõpositione; quod ipse in priori liberâ & legitimá possessione, quam diu viuet, iam dictum allodium possidebit. Post mortem verò eius, si decedat sine liberis, iure hæreditario, omni alio hærede excepto, ad iam dictam Leodiensem, liberè, & absolutè pertinebit. Alioquin, si filius vel filia superstes fuerit iure hæreditario supradictum allodium possidebit; hoc modo, quod ab Ecclesiá præfatá in feudum recipere, & ligium homagium facere tenebitur. Qui etiam filius vel filia si sine liberis subindè decesserit; vsq; in tertiam & quartam generationem, & amplius ad prætaxatã Ecclesiam memoratum reuertetur allodium liberè, & absolutè. Actum anno verbi incarnati millesimo ducentesimo quarto indictione septima.*

D

Comitem pœnitet facti. Cum autem Comes, succedente tempore filiam habuisset ex suâ coniuge, cœpit super dictâ collatione allodij pœnitere. Sciens tamē factum hoc irreuocabile, venit ad Ecclesiam, maioresque precatus *Petit pecuniā ab Episcopo.* est, vt monerent Episcopum ad soluendum ei quandam pecuniam, quam debebat: quod se facere vnanimiter promiserunt. Et paulo post, idem Comes viam vniuersæ carnis ingressus est. A

Hugo cōponit cum Theobaldo de dicta pecunia. Comperto autem Episcopus, quod Theobaldus Ducis Lotharingiæ filius Gertrudem filiam defuncti Comitis accepisset in coniugē, cum eo, tanquam mamburno legitimo, mediāte Abbate Altæ syluæ, de prædictâ amicabiliter composuit pecuniâ; compositionem ipsam scripto mandans propter calumniam, & eam ex assensu partium penes Ecclesiam seruari faciens, sub hac formâ. B

Compositionis formula. *Ego Henricus Dei misericordiâ Altæ syluæ dictus Abbas omnibus ad quos præsens scriptum peruenerit, salutem in salutis auctore.*

Noueritis vniuersi, quod cum inter Episcopum & Ecclesiam Leodiensem ex vnâ parte, & Albertum bonæ memoriæ quondam Comitem de Moha, ex alterâ quæstio habita esset in vitâ ipsius, super quadam summâ pecuniæ, & rebus alijs, quas idem Comes requirebat: post mortem eiusdem comitis dictus Episcopus ex vna parte, & Dux Lotharingiæ, & Theobaldus filius eius mamburnus Gertrudis filiæ dicti Comitis ex alterâ, in nos voluntariè compromiserunt de his omnibus. Et nos omnibus istis pacatis & dimissis ordinauimus inter ipsos quod ipsi sibi inuicem vbi poterunt cum honore, auxilium facere, & ferre de cætero tenebūtur. Et quia in his omnibus fuit eorum consensus, præsentem paginam sigillo nostro, & sigillis eorum in testimoniū fecimus communiri. C

Dux Brabātiæ præstitam Comiti de Moha pecuniam repetit ab Episcopo. Cognitâ autem Dux Brabantiæ morte dicti Comitis, sui scilicet cōsanguinei, conuenit Episcopū volens in castro de Moha custodes suos ponere, & ipsius allodij redditus percipere, donec sibi plena fieret solutio de quadam pecuniâ, quam viuenti præstasse se dicebat Comiti supradicto. Non sic ait Episcopus, sed cum Rex Romanorū *Quid Episcopus respōderit.* in partes nostras venerit, pariter properemus ad curiam, ordinationi parentes atque consilio, quod à viris illustribus fuerit ordinatum. D

Quo audito recessit Dux perfidus præsulis sermonibus non intendens.

CAPVT

A

Quod Dux conuenit Regem Ottonem de patrando scelere:

CAPVT II.

ANno autem Domini millesimo ducentesimo vndecimo Otto Rex filius Ducis Saxonum venit apud Maguntiam, plurimos ad se viros nobiles cõuocauit. Inter ipsos autem Brabantinus Dux imo magis à fide Barbarus affuit. Præsul verò interesse non potuit, Nam in ipsum Regem ob caussas multiplices, quas enarrare lõgum est, à summo Pontifice quarto Innocentio excommunicationis sententia iam fuerat promulgata. *Dux Brabãtiæ interest conuẽtui Ottonis Regis.* *Hugo non vult interesse.*

B

Nactus itaque Dux tempus congruum voto suo, ipsum Regem adijt; habitoque consilio hanc ab ipso lætus accepit sententiam; aut ciues Leodienses voluntati Regiæ omnino submittere, aut ipsorum ciuitatem diuitijs spoliatam incendio deuastare. *Sententia Regis & Ducis Brabantiæ.*

Reuersus itaque de curiâ conuenit Episcopum; & prima verba repetens aiebat. Aut concessa Comiti, per te mihi reddetur pecunia, aut in breui meo exercitu castrum vallabitur ante dictum. Quod audiens Philippus piæ memoriæ Namurcensis quondam Comes, Præsulis consanguineus; Ducem sic allocutus est. Et si castrum obsideas, volo vt fide interpositâ, & dato pacis osculo, mihi statim spondeas nihil te mali in totâ dyœcesi illaturum. Et annuens intersigno pacis & fidei, vt petierat, sic respondit. *Dux Brabãtiæ promittit se nihil mali illaturum Diœcesi Leodiensi.*

C

Præter hæc autem, si quando cum suis Episcopus loquebatur de Duce, dicebat nullas debere suspicari insidias, cui Dux cõtra omnes opem ferre iurauerat; & suum ipse Præsul sacro de fonte filium susceperat, quod amoris erat indicium & vinculum amplioris. *Hugo Episcopus de Duce Brabantiæ nihil mali suspicari vult.*

Nihilominus quod latebat homines, occultum scilicet Ducis maligni consilium, & futurum in rebus vrbis excidium, seruo suo Dominus monstrare dignatus est, in hunc modum. *Deus reuelat cuidam seruo suo consilium Ducis.*

Aspiciebat in visu noctis, & ecce gloriosi martyris in sinistro latere inclinatum erat ciborium, cuius casus imminens tantam circunstantibus ingerebat formidinem, vt ab Ecclesia fugere compelleret vniuersos. Rursus factus in extasi, in latus aliud inclinatum videt, cum tanto periculo, vt omnes sicut anteà fugerent circonstantes. Vidit & ecce tertio, à sinistro iam latere ipsum ciborium in substratã testudinem casum facere, non minari: Lapsoque eo vacuus remanebat muri circuitus: ipsum quoque super vacuum lapidem visum est residere. Prima inclinatio, vrbis fuit vastatio: secundam & tertiã prece Matris & virginis, & B. Martyris nos credimus euasisse. Quod visum maioris Ecclesiæ Decano innotuit: qui futurum vrbis timens excidium, conuersus ad Ecclesiam à Martyre glorioso capitis inclinatione *Visio serui Dei*

D

natione auxilium expetebat. Vidit vir Dei iterũ in ipso ciborio stellarum multitudinem; & in earum medio crucifixum positum, claritatem solis suo vidit lumine superantem; & eius sublateribus gloriosam virginem Beatumque Martyrem gauisus est se videre. Tunc verò ad cor rediens crucifixus cognouit esse doloris iudicium, sicut cum Petro dicitur *venio Romam iterum crucifigi*. Volensque non poterat à visu remouere intuitum donec claritas imminuta deficeret, & postmodum visio dispareret. Vtque visionem trinitas impleret, vidit idem per spiritum vrbem totam sic mosæ circundari fluuio, quod inuenire semitam nemo poterat euadendi. A

Quod lucens appareat.

Excidium ciuitatis Leodiensis prædicit vir incognitus.

Et quia duorum testimoniũ verum esse dicitur, quod vir Dei præuiderat, per alienum hominem Dominus dignatus est attestari: venit in vrbem vir quidã incognitus, qui stans in vrbis medio, locum ipsum in proximo deprædandum asseruit; apprehensusque à ciuibus, affectusque verberibus, est eiectus. B

Auditis visionibus, solliciti attendamus qualiter prædictis conueniat exitus rei gestæ.

ANNOTATIONES.

Seruo suo Dominus monstrare dignatus est:] *Ioanni Abbatulo, de cuius virtutibus auctor duobus prioribus suis libris multa refert.*

C

Quod à Duce & suis deprædata est ciuitas.

CAPVT III.

Exercitus Ducis.

CONgregato Dux immenso suo exercitu, terræ suæ fines egreditur, castrum de Moha obsidere se velle simulans, re autem verâ malignum, quod cum Rege habuerat, consilium perfecturus.

Exercitus Episcopi.

E contra verò suum Episcopus vocauit exercitum, & Rasoni militi portandam mandauit baneriam; quia Hasbaniæ aduocatus factus de medio, cuius hoc ferre est, hæredem nullum, præter duas puellas paruulas, dereliquerat.

Raso Armatur in medio maioris Ecclesiæ.

Proximâ ergò tertiâ feriâ ante ascensionem Domini dictus Raso in medio maioris Ecclesiæ, vt est moris, armatus est, & vexillum accipiens cum ciuitatis populo vrbem egreditur, & in villâ de Horion tentoria statuêre. D

Querela Rasonis ad suos milites.

Quod vt Duci innotuit; inito cum suis consilio, ad internecionem ciuium conflictu congredi voluit repentino. Raso autem ad resistendum manum se videns habere exiguam, primos exercitus cum lachrymis sic allocutus est. Heu heu fratres, si ego cum Duce vellem congredi trecentorum militum stirpis meæ vallatus auxilio securè confligere

A configerem; cum in hac beati Lamberti acie, licet tantam habeat familiam, vix decem valeam milites inuenire. Reuertamur igitur fratres Carissimi, expedit enim nostra perdere, quam corpora; nam si res depereant, fortassis corpora saluabuntur.

Regrediens itaque primo mane vigiliæ ascensionis Domini vexillum reportauit, vnde illud sumpserat, sanctæ Trinitatis ipsum recollocans in altari.

Præsul enim Ducis non attendens malitiam, paucos secum milites conuocauerat, propter fœdus quadruplex; cum esset ipse Dux fidelis Ecclesiæ; & Præsulis filiolus, erat Ducis filius; & in omnem hominem se illi iurauerat, comitique, vt dictum est, statim datâ fide, & osculo mentiens promiserat nihil in Episcopio se sceleris illaturum. *Hugo quare exiguum militem congregarat.*

B Circa horam autem diei nonam, Henricus de Iacia Archidiaconus Ecclesiæ vrbem ingrediens populo acclamauit, Ecce turba, & Dux perfidus appropiat, vt nos perdat: vnde quidam clerici, & ciues perterriti, fugientes sua, quæ poterant, subtraxerunt. Reliqui autem dicebant, nihil in Duce peccauimus.

Cognitoque Dux quod plurimi aufugissent, intrans Hasbaniam, illos insecutus est.

Tunc Godefridus de Caluo mõte vir nobilis videns Ducis initiatã malitiã: dixit ei; Video quod manũ in vrbem vultis extẽdere; nunc cum omnibus meis oportet me recedere, quia tantum flagitium videns non valeo sustinere, Cui Dux, si recesseris, inquit, à me, ab omni-C bus tuis bonis extirpabo te. *Godefridus de Caluo monte non sustinet Ducis Brabantiæ malitiam.*

Henricus autem ille de Iacia, & Thomas de Hemmericourt tam enorme Ducis flagitium mirabantur; quibus ille prædictum Regis Ottonis exponens velle complere propositum; clerus, ait, vrbis & populus si non fecerit fidelitatem dicto Regi, meus statim ciuitatem exercitus deprædabitur, & vastabit. Cui viri. Et si hoc, inquiunt, facere non tenemur, parendum tibi pro tempore, si tamen Præsul nõ venerit, præsens enim habebit disponere de præmissis. *Dux Brabãtiæ aperit propositum suum.*

Mittitur ergò ad Præsulem, qui erat tunc Hoij, vt periclitanti suæ subuenire non differat ciuitati. Qui descendens Leodium modicâ turba vallatus equitum, non poterat credere hoc Ducem velle facere, tot pacis, vt dictum est fœderibus violatis. Siquidem nondum ci-D uitas muris circundata erat. *Hugo non credit.*

Cognito autem Dux Episcopum aduenisse, irrupit Leodium, Walerani ductus, & fretus consilio, & suorum. *Dux irruit in Ciuitatem.*

Videns tandem tam enormem perfidiam: Carissimi, aiebat prædoni resistite; nam benè quidem mori est gloriosius, quam fugere inhoneste. Qui resistendi locum non habentes, cœperunt fugere præsule derelicto. Bartholomeus autem, quidam miles de Rocuert præsulem allocutus, abscedamus, inquit, hinc, pater carissime, si enim hostes te inuenerint, non quidem interficient, sed captum esse faciẽt opprobrium vniuersis. Qui verbis multis acquiescens, cùm veniret *Omnes deserũt Episcopum.*

ad loca difficilia, suos fugientes hortabatur resistere: sed terror nimis inuaserat fugientes. A

Episcopus meditatur relinquere Diœcesim.

Retinetur bono Thomæ Archidiaconi consilio.

Ipse quoque amarus animo hoyum reuertitur, vocatisque munitionis custodibus, & eis vale faciens natale solum vult repetere, diœcesim derelinquens. Quod videns Thomas Archidiaconus vir boni consilij: Cur, ait, pater sic recedis? Certè & si improuisus Duci non potes resistere, tẽpus adhuc veniet, quo in eum grauius poteris prævalere. His igitur animatum verbis Episcopum reducens in oppidũ deliniuit.

Veniensque illâ horâ Philippus Comes prædictam Ducis perfidiã coram multis explicans, Episcopum mouit ad lachrymas, motus ipse. B

Quanta illic exercuerunt crimina.

CAPVT IIII.

Brabantini opprimunt ciuitatem nulli parcentes.

ANno igitur verbi incarnati millesimo ducentesimo duodecimo, in Ascensione Domini, pariter & inuentione sanctæ Crucis horâ sextâ oppressa est ciuitas Leodiensis à proprijs filijs Brabantinis, qui irrumpentes in vrbem, viperarum more, sanctæ matris vterum non timuerunt scindere, nec Deo, nec Ecclesiæ, neque ordini, ætati, aut sexui deferentes. C

Spoliant Ecclesiam & ad illã confugientes.

Quid plura? Maioris Ecclesiæ gazophilacium fregeruntque sacrarium, eijcientes eos, quos mortis metus illic appulerat, colligatis manibus ipsorum ex funiculis, circa sanctissimum corpus martyris: & captiuos secum ab Ecclesia propellentes.

Quascunque, inuenerunt mulieres aut paruulos suis nudarunt vestibus.

Etiam sacerdotes.

Cuiusdam criptulæ infringentes ostiolum, inuentumque quendã sacris indutum vestibus præ timore, nudauerunt Presbyterum, nudum coram ara in quo missam mane cantauerat relinquentes, & ab eius pectore tabulam argenteam, in quâ Dominicæ crucis erat particula rapidè abstrahentes, quam postmodum Abbas Alnensis remisit Ecclesiæ, ab ipsis, qui eam rapuerant, iam redemptam. D

Fracto autem armario librorum multorum eiecerunt copiam.

Sacramenta violant.

Non contenti his, ab Ecclesiâ beatæ Virginis in loco Baptismatis Corpus Dominicum de vase in quo erat, sine vllâ producentes reuerentiâ, sanctas ibidem effuderunt Hostias: quas propter sedentes nudatæ sumpserunt deuotissimè mulieres. Insuper sacræ vnctionis effuderunt oleum.

Exeuntes inde, & domos claustralium omnes confringentes, inuentumque in domo sua virum modestum, maioris scilicet decanum

Ecclesiæ

Ecclesiæ proprijs nudauêre vestibus, affectoque contumelijs illude- *Claustra Canonicorum confringunt.*
A bant impij, ipso & præsente, & Duce perfido intuente, & super talibus non mediocriter exultāte: Clamabat autem decanus ad Ducem: *Decano maioris Ecclesiæ illudunt.* Quare tantā in me grassari tuorum permittis insaniam? Dux autem liberationem illius annuens, ipsum inter manus suorum satellitum tristissimum dereliquit.

In ipsâ autem maiori Ecclesiâ quidam iuuenis læthali percussus vulnere sanctæ Trinitatis altari incubuit, & occumbens inibi proprij sanguinis maculam dereliquit quæ indè ablata non est . . . permanens in altari per annum & dimidium, minus diebus vndecim quo intra septa Ecclesiæ lugubris, diuinorum non fuit celebratio, donec vrbi & Ecclesiæ de prædicto scelere grandis, & terribilis est col- *Quidam percussus sanguine maculat altare S. Trinitatis & in eo moritur.*
B lata victoria: & tum ab ipso pontifice, & suis sequentibus recōciliatâ Ecclesiâ in festo B. Seuerini, eadem ablata est macula de altari. Verū qui dictum transfodit iuuenem, in festo nostri Martyris occubuisse dicitur fraterno cæsus gladio, eiusdem impij, qui beatum martyrem occidit, nequaquam degenerans vltionem.

Et vt paucis concludam singula, omnes fractæ Leodiensis Ecclesiæ, libri, vestes, vasa sacra, sublata sunt omnia: totaque per vrbis ambitum supellex multa ciuium; sed per dei gratiam matronæ, virgines, & viduæ seruatæ sunt. *Omnia vastat.* *Matronæ virgines & viduæ conseruatæ.*

Videntes autem clerici tantam perfidiam Ducis, & ipsum descēdentem montem, qui sanctæ Walburgis dicitur, sic allocuti sunt. Vt quid Domine maiorem Ecclesiam, & sancti cassam martyris sine fideli custodiâ reliquisti? Ille autem Pilati vtens sermonibus, *ite*, ait, *Dux Brabātiæ verbis pilati vtitur.*
C *custodite sicut scitis.* *Math. 27.*

Tuncque adeuntes Willermum fratrem Ducis virum bonum, & dolentes super his, cum ipso ad Ecclesiam deuenerunt. Iam fracto gazophilacio de sacratis vestibus, cappis, albis, casulis, & vasis argēteis, thuribulisque aureis nequam illi insimul colligatis sarcinas sibi fecerant: quæ omnia præfatus Willermus excussit fideliter de manibus pessimorum. *VVilhelmus frater Ducis vir bonus quid fecerit.*

Veruntamen librum, qui est regula, tres pelles argenteas, & pixidem, & duo vasa altaris ministerij, omnia hæc argentea furati sunt: reliqua sunt per Dei gratiam custodita. *Omnia vasa argentea furantur.*

D Vniuersa quoque loca Ecclesiæ contaminata, & confracta sunt, præter nostri mausoleum Martyris: Beati etiam Nicolai criptulam, nec non & beati Ægidij basilicam in quâ mane homo sanctus Deo patri filium immolans, sese pariter cum eo mactauerat, totus in lachrymas liquefactus.

Intrauit autem palatium Dux nequam ad vesperum, suâque pastus malitiâ, & in quatuor partes suum inclinans verticem, magno vibrauit conamine gladium, quem tenebat.

Statimq; in crastino gener Ducis Comes, & gens Guelriæ simul in vrbē irruunt; & sicut dicit Propheta Ioel: *locustæ residuū bruchus deuorat*; *Gener Ducis cum Geldris in vrbem irruūt.* *Ioel. 1.*

ita quicquid illic à barbaris reliquum fuerat, asportare subsequens exercitus satagebat; & amore pecuniæ aurum quærens in sterquilinio, introibat etiam per cloacas. A

Ipso autem die Dux præcepit captos paruulos suis reddi parentibus, similiter & clericos liberari, quos ligatos pessimi iam secum abduxerant. Et reductis illis ad propria, horâ nonâ, quâ in manus patris pendens in cruce pro salute hominum, suum Dei Filius commendauit spiritum; misit Dux satellites, qui lugubrem ciuitatem vastarent incendio, vt si quid supererat, quod hostis non tulerat, cum vniuerso populo ardore incendij deperiret.

Dux mandat incendi ciuitatem.

Quibus vrbem intrantibus occurrit vir nobilis Castellanus de Bruxella, filium in ipsa maiore Ecclesia habens Canonicum Ægidium nomine; causamque intelligens introitus ipsorum, iusiurandum accepit ab eis, quod nusquam procederēt, quousque, ait, reuertar ad vos. Qui Ducem super hoc conueniens scelere. Quid est, ait, quod intendis facere? Misi, ait, vt incendatur ciuitas. Cui ille cum suspirio sic respondit. Sed certè nunquam talem ignem succenderunt patres nostri. Consiliatores tui tibi ad salutem consulunt vel honorem? Nec impunè feres, si cœptum sacrilegium volueris consummare. Quid ergò, ait, faciam? Cui vir. In conspectu, ait, tuo omnem ciuitatis fac venire populum: & pro Rege Ottone fidelitatē accipi facias ab eodem. B

Castellanus de Bruxella satellites Ducis impedit ab incendio.

Increpat Ducē & eius animū mutat.

Itaq; sabbatho, horâ vespertinâ intra aulā conuocātur ciues, & canonici, cōfusi nimiū ob suæ turpitudinem nuditatis. Quorum Dux, C sibi malè conscius, non sustinens videre facies, intrauit in hortum palatij, mittens virum nobilem, qui fidelitatem, sicut iusserat, acciperet de præmissis.

Veruntamen infringere Dux non timuit Hallā etiam die Dñica, quæ in ea reperit extrahens & deferens vniuersa.

Secunda iam feria vrbem Dux egreditur, Castrū ipsum de Muha obsidere cupiēs, sed inspecto loco firmissimo, cum suis vadit ad propria, nostræ secum deferens spolia Ciuitatis. Qui reuersi cum tubis & tympanis choros ducebant cum gaudio dicentes. Inter Brabantinos sunt flores, & inter Leodienses dolores.

Porrò die Dominicâ, spoliati ciues, & Canonici, in vrbem regressi sunt, quorum quidam religionis habitum non habētes, in tunicis, quæ eis remanserant, Ecclesiam frequentabant. D

Quod totum rei euentum vir beatus Deo reuelante præuidit.

CAPVT V.

Seruus autem Domini in ipso ascensionis Dominicæ diei crepusculo, totum huius sceleris processum raptus in spiritu præuiderat sub hac formâ.

Vidit

A Vidit enim ante nostri mausoleum Martyris viperam discurrere: quam manibus accipiens mirabatur ex illâ venenum defluere, & nō intumescere manus eius. Elapsa verò repētè de manibus vipera, per portam, quæ aquilonem respicit egrediens, rupis ibidem labitur in foramen. Iterum quoque cum exiret de foramine, inter ipsam murus factus est, & videntem. Respiciensque, vidit illam formā assumpsisse hominis, & ei in sermone huiusmodi colloquētem. Me oportet recedere, cum te non valeam sustinere. *Visio viri Dei.*

Hæc igitur fidelis est interpretatio visionis.

Illa coram beati cassa Martyris sic discurrens vipera, ipsi fuerunt barbari, quos ipso die beatus vir suæ matris vterum scindentes Ecclesiæ se doluit intueri. *Interpretatio visionis.*

B Viperam accepit in manibus, qui tantam Ecclesiæ factam iniuriā, tanquam verus filius, condoluit vehementer.

Inter manus autem venenum defluebat viperæ, nec in eis tumor apparuit, cum illo die inter turmas hostium, huc illucque currentiū vnà cum matre pertransiens, domum ingressus est; & quendam illic repertum amplexatus præ dolore Canonicum, ducebat pro nihilō rerum iacturam fieri; honorem tantummodo, & decus deplorans Ecclesiæ violatum. Quamuis autem nullas personaliter ab eisdem passus sit iniurias; matrem tamen eius sanctissimam suo pallio nudauerunt.

C Quod si quæras cur illæso permanente filio mater passa sit iniuriā vesti, sublatæ, non corporis: respondetur à simili. Cur Petro solidum se mare prebuit, cum ter sit passus naufragium gentium prædicator?

Diei autem illius vesperâ propinquante reuersus ad Ecclesiam, ipse circa corpus Martyris accendit luminaria, & illæsus inter hostes domum reuertitur hoc expleto.

Sequitur. Elapsa de manu eius vipera per portam aquilonis exijt, in petram ingrediens: cum Dux per eandem viam ad suos reuertitur, scelus hoc suæ adscribens virtuti & gloriæ, non vindictæ Domini pro peccatis populi, vndè & elatus animo peiora inposterum decreuerat se facturum.

D Rectè quoque iterum de petræ foramine vipera egreditur sumens formam hominis: quia sicut scripturus sum, suas Dux victas post vidit acies: & tunc vel serò cordis sui exutus Duritiam, vt homo, pœnituit, contritus, meritis, & virtute beati nostri Martyris, qui murus impenetrabilis factus est inter ipsos.

Et paulo post. Oportet ait vipera me recedere, te portare non sufferens: nam qui Leodiū nequiter aduenerat, in futuro fugit turpiter de acie, plus sanctarū precibus animarū victus Leodiensis Diœcesis; quā paucorū, quos nullos æstimauerat, virtute pugnantiū superatus.

Mane igitur facto veniebant mulieres, & paruuli ad sepulchrum Martyris plorantes, & deprecantes; vt eos à tali deinceps misera-

miserabili angustia liberaret. Mater autem viri Dei, quæ nusquam in antea maiorem intrauit Ecclesiã, quin aliquod signum circa idem sepulchrum inspiceret, die illâ, quâ oppressa est Ciuitas ita suis oculis obserata sunt omnia, ac si corpus ipsius illic martyris non fuisset. Quapropter ingemiscens grauiter, intellexit quod ante Dei faciem abiudicari Ciuitas eadem merebatur. Siquidem multa prius signa circa eundem loculum de cœlo radiantia videre consueuerat: vt est in modũ spheræ igneæ ibidem sancti Spiritus descẽdentem gratiam, aut cœlos apertos inspicere, & inde clarissimam claritatem progredi; & spherâ splendidâ animam nostri Martyris in figurâ hominis, indutam albâ lucidâ super locum descendere, & iterum ad sydera remeare. Vidit & multa alia, quæ per negligentiã scriptoris non sunt memoriæ commendata. A B

Visiones matris viri Dei.

ANNOTATIONES.

Per uirum Beatum & matrem viri Dei intelligit Ioannem Abbatulum, virum Sanctum & eius matrem S. Odiliam, sicut & in sequentibus pluribus locis his enim & non alÿs facta sunt visiones.

Qualis erat super his Ecclesiæ lamentatio.

CAPVT VI.

VIr autem, Domini prædicti non immemor sceleris, gustatâ modici somni requie, noctis semper anticipabat vigilias, orabatque Dominum, & beatam virginem, ipsum quoque Martyrem, cuius idem locus glorioso est sanguine consecratus, vt vrbem de cætero à tanto & tam enormi excidio liberare dignaretur. C

Visio viri Dei.

Vnde raptus in spiritu, putabat se intrare Ecclesiam, in cuius circuitu personæ consedebant quamplurimæ, quadrantes lapides vt ipsam Ecclesiam repararent. Quo viso inde rediens, intellexit sanctarum animarum in vrbe degentium precibus, & lamentis quadrari tales lapides, quibus redintegrari posset dignitas Ecclesiæ; & totius honor, & gloria ciuitatis. D

Hugo Episcopus conuocat concilium.

Conuocato autem Episcopus apud Hoyum concilio omnium prelatorum totius sue Diœcesis, super his, quæ contigerant coram eis deponit querimoniam, ipsum Ducem, Comitem quoque Guelriæ, & eorum complices, & fautores excommunicans in præsentiã singulorum.

Excõmunicat Ducem & cõplices.

Quinque Abbates de terra Ducis illudũt Episcopo.

Quinque autem de terrâ Ducis Abbates exurgentes à latere, cum in illo præsentes essent concilio, conuersique ad pontificem, alia, inquiunt tela, quam candelas, ad deiectionem Ducis, iacere te oportet. Quos statim ab Ecclesiâ expulsos eâdem excommunicationis sentẽtiã Pontifex innodauit. Vidimus illos postea in nostro maioris Ecclesiæ

A clesiæ capitulo cónfusos nimium & abiectos; flectentesque genua, & perfusi lachrymis vix poterant obtinere, quin à proprijs deberent ordinibus degradari. *Auctor Canonicus Leodiensis.*

Decretumque est in ipso concilio, vt imago crucis, & sanctorum reliquiæ spinis circundatæ in omni prosternantur Ecclesiâ totius Diœcesis, organa suspendantur, & singulis Dominicis festiuisque diebus fiat proclamatio pro prædicto scelere insuper in, Ducem & omnes suos complices præfata sententia sollemniter renouetur. *Decreta Concilij synodalis.*

Est igitur primitùs in maiori Ecclesia imago crucifixi deposita, & sanctorum Theodardi, & Maldabertæ virginis reliquiæ, quæ pariter continentur, ad eius dextram sunt positæ; ad sinistram verò Petri & Andoleti, & sancti Floriberti Episcopi & Confessoris, quæ etiam pariter collocantur, reliquiæ sunt statutæ. *Imago Christi cum reliquijs SS. in Ecclesia Leodiensis pauimento collocantur.*

B

Sed neque sicut dictum est per annum & dimidium, minus diebus vndecim, in maiori Ecclesia diuinorum fuit celebratio. Sed dictis horis regularibus intrabat conuentus beati Ægidij basilicam, expletoque illic diuino missæ officio; & datâ benedictione, indutus adhuc sacris, complosisque manibus egrediebatur Præsbyter, clerique cóuentu circundatus, ibat sic ad templi medium, & coram prædictis procumbentes reliquijs, cum multis lachrymosis suspirijs hanc ante Dei faciem dolentes, cum precibus querimoniam prosternebant. *Cessatur à diuinis.* *Querimonia ante Christi imaginem & sacras reliquias.*

C *Aspice Domine de sede sanctâ tuâ, & cogita de nobis; inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide tribulationem nostram.* *Psal. 161.*

Qui Regis Israel, intende; qui deducis velut ouem; qui sedes super cherubin aperi oculos tuos. Et iterum. *Psal. 79.*

Omnes iniqui insurrexerunt super nos, & synagoga potentium quæsierunt animas nostras. *Psal. 85.*

Fiant tanquam puluis ante faciem venti, & angelus Domini coarctans eos. *Psal. 34.*

Fiat via illorum tenebræ, & lubricum: & Angelus Domini persequens eos.

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum: & in retributionem, & in scandalum.

Obscurentur oculi eorum ne videant; & dorsum eorum semper incurua.

Effunde super eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos.

D *Fiat habitatio eorum deserta: in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.*

Deleantur de libro viuentium: & cum iustis non scribantur.

Veniat mors super illos; & descendant in infernum viuentes.

Et post pauca.

Ecclesiæ tuæ Domine preces placatus admitte: vt destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis secura tibi seruiat libertate. *Orationes Ecclesiæ.*

Et iterum.

Hostium nostrorum quæsumus Domine elide superbiam & dextræ tuæ virtute prosterne.

Tu Domine Sabaoth qui iudicas iustè & probas renes & corda: videamus vltionem tuam de inimicis nostris, & peccato eorum assensum præbentibus, & coopera- *Hier. 11.*

cooperatoris, & eorum consiliarijs. A

Hier. 18. *Confodiantur gladio in prælio, audiatur de domibus eorum clamor.*

Quia foderunt foueam, vt caperent nos, & laqueos absconderunt pedibus nostris.

Tu autem Domine scis omne consilium eorum aduersus nos: ne propitieris iniquitatibus eorum, & peccata eorum à facie tuâ non deleantur.

Fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui.

Hier. 17. *Et induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos Domine Deus noster.*

Nisi resipuerint; & Ecclesiæ Dei quam læserunt, per emendationē satisfecerint. Fiat, Fiat.

Erat itaque Leodiensis Ecclesiæ talis proclamatio quotidiè repetita. B

De legatione ad summum Pontificem facta.

CAPVT VII.

Hugo supplicat pro absolutione eorū qui Ottoni fidelitatem coacti fecerunt.

INterim ipse Pontifex legatos misit ad Romanam curiam, scripto aperiens, caussam, modum, quantitatem, & ipsum auctorem sceleris: illos absolui postulans, qui sicut præmissum est Ottoni Regi fidelitatem facere coacti sunt. Quo audito summus Pontifex scilicet quartus Innocētius, facto isti cōdolens; compatienti animo absolutionem tribuit omnibus, de præmissis. C

Episcopus congregat copiosū exercitum.

His ita gestis, mense Iulio congregauit copiosum Præsul exercitū, equitum tria millia: & infinitæ multitudinis vulgus reliquum: direxitque suas acies super fluuium qui Piton dicitur, terram Ducis protinus, & populum inuasurus.

Timor Ducis & dolosiæ eius promissiones.

Dux autem hoc perpendens, vsque ad mortem timuit: misitque legatos ad principes, qui erant cum Pontifice, falso se spondens reddere, & omnia resarcire mentiens, quæ apud Leodium deprædatus fuerat; insuper & venturum cum suis nobilibus ad eandem Ecclesiā, & nudis pedibus, flexisque poplitibus petiturum veniam de dicto sasacrilegio ante ipsum præsulem, & totius faciem ciuitatis. D

Primores exercitus Episcopi.

Erant autem in acie Pontificis Ferrandus Flandrensis, Philippus Namucensis, & Ludouicus de Looz Comites, & multi alij Francorum principes noti ipsius, & cognati Præsulis, & affines.

Deus autem satis aliter adfuturam præuiderat vltionem. Vt enim non per alienigenas, sed per eos tantummodo, quos prædictū mulctauit flagitium perueniret victoria, tanto æstu, & ardore solis, pontificis soluit exercitum, vt cum vellent sua mouere tentoria profecturi, præ siccitate nimiâ, puluis surgens in aëra, ita singulorum obfuscabat intuitum, vt moti non poterant alterutrum contueri. Cuius necessi-

A necessitate incommodi compulsi qui aderant, petierunt à Ferrando Comite, vt à Duce super his, quæ ipse spoponderat, cautionem firmã reciperet: quam si aliquando Dux violare proponeret, ipse eum postmodum proprijs expensis debellaret. Omnium ergo vna fuit sententia, vt toto illo exercitu ad propria reuertente, Comes tantum de Looz, & Episcopus aduersus Ducem, cum suis exercitibus congredi debuissent. *Solus Comes de Looz cum Episcopo bellum mouent Duci.*

Ferrandus autem à Duce cautionem de prædictis accipiens, & cõuersus ad præsulem quandam partem terræ Haynoniæ, eidem ad firmam possidendam tradidit; Donec Ducis fallax promissio compleretur; mandatur quoque litteris hæc compositio; & dictorum sigillis principum firmius roboratur. *Dux cauet de satisfactione.*

B Cum verò Ferrãdus ipse Ducem posteà super illâ pactione requireret, ille protrahens debitum, dicebat se adhuc debitam sponsioni suæ pecuniam non habere.

Intereà Comes Namurcensis Philippus mortuus est. Quo mortuo: Dux conuenit Philippum Regem Franciæ, defuncti relictam Comitis, hoc est, suam filiam sibi socians in vxorem. Fœderatus ergò sic Francorum Principi longè factus est ab Ottone. *Dux fœdus init cum Galliæ Rege.*

Intelligens etiam Rex Franciæ in multis Ducem sibi necessarium, propter ipsum, quod in Anglos mouere parabat prælium, in Leodiẽsem Diœcesim suas destinauit litteras, amicum suum Ducem pronuncians esse, & generum, & ideò tanquam se ab omnibus honorãC dum. In auribus verò totius Diœcesis displicuit sermo talis. *Rex scribit Leodiensibus.*

Porrò cum ipse Rex Franciæ multas naues varijs plenas diuitijs misisset in Angliam: & eas Dux succendisset Boloniæ, inuenta cuncta diripiens, & asportans, ingemuit Rex, & ait. Heu quanta mala sum perpessus: ex quo illi sum excommunicato Duci Brabãtiæ sociatus. *Dolet se iniisse fœdus cum Duce.*

Illo quidem tempore Fredericus Henrici Augusti filius regnum patrum suorum ingressus est. Quem missum sibi à Papa Innocentio principes Allemanniæ susceperunt; ab Ottone tanquam excommunicato & perfido recedentes.

Qui tamen regni partem aliquam sibi retinere cupiens, superiorẽ ascendit prouinciam; magnam habens in Duce fiduciam Brabantino. Veniensque in terram Guerrensis Comitis fidelitatem sibi facere non volentis; partem eius maximam vastauit incendio; diuinam in Comite, ignarus licet, prosequens vltionẽ, qui nostram vt dictum est etiam sine caussâ spoliauerat ciuitatem. *Otto diuinam in Comite Guerrensi vltionẽ exequitur.* D

Quod afflictus in precibus homo Dei vindictam cognouit.

CAPVT VIII.

PErpendẽs autẽ vir Dñi ex vnâ parte Ducẽ Louanienẽ: & ex alterâ Ottonẽ ipsum super ciuitatẽ velle irruere, si pariter cõuenirent:

i diebus

diebus & noctibus, lamentis, & precibus dabat operam, inuictum ab oratione spiritum non relaxans. Dicebatque. A

Oratio Ioannis Abbatuli viri Dei. Domine Deus meus libera nos pro tuâ pietate: non meis meritis, sed solâ tuâ gratiâ (nô sum enim dignus sanctorum vestigia intueri) sed beatæ Mariæ meritis, precibusque nostri pij Martyris, cuius locû hunc precioso sanguine consecrasti.

Iterum ipsâ horâ orationis prædictam Ecclesiæ violationem mête recogitans, cum lachrymis aiebat.

Psalm. 78. *Ne dicant inimici nostri vbi est Deus eorum; & innotescat in nationibus coram oculis nostris, vltio sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est: introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.* Et cætera vsque ad finem psalmi.

Et iterum. B

Afflicti enim pro peccatis nostris quotidiè expectamus finem nostrum. Dolor cordis nostri ascendit ad te Deus; vt eruas nos à malis, quæ innouantur in nobis.

Psalm 79. *Domine Deus virtutum conuerte nos; auribus percipe dolorem cordis nostri.*

Math. 5. *Congregatæ sunt gentes in fortitudine vt dimicent côtra nos: & ignoramus quid agere debeamus.*

Domine Deus ad te sunt oculi nostri: ne pereamus.

Tu scis quæ cogitant in nos.

Quomodò poterimus resistere ante faciem illorum: nisi tu adiuues nos.

Congregati sunt inimici Domine: & in virtute sua fortitudinis gloriantur.

Contere fortitudinem illorum, & disperge eos: quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. C

Psalm. 58. *Disperge illos in virtute tuâ*; & destrue malitiam eorum protector noster Domine.

Baru. 2. *Aperi oculos tuos, & vide afflictionem nostram.*

2. Match. 12. Circundederunt nos gentes ad puniendum nos; sed tu Domine extende brachium tuum, & libera animas nostras.

Affiige opprimentes nos, & côtumeliam facientes; & custodi partem tuam.

Domine, non quæro cædes hominum; sed libera nos secundum voluntatem tuam: quia omnipotens es, id est omnia potes, qui viuis, & regnas per omnia sæcula sæculorum, amen.

Visio viri Dei. Dum ergò singulis noctibus flectens genua, perfusus lachrymis talibus Dominum rogaret sermonibus, raptus in spiritu, Leodiesem, per visum, putabat se ingredi Ciuitatem. Erat autem situs amœnissimus, & omnia restaurata nouiter, stabilitaque in melius totius ædificia Ciuitatis. Tantam ipse admirans pulchritudinem, dicebat intra se. O quantus esset dolor, qualisue miseria, si à Brabantinis esset hæc Ciuitas incendio deuastata. Et hoc dicto, subitò de supernis montibus insonuit resonantium sonus dulcissimus campanarum. Ei quoque quærenti caussam huiusmodi, â circonstantibus est responsum. Modo, modo Ecclesia dedicatur. Ipsoque ad prædictum sonitum attonito, superuenit vox dulcissima cantantium, & dicentium nunc D

scio

A ſcio verè quia *miſit Dominus Angelum ſuum; & eripuit de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.* In quâ voce tantam ſpiritus ſenſit dulcedinem, vt pedes eius penè deficerent, ſed locum vbi requieſcerent non habebat. *Actor. 12.*

Eſt autem, prout ipſe rei comprobauit exitus; de vrbis liberatione hæc viſio præoſtenſa. Ipſe verò nihilominus lamentis ſe affligebat & precibus, ſuum ab huiuſmodi in diuerſa nec vultum mutans, nec animum: donec eum Dominus de vindictâ lætari concederet, *lauantem manus in ſanguine peccatoris.* *Interpretatio viſionis.* *Pſalm. 57.*

Et eccè poſt anni circulum in die feſto inuentionis ſanctæ Crucis, completis, pro more, nocturnis vigilijs, cum in dextro choro maioris Eccleſiæ, quo decenter eſt intexta, imago beati Martyris in tapeto, caput ſuperponeret lapidi, interpoſito quo erat indutus, ſuperpellicio, ſaltem vel leuiter dormitare cupiens, vt ad celebrandum ſomni recreatus requie fortior aſſurgeret, ipſe Martyr ante eum aſtitit in venerando habitu, ſeditque ad intuentis verticem, conſedentibus pariter qui conuenerant vniuerſis. Conuerſuſque ad filium, & iratum ſe nimis ex rubore vultus ſimulans, magno cum impetu dixit ei. Brabantini erunt percuſſi. Vir autem Dei totus intremuit ſpiritu, & ad ſe rediens apparuiſſe cognouit ſibi glorioſum Martyrem. B *Viſio viri Dei.*

C

Quanta erant Ducis & ſuorum blaſphemiæ & ſuperbia.

CAPVT IX.

ILlo in tempore erat quidam Gerbertus apud Thenas, Decani gerens dominium, qui noſtræ prædationi non defuit: ſed ad noſtræ confuſionem Eccleſiæ, quendam aſcendit in montem, intranſque cuiuſdam tentorium, inuentis illic Præſulis noſtri veſtibus, quibus ſacro ſolet altari aſſiſtere, illa veſtire non timuit: mitrâ Pontificali capiti nefando impoſitâ, & ipſe innixus baculo paſtorali; conuocatiſque vilibus mancipijs, & ſuis garſonibus, iſtos Officiales, vel Archidiaconos; alios verò ſibi cõſtituebat Præpoſitos, vel Decanos. Qui præuentus poſtmodum morte ſubitâ, linguam comedit magniloquam: & ſic vitâ functus eſt. *Gerberti Decani Thenenſis facinus.* D *Einſdem grauis punitio.*

Simili modo die quodã cum ſedens Dux barbarus cum Regè prãderet Franciæ, præuentus morte Capellanus Ducis, de loco cecidit; & videntibus, qui aderant, inibi expirauit. *Capellanus Ducis Brab. ſubito moritur.*

Vtque Martyris glorioſi ſententia compleretur: *Brabantini percuſſi ſunt*; quia omnes Ducis Conſiliarij improuiſa morte præuenti ſunt.

Ferrandus Comes meditatur ingredi patriā Ducis.

Anno autem gratiæ millesimo ducentesimo decimo tertio, Comes Flādriæ, Hannoniæque Ferrandus mandauit Episcopo & Comiti de Loz Ludouico nomine, vt proximâ decimâ die mensis Octobris, in quintâ feriâ, terram Ducis inuaderent: ipse verò super terram illius, habenis laxatis incendij, occurrerent prædictis ex aduerso. A

Rex Galliæ succurrit Duci.

Porrò Philippus Rex Francorum socero suo, Duci scilicet, in hoc volens subuenire articulo, quoddam obsedit castrum Ferrandi Comitis: vt dum Comes ipsi Regi vellet resistere, Leodiensi Diœcesi contra Ducem non posset in aliquo subuenire.

Cuius Dux confisus auxilio volebat secundo depopulari Leodium, diuinâque compulsus vltione, robur sui conuocauit exercitus: finesque suos egrediens, venit apud Waleuiam, intransque in Ecclesiam videt illic pronam in terrâ sicut Præsul præceperat imaginem crucifixi. B

Dux sacrilegus.

Quam sumens ipse tulit ab Ecclesiâ, confractisque cruribus & præcisis manibus proiecit in sterquilinium, ita dicens. An credit de me Pontifex vindictam habere plenariam: vt potè qui talibus innititur machobertis?

Diuina vltiōe nobiliū Hasbaniæ vxores & filiæ violātur.

Et indè progrediens intrauit Hasbaniam, villarum partem maximam incendio subijciens populandam; nec immeritò illius siquidē terræ milites qui pro vrbe, & matre Ecclesiâ vsque ad mortem certare debuerant; vt potè legitima Martyris nostri familia, Ducis ipsius verbis corrupta fallacibus, præfatum suaserunt facinus, quod per nostram exercuit Ciuitatem. Vndè secutum est vt eorum nunc à præfato exercitu cōiuges violarentur, & filiæ, in vrbis autem excidio per Dei clementiā intactæ permanserunt virgines & matronæ. C

Tungrēses SS. reliquias Leodium custodiēdas deferunt.

Tongrensis autem gens Ducem super se timens irruere, feretrum argenteum Gloriosæ virginis cum suis reliquijs aduexit Leodium: quod susceptum à maioribus cum planctu & lachrymis in thesaurario est collocatum.

In quo die Dux Tongros veniens magnam partem Oppidi vastauit incendio: quia scriptum est. *Ira Dei super Tongros vsq; in sempiternum.* Porrò Tongrenses huiusmodi compulsi angustiâ, in beatæ virginis fugerunt Ecclesiam, portasque eius obturauêre lapidibus, ad resistēdum Duci viriliter se opponentes. D

2. Math. 8. Blasphemiæ Ducis.

Quo comperto Dux irâ motus maximâ, in modum Nichanoris, manum extendit in Ecclesiam huiusmodi blasphemias verbis euomens sceleratis. Ignoro vtrū Deus aut Diabolus in hac domo latitet, sed indè non progrediar donec Deum aut Dæmonem virtute incendij faciam exilire. Hæc dicebat perfidus (vltionem non præcauens, quæ suis in proximo exercitibus erat inferenda) Missisque satellitibus villas incendit per circuitū: ita quod vsque Leodium obfuscato aëre color appareret igneus, quod & ipsū seruo suo Dñs præostēdit.

Incendit villas per circuitum.

Exploratis muris Ciuitatis

Iam vespera venerat & Dux cum paucis veniens explorare Leodium, vt vidit vrbem muris circundatam turribus & fossatis, ingemuit,

A muit, & clamauit. Heu heu, quando recessi hinc omnibus asportatis, vix ipsos reliqui ciues; & vbi tanta auri, & argenti copia recondita est? Cuius ope succederet firmitas insperata. Et his dictis ad suos tristis reuertitur. *Leodiensis, ad suos reuertitur*

Quanta dulcedine vir Dei sit refectus ante conflictum.

CAPVT X.

NOcte illa vir Dei accensis circa sacri corpus Martyris luminaribus, cum vellet lassata membra somni requie releuare, raptus in spiritu, se vidit in sinistro stare chori latere: & feretrum pij Martyris, quod ad terram cecidisse anteà præuiderat, leuatum de terrâ inter vlnas assumere, & magna ponderis dulcedine delectari. Et ecce duo Iuuenes astiterunt ei in albis candidissimos cereos accẽsos ferentes in manibus, vltra solis radios rutilantes. Cumque de tanto lumine miraretur, viri quidam in habitu monachili intrauerunt australem portam ipsius Ecclesiæ: ascensisque chori gradibus circumsteterunt mausoleum Martyris, emissâ voce clarissimâ laudes Crucis taliter attollentes. *Visio viri Dei.* B

O crux splendidior cunctis astris, modò celebris, hominibus multum amabilis, sanctior vniuersis, quæ sola fuisti digna portare talentum mundi, dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera. At vbi dixerunt. *Salua præsentem cateruam in tuis hodie laudibus congregatam*: tantæ vocem emisêre dulcedinis: quod vir Dei illius refertus suauitatis gratiâ super pedes stare non potuit: sed totus super illud quod gestabat feretrum reclinatus, tam immensum pondus sensit gratię, quod vtrum esset mortuus, an viueret, penitus ignoraret. Et deinceps, si quandò præfatâ ad memoriam reduceret visionem, aliquid ex illâ dulcedine gauisus est persensisse. In se verò reuersus, refertum sic gratiâ se inuenit: quod linguâ, vel literâ non voleat explicari. C

His itâ se habentibus timens Episcopus Ducis perfidiam, fecit vsq; Hoium Fossenses & Dionenses descendere: omnemquoq; circa regionem; ascendensque ipse cum paucis Hoium, obseratum inuenit oppidum ad resistendum Duci, iam super muros custodibus ordinatis. Cui cum essent ianuæ patefactæ, intrauit velocius, faciensque signa pulsari per oppidum acclamauit omnibus etiam lachrymando. Eya fratres currite; & periclitanti matri vestræ Leodiensi Ecclesiæ quantocius subuenite; Illisque paratis, sicut ipse iusserat: ipse cum suis horâ illa reuersus est Leodium. Facto manè omnes qui Hoy conuenerant egressi sunt oppidum, parati pro suâ matre vsque ad mortem viriliter decertare. D *Fossenses & Dionenses descendunt Hoyũ* *Inde Leodium.*

In diei quoque illius diluculo, banni campanã pulsari fecit Episcopus, mandãs & præcipiens ciuibus vniuersis suam egredi Ciuitatem.

Erat

Visio cuiusdam ciuis.

Erat autem ipsâ horâ quidam ciuis dormiens, ipsum signum per visum æstimans se audire: & cum à circunstantibus quæreret, quo A eundum est: eccè quidam in habitu venerando astitit ei dicens. Ego sum Lambertus Martyr, sequimini me; ego enim sanos ducam vos, & reducam. Excitatus ciuis à somno, ipsum audit signum pulsari vigilans, quod prius audiuerat inter somnum.

Ciues egrediũtur contra Ducem in Skendremale.

Ciues autem armati ciuitatem exeunt: nam è contra Dux suas direxerat apud Skendremale, quod in duobus milibus nostræ adiacet ciuitati.

Cognitoque Pontifex, quod Dux illic sua fixisset tentoria, vt super vrbem improuisè irrueret: ipse suos etiam ad bellandum ordinare voluit: in quibus xxx milites sunt inuenti. Vidensque contra Ducis B exercitum se manum habere nimis exiguam, timuit: & quendam aduocans sacerdotem Renerum nomine, Eyà, inquit cum lachrymis, frater ciuitatem ingredere: & pro nostro exercitu facias exorari.

Timor inuadit exercitũ Ducis

Vt autem Duci egressus Pontificis nunciatus est, timor tantus suas inuasit acies, vt fugere intenderent potius quam bellare.

Dionẽses, Hoyenses, Fossenses iungunt se Leodiensibus.

Quos cum suis Pontifex insecutus, eleuatis oculis hora prima videt Dionenses, Hoyenses, Fossenses, omnesque, quos nocte vocauerat, cliuum montis descẽdere, qui Publicus appellatur: qui proprius accedentes pariter coniuncti sunt.

Fugientium verò tanta fuit ferocitas: vt loca per que transierãt, igni relinquerent deuastanda.

Vndè Theodericus de Walecourt, & alij quamplures mirabantur C dicentes. O Ducis malitiam. Ipse fugit ante nos: & fugiens terram nostram incendere non formidat. Iratusque Pontifex, suos alloquẽs aiebat. Vt quid vltra viuimus? Cur Ducem non inuadimus? Quid ipsum tam ferociter à nobis recedere permittimus? Est enim melius, si Domini & beati Martyris sit voluntas, nos mortis dari periculo, quam viuere inhonestè. At Henricus Dux Ardenniæ præfati Ducis patruus, & quamplures alij respondebant in dolo Præsuli, sic dicentes. Ad Ducis interitum manum adhuc habemus exiguam: sed fugientes potius insequamur.

Ira Pontificis iusta.

Ducis Ardenniæ dolosa responsio.

Sequenti autem Sabbatho cum vir Dei in maiori staret Ecclesiâ, & D à quadam feminâ luminare requireretur: benè, ait mulier, sanctus vir promeruit, vt nostro deinceps decoretur lumine, qui sibi seruiẽtes sic visus est reliquisse. At ille prophetico tactus spiritu sic respondit. Horâ istâ in crastinum mihi non dices talia: quia laus nostri Martyris erit omnibus manifesta.

Prophetia viri Dei.

Comes de Loz iungit se Episcopo.

Circa horam Diei vndecimam, sciens Episcopus Comitem suum de Loz apud Monteignes congregasse exercitum: misit ad eum, vt ei in crastinũ horâ primâ cum suis occurrere festinaret. Quo perfecto, profecti sunt indè: & super Iecorã fluuiũ in villa quæ Glaõs dicitur fixerunt tentoria. Exercitibus congregatis, missisque exploratoribus

A ribus Episcopo renũciatum est, quod in custodiâ de Steppes requiescerent Brabantini.

Ipsâ nocte dormienti cuidam puellæ apud Leodium vir quidam clarissimus astitit, sic alloquens dormientem, dic vrbis mulieribus, vt candelam faciant secundum longum & latum maioris Ecclesiæ; factamque in partes diuidant, & accensas per angulos templi constituant: quia ipsius non erit consumptio, donec meæ Diœcesi de Brabantinis plenariè tribuatur vltio. Factumque est ita. Prius enim euenit victoria adhuc illius candelæ lumine non consumpto. *Visio cuiusdam puellæ.*

B *Quod quidam Dæmoniacus victoriam prædixit.*

CAPVT XI.

Ecclesia beatæ Virginis sita apud Hanstieres propè mosæ fluuiũ; à loco certamins quindecim ferme milibus dicitur separari. Ad hanc cum duceretur homo quidam possessus à dæmone, licet de futuro conflictu Ducis, & Episcopi nulla ibi mentio versaretur, summo tamen diei diluculo, quo congressum est, cœpit idem fremere; & ingenti cum gemitu terribiliter acclamare. Hodie, hodie victoriam obtinebit beatus Lambertus. Horâ autem tertiâ, quâ certamen initum est, iterato arreptitius vocem edidit ampliorem. Modò, modò, potenter potitur victoriâ beatus Lambertus. Horâ verò nonâ fine C propinquante certaminis, idem homo vocem similiter emittens & spiritum; Eyà, ait, miraculosè in bello obtinuit beatus Lambertus. Et his dictis expirauit. Nec dubitet lector sollicitus ipsum nequam spiritum, qui ad horam misero principabatur homini, ab aliquo cœlestium, futuram hanc accepisse notitiam, præordinatam à Domino, & bonis spiritibus inspiratam. *Trina & clara dæmoniaci prædictio triũphi de Steppes.*

Præterea cum quædam fidelis anima super contritione istâ totius patriæ, contriti cordis hostias Domino immolaret: inter orandum, somno deprimitur: cui astitit virgo gloriosa, dicens. Cur in tantum affligeris? Inclytus Martyr Lambertus ad omnium sanctorum instã-D tiam, à dilecto filio meo incommutabiliter obtinuit, vt ei de Brabantinis vltio plenissima tribuatur. *Visio cuiusdam fidelis animæ.*

Sic *Deus vltionum* primum Ducis excessum Leodij perpetratum egit vlciscens liberè: & nihilominus *Deus* idem *vltionum* Dominus secũdum ipsius Ducis forefactum, quod Leodium reuersus complere parauerat, iustè & sollemniter vindicauit. *Psalm. 93.*

In primâ igitur noctis vigiliâ præsul misit præcones per totum exercitum, vt vniuersi surgerent, & procidentes vexillum sequerẽtur beati Martyris, ordinibus congregatis. *Episcopus ordinat exercitum*

Nocte verò illâ per duo proficiscentes miliaria, rarescentibus tenebris lucem imminere conspiciunt, & ecce Comes de Loz Episcopum *Proficiscitur nocte per duo miliaria.*

pum appropians amplexati sunt inuicem, præ gaudio lachrymantes. A

Conueniunt vterque exercitus in custodia de Steppes.

Die autem Dominicâ venit exercitus in custodiâ de Steppes, vbi Dux cum suis nocte præteritâ fixerat tentoria: & respicientes barbari Diœcesanum populum super se velle irruere, vlulatum diræ vocis tanquam desperati emittere coacti sunt.

Episcopus iubet exercitum orare.

Absoluens à peccatis animat ad pugnã.

Præsul verò sui exercitus turmas circumiens fieri prohibuit hunc clamorem. Nihilominus vsque tertio aduersarij clamauerunt. Suos quoque Episcopus allocutus, acies præcepit genu flectere, gloriosam virginem, & beatum Martyrem deuotius exorare, vt ab instanti eos periculo eripere dignarentur: Absolutosque à peccatis omnibus, verbis huiusmodi animabat. Video charissimi quod absque certamine transire non possimus: sed securus, loco pœnitentiæ instans vobis B iniungo prælium; in animam reuerà suscipiens, quod quisquis hic ruerit beato coniunctus Martyri, paradisi gaudio perenniter potietur. Estote igitur fortes in prælio præ oculis habentes quæ, & quanta, vobis, & vestris, vrbi etiam, & maximæ Ecclesiæ intulerunt maledicta. Et iterum cum lachrymis dicebat: hi ad nos cum multa veniũt superbiâ, vsque ad muros nostræ vrbis non nos timentes prosequi, quos modò sicut scitis insequimur, tali tantâque angustiâ compediti: Habeamus ergò fiduciam in eo, qui suæ matris meritis, & nostri prece Martyris à præsenti periculo nos potens est liberare. Et his dictis deuotum exercitum non mediocriter reddidit animosum.

Candida colũba circumuolat exercitum Episcopi.

Interim verò cunctis cernentibus, columba candidissima circum- C uolauit exercitum: quam fuisse vnam cœlestium virtutum veraciter arbitrantur.

Visio S. Odiliæ.

Ipsa quoque deuota mulier, quæ virum Dei genuerat, dum intentius vacaret in vigiliarum precibus, vidit in aëris medio gloriosum Martyrem armis fulgentem aureis, clypeum in humeris gestare clarissimum, hastam quoque vibrare auream, & equo candidissimo insidentem, quem gloriosa virgo in venerando præcedebat habitu; & ad bellum quantocius properabat.

Visio cuiusdam ciuis.

Ciuis quoque quidam in acie ipsum euntem Martyrem confessus est veraciter se vidisse.

Episcopus autem per turmas transiens exercitum benedixit.

Brabanti ridẽt nostros.

Pro eo autem quod tertio nostri flexissent genua, deridebant eos D aduersarij, & dicebant. Isti præ timore nos adorant.

Dux ridet fratris consiliũ.

Frater autem ipsius Ducis Guilhelmus nomine ipsum accersiens sic allocutus est. Chare frater si mihi velles acquiescere, ad Dominũ tuum Episcopum in quem deliquisti pergeres, & petitâ veniâ, ex toto te ipsius subijceres ditioni. Quem Dux indignando respuens diuino eum perurgente iudicio: Eyà, inquit, miser, iam victus es. Ille verò cum lachrymis orabat. Gloriose martyr libera me hodieà morte. Cuius Martyr fusas suscepit lachrymas eum à morte liberans, eo maximè, quod sicut prædictum est, ornamenta maioris Ecclesiæ fideliter

A deliter excusserat de manibus inimicorum.

Dux autem super monticulum suas ordinauit acies, vt in nostros ex descensu grauius possent infringere. Ipse autem arma sua anteà reijciens, vt fugæ posset intendere, si necessitas se offerret, præstolabatur horam, quâ solis radius nostrorum reuerberaret oculos, sed nubem misit Dominus in eorum auxilium, quæ stetit in aëre quamdiu conflictus exercituum perdurauit. *Nubes nostros à radijs solis defendit.*

Præcepitque Dux quibusdam ex suis militibus pede incedere, vt in Comitem de Loz repentè irruerent, & deiectum interficerent improuisè, Dicebant enim, si Comes victus fuerit, reliqui omnes nobis resistere non valebunt.

Habebat verò ipse Dux non minimam copiam militum electorum, peditũ quoque magnam multitudinem; & etiam multas acies exercitus peregrini. *Exercitus Ducis copiosus, Episcopi exiguus*

B

Factumque est ex Dei prouidentia, vt nostris manus esset exigua, quo sequens victoria non humano brachio, sed pio magis Martyri conferretur.

Illo quidem in tempore iam in quingentos, & eo amplius milites diffusa erat Hasbaniorum progenies, & in hoc pugnæ articulo, cum nostro Pontifice penè quindecim adfuerunt. *Vix quindecim adsunt Hasbani nobiles.*

Brabantinis autem ad prælium præparatis, præcepit Episcopus suas acies similiter præparari: Quas Theodoricus miles acerrimus decenter componens, & ordinans, præcepit peditibus, vt pro muro essent militibus retrò pariter conglobati. Fecitque suarum hastas lancearum acui, & in terram figi, & indirectum contra milites teneri cuspidem lancearum. Inuitansque, & suadens ad prælium: Charissimi, aiebat, nolite diffugere, nam cum à vestris procul sitis terminis fuga prodesse non poterit sed coniuncti stantes in ordine, timorem abijcite. *Non est enim Deo difficile saluare in pluribus, vel in paucis.* Sed etsi quis militum metu mortis super vos redierit, & nostrum ordinem tr. n ilire voluerit; equum eius figite, ipsum omnimodis reuerti in prælium compellentes. Quod & fecerunt. *Theodoricus ordinat exercitum Episcopi ad prælium.* *Animat ad prælium.* *1. Reg. 14.*

C

Videntes autem barbari nostros paratos ad prælium cum tanto impetu montis descenderunt crepidinem; vt eos procul retroire cõpellerẽt, prostrato quidem Comite de Looz, ab illis militibus, à Duce, vt dictum est, anteà præparatis. Quem frater suus Henricus tunc clericus prostratum considerans in equum reposuit, illorum aliquibus interemptis. Totumque pondus prælij versum est in Comitem, & secundo, & tertio sic prostratum quem quidam nostras intuens de securi quam tenebat, voluit percutere, ipsum æstimans Brabantinum. Sed mox vt vocem audiuit clamantis, ego sum Ludouicus Comes, retraxit ille brachium, & in equum Comitem releuauit. *Pondus prælij in Comitem de Loz.*

D

Tunc Henricus Dux Ardennæ, vt nostris timorem immitteret: Eyà, inquit, miseri, quid agitis? Quid hic vltra moramini? Præsul noster captus est, & Comes interemptus. Quo audito ipse Comes; *Dux Ardennæ dolosus & Deo perfidus.*

k menti-

mentiris, ait, Deo perfide, quia ego incolumis equo insideo; & noster Episcopus iuxta nos est. A

Veruntamen sic Ducis Henrici mendacium gentem Comitis cōmouerat, quod tota in fugam conuersa est, perseuerantibus in prælio Leodiensibus, & pro suâ vitâ, suorumque certantibus; de suâ quidem virtute nil præsumentibus; sed patroni sui, cum spe, & fiduciâ, nomen inuocantibus. Cuius audito nomine, statim nostris hostes terga dedêre fugantibus. Ex quorū numero plurimi prostrati sunt; & de suo exercitu tria, & amplius, milia interempti.

Leodienses inuocātes nomen S. Lamberti Mart. triūphāt

Ad eorum autem vestigia, quos prius nullos æstimauerant, complosis manibus veniebant superstites, orantes, & deprecantes, vt eorum omnem inuaderent substantiam, & seruatâ tantum vitâ, totam eorum progeniem deinceps perpetuæ subijcerent seruituti. Qui sceleris apud Leodiū non immemores deprecantium lachrymas intendere non volebant. B

Fiunt hostes supplices Leodiensibus, sed frustra.

Dux ipse fugit de acie, quod viro Dei per visum primo mane fuerat præostensum. Ducem autem cum quidam prosequeretur indigena, Lambertus de Hoyo solo miles nomine (nam & ipse *vir Belial*) vt de manu persequentis eriperet, ex arrupto obuians indigenam interfecit.

Dux fugit de acie. Lambertus de Hoyo solo nomine miles. 1. Reg. 25.

Peruenit autem Dux Louanium obuiam habens turbam multam matronarum plorantium & dicentium, vbi sunt Domine filij & parentes, Mariti, & nepotes, noti & affines, quos tecum pridiè à nostris abstractos finibus abduxisti? Quibus ille sibi malè conscius; olim, aiebat, prædam Leodiensium, multis plenam diuitijs cum gaudio suscepistis; vultis ergò semper lucrari, & nihil vnquam perdere? & inde progrediens venit apud Tielemont, deprædatus suam gentem, dicebat. Melius est vt vestra rapiam; quam, si superueniant, & rapiāt alieni. C

Querimonia mulierculariū repetentium à Duce suos maritos.

Dux prædatur suam gentem.

Præter hæc autem gens Comitis Ludouici, quæ diffugerat, sciens quod terga dedissent barbari, reuersa est ad locum suum certaminis: sociosque suos, scilicet diœcesanum populum non inueniens, omnes illic spoliauit armis & vestibus mortuos quos inuenit. Factum est, vt cum nostri fugientes cessarent persequi, ad ipsum locum reuersi sunt, sed sicut prædictum est iam dicta gens abstraxerat spolia. D

Gens Comitis Ludouici spoliat Brabantinos.

De gratiarum actione completâ victoriâ.

CAPVT XII.

IAm diei hora illius nona aduenerat: & ecce conuersus Cysterciensis ordinis Ionatas nomine, intrauit Leodium, & frangens potius verba, quam proloquens, pondere gaudij nimio suos interrumpente sermones, populo acclamauit.

Letus nuncius de victu Brabantin.

Quid

Quid est fratres, quid agitis? Brabantini hodiè ceciderunt in acie; A quia & ego vidi adduci ex prælio plaustra onusta de spolijs impiorum.

Quo audito nuntio, ad maiorem Ecclesiam fit concursus ciuium; pulsatisque signis Ecclesiæ, *Te Deum* decantabant. Cum autem chorus vnum illius hymni decantaret versiculum; alter gaudij magnitudine lachrymas proferebat. Fundebantur ergo lachrymę ità plenæ gaudijs, vt ipsas excederent, quas coëgit effundere prædictum excidium ciuitatis: Sed quid plura memorem? Lætitiæ magnitudinem calamus non sufficit ad scribendum. Neque enim per vrbem tantū huius triumphi dilatabatur gaudium, sed vbicumque rumor iste innotuit, Diœcesim vniuersam. *Decantatur Te Deum in Ecclesia.* *Gaudium per totā Diœcesim.*

B Reuersus autem Episcopus, posuit castra sua contra Hanut. Qui autem in turri erant, se quantocius reddiderūt. Quos quia à turri nō expulit factum est illi in scandalum. Nam qui in turre remanserant: nostro exèrcitui deferri victualia prohibebant. *Episcopus obsidet Hanut.*

Quo cognito Præsul cum suis ad locum redijt: & constructis machinis ipsum obsedit per dies aliquot, tandemque rebelles eijciens turrim solotenus coæquauit. Et indè progrediens plures villas campestres vastauit incendio; Eam, quæ Liwes dicitur omnimodis redigens in fauillam. Cuius potentiæ barbarorum nullus audens resistere, solum fugæ præsidium expetebant. *Postea solo æquat.* *Exurit Liwes.*

C *Quod Hugo tunc Pontifex corruptus sit pecunia.*

CAPVT XIII.

Mensis autem Octobris die vicesimâ Comes Ferrandus Francorum Rege à terrâ suâ repulso, apud Piton cum magno descendit exercitu, terram Ducis barbari vastare deliberans; vt suæ, quam Episcopo promiserat, satisfaceret sponsioni. *Ferrandus Comes meditatur vastare terrā Ducis.*

Dux autem hinc indè suorum videns interitum, fugit ad ipsum Comitem: quærens inducias, & veniam de commisso. Super cuius D palliatâ hypocrisi Flandrenses indignati proceres: Eyà inquiunt, Rainardus factus est monachus. *Palliatā Ducis hypocrisis.*

Nihilominus tamen Dux multam spopondit pecuniam: dans ei in obsidem primogenitum filium, quem habebat. Cuius promisso corruptus Comes, ex consilio Comitis Boloniæ conuenit Episcopum; qui etiam corruptus est pecuniâ sic promissâ. *Comes Ferrandus corrumpitur pecunia. Sic & Episcopus.*

Quod & ipsum tunc temporis seruo suo Dominus præostendit. Raptus enim in spiritu vidit sibi astare Pontificem: & de manu suâ ipsum Episcopum stolam rubicundam accipere, & stolam ipsam plenam denariorum formulis proprijs humeris imponētem. Quod vir *Visio viri Dei.*

Dei fieri prohibebat, hanc esse massam asserens olim de Leodio cōgregatam: sed verbis huiusmodi Præsul intendere non volebat. A

Alia eiusdem visio. Rursum vir Dei cum esset in spiritu, audiuit à dicentibus, quod Diœcesim præsul relinqueret, nostræ valefaciens ciuitati. Vidit & eccè tertiò: viri magnis insidentes quadrupedibus, in laicali habitu maiorem intrabant Ecclesiam: & . . . . nostri Martyris vestes, & ostia violabantur.

Interpretatio visionum. Hæc est autem fidelis interpretatio visionum. Stolam rubicundam denariorum plenam formulis, de manu viri Dei accepit Episcopus: qui eam, quam sancti viri precibus obtinere poterat, corruptus pecuniâ, victoriam non impleuit. Et reuerà ipse Episcopium reliquisse visus est: qui non bonus Pastor, sed promittenti pecuniam, tanquam lupo mercenarius, non timuit locum dare. Supremum autem; hoc est, tertiæ visionis præsagium euasimus, per nostri patroni meritum completâ quadam à Rege Francorum victoriâ, quæ lucidè satis inferius est descripta. B

Maiores Ecclesiæ indignātur Episcopo. Reuertenti autem pontifici de terrà Brabantiæ (qui à fêsto Calixti vsque ad vigiliam Seuerini, in eâ moratus est) indignati sunt maiores Ecclesiæ, dicentes. Claudite ei fores Ecclesiæ, qui ductus pecuniâ, nobis à Deo, patroni nostri meritis collatam victoriam, noluit adimplere. Siquidem eorum mens super his fuerat conturbata, quod vix eos flecteret ad organa resumenda.

Reconciliatur Ecclesia. In crastinum autem cum fuisset reconciliata Ecclesia: tunc primum illa macula de altari ablata est, de quâ longé superius mentio facta est. C

Crucifixi attamen imago cum reliquijs in medio remanserunt Ecclesiæ: Donec ea Dux barbarus manu propriâ compulsus est releuare.

De Brabātinis tria milia interempta cum multis exteris. Exercitibus verò bellatorum hinc indè reuersis ad propria, computata de barbaris tria interempta milia; excepto illo, qui & corruerat, exercitu peregrino: Quorum quidem corpora superstites tumulabant; sed ea nihilominus noctis silentio canes, vt comederent, egrediebantur.

Visio viri Dei. Porrò antequam ad nos Dux satisfacturus descenderet: raptus vir Dei in spiritu, vidit virum canicie venerabilem, desuper aram S. Trinitatis in maiori Ecclesiâ albâ indutum candidissimâ, & proprijs calciamentis, quæ illic vsque hodiè conseruantur, decentissimé calciatum. Sciens autem hunc pium esse Martyrem, vt eum melius posset inspicere, ascendit in lapide: & eccè Martyr ipse proprium suum feretrum, alterumque Theodardi martyris, supradictas quoque aliorum reliquias, in loco, de quo ea vir beatus prius viderat cecidisse, proprijs manibus resignabat. D

Satisfactio Du[cis] Vndè post modicū temporis Dux, Flandrensi Comite cōpellente, venit Leodium: Præsulisque, & maiorum pronus vestigijs tandem absolu-

A absolutus est, omnes manu propriâ præfatas reliquias releuans de puluere pauimenti. *cis Brabantiæ publica.*

Tanta autem ad spectaculum hoc populi conuenit frequentia: vt volentium conscendere chori ostium nimium importuna infringeret multitudo. A quâ vir Dei opprimi refugiens, pro vt ipse præuiderat, ascendit in lapidem, ipsas reliquias disponi, & per ordinem, vbi erant antiquitus considerans relocari. *Populi frequentia.*

At verò Ducis complices ciuitatem ingredi non valentes, sed inibi humiliationem Domini sui deplorantes, aforis expectabant. Quorum quidem olim tam superba fuit proteruia, vt cum Tungrensem (vt scriptum est) obsedissent Ecclesiam, mutuò loquerentur. Deus regat cœlestia, & sit Rex cœlorum: Dux noster reget terrestria constitutus Rex & Dominus terrenorum. *Ducis complices humiliationem sui Ducis deplorant.* *Blasphemia.*

B

Dux itaque osculatus Episcopum & Comitem Ludouicum, rediuit ad propria: dolos assuetos gerens in pectore: paratus ostendere, si tempus voto suo congruere perspexisset. *Dux redit ad propria.*

De aduentu Regis Ottonis Traiectum.

CAPVT XIIII.

C SEruo autem suo, antequam fierent, omnia Dominus manifestãs; quantum, qualeue super nostram ciuitatem futurum esset in breui prælium; modo tali dignatus est demonstrare. Mense aprili subsequente, vidit in visu noctis nubem candidissimam, & sicut fulgur de terrà consurgere: & ab eâ maiorem operiri Ecclesiam: cuius compulsus angustiâ ipse cum omni populo ad sepulchrum fugiebat Martyris, ab imminenti periculo refugium petiturus. *Visio viri Dei.*

Vt igitur impleretur visio, in ipso mense Otto Rex ab Augusto fugatus, Rhenum transilire compulsus est. *Rex Otto Rhenum transit.*

Quo appropiante Coloniam, Dux Brabantinus aduentu eius cognito, vt per eius auxilium manum iterato in nostram mitteret Diœ-
D cesim, fidelitatem ei se finxit facere, illam euacuans, quam ab eo socer suus acceperat Rex Francorum. *Dux Ottonem Regem adit.*

Venit illo tempore Ioannes Rex Angliæ illius Ottonis patruus: mareque pertransiens Normanniam est ingressus. Auditoque quod suus Rhenum transisset consanguineus, Fratrem suum Guilhelmum, qui Longus dicebatur gladius, misit ei obuiam, multamquoque dedit pecuniam; volens ex eâ congregari exercitum: vt hoc facto veniret ei in auxilium, cum Rege Franciæ congredi cupienti. *Rex Angliæ mittit obuiam Ottoni.*

Itaque vicesimâ & octauâ die mensis eiusdem, quo festiuitas

 ageba-

agebatur triumphi de Bouillon: super Mosam fluuium, ex aduerso Traiecti, innumerabiles sunt acies congregatæ. A

Dux vindictã quærit. Quapropter Dux voto suo tempus conueniens venisse existimãs, suasit Regi (Ottoni scilicet) vt inde non recederet, quoadusque Leodiensem Præsulem, & Ludouicum Comitem voluntati suæ subijceret: alioquin eorum terram prælijs, aut incendio deuastaret.

Resistendi verò robur non habens Episcopus, cum ex eo sibi magnum immineret periculum, conuocauit intra vrbem, quos habere potuit suæ partis principes: totam relinquens Diœcesim ad auxilium Martyris reuerendi.

Impletur visio viri Dei. Die verò ducto ad vesperam, totus Ottonis exercitus transiuit Mosæ fluuium; vt summo diluculo super nostram irruerent Ciuitatem. B Patet nunc quænam fuit nubes densissima, à quâ lamentis & precibus se petebat, vt dictum est, vniuersitas liberari.

In illius diei articulo, celebrante viro Dei, non est nostrum dicere, quanto qualiue sit perfusus impetu lachrymarum. Beata quoque *Visio matris eius.* mater eius, dum similibus inuigilaret præcibus, piũ vidit Martyrem armis vestitum clarissimis: & eum, quod gestabat, scutum aureum contra perfidos extendentem.

Timor inuadit exercitum Ottonis. Missis autem ab Ottone, qui explorarent Leodium, relatum est, quod è contra Pontifex congregasset acies in immensum. Statimque in suos timor tantus cœpit irruere, vt eum quem transuadarant fluuium cogeret retransire.

Rursusque ad explorandum missi sunt alij: qui auditis tubarum clangoribus per vrbis ambitum, ad instantiam Præsulis suas acies inuisere cupientis, & eas desuper muros ad vrbis custodiam ordinantis: renunciauerunt Regi dicentes. Qui sapiens est fugiat: ecce enim C *Pedites fugiũt* Episcopus cum infinito populo appropiat, vt nos perdat. Quo audito pedites terga dedêre fugientes.

Rex verò dimissis peditibus, secum fecit tantummodò milites remorari. Mittensque quosdam mandauit Episcopum: à Ludouico Comite, qui interim aderat, fidelitatem cupiens extorquere. Cui ille. Cum venerit, inquit, Episcopus, si mihi consenserit, faciam quod præcipis.

Tunc iratus Rex circunstantibus ait. Sinite Ludouicum, sinite: D qui absque nutu Præsulis quicquam non audet facere. At Guilhel- *Opiniones diuersæ de potẽtia Episcopi Leodiensis.* mus dictus longus gladius, vt quid, ait, vltra viuimus? Valet ne Romanorum Principi transitum iste sacerdotulus inhibere? Cui Ferrãdus Flandriæ Comes, qui cum ducentis militibus ad Regis venerat auxilium: Quid frater, ait, sic loqueris? Neque enim omnes terræ tuæ Pontifices tantæ sunt fortitudinis; sicut iste. De terrâ certè suâ citò haberet mille milites præparatos ad prælium: cum simus & nos fœudati sui: & multi, quos hic video, nobilium. Ad quæ indignatus Guilhelmus, pereat, ait, qui tantam potestatem contulit Sacerdoti.

Hæc autem mutuo loquentes: venire vident Episcopum multo-

rum

A rum nobilium numero circundatum. Susceptoque illo honorificè, iurauit Rex, quod infra biennium nihil mali patraret in Episcopio. Sed Ducis consilio citò huius iuramenti rupisset vinculum, si non esset prece nostri Martyris, vt patebit posteà, ipsius potentiæ cornu fractum. *Ducis perfidia*

Cessauit autem huius mali initiata quassatio mensis Aprilis Die vicesimâ nonâ, in quâ etiam victoriæ de Bouillon agitur memoria.

Subsequente autem mense Mayo Dux suam Ottoni filiam dedit in coniugem, vt de nostrâ Diœcesi quandoque ad libitum plenam reciperet vltionem.

B

De congressu eius cum Francis & ipsius fuga.

CAPVT XV.

ANno autem gratiæ millesimo ducẽtesimo decimo quarto, mẽsis Iulij die duodecimâ apud Niuellam, quæ sanctæ Gertrudis dicitur, congregati sunt totius tyranni prouinciæ, Otto Rex, Dux Brabantiæ, Dux etiam Henricus Ardennæ, Comes Flandrẽsis, & Comes Boloniæ, pium volentes Martyrem (sicut vir Dei præuiderat nocte) de suis allodijs, si sors daret victoriam, spoliare. Condixerant enim, quod reuersi de Franciâ, contra quam dimicare statuerant, omnes à nostrâ vrbe clericos expellerent, & eorum saisitis reditibus, Rex in eâ thronum suæ gloriæ cõfirmaret. Quæ est enim, dicebant, vtilitas Deo non seruiẽs cleri tanta multiplicitas? Rex ipse, dicebat, In minori Ecclesia duobus clericis, in maiori quatuor constitutis, mihi quoque reseruabo totius dominium Ciuitatis. *Propositum Ottonis Regis & aliorum Principum.* C

Oppidum itaque Hoyense, & castrum de Muha Duci dedit Brabantiæ, Dionantum etiam Comiti Boloniæ, alijs alia pro sua distribuens voluntate. *Diuidunt inter se patriam Leodiensem.*

Allodium autem Hannoniæ coram Rege adiudicatum Episcopo, donatum est Comiti Flandriæ. Et de his hactenus.

D Eiusdem verò mensis die vicesimâ sextâ, sæpè dicti Principes suas congregantes acies in confinio Flandriæ, multiplicatis terræ populis superficiem visi sunt operire.

Noster autem Episcopus super his sibi præcauens in futurum, à profectione tali subtraxit quos potuit, Ludouicum Comitem, & etiã Waleranum, datis ei ex assensu capituli quibusdam suæ mensæ allodijs, quæ Aspre, & simplex via dicta sunt. Quamplures quoque Præsulis videntes astutiam, ad præfatos Principes timuerunt ascendere; ne ipsis absentibus, remorati cum Præsule, suas possent terras incendio deuastare. Nemo enim à Rheno vsque in Flandriam à nefando exercitu subtrahi præsumpsisset, nisi per prædicti Præsulis astutiam, timuisset. *Episcopi prouidentia.* *Aspre & simpreuelt.*

Erat

Rex Francorũ contra Regem Angliæ. Erat autem tunc temporis contra Regem Angliæ ſuas dirigens acies Rex Francorum. Qui præfatum Ottonem timens ex aduerſo ſibi velle occurrere, ad dimicandum contra Anglos primogenito ſuo, Ludouico ſcilicet, robur dimiſit exercitus: & electis inde tantũ quadringentis militibus, venit ad quẽdam fluuium, & cum ſuis quàtocius tranſuadauit. A

Viſio viri Dei. Porrò, vt ea, quæ procul à noſtris agebantur viro Dei innoteſcerent: apparuit ei per viſum glorioſi noſtri Lamberti rubicundum feretrum, parumper ad terram Franciæ inclinatum. Matri quoque ſuæ, quæ ſuper his inſtabat aſſiduis precibus, ipſe Martyr apparuit armis quidem indutus clariſſimis, & ipſum regnum Franciæ vultu intuebatur placidiſſimo, optimè galeatus.

Egregium Regis Franciæ Stratagema. Flumine autem, vt præmiſimus, tranſuadato: ad ſuos conuerſus Rex, expectate, ait, hic, donec reuertamur ad vos. Aſſumptiſque ſecum paucis, abijt, Regis Ottonis exercitum inueſtigans. Cuius ſigno cognito aduerſæ clamauerunt acies: Philippus autem tumultuãtem populum audiens, ſe fugere ſimulauit. Quem confuſè Otto perſequens, ſuis hinc indè diſruptis ordinibus, ad præfatum deuenit fluuium. B

1. Reg. 14. Suffragia S. Lamberti martyris. Rex autem Philippus præceſſerat, & ſuos ad præliandum prouocans, aiebat. En videtis Cariſſimi quod nos proſequatur hoſtilis immanitas, & fugere non valemus, habentes fluuium ex aduerſo. Nunc igitur cum vobis ſit res pro animâ, prouocate animos: quia reuerà hodiè pro coronâ Franciæ viriliter eſt certandum. Cumque apud Dominum non ſit difficile paucis dare victoriam, fides non deficiat: ſed metum abijcite, illius inuocantes nomen & auxilium, qui pridiè de barbaris hoſtibus ſuam dignatus eſt Diœceſim liberare. His dictis, ſuis ad bella præparatis, tres fecit ordines, in nomine Deificæ Trinitatis. Quos hoſtilis cuneus præparatos intuens, fecit ipſe ſimiliter, & pariter conuenerunt. C

Duo Francorũ ordines quaſſati. Tertius inuocat S. Lambertum & victoriam obtinet. Otto fugit de acie cum Duce Brabantiæ. Multi principes capti. Duobus autem Francigenarum grauiter quaſſatis ordinibus, cognouerunt nouiſſimi ſe virtute ſuâ non poſſe reſiſtere; & ſicut docti fuerant, noſtrum pium Martyrem, beatumque Dionyſium Francorum Apoſtolum in cordis anguſtiâ, & voce corporeâ viriliter inuocarunt. Quo audito nomine, mox (mirum dictu) ruit hoſtilis immanitas, & cœdens præliantibus confuſè in fugam conuerſa eſt. Quidã autem Francigena Ottonem intuitus, vt viuum eum caperet, cui inſidebat ſonipedem interemit. Ipſe tamen in equum releuatus ab altero, fugit de acie, Duce barbaro comitante. Quos Diu Franci perſecuti ſunt, captis ex eis iam ſex Comitibus, de quorum numero erant Comes Boloniæ, Comes Flandrenſis. Sed neque tantum hi ſoli capti ſunt, imo & multi Principes de terrâ Brabantiæ, Hannoniæ, & Flandrenſi. D

Adductiſque coram Rege captiuis, interrogauit eos dicens. Quis vos cepit? Quis, inquiunt, niſi vos Domine Rex Francorum? Quibus

A bus ille, vt erat ei mos iurandi, per lanceam, ait, Sancti Iacobi, non est ità: sed patronus Legiæ, quem suis volebatis spoliare allodijs, in nostram Coloniam vos redegit. Horum autem omnium rumor venit Leodium, vndè gauisi sunt: & hoc quidem plenariè viro Dei fuerat præostensum. *Dictum Regis Catholici praeclarum.*

Quod per Regem Fredericum Pax patriæ reddita est.

CAPVT XVI.

B MIsit autem breui elapso tempore Dux Barbarus ad Regem Franciæ legatos, plurimum illi congratulari se simulans pro prædictâ victoriâ de Ottone. Rex autem duas remisit ei scedulas clausas sigillo Regio: quarum Dux primam aperiens, nihil in eâ scripturæ reperit; in secundâ autem legit sententiam verba huiusmodi continentem. Sicut prior scedula scripturâ fuit vacua, ità est Dux vacuus fide & iustitiâ. Et de his prædicta sufficiant. *Ducis Brabantia simulatio.* *Lepida Regis responsio.*

Breue autem tempus transierat, & raptus vir Dei in spiritu, quandam intrare se vidit Ecclesiam, campanam (quæ Desiderata dicta est) suauiter audiens resonantem. Audiebat nihilominus à dicentibus, quod in occursum Frederici Regis ad Rheni transitum festinantis, C nostri Martyris delatum esset feretrum: vndè & chori gradus qui ibi sunt, se parabat ascendere, apertumque videns ciborium ipsum, non inuenit feretrum; sed quosdam illic intuitus est homines, locum, in quo illud steterat, osculantes. Suamque ad aquilonem cum vertisset faciem; crucifixum vidit pauimento contiguum qui serpentinam habebat faciem, & vas aquæ fœtidæ erat eius positum à sinistris. Descendensque inferius, iuncturas altaris vidit quasi nouiter renouatas: & in dextro latere sedentem Præsbyterum, submisso murmure hunc versiculum proferentem. *Est ergò fides recta vt credere, & confiteri, quia Dominus Iesus Christus, Dei Filius, Deus & homo est.* Cumque suos parumper oculos sublcuasset, videt sibi cleri multitudinem assistere, volentes nostri festum celebrare Martyris, & in festi prin-D cipio hunc introitum decantare. *Angelus Domini descendit de cœlo: & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum.* *Visio viri Dei.* *Symb. S. Athā.* *Matth. 28.*

Facto verò mane cum cuidam coætaneo sibi vir sanctus hæc eadem referret Præsbytero: ille statim, quod secretum audierat, Decano maioris Ecclesiæ non timuit publicare. Mater autem hominis Dei filium accersiens, visio, ait, quam illi exposuisti Præsbytero; ad Decanum maiorem indiscretè relata est. Scio autem quod Decanus hodiè te vocari faciet, vt scire possit plenius ordinem visionis. Caue ne quicquam dixeris: quia quicquid ille audierit pro nihilo reputabit. *Refertur visio viri Dei Decano indiscretè.*

Nondum vespera aduenerat, & eum Decanus sibi faciens præsentari, ordinem expostulat visionis. Ille autem à matre præmonitus conticuit, præfatum submissa facie intuens Præsbyterum, qui audita secretius præsumpserat diuulgare. Venerabatur autem in matre diuinam clementiam, quæ illam repleuerat gratiâ spiritus prophetiæ. A

Interpretatio visionis. Hæc autem fidelis est interpretatio visionum. In occursu Frederici nostri Martyris delatum est feretrum, qui nunquam Rhenum præsumpsisset transgredi, si non ipsius sancti Martyris meritis Ottonis exercitum â Francis contigisset taliter subiugari.

In cuius etiam aduentu desiderata campana sonauerat, quia eum tota nostra Diœcesis desiderans expectabat.

Eos autem, quos loculum deosculantes reperit, dico esse Ciuitatis indigenas: eam, quam Dominus de Ottone dedit, victoriam collaudantes. B

Crucifixumque ipsum Ducem reor perfidum, serpentinam habētem faciem: qui nostrum tot disruptis fœderibus fefellit Episcopum: reuerà sicut olim hostis antiquus hominem prothoplastum.

Qui quidem pauimento erat contiguus: qui nunc deiectus erat, humilis & confusus; qui pridem se cœli tangere posse sydera æstimabat.

A sinistris autem vas habebat plenum aquæ fœtidæ: quia perfida facta Ducis, fœtorem mentibus audientium ingerebant.

Altaris autem reparabatur integritas: quia nobilitas & decus Ecclesiæ, quod pro peccatis populi prius stetit in nubilo, per Fredericum in proximo erat in gradū pristinum reformanda. C

Qui autem præfatum decantabat versiculum, sedens in dextro chori latere: ipsum reor Dei hominem cui præfata monstrata sunt: qui semper orabat plus corde, quam ore, non ea quæ sinistra sunt, sed quod ipsi nostræ Ecclesiæ nouerat profuturum. Vndè quidam:

Non vox, sed votum, non cordula musica, sed cor,
Non clamor, sed amor, cantat in aure Dei.

Dicebat ergò. *Est ergò fides recta* &c. Ac si apertè dicat. Credere nos oportet in eum, qui cum Deus & homo sit, nobis ad se clamantibus homo verus compatitur, & per pium Martyrem, tanquam Dei filius, & verus omnipotens liberat à præmissis. D

Sequitur. Vidit cleri populum velle nostri festum celebrare Martyris: & meritò. Nam si quis totam seriem lectionis inspexerit: spero, spectare videbit ad gloriam Martyris gloriosi.

Math. 28. Cuius festi hic esse debebat introitus. *Angelus Domini descendit de cœlo:* & cetera quæ sequūtur. Descendit enim ad nos angelus de cœlo, & reuoluit lapidem, quando constitutus ab Ecclesiâ Fredericus, & in terram nostram veniens, barbarorum iugum à nostris tulit ceruicibus, vrbi nostræ & Ecclesiæ perfectam, sicut antiquitus, prout dicemus posteà, restituens libertatem.

Qui

A Qui reuera tunc temporis tanquam de cœlo missus est, cum non virtute propriâ sed pij prece Martyris regni thronū obtinuit, & gratiam, in omnibus nos veniens liberare. Nam sicut præscripsimus cū ipse Fredericus, intrasset Alemanniam, vir Dei per spiritum Ecclesiam collaudantem audierat in hunc modum. *Nunc scio verè, quia misit Dominus angelum suum, & eripuit me de manu Herodis.* Porrò cum idem Rhenum transiuit: exultans Ecclesia decantabat. *Angelus Domini descendit de cœlo.* *Actor. 4.* *Math. 28.*

Orante quoque pro ipso Rege beatâ Odiliâ, Martyr noster eidem in habitu venerando apparuit, quasi sub vno solis radio suam illi manifestans Ecclesiam, totam quidem roseam, preciosi scilicet, colore sui sanguinis laureatam. Et ab eo hoc accepit responsum. Hæc est, B quam Dominus meo consecrauit sanguine: de Ottone quoque ac Duce barbaro, quam pro me cœpit victoriam, ipse perficiet: Et Fredericum Rhenum transire faciet. *Oratio B. Odiliæ.*

De quo Rege, qui postmodū (vt vidimus) factus est à Deo apostata, non ob aliud hic est facta mentio, nisi quia nostræ salutem & pacem patriæ restituit Dominus per eum, qui in sui regni principio gloriæ thronum obtinuit, ab Ecclesia constitutus. *Nota ætatem Auctoris.* *Fredericus reddit pacem patriæ Leodiensi.*

Quicunque igitur illi hactenus restiterant, statim Rheno transito in omnibus subiecerunt se illi sub fidei iuramento.

Peragratâ autem omni prouinciâ, cum ad interitum venisset Brabantiæ, sciens Dux quod nullam de commissis consequeretur veniā, si vltra vellet resistere: cauto ductus consilio se cum filio primogenito subdidit per omnia regiæ ditioni. Quos à suis Rex secum abdu- C cens finibus, reuersus est ad propria; prius tamen vt præmisimus, in omni pacis & libertatis gaudio nostrâ Diœcesi restitutâ. *Dux Brabātiæ subdit se Regi Frederico.*

Rex autem ipse post multi interuallum temporis, proh dolor! sacramentis contradicens fidei, factus est infidelis.

De morte Ottonis, & Ducis perfidiâ.

CAPVT XVII.

D AVdito præfatus Otto, quod secum Augustus captiuos illos duceret cum suâ coniuge Ducis illius filiâ, transfugit de coloniâ; apud Brunsewik multo tempore commoratus. *Otto Rex fugit in Brunsevvik*

Anno autem gratiæ millesimo ducentesimo decimo octauo, cum in suo deambularet secretario tantam sumpsit copiam electuarij laxatiui, quod disrupta viscera cogeret ebullire. *Moritur disruptis visceribus.*

Quo miserabiliter mortuo; raptus vir Dei in spiritu, à conuentu candido se vidit circundatum, & se in eorum medio constitutum. Volētibusque illis festum nostri celebrare Martyris: & in festi prin- *Visio viri Dei.*

cipio cantare responsorium. *O Iuda, qui dereliquisti consilium pacis:* A stupebat homo Dei, quod in festo tam celebri, canticum tam lugubre decantabatur. Intelligens autem per spiritum quod Domino tale complaceret canticum; ipse quoque cantare pro suo modulo compellitur. Dicebant ergò. *O Iuda qui dereliquisti consilium pacis, & cum Iudæis consiliatus es.* Osculo tradis filium hominis ad crucifigendum.

Resp Ecclesiæ.

Interpretatio visionis.

Quod de Duce vel Ottone nil obstat intelligi. Derelicto etenim pacis consilio, cum omnibus his, qui se parauerant ad perdendum nos, isti duo principes consiliati sunt. Et reuerà sicut Iudas osculo Christum tradidit; ità & Dux dato Comiti statim osculo nostrum fefellit Episcopum, tanquam Leodiensem crucifigens Ecclesiã, quod & ipsum viro Dei innotuit, quando illi crucifixus apparuit, cum ab illo deberet ciuitas deprædari. B

Agebatur itaque de beato Martyre tanta festiuitas, cuius prece, & meritis, sicut olim Dodonis, ità nunc Ottonis mulctata sunt viscera. Et qui proditionis dolos alijs inferre parauerant, cogitata iniquitas in eorum interitum redundaret.

Tunc fama percrebuit Ottonem esse mortuum: diem quoque vir beatus computãs, eandem esse reperit, in quâ ipse preuiderat hæc predicta.

Quod Bono viro pro præmissis aduersabantur Dæmones. C

CAPVT XVIII.

Vir Dei à Dæmonibus etiam in corpore affligitur.

SVpra dictis autem omnibus solutis doloribus, horum auctores scelerum dæmones, contristati quod viri Dei precibus non possent resistere, pariter conglobati Domino concedente in ipsius interitum visi sunt côiurasse. A quorum subtili malitiâ etiam in corpore passus est molestiam.

Facies grauiter illi intumescit.

Priuatur lumine oculorum.

Tob. 2.

Nam percussa facies tanquam morbo Elephantiæ grauiter intumuit: & vt suo subito lumine priuaretur subtiles aculeos, ac si sudes acutissimas illius palpebris impingebant. Ipse verò cum iam solita parare non posset luminaria priuatus suo lumine, timens ne propter hoc diuina tractare obmitteret, Tobiamque memorans, pium deprecabatur Martyrem, & dicebat. Pater amantissimè calamitatem hanc libens suscipio, tantum vt mihi impetres virtutem, & gratiam sufferendi. Non transijt dies crastina, quin claritatem luminum, & perditam salutem reciperet faciei. D

Precibus & meritis S. Mar. altera die lumen recipit.

Volebat autem ipse quendam vetustum, & confractum in maiori Ecclesiã redintegrare Thalamum, vt in eo posset patrem orare secretius:

A cretius: sed raptus per spiritũ, videt illum reparari ab alijs, & ità cõpletum est. His obmissis qualiter apud Leodium superius descriptæ victoriæ inoleuit memoria, dum vobis non displiceat, mihi non erit tœdio vestræ qualicunque calamo exponere sanctitati.

Quod apud Leodiensem Ecclesiam triumphi de Steppes facta est memoria.

CAPVT XIX.

B A Cæde barbarorum Diœcesano reuertente exercitu, decretum est ex communi consensu capituli, vt in omni hebdomadâ apud maiorem Ecclesiam beati Martyris agatur memoria: sicut & sabbathis de beatâ statutũ est virgine, prout in libro descripsimus præcedenti. *Memoria S. Martyris singulis hebdomadis quando cœpit.*

Cumque per maiorum incuriam, in hebdomadâ, quæ post Albas sequitur, hoc intermisisset obliuio, & ipse homo Dei, sicut in visu præuiderat, de prædictis clerum argueret, statutum est, vt deinceps transactis mox festis Paschalibus, nunquam in hebdomadâ omni intermittatur huius sancti patroni memoria, cum suis precibus & meritis à barbarorum iugo sic nos absoluit Dominus, sicut eodem tem-
C pore, ab Egyptiorum Dominio, in magno Paschæ transitu Israel dignatus est liberare. *1. Esd. 6.*

Venit quoque interim ad Dei virum prouecta quædam mulier, ob animæ suæ suorumque remedium, terram quam habebat alicui dare volens Ecclesiæ: acceptâ tamen super hac leui summâ pecuniæ, qua suis erat creditoribus obligata. Cui ille. Si terram, inquit, istã ad opus luminaris trium solemnitatum, scilicet Natiuitatis beatæ virginis, & Catharinæ Martyris, & Triumphi (quem scripsimus) deputare volueris, præsto erit pecunia, quam precaris: Consensum mulier viro Dei præbuit, & terram suam super aram Ecclesiæ sollemniter reportauit, breuique elapso tempore, mulier super illâ donatione
D pœnituit & oblatam à viro pecuniam accipere recusauit. Ille autem non intendens auaritiæ, mulieri reliquit, quod dederat; & de ipsâ, quam habebat, pecuniâ volebat quoddam propè Ecclesiam sibi parari secretarium: sed cum hoc suo versaret in animo, dolor ille pristinus faciei suæ relabitur: de quo, sicut dictum est, fuerat liberatus. Intelligens itaque pro prædictis sibi iratum Martyrem, ipsum flexis genibus, cum lachrymis precabatur, vt eum à præsenti molestiâ eripere dignaretur, & iterum meruit exaudiri. *Quid viro Dei acciderit cum muliere quæ illi terram quandã vendidit.* *Vexatur iterũ dolore faciei.* *Iterum inuocato S. Martyre liberatur.*

Apparuit autem, post prædicta, per spiritum, viro Dei, cum vexillo quædam processio, præcedentibusque duobus Iuuenibus nostri *Visio viri Dei.*

 Marty-

Martyris feretrum argenteum gestantibus, vnam, quæ propter astabat, Ecclesiam subintrabat. Illis autem ad terram feretrum submittere conantibus, restitit homo Dei, sublatumque de ipsorum manibus gratanter amplexatus est, & ne à transeuntibus concuti posset, illud idem firmissimo lapidi superponens. Exeuntes autem de Ecclesia, qui primo intrauerant, cum ipsum vellent feretrum ad terram prosternere, vix eorum nisibus homo Dei potuit præualere. Itaque viri quidam candidi aduenisse visi sunt, duplex gestantes feretrum; primum quidem niue candidius, secundum autem candidum, sed per partes guttis sanguineis distillatum: A quorum multitudine celebris solemnitas agebatur. Ipse verò in se reuersus Dei famulus, Deo, & beato Martyri referebat gratias, qui futura ei tanquam præsentia demonstrabant.

Interpretatio visionis. Hæc est autem fidelis interpretatio visionis. Ipsa, quæ cum vexillo Ecclesiam intrabat processio, cleri, & ciuium erat Leodiensium communio: à quibus præfata victoria in eâdem Ecclesia accensis luminaribus celebrata fuit biennio. Hoc etenim homo Dei diu ante præuiderat, celebrandam hanc scilicet in futuro victoriam.

Duo autem præfati Iuuenes, qui feretrum, quod portauerunt ad terram prosternere voluerunt, ciues sunt & clerici, qui factum biennio festum intermittere moliti sunt.

Qui autem ipsum excepit manibus, ipse fuit homo Dei, lapidi firmissimo superponens, hoc est festum retinens petræ illius auxilio, super quam Ecclesia fundata est, & in festo procurās suâ reditus industriâ, ad luminaria facienda.

Exibant autem quidam de Ecclesia, vt feretrū prosternerent, quia fuerunt aliqui, qui præfatam victoriā quoque non ascribebant Martyri, sed dicebant nos non debere de nostrorum ruinâ hostium gratulari. Quibus vir Domini restitit, sic respondens: De ruinâ hostium non gaudemus: sed exuti periculis protectori nostro gratias referimus. Veruntamen scriptum est, *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam.*

Psal. 57. Sequitur: viri quidam candidi duplex portantes feretrum superuenisse visi sunt; cum non solum huius festi memoria, sed & Beatæ virginis Natiuitas, nec non & Catharinæ martyrium annatim colitur à viro Dei tribus in his sollemnitatibus luminaribus acquisitis. Nam & ipsum feretrum, quod fuit niue candidius, eius sapit memoriam, quæ Lilium inter spinas dicitur: respersum verò sanguine, Catharinæ martyrium representat.

Alia visio viri Dei. Raptus quoque in spiritu iterum homo Dei, sepulchrum intuebatur Martyris, & per totam Eclesiam luminaria parabantur. Adueniensque Martyr ipse pijssimus, candelæ mihi, inquit, benè placent. Et hoc dicto euanuit ab oculis speculantis. In se verò rediens, Dominum in beato Martyre collaudabat, qui munus, quod acquesierat, acceptare dignatus est luminarium prædictorum.

Anno

A Anno autem millesimo ducentesimo decimo nono rogatus à Luce Pontifex, ipsâ triumphi vigiliâ intrauit Ecclesiam festum ipsum prohibens vltra fieri, quod iam per septennium fuerat celebratum. Conuocatisque maioribus, & assensum præbentibus voto suo, sic recessit. *Episcopus prohibet vlterius fieri festum huius triumphi.*

Vir autem Domini festum ipsum sic perire non sustinens, ipsa coram omnibus eidem festo luminaria præparabat. Et vt coniectoris veritas probaretur, qui feretrum tangi, & pené prosterni præuiderat, quamplures qui festum moliebãtur destruere, ad eum verba huiusmodi proferebant. Vt quid hæc præparatio luminarium: cum de triumpho hic nulla futura sit mentio? Quibus ipse. Et si festum non vultis facere, quod luminaria saltem præparem, non debet aliquis prohibere. *Vir Dei festum hoc perire non sustinet.*

B

Siquidem ipse præuiderat de turri casum muri penes domum Pontificis, & iuxta Ecclesiam: & demitti ad puluerem signa vniuersa. Et reuera pars turris accidisse visa est, cum clerus cum suo põtifice laudes beato Martyri, qui eis fuit turris fortitudinis, reddere non volebat. Signaque prostrata sunt: quia cantum Martyris intermittere voluerunt. *Visio viri Dei & eius veritas.*

Vidit quoque ipso die beata Odilia Dæmones tanquam stellas nigerrimas, in spherà densissima intrare Ecclesiam, vt palam confusionem illam cognosceret à dæmonibus agitatam. *Visio matris viri Dei & eius veritas.*

C In vesperis itaque illo die, cum turbatione maximâ psalmodia cantata est. Vt autem hymnus insonuit: tantæ reminiscentes victoriæ reliquum Sinaxis cum suspirijs peregerunt. Et notandum quod partem turris, quæ ciuitatem respicit, vir Dei cecidisse non viderat; quia ciues Pontifici in hoc nullatenus consensêre.

Sequenti autem nocte surgit vir Dei ocyus, deprecans Dominum reuelationes, quas super hoc festo viderat, adimpleri. Pulsatisque ad vigilias signis solemnibus, paratisque luminaribus, festiuæ satis Dei nutu vigiliæ decantantur. *Viri Dei oratio.*

In illius autem Diei diluculo, cum super his Beata Odilia Dominũ precaretur, in venerando habitu, & spherâ clarissimâ, beatus ei Martyr apparuit, qui suam subintrans Ecclesiam, tetram illam cateruam dæmonum, quæ inibi latitabat procul à loco expulit, mausoleumque quod suum corpus continet, illâ, quâ erat circundatus, operuit claritate. *Matris viri Dei oratio.*

D

Facto igitur mane, clerus vnanimiter conuenit Episcopum, prohibitioni factæ nequaquam vltra consentiens; & sic reuersus ad Ecclesiam sollemnitatis residuũ, hoc est, missam & vesperas celebrius quam potuit executus est. *Impetrãt quod petunt.*

Ex eo autem tempore, triumphi huius annua facta est memoria: & licet, prout dictum est, diu pependit in dubio, vicit tamen dæmonum nequitiam viri Dei precum instantia. Omnisque, quam de prædictis viderat, secundum suum ordinem, visio consummata est: *Annua vsque in hunc diem fit huius triumphi in Ecclesia S. Martyris memoria.*

coope-

cooperante eo, qui seruo suo per spiritum futura ostenderat Spiritus ipse Deus, qui cum patre & filio viuit & regnat per infinita sęcula. A

FINIS.



A TRACTATVS HISTORICVS

DE PRIMA ET VERA ORIGINE

FESTIVITATIS SACRATISSIMI CORPORIS ET SANGVINIS

Dñi, eius progressu, & gratijs, priuilegijsque, quibus postmodum summi Pontifices eam
B decorarunt.

Ex authenticis historijs & documentis collectus, studio & industria Ioannis Chapeauilli, Canonici & Vicarij Leodiensis.

De sancta Iuliana, eiusq́ admirabili erga sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum à teneris annis deuotione.

C

CAPVT I.

ANno Domini 1191. nata est in Diœcesi Leodiensi Iuliana virgo, quæ anno ætatis quinto, parentibus orbata, Monialibus Cysterciensis ordinis custodienda, & in timore Dei instituenda tradita est. Quæ institutione quantũ profecerit, auctor anonimus illius temporis, qui in veteribus M. S. Codicibus pluribus in locis huius Diœcesis asseruatur, duobus libris doctè & grauiter descripsit, ex quibus, quæ ad rem præsentem pertinent, depromemus. Is ergò libro primo, capitibus 10. 11. 12. 13. multis verbis hanc à Deo gratiam Iulianæ virgini datam fuisse scribit, vt quoties corporaliter sacrificio Missæ interesse posset, tanto tamq́ abundanti rore gratiæ & deuotionis adipe repleretur, vt ad instar ceræ igni apposita, anima ipsius liquefieret, Magna S. Iulianæ erga Sacramentum Eucharistiæ deuotio.
D *& intra semetipsam spiritus eius deficeret. Et vt verbis ipsius auctoris prosequar libro 1. cap. 13.* Cùm esset Rex in accubitu suo nardus ancillæ suæ dedit odorem suum, & ipse altus Dominus qui humilia respicit quadam singulari gratia suam ipsius voluntatem dignatus est reuelare, & ad inchoandum corporis & sanguinis sui festiuitatem signo præostenso, interpretationeque illius data, eam mirabiliter præeligere. *Cant. 1. Psalm 112. Reuelatur S. Iulianæ futura festiuitas Ven. Sacramenti.*

A

Qua ratione Deus S. Iulianæ festum Corporis & Sanguinis sui ab Ecclesia vniuersali celebrandum reuelârit.

CAPVT II.

Apparet ei Luna splendida cum aliqua sui fractione.

RAtionem hanc Auctor lib. 2. cap. 6. his verbis refert: Tempore iuuentutis suæ, quoties Christi virgo Iuliana orationi incumbebat; magnum ei signum & mirabile apparebat: apparebat inquam ei luna in splendore, cum aliquantula tamen sui sphærici corporis fractione, quam cum multo tempore conspexisset, mirabatur multum ignorans quid illa prætenderet. Ex eo autem non satis poterat admirari, quod quoties orationibus insistebat, dictum signum indesinenter se sui illius conspectui ingerebat:& cum totis conatibus niteretur amouere quod videbat, nec præualeret, cœpit timore & tremore multo nimis super hoc cruciari, æstimans se tentari. Orabat autem, & personas sibi fideles orare Dominum faciebat; quatenus ipsam à quadam tentatione, quam se pati dicebat, eripere dignaretur. Sed cum nulla industria, nulla sua, vel aliorum fidelium prece importunitatem signi posset à se repellere, cœpit tandem aliquando cogitare ne fortè, non tam laborare deberet ad signum huiusmodi repellendum; quam in ipso signo aliquid mysticum inquirendum. B C

Existimat se tentari.

Contulit igitur se totam cum omni deuotione ad deprecandum Dominum, quatenus si id, quod videbat, aliquid significaret, sibi reuelare nō dedignaretur mysterium visionis. Tunc reuelauit ei Christus, in luna præsentem Ecclesiam, in lunæ autem fractione defectū vnius solemnitatis in Ecclesia figurari, quam adhuc volebat in terris à suis fidelibus celebrari. Hanc autem suam esse voluntatem, vt ad augmentum fidei in fine sæculi debilitandæ, nec non ad profectū & gratiam electorum, institutio sacramēti corporis & sanguinis sui quolibet in anno semel solemnius & specialius recoleretur quam in cœna, quando circa lotionem pedum, & memoriam passionis suæ Ecclesia generaliter occupatur. In ipsa autem solemnitate, de memoria ipsius sacramenti, suppleri diligentius oportere, quod alijs quotidianis diebus in minori deuotione seu negligentius fuit prætermissum. D

Oratione reuelationem significationis signi impetrat.

Causæ speciales solénitatis venerabilis Sacramenti.

Per S. Iulianā Christus vult primitus mūdo nunciari festū Corporis Christi.

Hæc igitur cum Christus virgini suæ reuelasset, iniunxit eidem, vt hanc solemnitatem ipsa inchoaret, & per eam debere fieri primitus nunciaret. At Iuliana sublimitatem negotij, nec non humilitatem & fragilitatem suam ponderans & attendens, vltra quod dici posset, obstupuit: & quod sibi iniungebatur, se non posse facere respondit.

A pondit. Verum quoties orationi incumbebat, admonebat eam Christus, vt negotium sibi iniunctum assumeret, quam ad hoc præ cunctis mortalibus elegisset. At illa semper respondebat: Domine dimitte me, & quod mihi iniungis, iniunge potius magnis clericis, lumine scientiæ fulgentibus, qui sciant & possint tantum negotium. Nam quomodo id possem: Non sum ego Domine digna nunciare mundo rem tam arduã, tam excelsam, nec ipsam scirem, nec possem adimplere: responsumque est illi, quod hanc solemnitatem oportebat per ipsam omnimodo inchoari, & deinceps per personas humiles promoueri. *Humilitas S. Iulianæ.*

Et cum aliquando instaret orationi, obsecrans tota intentione Dominum, vt aliam personam eligeret ad hoc opus, audiuit vocem dicentem B *Confitebor tibi pater cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus huius mundi, & reuelasti ea paruulis.* Nec sic continuo conquieuit, sed respondit: Excita Domine temetipsum, excita & magnos clericos, & dimitte me in pace tuam minimam creaturam. Et facta est rursum vox ad eam, dicens. *Immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro. Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam & salutare tuum dixi, non abscondi misericordiam tuam, & veritatem: à concilio multo.* *Luc. 10.* *Psalm. 39.*

S. Iuliana cum magna deliberatione per Theologos, & alias idoneas personas visionem tantæ solemnitatis facit examinari.

C

CAPVT III.

Sic enim idem auctor lib. 2. cap. 7. scribit. Igitur cum à tempore visionis prædictæ viginti vnius annorum curricula pertransijssent, & interim Christi virgo Iuliana, præ nimia humilitate innumerabilibus gemitibus & precibus institisset, quatenus ipse Christus cuicumque alteri personæ negotium memoratum imponeret nec hoc posset aliquatenus impetrare, cernens sibi *durum* fore *contra* voluntatis diuinæ *stimulum calcitrare*, voluntatem suam ipsius subdit voluntati, D institerat enim tantis fletibus & precibus, vt plerumque exhaustis lachrymis, oculi eius purum sanguinem loco deducerent lachrymarum. *S. Iuliana 20. annorum spatio deprecatur officium reuelandi mundo hoc festum.* *Actor. 9.*

Nec offendatur quisquam; quod Christi virgo, tam sero diuinæ visa sit acquiescere admonitioni, cum hoc, non ex aliqua processerit negligentia, seu minori erga hoc sacramentum deuotione, sed profundissima humilitate: semper in conspectu Domini se indignissimã asserebat, vt tanta solemnitas per ipsam mundo innotesceret, de imperitia & de impossibilitate sua nihilominus se excusans; Sed quanto ipsa se indigniorem reputabat, tanto Christus humilitatis amator &

doctor digniorem eam iudicabat. A

Acquiescit diuinæ monitioni. *Aperit visionem D. Ioanni de Lansenna.*

Acquiescens igitur vel sero admonitioni toties sibi factæ, primum cuncta per ordinem patefecit viro vitæ venerabilis Dño Ioanni de Lansenna Ecclesiæ S. Martini Leodiensis Canonico, quem pro suæ sanctitatis excellentia plurimum diligebat, & rogauit eum, vt qui ipse notus erat à multis & magnis clericis, & religiosis personis, qui ad ipsum orationum gratia veniebant, omnia quæ ipsa ei retulit, tacito tamen nomine suo, illis exponeret, vt cognosceret quid etiam magnis Theologis de solemnitate huiusmodi videretur. Et vide virginē sapientem non egit præcipitanter, non quicquam aggreditur inconsulte, sed cum maturitate & deliberatione multa nimis facit vniuersa, per se probans, & per alios probari concupiscens, *si spiritus ex Deo sunt.*

Petit communicari rem Theologis.

1. Ioan. 4.

Audiant hoc vtriusque sexus homines sapientes in oculis suis credentes omni spiritui: qui quæcunque mentibus suis occurrerint, diuinas æstimant reuelationes. Iulianæ ostenditur signum, reuelatur mysterium, iniungitur imo & inculcatur negotium, & hæc omnia ab eo qui nec fallere nec falli potest, & tamen per homines in lege diuina doctos, & spiritum Dei habentes cuncta præmissa postulat retractari. Sed si virginis nostræ exemplum, eis pro minimo est, Pauli opus attendant: nonne *Euangelium suum quod non ab homine acceperat, sed à Christo, cum hominibus tamen censuit conferendum, ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset*: vbi ille securus non est, nec Christi famula Iuliana, B

Galat. 2.

Exponitur visio Dño Iacobo de Treen, Archid. Leodiensi *Luc. 19.*

Exposita sunt igitur omnia supradicta Domino Iacobo de Trecis, tunc Archidiacono Ecclesiæ Leodiensis, viro vtique plurimum in lege diuina erudito, & sanctitatis meritis decorato: qui quoniam semper se fidelem exhibuit coram Deo in modicis, quæ acceperat ab eo, postmodum constitui promeruit supra multa. Hic siquidem postea factus est Ecclesiæ Verdunensis Episcopus, à qua dehinc in Patriarcham Hierosolymitanum est assumptus; demum, Deo mirabiliter ipsum promouente, in summum Pontificem sublimatus & Vrbanus est vocatus. C

Et fratri Hugoni postea Cardinali.

Exposita sunt etiam cuncta præmissa fratri Hugoni, tunc priori prouinciali ordinis fratrum Prædicatorum; qui postmodum suis exigentibus meritis, in Romanæ Ecclesiæ Cardinalem meruit promoueri. D

Et Episcopo Cameracensi.

Nec non & R. Patri Domino Guiardo Cameracensi Episcopo: qui in diebus illis, veluti duo cœli Luminaria magna, vitâ & scientiâ in Ecclesiâ refulgebant.

Et Cancellario Parisiensi. *Et Ioanni & Gerardo lectoribus.*

Exposita insuper sunt omnia viro Eruditissimo Cancellario Parisiensi: necnon & fratribus Aegidio, Ioanni, & Gerardo lectoribus fratrum Prædicatorum Leodiensium: insuper & multis alijs personis, vita & scientia ad instar syderum micantibus.

Sed quando diffidet sanctus spiritus à seipso? Quando sibi contraria loqueretur? non adhuc profecto per os ancillæ suæ Iulianæ nec per

A per ora seruorum suorum fidelium est locutus: sed nec inuentum est inter eos, est & non, sed est, est, tantum. Prædictæ siquidem personæ omnes, diligenter auditis, intellectis, & examinatis meritis negotij memorati, vno spiritu pronunciauerunt non posse inueniri in lege diuina rationem efficacem, quare R. Sacramenti specialis festiuitas fieri non deberet: dignissimũ autem fore ac iustissimum, necnon ad honorem Dei cedere, ad profectum etiam & gratiam electorum; si memoriam institutionis ipsius sacramenti, solemnius ac specialius quam vsque ad illud tempus, annis singulis mater Ecclesia celebraret. Cuius sententiæ concordiam cum Christi virgo cognouisset gratias egit Deo, quod voluntatis suæ responsum posuisset in ore tantarum ac talium personarum. Math. 5.

B

Cognita concordi doctorum Theologorum sententia Iuliana procurat componi officium dictæ festiuitatis.

CAPVT IIII.

Morabatur in Monasterio S. Iulianæ quidam frater Ioannes, iuuenis adhuc; nec magnæ scientiæ, sed vitæ innocentis. Iuliana de diuinæ sapientiæ magis quam humanæ auxilio fisa, illum rogat, vt officium de festiuitate hac noua

C *venerabilis Sacramenti componat, illumque de viribus ingenij sui merito diffidentem vrget opemq; in auxilio diuino implorando pollicetur. Ille in Iulianæ precibus magis, quam in studio suo spem ponens, rem aggreditur.*

Igitur quoties lectioni sacræ scripturæ se applicare vult, Iulianam monet, vt precibus vacet, sicq; fit vt Deo specialiter cooperante non difficulter proprias huic tantæ solemnitati antiphonas, lectiones, hymnos, responsoria, capitula, & alia ad officium necessaria ex sacris literis, & Ecclesiæ patribus hauriret. Quæ omnia à supranominatis Theologis cum summa admiratione lecta & probata fuerunt. Hæc recenset pluribus verbis auctor vitæ S. Iulianæ l. 2. cap. 8. officium hoc habetur in pluribus Ecclesiis Diœcesis Leodiensis, sed speciatim in Ecclesia collegiata S. Martini, & parochiali S. Ioannis Baptistæ Leodij: Incipit, Animarum cibus. *Officium nouæ festiuitatis à fratre Ioanne compositum.* *Probatur à grauissimis Theologis.*

D

Quod instinctu Theologorum Robertus Leodiensis Episcopus hanc solemnitatem celebrari per suam Diœcesim præceperit, ac etiam exaltare proposuerit, sed morte præuentus non potuit.

CAPVT V.

Sic enim prosequitur auctor noster cap 13. Interim dum Christi virgo pro exaltatione nouæ festiuitatis, implorãdo SS. suffragia, laborabat,

Sap. 8. *Theologi persuadent Episcopo Roberto festiuitatem Corporis Domini.*

Christus eo quo volebat modo, illius desiderium procurabat. Nutu A siquidem eius, qui *disponit omnia suauiter*; viri venerabiles & religiosi, solemnitatis ordinem & processum exposuerunt Reuerendo Patri, Domino Roberto Leodiensi Episcopo, & eidem vt diuinæ munus gratiæ agnosceret, & exaltaret, verbis efficacibus suggesserunt. Quid plura? Cognitis tandem aliquando dictæ festiuitatis meritis, bene sibi complacuit, & ipsam iure debere fieri iudicauit. Qui etiam per continua temporum incrementa, creuit & ipse in illius dilectione: vnde & eam magnifice proposuit exaltare.

Robertus præcipit obseruari

Vniuersis igitur Ecclesiasticis personis suæ Diœcesis per elegantē epistolam præcepit ipsam solemnitatem singulis annis die ad hoc statuta, cum officio proprio celebrari, & ab eorum plebibus, sicut B diem Dominicam, ab omni seruili opere inuiolabiliter obseruari. Circiter etiam viginti officia ipsius festiuitatis fecit de proprio conscribi, volens ea ad habendam copiam, per loca distribui oportuna. Et ne quisquam negligentium Prælatorum de ignorantia se posset excusare, proposuit in generali sua synodo, quæ singulis annis conuenientibus Ecclesiarum Rectoribus, & Conciliorum Decanis in vnum, fieri solet, quod per epistolam statuerat, viua voce solemniter publicare. Sed heu præuentus est morte, & quod voluit adimplere non potuit. Qui etsi propositum non perfecit, mercedem tamen propositi non amisit.

Solemnitas publicatur in Synodo.

Roberti Episcopi ea de re epistola. C

CAPVT VI.

Robertus Dei gratia Leodiēsis Episcopus, dilectis filijs in Christo Abbatibus, Prioribus, Decanis, Præsbyteris, cæterisque Ecclesiasticis personis in Leodiensi Diœcesi constitutis, salutem & plenitudinem gratiarum.

Psalm. 92.

Inter alia mira & mirabilia admiranda, quæ *Mirabilis in altis Dominus* noster fecit, illud est præ cæteris mirabilibus excellentius memorā- D dum, in quo ipse se dedit timentibus se in escam: Et hoc est illud corporis sui sacri ineffabile Sacramentum, quod nobis tanquam memoriale mirabile & delectabile dereliquit, vt illud memoriale præsentaret nostræ memoriæ, memoriabile intelligentiæ, & delectabile voluntati. Quod beatus ille Dauid eximius Prophetarum, in quoddam mysteriorum promptuarium spiritualiter introductus, sic cecinit gratulando. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Etsi ipse, qui testamenti sui in sæculū memor erit, suorū mirabiliū futurorū, etiam antequā illa faceret memor fuit, & postquam illa sanctissimo opere stabiliuit memorāda, iterum

Corporis Domini ineffabile Sacramentum.

Psalm. 110.

A iterum repetiuit, dicens: *hoc quotiescumq; feceritis in mei memoriam facietis*, non debet reprehensibile iudicari, si nos qui sumus labilis memoriæ, vltra illam quotidianam memoriam, quæ de dicto admirabili Sacramento quotidie agitur in altari, ad confutandam hæreticorum insaniam, statuamus, vt semel in anno hoc pretiosum & venerabile, atque indicibile Sacramētum, specialius ac solemnius quam quotidianis diebus ad memoriam cunctis fidelibus reuocetur.

Luc. 22.

Quare speciale festum de Corpore Dñi debuerit institui.

Arbitrantes dignum esse & iustum, æquum & salutare, quod cum sancti sui, quorum in litanijs missis, ac alijs secretis orationibus, memoria quotidie in Ecclesia veneratur, nihilominus semel in anno B singulariter habeant festa sua, in quibus eorum merita singularius recoluntur; ipsum etiam quod est sanctum sanctorum, dulcedo omnium dulcedinum, in terris solemnitatem habeat specialem, ad referendum specialissimas & permaximas laudum & gratiarum actiones Domino Deo nostro; videlicet super eo quod se nobis propter purissimam & inenarrabilem atque inæstimabilem charitatē suam mirabiliter quotidie exhibet in altari, qui in hac mirabili exhibitione sua non cessat, nec cessabit adimplere illam suam dulcissimam promissionem quam pollicitus est dicens. *Ecce vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi*, memor cuiusdam verbi sui quod est, *Delitiæ meæ sunt, esse cum filys hominum.*

Sacramentum Corporis Dñi est S. sanctorū.

In eo relucet ineffabilis Dei charitas.

Mat. 28.

Prouerb. 8.

In qua etiam solemnitate cautè & sollicitè possit suppleri quicquid C de ipsius memoria ab his quotidianis diebus incautè, & insollicite, & negligenter est prætermissum. Quis enim fidelium dubium habere possit, dignissimam hanc solemnitatem fore ad honorem Dei & augmentum deuotionis fidei Christianæ & spei atque charitatis, nec nō & cæterarum virtutum, & ad profectum electorum Domini nostri Iesu Cristi multiplicem?

Cupientes igitur hæc commoda gregi nobis commisso euenire, & humanam negligentiam ad supradictas gratiarum actiones repetendas excitare, statuimus vobisque præcipimus inuiolabiliter obseruādum, vt de præfato excellentissimo Sacramento, singulis annis feria quinta proxima post octauas Trinitatis, festum solemne cum nouem D lectionibus, & responsorijs, versiculis & antiphonis proprijs, quorū vobis copiam faciemus, in singulis Ecclesijs Leodiensis Diœcesis, de cœtero perpetualiter celebretis, & celebriter obseruari, ab omni seruili opere vacando tanquam diem Domini, etiam nuncietis. Et subditis vestris annuatim in vestris Ecclesijs Dominica præcedente publice in remissionem suorum peccaminum iniungatis, vt omnes deuote ieiunent in vigilia prædictæ solemnitatis, & orationibus, vigilijs, & eleemosinis, & alijs bonis operibus, se interim studeant præparare, vt esse possint participes illa die dulcissimi sacramenti, ac illud qui parati fuerint & probati, & quorum tetigerit Deus corda, non de necessitate, sed de honestate recipere (si velint) valeant cum salute.

Robertus Episcopus primus præcepit fieri festum Corporis Domini.

Vigilia festi Corporis ieiunandum.

Præparatio ad dignum percipiendum Sac. Eucharistiæ.

salute. Quatenus & Deus, & Christus eius, hac speciali memoria & his sacrificijs placatus, mundo ex diuersis casibus naufraganti dignetur ostium suæ clementiæ aperire. Præsentes autem litteras vobis transcribatis & transcriptum earum penes vos reseruetis. Dat. anno Domini M. cc. xl. vi. A

Hæc Epistola asseruatur in vetustissimo M. S. codice pergameneo Ecclesiæ S. Ioãnis Baptistæ Ciuitatis Leodiensis & alijs in locis.

Quomodo à fratre Hugone Prædicatore & Romanæ Ecclesiæ Cardinali hæc sancta solemnitas sit exaltata, & quod post discessum Cardinalis, qui hoc festum fieri inhibuerunt mala morte interierũt.

CAPVT VII.

Hugo Cardinalis ad Alemaniæ partes Legatus Apostolicus.

VTamur verbis nostri auctoris, sic igitur ille lib. 2. c. 14. Missus est aliquãdo R.P.F. Hugo ordinis FF. Prædicatorũ Præsbyter Cardinalis ad Alemâniç partes à summi Põtificis latere destinatus. Qui cum Leodium venisset, à venerabilibus & Religiosis personis ostensum est ei officium memoratæ solemnitatis. quam longe ante, videlicet cum adhuc esset prior prouincialis prædicti ordinis, pronunciauerat iure esse faciendam. Qui omnia in ipso contenta officio diligentioribus oculis considerans & perscrutans, nihil addendum, nihil imminuendum arbitratus est, cuncta decenter inueniens ordinata. Et immisit Deus in cor eius, vt nouam solemnitatem per se metipsum exaltaret, & se exemplum ad hanc celebrandam cunctis fidelibus exhiberet.

Approbat officium festi Corporis Domini.

Celebrat de festiuitate eadẽ in Ecclesia S. Martini.

Diuulgato igitur per ciuitatem Leodiensem, quod ipse Cardinalis in Ecclesia S. Martini in monte esset celebraturus de solemnitate Sacramenti, conuenit copiosa hominum multitudo. Ipse vero dignitatis suæ infulis redimitus inter ipsa missarum solemnia, turbæ multæ, quæ conuenerat, fluenta sapientiæ Cœlestis propinaturus, locum conscendit eminentem, & de sublimitate & gratia solemnitatis pręsentis sermonem fecit ad clericos & laicos elegantem; In quo plurimum illam commendauit, ipsam ad honorem Dei asserẽs esse, nec non ad profectum non modicum electorum; Deum omnipotentem protestans pie recolentibus eam, liberali dextra largiturum suarum multiformium muneragratiarum, diem quoque quo per annos singulos celebrari deberet constituit: Et omnibus ad hoc præparatis, quorum Deus corda tangeret, licentiam tribuit percipiendi singulis annis, ipso solemnitatis die sacratissimum corpus Christi. Sermone autem completo missarum solemnia peregit solemniter & deuote.

Cõcionatur & illam laudat.

A Ad ipsius etiam Cardinalis exhortationem, Canonici maioris Ecclesiæ dicto Cardinali in partibus suis adhuc agente prætermissam solemnitatem in sua Ecclesia cum officio plenario celebrarunt. Verum nonnulli eorum probati sunt hanc fecisse, non tam ex deuotione, quam timore, vel placendi cupiditate: Siquidem ipso Cardinali ad Curiam Romanam reuerso, hi qui videbantur ipsius Ecclesiæ Columnæ, quorum consilio & auxilio poterat ipsa solemnitas, non solum per aliquot annnos fieri, sed etiam forsitan in perpetuum stabiliri, euoluto anno, ipsam fieri prohibuerunt, tumidi & elati. *Columnæ Ecclesiæ inhibent fieri festiuitatẽ.*

Sic contra Deum potestate sibi concessa sunt abusi, qui plus alijs ab eo dignitatis & nominis fuerant assequuti. Sed quam metuenda B morte vitam finierint appropinquante termino, qui non poterat præteriri, magis arbitror reticendum. Nec tamen temerario iudicio affirmauerim ipsos in talionem suæ contradictionis tali morte punitos exutisse. Hoc audacter dixerim quamplures Ecclesiasticas personas, quæ grande nomen habebant *iuxta nomen magnorum qui sunt in terra*, quas sancta solemnitas impugnatrices habuit, & rebelles, sic morte præoccupatas fuisse, vt ipsarum mors à laicis in prouerbium verteretur. Istud autem ad terrorem putaui: vt omnes qui hæc legerint vel audierint, cum ad ipsos mentio sanctæ solemnitatis peruenerit, discant eidem non detrahere, nec procaciter & pertinaciter defendere quod id sufficere debeat, quod de C Altaris Sacramento quotidie in Ecclesia celebratur. Ne ratione frustra contra torrẽtem diuinæ voluntatis niti videantur, siue *contra stymulum calcitrare.* *Metuenda morte vitã finiunt.* *Iob. 14.* *2. Reg. 7.* *Mors eorum à laicis in prouerbium versa.* *Act. 9.*

Vtinam potius, si possibilitas adsit, amplectendam festiuitatem ipsi promoueant, vel, si forsan non adsit, saltem toto cordis affectu ipsam cupiant promoueri ne si aliter; quod absit, fecerint, *sola vexatio det intellectum auditui.* Caueant obsecro, ne si rebellium inuoluti fuerint culpa, inuoluantur & pœna. Vellem quoscumque homines, ad tantæ solemnitatis gratiam prouocari, non tam veneratione, quã vnctione magistra. *Esai. 28.*

D *Quod frater Hugo Cardinalis huic solemnitati studuit in futurum prouidere, & eius de hac re epistola.*

CAPVT VIII.

A*Vdiuimus quoque auctorem nostrũ hoc ipsum astruentẽ, sic enim ille l. 2. c. 17.* Cæterum antequã R. Cardinalis ad Rom. Curiã reuerteretur, dictæ solemnitati prouidere studuit in futurum. Nam à cunctis Ecclesiarum rectoribus; Prælatis, & alijs Christi fidelibus, infra

Hugo legatus Apostolicus præcipit seruari festum corporis Domini per terminos suæ legationis.

legationis suæ terminos constitutis, ipsam statuit celebrandam: eandemque fieri rogans, præcipiens, & iniungens, singulis annis die ad hoc præfixa, cum proprio officio ipsi solemnitati deputato. Et vt omnibus innotescat, quanta reuerentia & deuotione ipsam censuit honorandam, ipsius Epistolam præsenti capitulo duximus inserendam. A

Exemplar Epistolæ tale est.

REuerendis patribus Archiepiscopis, & Episcopis, & venerabilibus fratribus, Abbatibus & alijs dilectis in Christo rectoribus, Decanis, Archidiaconis, & omnium quorumlibet ordinum personis, alijsquoque Christi fidelibus, infra legationis nostræ terminos constitutis, frater Hugo miseratione Diuina tituli sanctæ Sabinæ Præsbyter Cardinalis, Apostolicæ sedis Legatus, salutem in Domino. B

Homo non sufficit agendis Deo gratijs.

Dum humani generis merita, & æterni beneficia cōditoris, in libra rationis appendimus, Dum maiorem inter ipsa distantiam, quam guttæ roris & oceani inuenimus, grandi mens nostra timore concutitur; eo quod nihil aliud in rationis iudicio reperitur, nisi quod si totus homo sicut cera à facie ignis in obsequia diuina liquesceret; Deo tamen in homine quicquam dignum rependere non valeret. *Psal. 67.* Ipse siquidem hominem de lutea materia conditum, conciuem angelorum effecit formam serui accipiens: & carnem vniens Deitati pro ipsius redemptiōe, inestimabile sui fudit sanguinis pretium, quē dolebat seruitutis Diabolicæ nexibus compeditum. C

Fructus Sacramenti Eucharistiæ.

Nec istud sibi sufficere poterat; quin etiam ad maioris erga nos dilectionis indicia, corpus suum ablaturus ab oculis nostris, & illaturus syderibus, ipsum nobis sub mundissima quadam sacramenti syndone relinqueret inuolutum, vt operatione eius contra potestates aëreas sensus nostros muniret, & venialia peccata remitteret, in grauioribus tolleret omnino consensum, ac virtutum profectionem tribueret. Illud quoque ædendo, iugiter habeamus in animo memoriam Dominicæ passionis ac de tanto beneficio laudis ei hostiam offeramus, qui nos per singula momenta continua beneficiorum consolatione prosequitur; *donec excreuerimus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*; edentes medullam tritici, & bibentes vinum merum, super mensam suam in regno suo: quæ nobis *in tenebris, & in vmbra mortis* existentibus, sub quadam sacramēti cortice palea literæ, ac velamine fidei, proponuntur. D

Ephes. 4. Deut 14. Luc. 22. Math 4.

Quare speciale fiat festum corporis Christi.

Sane licet hoc venerabile sacramentum, in quotidiana memoria cum deuotione debita recolatur, dignum tamen est ad confutādum quorundam hæreticorum insaniam; vt vel semel in anno, specialius & solemnius, quam in cœna Domini quando circa lotionem pedum, ac memoriam Dominicæ passionis, sancta mater Ecclesia occupatur, generalibus ac alijs quotidianis diebus, ad memoriam cunctis fidelibus reuocetur.

Cum

A Cum enim sancti, quorum in litanijs & missis, & alijs secretis orationibus memoria quotidie in Ecclesia veneratur, semel in anno nihilominus, ad eorum merita specialius recolenda, habeant festa sua: non incongruum est, si sacrum sacrorum, amor amorum, & dulcedo omnium dulcedinum, festum habeat speciale : in quo cautè & sollicitè suppleatur, quod de ipsius memoria veneranda, alijs quotidianis diebus fuerat prætermissum.

Nos itaque statuētes quod proxima feria quinta post octauas Penthecostes festum de hoc excellentissimo sacramento, infra omnes legationis nostræ terminos teneatur, vniuersitatem vestram rogamus & hortamur in Domino, vobis qua fungimur auctoritate firmiter præcipiendo mandantes, ac in remissionem peccaminum iniun-
B gentes, quatenus dictum festum prædicta die, singulis annis cum nouem lectionibus, responsorijs, versiculis, & antiphonis proprijs, super hoc specialiter ordinatis, in singulis Ecclesijs celebretis, & vestris subditis annuatim Dominica præcedente publice nuncietis, vt vigilijs, eleemosinis, orationibus, ac alijs bonis operibus sic se studeant præparare, vt esse possint illa die participes illius dulcissimi sacramenti : ac illi qui parati fuerint & probati, ac quorum tetigerit Deus corda, ipsum non necessitate, sed honestate recipere (si velint) valeant cum salute; vt per operationem ipsius, & vitia eorum purgentur, & iusta desideria compleantur. *Hugo hortatur fideles ad communicandū in festo corporis Christi.*

Nos enim ad inuitandum fideles, quod festum illud venerabilius celebrent & obseruent, omnibus pœnitentibus & confessis, qui ad Ecclesiam, vbi officium agetur de eodem, ipso die & per octauas ac-
C cesserint reuerenter centum dies de iniunctis sibi pœnitentijs misericorditer relaxamus. Datum Leodij 4. Kalend. Ianuarij Pontificatus Domini Innocentij quarti anno decimo. *Concedit indulgentias.*

Quod postmodum etiam R. Pater Petrus Caputius S. R. E. Cardinalis & S. Sedis legatus Leodium veniens statutum Hugonis Cardinalis de dicta festiuitate confirmarit.

D

CAPVT IX.

Asseruatur in Ecclesiis S. Martini & S. Ioannis Baptistæ Leodiensis, & quibusdam alijs exemplar confirmationis R. P. Petri Caputij Cardinalis, quod sic habet.

Petrus miseratione diuina S. Georgij ad velum aureum Diaconus Cardinalis, Apostolicæ sedis legatus, vniuersis Christi fidelibus infra legationis nostræ terminos constitutis salutem in Domino.

Dum in excellentia Deitatis æternæ fidelium consideratio iugi me-

Meditatio corporis Domini ad quid valeat.

ditatione versatur, propriũ non indignè perauget affectum, vt Christum Dei filium digna veneratione colere studeat, & puræ mentis studio reuereri, præsertim vbi memoria geritur hominem serpentina potione delusum, saluationis meruisse prœmium sanguine redemptoris. A

Cum igitur venerabilis pater, D. Hugo tituli S. Sabinæ Presbyter Cardinalis, tunc in Alemanniæ partibus apostolicæ sedis legatus, digna duxerit prouidentia statuendum, vt ineffabile corporis Christi sacramentum (quanquam de ipso memoria per quotidianum sacrificium habeatur) festum habeat speciale, prima quinta feria post festum Trinitatis annis singulis in eisdem partibus solemniter celebrandum; prout in literis suis inde confectis plenius vidimus contineri.

Statutum Hugonis Cardinalis approbatur.

Nos statutum huiusmodi sanctũm & laudabile ratum & gratum habentes, illud auctoritate præsentium confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, Indignationẽ omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Leodij 2. Calend. Decembris, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto. B

De Eua Reclusa, quæ sollicitat Henricum Episcopum Leodiensem vt petat ab vrbano Papa per vniuersalem Ecclesiam instituì festum venerabilis sacramenti. C

CAPVT X.

Tempore Henrici Episcopi magna per diœcesim improborum licentia. Blasphemiæ cõtra festum corporis Christi. S. Iuliana persecutionẽ patitur.

Roberto Episcopo Leodiensi vita functo, substituitur Ecclesiæ Leodiensi Henricus Geldrensis vir ad arma potius, quam ad Ecclesiæ gubernacula natus. Cuius tempore non in ciuitate Leodiensi tantum, sed & in tota Patria mira fuit improborum licentia, & vt alia, quæ passim grassabantur crimina taceamus, primores Ecclesiæ, qui alijs exemplo prælucere, & ad decorandam cœptam huius sacramenti festiuitatem debuissent bonorum conatibus adesse, cœperunt in festiuitatem ipsam blasphemias euomere, & S. Iulianam eius reuelatricem calumniari, probris lacessere, & contumelijs onerare, vt pluribus verbis docet auctor vitæ S. Iulianæ lib. 2. cap. 9. D

Supplicatur Henrico Episcopo vt scribat

Dum hæc geruntur, & S. Iuliana persequutionem patiens rem totam Deo committit, fama spargitur Iacobum de Trecis Patriarcham Hierosolymitanum ad summum Pontificatum euectum esse quo nuntio audito B. Eua ad S. Martinum tunc reclusa S. Iulianæ familiaris & amica, & dicto de Trecis antea Leodij propter vitæ sanctitatem nota, per Canonicos, & alios quos festiuitati sacramenti deuotos sciebat, D. Henrico Episcopo supplicari fecit, vt is Vrbano summo Pontifici pro institu-

tione

A *tione generali huius Sacramenti scriberet, quod Episcopus diligenter praestitit vt scribit Ioannes Hocsemius cap. 6. Gestorum Pontificum Leodiensium in Henrico primo, vbi sic habes.* Anno vero Domini 1259. (vel forte 1260. cum tunc secundum quosdam Vrbanus praeesse coeperit) Henricus Episcopus instinctu cuiusdam reclusae iuxta Ecclesiam S. Martini, cui de Sacramento fuit ostensa visio, Vrbano Papae quarto (cui nihilominus haec nota fuerat cum dudum fuisset Canonicus Leodiensis) super hoc suas litteras destinauit, quibus inductus Papa, hoc festum instituit celebrari, quod ex tunc à Leodiensibus est receptum, & postmodum cõtinuo per plures Ecclesias in Germania, & Francia, à clero & populo celebratum, sed Demum per alias vniuersaliter recipitur Ecclesias, cum Ioannes Papa 22. constitutionem Vrbani super hoc festum, quae B incipit Transiturus de hoc mundo ad Patrem (quam Clemens Papa quintus obseruari districte praeceperat ab omnibus in Conc. Viennen.) fecisset cum caeteris clementinis constitutionibus celebrari.

Vrbano pro festo venerabilis Sacramenti.

Vrbanus quartus Pontifex maximus conscius eorum, quae Leodij de hac festiuitate tractabantur, tum literis Henrici Episcopi tum miraculo admonitus festiuitatem hanc ab omni Ecclesia seruari praecipit.

CAPVT XI.

C VRbanum quartum conscium fuisse eorum, quae Leodij tractabantur de instituẽdo festo venerabilis Sacramenti satis declarant verba eius in ipsa Institutione huius festiuitatis, quae sic habent. Intelleximus autem dum in minori essemus officio constituti, quod fuerat quibusdam catholicis diuinitus reuelatum festum huiusmodi (*loquitur de festo corporis Domini*) generaliter in Ecclesia celebrandum.

Clement lib 3. titulo 16.

Miraculum verò, quo idem Vrbanus admonetur, sic ab Onuphrio in annotationibus ad Vrbanum quartum refertur. Anno Domini 1264. sacratissimi corporis Christi solemnitas, quinta feria post Octauam Penthecostes ab Vrbano Põtifice perpetuis temporibus cum solemni supplicatione, D quae nunc etiam celebratur instituta est, cum eius solemnitatis officium S. Thomas Aquinas, qui eo tempore publice Theologiam in ea ciuitate profitebatur, composuisset. Id vero factum fuit propter miraculum, quod hoc tempore Vulsiuis, in dioecesi & ditione Vrbeuetana in Ecclesia sanctae Christianae accidit. Nam dum sacerdos quispiam sacra missarum solemnia celebraret sacramento iam confecto, de panis & vini transubstantiatione, & Christi corpore dubitauit. Vnde statim (dictu & auditu mirũ) ex sanctissima, quam in manibus tenebat hostia viuus sanguis manare coepit, & totam mappam, quam corporale vocant, tingit.

Quo miraculo attonitus Pontifex Vrbanus, is corporale primum

ad se ab Episcopo loci cum processione in vrbem veterem transferri voluit, & illud, solemnitate instituta in Ecclesia Vrbeuetana recōdidit. Quæ omnia ex eiusdem Pontificis bulla, quæ adhuc erat, intelliguntur. A

Vrbanus Pontifex confirmat causas, propter quas Cardinales & Episcopi iudicârunt institui debere speciale festum venerabilis Sacramenti.

CAPVT XII.

B

NOs superioribus capitibus ex literis Illustrissimorum Cradinalium Roberti & Henrici Episcoporum Leodiensium, aliquot attulimus causas, quas Vrbanus Pontifex in sua Constitutione relata in Clementinis Titul. 16. de reliquijs & veneratione Sanctorum, his verbis confirmat

Festiuitate corporis Domini confunditur perfidia hæreticorum.

Licet hoc memoriale Sacramentum in quotidianis Missarum solemnijs frequentetur, conueniens tamen arbitramur & dignum, vt de ipso semel saltem in anno, ad confundendam specialiter hæreticorum perfidiam, & insaniam memoria solemnior, & celebrior habeatur. In die namque cœnæ Dñi, quo die ipse Christus hoc instituit Sacramentum, vniuersalis Ecclesia pro pœnitentium reconsiliatione, sacri confectione Chrismatis, adimpletione mandati circa lotionem pedum, & alijs quamplurimum occupata, plene vacare non potest celebrationi huius maximi Sacramenti. C

Hoc enim circa sanctos, quos per anni circulum veneramur, ipsa obseruat Ecclesia, vt quamuis in litanijs & missis, ac alijs etiam ipsorum memoriam sæpius reuocemus, nihilominus tamen ipsorum natalitia certis diebus per annum solemnius recolit, festa propter hoc eisdem diebus specialia celebrando. Et quia in his festis circa debitum solemnitatis aliquid per negligentiam aut rei familiaris occupationem, aut alias ex humana fragilitate omittitur, statuit ipsa mater Ecclesia certam diem; in qua generaliter omnium sanctorum commemoratio fieret, vt in hac ipsorum celebratione communi, quicquid in proprijs ipsorū festiuitatibus omissum existeret, solueretur: D potissime igitur exequendum est erga hoc viuificum sacramentum corporis & sanguinis Iesu Christi, qui est sanctorum omnium gloria, & corona, vt festiuitate ac celebritate præfulgeat speciali, quatenus in eo, quod in alijs missarum officijs, circa solemnitatem est forsitan prætermissum, deuota diligentia suppleatur, & fideles festiuitate ipsa instante intra se præterita memorantes, id quod in ipsis missarum solemnijs secularibus forsan agendis impliciti, aut alias ex negligentia vel fragilitate humana minus plene gesserunt, tunc attente in humilitate spiritus, & animi puritate restaurent.

CAPVT

Quod Vrbanus Papa institutionem huius solemnitatis cum officio per D. Thomam composito Euæ reclusæ S. Martini, sibi, cum Leodij ageret, propter sanctitatem notæ, miserit.

CAPVT XIII.

EXtat in Archiuis Ecclesiæ collegiatæ sancti Martini Leodiensis Epistola, quam de hac re vrbanus Pontifex Euæ reclusæ sancti Martini scripsit, quæ sic habet:

B Vrbanus Episcopus dilectæ in Christo filiæ Euæ reclusæ sancti Martini Leodiensis salutem & Apostolicam benedictionem.

Scimus o filia quod magno desiderio desiderauit anima tua, vt solemne festum sacratissimi corporis Domini nostri Iesu Christi institueretur in Ecclesia Dei à Christi fidelibus perpetuis temporibus celebrandum: Et ideo tibi significamus ad gaudium, quod nos ad corroborationem catholicæ fidei dignè duximus statuendum, vt de tam mirabili sacramento præter quotidianam cõmemorationem, quam de ipso facit Ecclesia, specialior & solemnior memoria celebretur; ad hoc diem designantes certum, vt in eo turbæ fidelium propter C hoc affectuose ad Ecclesias concurrãt, sitque dies ille vniuersis Christicolis noua festiuitate iucundus, & ampla iucũditate festiuus; prout in literis Apostolicis, quas per vniuersum orbem dirigimus, plenius continetur.

Et scias quod nos huiusmodi festum cum omnibus Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarũ prælatis tunc apud sedem Apostolicam cõmorantibus (ad hoc vt videntibus & audientibus de tanti festi celebritate salubre præberetur exemplum) duximus celebrãdum. *Magnificet igitur anima tua Dominum, & exultet spiritus tuus in Deo salutari tuo. Quia viderunt iam oculi tui salutare tuum, quod parauimus ante faciem omnium populorum.* *Luc. 1.*

D Lætare insuper, quia omnipotens Deus tribuit tibi desideriũ cordis tui, & voluntate labiorum tuorum non fraudauit te cœlestis gratiæ plenitudo. *Psal. 20.*

Et quia quaternum in quo ipsius festi habetur officium tibi sub bulla nostra per latorem præsentium destinamus, volumus, & per Apostolica scripta tibi mandamus, quatenus quaternum ipsum cum deuotione recipias, & eius copiam personis illam petentibus exhibeas liberaliter & libenter, & instes deuotis precibus apud illum qui memoriale tam salutiferum de seipso reliquit in terris, vt nobis ex alto tribuat gratiam commissam nostro regimini Ecclesiam suam egrendi vtiliter, ad laudem & gloriam sui nominis, & salubriter

briter gubernandi. Datum apud Vrbem veterem 6. Idus Septembris Pontificatus nostri anno 4. A

Visis literis Vrbani Pontificis & per S. Euam Capitulo S. Martini præsentatis, accedentibus etiam prouentibus per probos quosdam viros pro hac festiuitate celebranda relictis, Canonici S. Martini festiuitatē aliquantisper intermissam resumunt.

CAPVT XIIII.

Stephanus Cathalaunensis Canonicus S. Martini pius erga festiuitatem corporis Domini.

Per Octo dies continuos celebratur festum corporis Domini in Ecclesia S. Martini.

CVm iam Canonici S. Martini Vrbani summi Pontificis literas vidissent nullaq; amplius de festiuitate corporis & sanguinis Domini restare posset dubitatio, esset etiam inter alios eiusdem Ecclesiæ Canonicos quidam Stephanus Cathalaunensis Gallus, qui huius solemnitatis amore incensus Ecclesiam S. Martini bonorum suorum hæredem scripserat, si Canonici cœptam solemnitatem celebrare pergerent, nec deessent alij eius festi perquam studiosi, qui non exiguum cēsum & legata nec non possessiones non paruas offerrent vt maiore in veneratione & pretio hæc festiuitas haberetur, Canonici intermissam aliquamdiu festiuitatem resumpserunt, magnaq; celebritate feria 5. post octauas Penthecostes per octo continuos dies celebrarunt, & hunc vsq; in diem celebrant, tota ciuitate Leodiensi magna religione illā idcirco Ecclesiam frequentante. Vide scriptorem vitæ S. Iulianæ l. 2. c. 16. 17. 18.

Quod longo tempore post institutionem Vrbani quarti hæc festiuitas per Italiam Galliam, Germaniam, Angliam, & alia regna inhonora & inculta manserit.

CAPVT XV.

ITalia Guelphorū Gibellinorumq; factionibus plurimis dissecta, totaq; pene Europa varijs bellorum tumultibus exagitata, non potuerunt summi Pontifices Sede Romana pulsi pium & sanctum Vrbani institutum exequutioni demandare.

Demum anno Domini 1311. Generali Concilio Viennensi sub Clemente quinto celebrato, præsentibus tribus Regibus, Franco, Anglo, Tarraconensi, duobus Patriarchis Alexandriæ, & Antiochiæ, trecentis, (vt quidam volunt) Episcopis, inter alia præclara istic conclusa decretaque, Vrbani quarti constitutio de festi corporis & sanguinis Domini celebratione recepta, confirmata & publicata fuit. (de qua re vide ipsum Concilium) quam mox passim Episcopi receperunt & subsequentes Pontifices plurimis gratijs exornauerunt, vt iam ostendemus.

CAPVT

A

De solemnitatibus, gratijs, & priuilegijs quibus summi Pontifices festum hoc exornarunt.

CAPVT XVI.

IOannes 22. Papa generale Concilium Viennense statim sequutus anno videlicet Domini 1316. Viennensis synodi decreta & inter alia Vrbani 4. institutū probans, festo huic pro maiori & augustiore religione venerandā supplicationem adhiberi, & per octauas integras celebrari, ipsumque altaris Sacramentum religiose per publica
B *loca deferri mandauit.*

Exacto deinde centum annorum curriculo anno videlicet 1417. Martinus quintus in Constantiensi synodo Indulgentias ab Vrbano concessas geminauit & alias eius festi peruigilium ieiunantibus, & in die festo in publica supplicatione Eucharistiam sequentibus, adiecit.

Eugenius quartus quoq; Martini successor datas ab eo Indulgentias hisce verbis duplicauit. Præmissis per eundem Martinum prædecessorem, vt præfertur, relaxatis diebus, alios totidem dies pariformiter ab ipsis fidelibus consequendos adijcimus per præsentes. Et insuper vniuersos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & aliarum Ecclesiarum prælatos monemus & hortamur in Domino, ac eis districte mandamus, vt per suarum ciuitatum & Diœcesium Ecclesias, harum literarum continentiam plublicare procurent. &c. Datum Romæ
C anno Dominicæ incarnationis 1433. septimo Cal. Iunij, Pontificatus nostri anno 3.

Postremo Alexander Episcopus Foroliuiensis Apostolicæ sedis in Germania cum plena potestate Legatus, pace inter Fredericum tertium Cæsarem, & Carolum Burgundum, Nouesium ditionis Coloniensis oppidum validis copijs obsidentem, procurata, vbi Leodium venisset, vt Diui Martini Leodiensis Ecclesia in festo corporis Christi maiore honore afficeretur, maioreq; deuotione, ac fidelium emolumento, frequētaretur, vere pœnitentibus & confessis, qui illius diei & per eius octauas, matutinis, summo sacro, primis & secundis vesperis interessent, auctoritate Apostolica centum indulgentiarum dies, auctoritate vero Episcopali, quadraginta concessit.
D *Qui vero primis, tertijs, sextis, & nonis, & completis adessent, auctoritate Apostolica quadraginta dies largitus est anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto, Iunij die sexta, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Sixti quarti anno 4.*

 A

Quod Onuphrius, vir alias in historia Ecclesiastica bene versatus, non satis caute dicit fabulari eos, qui reuelationes festi venerabilis Sacramenti astruunt, & finis Tractatus cum pia admonitione.

CAPVT XVII.

EX *autenticis tum historijs tum documentis per nos superioribus capitibus allegatu clarum euadit, Deum* qui humilia respicit, & alta à longe cognoscit, *ante quadringentos circiter annos præ omnibus mortalibus S. Iulianam Cysterciensis ordinis in monte Corneli prope Leodium religiosam delegisse, per quam mundo notum faceret arcanum, quod ab æterno in mente sua latuerat, consiliũ, scilicet, vt cum quotidiana corporis & sanguinis sui, quæ in sacrificio missæ fit, commemoratione, quotannis ab vniuersa Ecclesia certa eorundem solemnis & festiua memoria fieret.* B

Quæ omnia si legisset Onuphrius cautius loquutus fuisset, nec dixisset fabulas esse quæ de Eua reclusa scribuntur: sed quid mirum, si homo Panuinius vetustos M. S. Codices, qui hic in Belgio latitāt, & à paucis etiam nostratibus noti sunt, ignorarit? Restat vt sicuti nos Leodienses, cæteros mortalium in celebratione huius festiuitatis præcessimus, ita illam nunquam intermittamus: sed vt patres Conc. Trident. pie sapienterq́; admonent. Gratos & memores animos testemur erga redemptorem pro tam ineffabili & plane Diuino Beneficio, & contra hæresim triumphum agamus, vt eius aduersarij in conspectu tanti splendoris debilitati & fracti tabescant, vel pudore affecti aliquando resipiscant. C

Sess. 13. c. 5.



CHRONOLOGIA SECVNDI TOMI HISTORIAE LEODIENSIS.

Ab anno Christi 1048. ad 1347.

PRÆFATIO.

AD REVERENDVM ADMODVM D. D. IOANNEM CHAPEAVVILLE Vicarium Leodiensem.

ABsoluto secundo tuo, eoq; luculentiore Leodiensis historiæ tomo, debitum iure à nobis exposcis, vir amplissime: Chronologiam, inquam, eiusdem historiæ vt in primo cœptam, ita & in hoc continuandam, lectoribus vtrobique gratã & vtilem. Quem fœtum et si à me digestum, tuum tamẽ posteritas semper existimabit, vt pote tuâ primum hortatione conceptum, deinde etiam obstetricante manu tua, *tuis, inquam, sumptibus in lucem ac vitam* eductum. *Quanquam hoc tuum in patriam Leodiẽsem beneficium, pars duntâxat maioris illius est, quo vniuersam Leodiensis historiæ seriem miserè anteà dissipatam situq; obsitam, primus in vnum corpus aptasti, & vt certior ornatiorq; lucem aspiceret effecisti. Itaq; iam merito illud de te accinent Eburones, quod olim apud Ciceronem de Varrone Romani*: Nos in nostra vrbe peregrinantes, errãtesque tanquam hospites, tui libri quasi domum deduxerunt; vt possemus aliquando qui & vbi essemus agnoscere. Tu ætatem patriæ, tu descriptiones temporum, tu sacrorum iura, tu Sacerdotum, tu domesticam, tu bellicam disciplinam, tu sedem regionũ ac locorum aperuisti; plurimumque Poëtis (*Historicis*) nostris luminis attulisti; *hæcq; omnia expensis non minus animi quam fortunæ. Quod si olim huiusmodi viris gratæ vrbes statuas virtutis indices posuère, nunquam tua tibi Leodij tuisq; nepotibus deerit in posterum: non illa quidem Phidiaco & eleuato opere muta vel mortua, sed conspicuo*

gratitudinis & beneuolentiæ toreumate maximè vocalis & viua; nec in aliquo fori angulo sordibus araneisq́; miserè obsita, sed in omnium animis ac memoria æternum celebris & inclyta. Nec te moueat æmula virtutis Inuidia; eam nunquam euitabit, nisi qui nihil scribit, vt rectè Hieronymus. Nec vero virtus non est, quam liuor mordet; imo quia virtus est, stridet inuidia, quæ (vt rectè Liuius) intacta media relinquit, ad summa ferme tendit. *Enhydris serpens est apud Aegyptios, ranarum (quæ in Aegypto plurimæ) vorax. Aduersus illum vt se tueantur ranæ, miro naturæ instinctu baculum ore transuersum gerunt: qui cum latitudinem voracis gutturis longitudine sua superet, quo minus absorberi poßint tantilla corpuscula, impedimento est. Hoc ad mores ingeniose vt cetera transferebat sapiens antiquitas, & emblemate picto liuorem & æmulos omnes docebat superādos* VIRTVTE NON VI. *Documentum hoc nos auidè bibamus, auidius exequamur: nec efficiat inuidia, quo minus fixo pede aut scribenda faciamus, aut legenda scribamus. Vale, & hasce tres annorum centurias (tot enim continet secundus hic tomus) cum tuis, & si vis etiam pro tuis ede. Leodij 22. Augusti feria 5. 1613.*

Æ. B. S. I.

Anni Christi.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Franc.	Epi Leod.	RES GESTÆ.	Cyclus Solis.	Cyclus Lunæ.	Indictiones.
1048.		9 / 10	15 / 16	1	*VVazoni Episcopo Leodiensi mortuo succedit* Theoduinus *circa finem Iulij. Aegid. c. 1. & 4. Praerat tunc Germanis Imp. Henricus 3. annum decimum inchoatum, Gallis item Rex Henricus annum 15 exeuntem.*	21 C B	4	1
1049.	1	10 / 11	16 / 17	1 / 2	*Bruno Episcopus Tullensis fit Papa Romæ 12. Febr. Dominica prima quadragesimæ. Bar. Herm Post Pentecosten Coloniam venit cum ipso Imp. qui bellum contra Godefridum Lotharienem & Balduinum Flandrum parabat, quod tamen pacatum. Remis concilium habet initio Octobris etiam Leodij fuit, vnde Fredericum Archidiaconum S. Lamberti Romam abduxit postea Papam. Meyr. Laur. M. S.*	22 A	5	2
1050.	2	11 / 12	17 / 18	2 / 3	*Balduinus Comes Flandriæ Cameracum Andouerpiamque per pacem factam Henrico Imp. restituit. Meyer. Leo Papa habita Romæ post Pascha, & Vercellis in autumno Synodo, Gallias & Episcopatum suum Tullum reuisit. Herm.*	23 G	6	3

RES GESTÆ.

Anni Christ.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frãc.	Epi Leod.	Res Gestæ	Cyclus Solis	Cyclus Lũæ	Indictiones
1051.	3	12 13	18 19	3 4	*Balduinus Flander Castriloci nuptias Balduini filij cum Richilde Hannoniæ Comitissa Hermanni viduæ celebrat. Hinc renatum cum Imp. bellum Sigeb. Meyer. Henricus Imp. Pasca Coloniæ celebrat, vbi Lietbertum pro Episcopo Cameracensi recipit. vita Lietb. M. S.*	24 F	7	4
1052.	4	13 14	19 20	4 5	*Bonifacius Italiæ Marchio, maritus Beatricis moritur, cuius vxorem & Marchiam Godefridus Dux Ardennæ postmodum accepit. Schafn. Herm.* *Lietbertus Episcopus Cameracensis iussu Leonis Papæ Balduino Richildique sacris interdicit, ob nuptias illicitas, & raptum. Meyer.*	25 ED	8	5
1053.	5	14 15	20 21	5 6	*Leo Papa 14. Cal. Iulij pugnâ aduersâ contra Normannos in Apulia capitur. Herm. Scafn.* *Balduinus Comes Flandriæ terminos Lotharingiæ incursans, Hoium oppidum incendit. Sig.*	26 C	9	6
1054.	5 6 †	15 16	21 22	6 7	*Leo Papa cum Romam redijsset, moritur 16. Cal. Maij. Gothefridus Lothariensis iterum contra Imperatorem rebellis, Italiam latenter adiens, Beatricem Bonifacij vxorem accipit. Her. Fredericus huius frater rediens Constantinopoli à legatione, fit monachus Casinensis Schafn. & Leo ost.*	27 B	10	7
1055.	1	16 17	22 23	7 8	*Gebehardus Eistetensis fit Romæ Pontifex Idibus Apr. in cœna Domini, dictus Victor 2. Bar. & contin. Herm. Henricus Imp. in Italiam mouet cõtra Beatricem, molestè ferens eam Duci Godefrido copulatã. Contin. Herm.* *Balduinus Flander cum Godefrido Ardennate Fredericum Ducem Andouerpæ obsidet: sed concurrentibus Lotharingis desistit. Sig. Mey.*	28 A	11	8
1056.	2	17 18 † 1	23 24	8 9	*Herimanno Archiepiscopo Coloniensi mortuo succedit S. Anno 2. consecratus 5. Nonas Martij. Vita. erat is dies dominicus. apte. Ad hunc hoc anno Anselmus libellum suum de gestis Episcoporum Leodiensium misit.* *Henricus Imp. moritur 3. Non. Oct. Succedit Henricus filius. Contra. Scha Sig. etsi anno seq.*	1 G F	12	9
1057.	3 † 1	1 2	24 25	9 10	*Victor Papa è Germania in Italiam redit, vbi 5 Cal. Aug. moritur. Succedit 2. Augusti Fredericus frater Ducis Godefridi Ardennensis, nuper Archidiaconus Leodiensis, tunc autem Abbas Casinensis dictusque est Stephanus 9. Scafn. Bar. hic est qui Leodium misit partem crucis Dominicæ vt sup. pag. 26. c. 7.*	2 E	13	10
1058.	1 †	2 3	25 26	10 11	*Stephanus Papa Florentiæ moritur 4. Cal. Apr. Schismatici quidam eligunt Benedictum; sed Nicolaus 2. sufficitur ab Orthodoxis, annuente Duce Godefrido. Scafn. Bar.*	3 D	14	11
1059.	1	3 4	26 27 † 1	11 12	*Nicolaus Papa Romæ consecratur mense Ianuario. Leo Ost. Bar.* *Henricus Rex Francorum Philippum filium suum septennem Remis Regem vngi curat Indictione 12 die Pentecostes 10 Cal. Iunij. hinc annos Philippi incohandos patet ex fine & numero annorum regni eius.*	4 C	15	12
1060.	2	4 5	1 2	12 13		5 B A	16	13

Ann. Chris.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frāc.	Epi Leod.	RES GESTÆ.	Cyclus Solis.	Cyclus Lūæ.	Indictiones.
1061.	3 † 1	5 6	2 3	13 14	*Nicolaus Papa moritur 6. Cal. Aug. Sufficitur post tres fere menses Alexander 2. Imperatrice Cadelaum Episcopum Parmensem eligēte Vnde schisma. Bertholdus Bar.*	6 G	17	14
1062.	1 2	6 7	3 4	14 15	*S. Anno Coloniæ Archiepiscopus Henricum Imp. puerum à matre Agnete vi abducit, & Coloniæ retinet. Agnes mater inde de mundo deserendo cogitat. Contr. Scafn. Sig.*	7 F	18	15
1063.	2 3	7 8	4 5	15 16	*Robertus Balduini Flandriæ Comitis iunior filius Frisiam subintrat. Cœnobium Einhamense à Balduino Comite Flandriæ fundatur. Sig.* *S. Anno cœnobium Malmundariense occupat vnde orta dissensio inter Malmundarienses & Stabulenses. Schafn. & Triumphus S. Remacli c. 3.*	8 E	19	1
1064.	3 4	8 9	5 6	16 17	*Henricus Rex Romanorum Pasca Leodij celebrat Contr. Theodericus Abbas Stabulensis apud Triberias totum pene mensem captiuus tenetur ob Malmundarium. Fredericus Dux Lutzēburgensis moritur. Tegeno datur Abbas Malmundariensibus Theodericus ad Godefridum Ducem pro auxilio in Italiam se confert Triumph. S. Rem. a. c. 6. ad 12.*	9 DC	1	2
1065.	4 5	9 10	6 7	17 18	*Domus regia Goslariæ crematur 6. Cal. Apr. die pascatis, Indictione 3. Ibidem Rex Henricus accinctus est gladio, 3 die pascalis hebdomadæ 4. Cal Apr. & Dux Godefridus scutarius eius eligebatur, ac Dux Lotharienfis Aduocatusque Stabulēsis loco Frederici. Bertholdus, & contin. Contr Schaf Sig & Triumphus S. Rem l. 1. c. 13.*	10 B	2	3
1066.	5 6	10 11	7 8	18 19	*Stabulenses corpus S. Remacli Aquisgranum ad Regem deferunt in quadragesima pro recuperatiōe Malmūdarij frustra. Rex pasca Traiecti celebrat Eberhardus Treuirensis Archiepiscopus 17. Cal. Maij, sabbatho sancto moritur Schafn Berth. Contin. Contr. & Triumphus S. Rem a. c. 14. ad 17.* *Dedicatio Ecclesiæ Hoyensis à Theoduino sup pag. 3. 4. Item S. Petri Insulis à Balduino Comite Flandriæ. Meyr.*	11 A	3	4
1067.	6 7	11 12	8 9	19 20	*Balduinus Flandriæ Comes, dictus Insulanus moritur, & sepelitur in templo S. Petri à se fundato. Succedit Balduinus Mōtensis eius filius Sig. Meyer.* *Theodericus Abbas Stabulensis S. Remacli corpore Malmundarium translato, locum recuperare nititur. Inde Romā petit. Triūphus S. Remacli c. 18. 19*	12 G	4	5
1068.	7 8	12 13	9 10	20 21		13 FE	5	6
1069.	8 9	13 14	10 11	21 22	*Henricus Rex coniugem suam repudiare conatur indicta Synodo. Petrus Damianus Papæ legatus rem dissipat Schafn.* *Fine anni S. Anno in Italiam tendit insequitur etiā Theodericus Abbas Stabulensis Triumphus S Rem l. 1. c vlt. Godefridus Dux Lotharingorum moritur vigilia natiuitatis Christi. Succedit Godefridus filius gibbosus. Ber.*	14 D	6	7
1070.	9 10	14 15	11 12	22 23	*S. Anno Romæ, & Theodericus corā Papa disceptant. Triumph. S. Rem. l. 1. c. vlt. redit Anno Sigebergam 3. Idus Maij die Ascensionis. Vita l. 1. c. 33.* *Balduinus Mōtensis Comes Flandriæ & Hannoniæ moritur 12. Cal. Aug. Robertus eius frater Richildem viduam cum filijs Flandriā exturbat, quæ Parisios fugiens à Philippo Francorum Rege auxilium impetrat Iperius Sig. Meyer. & sup. Pag 10.*	15 C	7	8

RES GESTÆ.

Anni Chris.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Fräc.	Epi Leod.	Res Gestæ	Cyclus Solis	Cyclus Lunæ	Indictiones
1071.	10 11	15 16	12 13	23 24	*Richildis cum filio Arnulpho & Rege Francorum Philippo Casseti contra Robertũ Flandriæ inuasorem pugnat & vincitur 22. Febr. Iper. Inde Leodij statim à pascate Henricum Regem conuenit, Hannoniam S. Lamberto tradit pro auxilio impetrando. supra à pag. 9. ad 15. Tunc quoque Stabulenses Monachi corpus S. Remacli Leodium detulerunt, vt habes toto libro 2. triumphi S. Rem*	16. B	8	9
1072.	11 12	16 17	13 14	24 25		17 A G	9	10
1073.	12 † 1	17 18	14 15	25 26	*Alexander Papa 2. Romæ moritur 10 cal. Maij Indictione & Luna 11. cum sedisset annos 11. m. 6. d. 22. succedit eodem die Hildebrandus, dictus Gregorius 7. Bar.* *S. Anno Archiepiscopus Colon. Regem Henricum relinquit & ad Episcopatum suum reuertitur vnde Rex in praeceps ruit. Schafn.*	18 F	10	11
1074.	1 2	18 19	15 16	26 27	*Reliquiæ quædam S. Laurentij Leodium afferuntur pridie Idus Iunij anno 26. Theoduini Episcopi sup. pag. 27. 28. 29. D.*	19 E	11	12
1075.	2 3	19 20	16 17	27 † 1	*Henricus Rex contra Saxones mouet, relicta Leodij Regina sub Dietuino Episcopo qui paulo post moritur 23. Iunij. Sufficitur Henricus Archidiaconus Virdunensis annuente Godefrido Gibboso Bullonij Duce, sacraturque à S. Annone Arch. Colon qui etiã moritur 4 Dec. feria 6. vita. Schafn Bert Sig Aegid sup. p. 31. 32 33.*	20 D	12	13
1076.	3 4	20 21	17 18	1 2	*Gozilo seu Godefridus gibbosus Dux Bullonij, Antuerpiæ insidijs Roberti Flandri percussus moritur 4. cal. Martij Schafn. Sig. VVasseb. Henricus Rex Pascha Traiecti celebrans Ducatum Lotheringiæ filio suo Cunrado, Marchiã vero Antuerpiensem Godefrido Bullonio concedit. Schafn. Lietbertus Episcopus Cameracensis moritur 22 Iunij. Vita. sig. Gregorius Papa Henricum Regem excommunicat. Schafn.*	21 C B	13	14
1077.	4 5	21 22	18 19	2 3	*Henricus Rex Rom. in Italiam profectus absoluitur à Gregorio Papa. Sed cum promissis non staret, Principes Germaniæ nouum Regem Rudolphum Moguntiæ vngunt 7. cal. Apr dominica 4 quadragesimæ. Berth. Sigeb. Scafnaburgensis qui hic finit chronicon.*	22 A	14	15
1078.	5 6	22 23	19 20	3 4	*Prælium inter Rudolphum & Henricum Reges 7. Idus Aug. quo Rudolfus victoriam quidem sed cruentam obtinet. Berth.*	23 G	15	1
1079.	6 7	23 24	20 21	4 5	*Berengarius Romæ in Synodo hæresin suam de Eucharistia iam tertio abiurat. Berth.* *Henricus Leodieñ Episcopus Romã proficiscẽs ab Arnulpho Comite intercipitur & spoliatur, iuramentoque adigitur nihil se repetiturũ: sed sequenti anno à Papa iuramẽto soluitur epistola 15 Gregorij Papæ. Hoc quoque anno leges statuit cõtra homicidas pag 38. C. vbi pro anno mlxxi. lege mlxxix.*	24 F	16	2
1080.	7 8	24 25	21 22	5 6	*Gregorius Papa mense Martio iterum Henricum Regem excommunicat Henricus contra eum alturat, & Gubertum Antipapam creat Berth.* *Pugna in Saxonia inter Hẽricum & Rodulfum Reges iuxta Gilobri, qua Henricus fugatur, Rodulphus cæsus. Bert.*	25 E D	17	3

RES GESTÆ.

Anni Chris.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frãc.	Epi Leod.	RES GESTÆ.	Cyclus Solis.	Cyclus Lũæ.	Indictiones.
1081.	8 / 9	25 / 26	22 / 23	6 / 7	*Gregorius Papa Epistolam contra Reges discolos scribit Idibus Mart. ad Herimannum Metensem Episcopum. Cui se respondisse scribit Sigebertus in vita sua.* *Concilium Metense, quo S. Arnulphus fit Suessionum Episcopus; & Lambertus Morinensis deponitur. Vita S. Arn. c. 26. & Epistola 34. Greg. l. 9.*	26 C	18	4
1082.	9 / 10	26 / 27	23 / 24	7 / 8	*Henricus Rex iterum frustra Romam obsidet. In Longobardiam reuertitur, relicto Tibure Antipapa Guiberto ad infestandos Romanos. Bert.* *Adelardus Abbas S. Trudonis moritur 8. Id. Decembris & Martio sequẽti igne resolutum est templum S. Trudonis. sup. pag. 36. A. & 34. C.*	27 B	19	5
1083.	10 / 11	27 / 28	24 / 25	8 / 9	*Henricus tandem Romam Leonianam capit. Guibertum Antipapam in sedem Vaticanam intrudit, Clementem dictum. Bert.*	28 A	1	6
1084.	11 / 12	28 / 29	25 / 26	9 / 10	*Henricus Rex Romæ Lateranense palatium occupat, feria 5. ante Palmas. Ipso die Paschatis Henricus ab Antipapa suo coronatur. Sed mox adueniente Duce Roberto Normanno in Germaniam recedit. Pontifex cum Roberto vrbe deserta Casinum petit. Bert. Leo Ost.* *Balduinus Comes Mõtensis, seu Hannoniæ vxorem ducit Idam. Sig.*	1 G F	2	7
1085.	12 / 13 +	29 / 30	26 / 27	10 / 11	*Gregorius 7. Papa moritur 25. Maij Salerni, die Dominico. Leo ost. Bar. vacat sedes reliqua parte anni. Bar.* *Henricus Episcopus Leodiensis S. Trudonem, ob Lazonem monasterij inuasorem obsidet feria 2. Nonis Iulij (non nono) & anno 1085. non 1087. vi pag. 36. D. & pag. 37. c.*	2 E	3	8
1086.	1	30 / 31	27 / 28	11 / 12	*Richildis Montensis & olim Flandriæ Comitissa moritur 15. vel 16. Martij. M. S. Succedit in Comitatu Hannoniæ Balduinus eius filius. Mey.* *Aquicinctina Ecclesia dedicatur à Gerardo 2. Cameracensi Episcopo; itẽ Affligemiensis in Brabantia, 10. Episcopatus eius anno. Sig. Miræus.* *Desiderius Abbas Casinensis eligitur Papa ipso die Pentecostes, dictus Victor 3. Bert. Bar.*	3 D	4	9
1087.	1 / 2 +	31 / 32	28 / 29	12 / 13	*Victor Papa 3. consecratur 7. Idus Maij die Dominico. Inde 16. Cal Octob. moritur. Leo Ost. Bar.* *S. Arnulphus Suessionum Episcopus moritur 14. Aug. die sabbati Vita c. 50.*	4 C	5	10
1088.	1	32 / 33	29 / 30	13 / 14	*Vrbanus Papa consecratur 4. Idus Martij, die Dominico Bert. Bar.*	5 B A	6	11
1089.	1 / 2	33 / 34	30 / 31	14 / 15	*Herimannus Metensis Episcopus schismaticis infensus, ad sedem suam post longos carceres reuertitur, Brunone inuasore exacto. Bert.* *Godefridus dictus Bullonius, filius Eustachij Bononiæ prope Artesiam Comitis, & Idæ sororis Godefridi Gibbosi, tandem obtinet ducatum Lotharingiæ. Sig.*	6 G	7	12
1090.	2 / 3	34 / 35	31 / 32	15 / 16	*Herimannus Metensis Episcopus moritur 4. Non. Maij. Vrbanus Papa Tolosæ Synodum habet circa Pentecosten. Bert Sig.* *S. Bernardus nascitur in Burgundia. Sig.*	7 F	8	13

RES GESTÆ.

Anni Chrif.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frãc.	Epi Leod.	RES GESTÆ.	Cyclus Solis.	Cyclus Lũæ.	Indictiones.
1091.	4	35 36	32 33	16 17 †	Henricus Rex Mantuam tandem capit. Guibertus Antipapa rurfus in vrbem recipitur, Vrbano apud Sãnites fedem habente. Bert. Bar. Henricus Epifcopus Leod. moritur 4. Non. Nou. p. 39. non vlt. Maij vt pag. 38. Succedit Otbertus ex Clero Leodienfi. pag. 40 & Sigeb.	8 E	9	14
1092.	5	36 37	33 34	1	Iuo confecratur ab Vrbano Papa Carnotenfis Epifcopus. Sig. Bar. Gerardus 2. Epifcopus Cameracenfis moritur 2. Idus Aug, M. S. Sig. Magna inde pro fucceffore contentio inter populum & Clerum. Populus præueniens Manaffem quendam eligit M. S.	9 DC	10	15
1093.	6	37 38	34 35	2	Conradus filius Henrici Regis à patre deficit, in Italiam fugit, & Imp. ab Archiepifcopo Mediolani coronatur. Vnde Vrbanus Papa circa finem anni Romæ Natalem Chrifti celebrat. Bert. Atrebatenfes Epifcopum ab Vrbano proprium impetrant, Lambertum eligunt 10. Iulij die Dominico. Clerus Cameracenfis paulo poft Gualtherum fibi eligit. M. S.	10 B	11	1
1094.	7	38 39	35 36	3	Lambertus Epifcopus Atrebatenfis Romæ ab Vrbano Papa confecratur, circa initium huius anni, aut finem prioris. Gualterus paulo poft adueniens etiam approbatur fed Cameracenfis tantum, & ita Remis ab Archiepifcopo confecratur M. S. Anno inclinante Vrbanus Roma egreffus in Tufciam fe confert Bert.	11 A	12	2
1095.	8	39 40	36 37	4	Vrbanus Papa in Gallias veniens, celeberrimam Synodum Claromonte habet 18. Nouembris pro recuperatione terræ Sãctæ. Bert. In ea Lambertus Atrebatenfis & Gualtherus Cameracenfis Epifcopi coram Papa difceptant de Epifcopatu Atrebatenfi recenter feparato. Vicit Lambertus & ab eo tempore manet diuifus vterque Epifcopatus M. S.	12 G	13	3
1096.	9	40 41	37 38	5	Godefridus Dux Bullonium ducatum fuum Otberto, Leodienfi Epifcopo vendit, & cum multis alijs Principibus prefertim Belgis ingentique exercitu Hierofolymam tendit. Pag 40 41. Bert. Tyrius. Bar. Otbertus item à Balduino Comite Hannoniæ emit caftellum Couinum fup. pag. 53.	13 FE	14	4
1097	10	41 42	38 39	6	Henricus Rex tandem poft feptennium Italia expellitur. Bert. Boamũdus Dux Apuliæ expeditionem & ipfe in terram fanctam fufcipit. Nicæa capitur 28. Iunij. Tyrius, Sig Bar.	14 D	15	5
1098.	11	42 43	39 40	7	Chriftianus exercitus in Oriente Antiochiam expugnat 3. Iunij Bert, Sig. Tyr. Ciftercienfis ordo incipit Bar.	15 C	16	6
1099.	12 † 1	43 44	40 41	8	Hierufalem capitur à Chriftianis 15 Iulij, feria 6. Godefridus Bullonius Rex eligitur. Tyrius. Sig &c. Vrbanus Papa moritur 4. Cal. Aug. Pafcalis fucceffor confecratur 14. Aug. die Dominico. Bar.	16 B	17	7
1100.	1 2	44 45	41 42	9	Godefridus Bullonius Rex Hierufalem moritur 18 Iulij, fuccedit frater eius Balduinus. Sig. M. S. Tyr. &c. Bertholdus hic Chronicon fuum terminat.	17 A G	18	8

P

RES GESTÆ.

Anni Christi	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frãc.	Epi Leod.	Res Gestæ	Cyclus Solis	Cyclus Lũæ.	Indictiones
1101.	2 3	45 46	42 43	10	*Henricus Imp. Pasca Leodij celebrat. Conradus filius eius in Italia moritur. Ipse Henricum Limburgensem aduersantem sibi debellat expugnatis eius castellis. Sed mox ei gratiam suam reddit & Ducatũ. Sig. Dodechinus.*	18 F	19	9
1102.	3 4	46 47	43 44	11	*Contra Robertum Comitem Cameracum inquietantem Henricus Imp proficiscitur. sed asperitate instantis hyemis redire compellitur. Sig. Paschalis Papa Robertum Flandrum incitauerat vt vastatis Cameracensibus etiã Leodienses vt schismaticos infestaret extat ea epistola apud Bar. hoc anno, data 12. Cal. Februarij. Cui se quoque respondisse ait Sigebertus in vita sua.*	19 E	1	10
1103.	4 5	47 48	44 45	12	*Imp. Legiæ conuentum habet, & Robertum Flandrum in gratiam recipit Sig. Vide Sup. pag 47 A.* *Otbertus Leod. Episcopus corpus S. Odæ de terra leuat, & in Ecclesia Rhodensi decenter collocat. Sup. pag. 41. C. & 44. B.*	20 D	2	11
1104.	5 6	48 49	45 46	13		21 CB	3	12
1105.	6 7	49 50	46 47	14	*Henricus filius Imp. cum à patre aufugisset, à Gebehardo Constantiensi Episcopo vice Papæ absoluitur. Hinc paulo ante Natalem Christi patrem captiuat in Ingelheim. Vita Henrici 4. Otto Fr. Dod.*	22 A	4	13
1106.	7 8	50 1	47 48	15	*Henricus Imp. ex Ingelheim fugiens Coloniam venit, mox Leodium vbi litteras scribit ad diuersos. extant apud Sigeb. Filius contra patrem veniẽs pontẽ ad Visetum occupare tentat. repellitur. Inde Imp. moritur 4. Id. Aug. & in templo S. Lamberti sepelitur, mox iussu Papæ ad montem Cornelij transfertur Sup. pag. 45. 46. & Bar. Regnat filius eius pro eo.* *Henricus Dux Limb capitur, & ducatus eius Godef. Louan. datur Sig.*	23 G	5	14
1107.	8 9	1 2	48 49	16	*Diploma Henrici Regis ab expeditione contra Flandrum redeuntis, datum Otberto Episcopo Leod. hoc anno Sup. pag. 54. 55. Vnde expeditionem illam hoc anno consignacum Dodech non sequenti cum Sigeb. Henricus ex-Dux contra Godefridum Aquisgranum occupat sed mox expellitur. Sig.*	24 F	6	15
1108.	9 10	2 3	49 50 1	17	*Philippus Rex Franciæ moritur 2. Cal. Aug. cum regnasset annos 49. m. 2. d. 7. Fragmentum Ann. ex Pith. Ludouicus eius filius Rex consecratur 2. Aug. die Dominico. Iperius M. S.*	25 ED	7	1
1109.	10 11	3 4	1 2	18	*Moritur S. Anselmus Cantuar. 11. Cal. Maij feria 4. ante cœnam Domini. Vita. Item Hugo Cluniacensis Abbas 29. Apr. Sigeb. Bar.*	26 C	8	2
1110.	11 12	4 5	2 3	19	*Henricus Rex ineunte autumno in Italiam tendit cum Pascali Papa per internuntios de multis conuenit. Petrus Diac. Bar.*	27 B	9	3

RES GESTÆ.

Anni Christ.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frāc.	Epi Leod.	Res Gestæ	Cyclus Solis.	Cyclus Lūæ.	Indictiones.
1111.	12 13	5 6	3 4	20	*Henricus Imp. Romæ extorquet à Pontifice priuilegium de inuestituris, & coronatur 13. Apr. Dominica in Albis. Bar. Miraculū de cingulo Monachi S. Laurentij Leodij. Bar. ex Rup. Robertus Comes Flandriæ moritur. Succedit filius Balduinus Securis. Sig. Iper. Mey.*	28 A	10	4
1112.	13 14	6 7	4 5	21	*Paschalis Papa priuilegium de Inuestituris reuocat, & Henricum excommunicat Bar. In monte Castriloco Ecclesia S VValdetrudis cum toto pene oppido comburitur. Sigebertus; qui hoc anno definit & moritur 3. Nonas Octobris. Continuat Anselmus Gemblacensis, & Robertus de monte.*	1 G F	11	5
1113.	14 15	7 8	5 6	22	*Helinus Abbas S. Mariæ, fontes facit in eadem Ecclesia Leodij, item hospitale S. Mathæi quod nunc est Seminarium Catenæ. Sup. pag. 50. 51.*	2 E	12	6
1114.	15 16	8 9	6 7	23		3 D	13	7
1115.	16 17	9 10	7 8	24	*Tanchelinus hæreticus qui Antuerpienses & Zelandos corruperat, moritur: Item Lambertus Episcopus Atrebatensis primus à separatione 17. Maij Denique Petrus Heremita Huij, 8. Idus Iulij. Ans. & Sup. pag. 47.*	4 C	14	8
1116.	17 18	10 11	8 9	25		5 B A	15	9
1117.	18 19	11 12	9 10	26	*Leodium multis plagis atteritur, primò, 2. Maij vigilia Ascensionis: & aliàs sæpe.. Anselmus Gembl. ex quo Aegidius Sup. pag. 49.*	6 G	16	10
1118.	19 † 1	12 13	10 11	27	*Paschalis Papa moritur 18. Ianuarij. Succedit Gelasius 26. eiusdem. Bar.*	7 F	17	11
1119.	† 1	13 14	11 12	28 † 1	*Gelasius Papa moritur 4 Cal. Febr. Succedit Callistus 2. Bar. Otbertus Episcopus Leodiensis moritur vltimo Ianuarij labente adhuc anno 1118. secundum morem veterem, quo anni à Pascate inibant. Pag. 52. 56. Dod. Contentio pro successore. Vicit tandem Fredericus, qui à Callisto Papa Remis in Synodo consecratur mense Octobri. Pag. 57. & Ansel. Gembl.*	8 E	18	12
1120.	2	14 15	12 13	1 2		9 D C	19	13

Anni Christi	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frāc.	Epi Leod.	RES GESTÆ.	Cyclus Solis.	Cyclus Lūæ.	Indictiones.
1121.	3.	15 / 16	13 / 14	2 †	*Fredericus Episcopus Leodiensis veneno ab aduersarijs oblato interit 6. Cal. Iunij Sup. pag. 61. B. Tentat Alexander nouam electionem frustra. Vacat sedes duobus annis. pag. 65. 9.*	10 B	1	14
1122.	4	16 / 17	14 / 15		*Pax tandem conciliatur inter Papā & Imp. pro inuestituris Episcoporum mense Septembri VVormatiæ. Ansel. Vsperg. Bar.*	11 A	2	15
1123.	5	17 / 18	15 / 16	1	*Elapsis annis duobus à morte Frederici, Albero fit Leodiensis Episcopus. Sup pag. 65. & 66. C. Anselmus Gembl.*	12 G	3	1
1124.	6 †	18 / 19	16 / 17	1 / 2	*Tyrus à Christianis in Palestina capitur. Ans.* *Callistus 2. Papa moritur 14. Cal. Ian. Succedit Honorius 2. 28. Dec. Bar. Ans.*	13 F E	4	2
1125.	1	19 † / 1	17 / 18	2 / 3	*Henricus Imp. Leodij Pasca celebrat. Inde Nromagum & Vltraiectum veniens moritur feria 5. in Pentecoste. Succedit Lotharius Dux Saxonum, & Aquisgrani coronatur Idibus Sept. die Dominico. Ans. Gembl.*	14 D	5	3
1126.	2	1 / 2	18 / 19	3 / 4		15 C	6	4
1127.	3	2 / 3	19 / 20	4 / 5	*Carolus Comes Flandriæ Brugis in templo S. Donatiani iugulatur. Cal. Martij, feria 3. secundæ hebdomadæ quadragesimæ. Ans. Gembl.* *Diploma Raynaldi Archiepiscopi Remensis datum Alberoni Leodiensi 1. non 2. pag. 100.*	16 B	7	5
1128.	4	3 / 4	20 / 21	5 † / 1	*Adelbero Leodiensis Episcopus moritur ipso die Circuncisionis. Dominica die 5. Cal. Febr. auditum est tonitru circa horam nonam Alexander Archidiaconus S. Lamberti, 15. Cal. Apr. consecratur Leodiensis Episcopus. Anselmus Gembl. & Sup. p. 68. 69.*	17 A G	8	6
	5	4 / 5	21 / 22	1 / 2	*Prælium apud Duratium inter Alexandrum Episcopum Leodiensem, & Godefridū Louaniensem Comitē 7. Idus Aug. feria 4. Ans. & Sup. 69* *Lues ignis ardentis Cameracum, Atrebatum, Parisios, & alia Galliarum loca peruadit, sed mirabiliter per D. Virginem extinguitur. Ansel. & alij.*	18 F	9	7
	6 † / 1	5 / 6	22 / 23	2 / 3	*Lotharius Rex Spiram capit 3. Nonas Ianuarij, feria 6. Honorius Papa moritur 16. Cal. Martij. Succedit eodem die Innocentius 2. licet alij schismate Petrum Leonis elegissent. Innocentius mox in Gallias venit. Ans. Bar. Ecclesia Noui Monasterij Hoyensis consecratur 11. Cal. Oct. die Dominico. Sup. pag. 72. 73.*	19 E	10	8

RES GESTÆ.

Anni Chris.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frãc.	Epi Leod.	Res Gestæ	Cyclus Solis.	Cyclus Lunæ.	Indictiones.
1131.	1 2	6 7	23 24	3 4	*Innocentius Papa è Francia, Nouiomo; Cameracoque Leodium venit 11. Cal. Apr. Dominica 3. quadragesimæ. vbi à Lothario Rege excipitur. Dominica sequenti à templo S. Martini ad S. Lamberti descendit, vbi missa celebrata, Regem & Reginam coronat. Interfuit & S. Bernardus qui Papam Leodio Claram vallem abduxit. Ans. & Pag. 75.*	20 D	11	9
1132.	2 3	7 8	24 25	4 5	*Rex Lotharius collectis viribus Romam cum Innocentio Papa tendit Ans.*	21 C B	12	10
1133.	3 4	8 9	25 26	5 6	*Eclipsis Solis 4. Nonas Augusti, Luna 27. Rex Lotharius Romam veterem ingressus Innocentium Papam in patriarchio Lateranensi relocat, & ab ipso in Imperatorem benedicitur Ans. Bar.*	22 A	13	11
1134.	4 5	9 10	26 27	6 7	*Innocentius Papa Pisis habet Synodum. Bar. In ea Alexander Episcopus Leod. symoniæ incusatus deponitur. Vnde in mœrorem lethalem incidit sup. pag. 75. & 77. Rainaldus Comes Barrensis Bullonium intercipit Sup. pag. 72.* *S. Norbertus moritur 6. Iunij, feria 4. Pentecostes, anno Innocentij Papæ 5. Lotharij Regis 9. Vita c. 50.*	23 G	14	12
1135.	5 6	10 11	27 28	7 8 †	*Alexander Episcopus octauo mense depositionis suæ mœrore consumitur pridie nonas Iulij Sup. pag. 75. & Lambertus paruus. Placent. Vacat sedes vno pene anno.*	24 F	15	13
1136.	6 7	11 12	28 † 1	1	*Chronicon Anselmi Gemblacensis desinit. Continuat Auctarium Gemblacense à Miræo editum. Bellum inter Godefridum Ducem Louaniensem, & Comitem Namurcensem. Ludouicus Rex Francorum moritur 1. Aug. Succedit filius Ludouicus. Auct. Gembl. & Robertus de monte.* *Adelbero seu Albero 2. fit Leodiensis Episcopus Auct. Gembl. Huic Innocentius Papa vsum rationalis concessit. sup. p 99.*	25 E D	16	14
1137.	7 8	12 13 †	1 2	1 2	*Lotharius Imp. moritur 3. Cal. Dec. cum rediret ex Italia. Dodech & Auctarium Gembl. à Myræo editum. Vnde miror Baronium sequenti anno referre.*	26 C	17	15
1138.	8 9	1	2 3	2 3	*Conradus Henrici Imp. ex sorore nepos Confluentiæ Rex Romanorum eligitur, & Dominica 4. quadragesimæ Aquisgrani coronatur. Dodech. Auct. Gembl.*	27 B	18	1
1139.	9 10	1 2	3 4	3 4	*Godefridus Louaniensis, Dux Lothariensis moritur; Affligemij sepultus. Succedit Godefridus filius. Auct. Gembl.*	28 A	19	2
1140.	10 11	2 3	4 5	4 5	*Diploma Alberonis Episcopi Leod. Indictione 3. anno Conradi Regis 2. 6. Idus Martij, Dominica 3 quadragesimæ. Sup. pag. 102. 103 B.* *Discordia inter Alberonem Episcopum & Henricum Comitem Namurcensem. vnde multa incendia & cædes. Fossense oppidum combustum. Auct. Gembl.*	1 G F	1	3

RES GESTÆ.

Anni Christ.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frãc.	Epi Leod.	Res Gestæ	Cyclus Solis.	Cyclus Lũæ.	Indictiones.
1141.	11, 12	3, 4	5, 6	5, 6	*Bullonium castrum iam per 7 annos à Rainaldo Comite Barrensi occupatum Adelbero Episcopus Leodiensis obsidet, & delato in castra corpore S Lamberti tandem expugnat 11. Cal. Octobris. Aegid. a. cap. 30. ad 38. Triũphus S. Lamberti de Bullonio &c.*	2 E	2	4
1142.	12, 13	4, 5	6, 7	6, 7	*Godefridus iunior Dux Brabantiæ, 4. sui ducatus anno moritur. Succedit filius Godefridus primum agens ætatis annum. Auct. Gembl.*	3 D	3	5
1143.	13, 13, 14 † 1	5, 6	7, 8	7, 8	*Innocentius Papa moritur 8. Cal. Oct. Sequenti die creatur Cælestinus Bar. & alij.*	4 C	4	6
1144.	1 † 1	6, 7	8, 9	8, 9	*Cælestinus Papa moritur 8. Idus Martij. Sequenti die creatur Lucius 2. Bar.*	5 B A	5	7
1145.	1 † 1	7, 8	9, 10	9 † 1	*Lucius Papa moritur 5. Cal. Martij. Succedit Eugenius 3. discipulus S. Bernardi. Bar.* *Albero Episcopus Leod. moritur 6. vel 11. Cal. Apr. Pag. 98. & 99. B. Succedit Henricus 8. Cal. Iulij.* *Conradus Rex apud Epternacũ in ducatu Lutzeburgensi Pentecosten celebrat. Auct. Gembl.*	6 G	6	8
1146.	1, 2	8, 9	10, 11	1, 2	*S. Bernardi per Gallias prædicatione Rex Francorum Ludouicus, & alij expeditionem in terram sanctam à Turcis miserè afflictam parant. Auct. Gembl Rob. Otto Fris.* *Tornacẽsis Eccl. iam per 600. annos Noviom. iũcta procurãte S. Bernardo proprium Episc. ab Eugenio Papa Anselmum recipit. Auct. Gembl. & Rob.*	7 F	7	9
1147.	2, 3	9, 10	11, 12	2, 3	*S. Bernardus Spira & Colonia rediens, Leodium venit; vbi 19. Ianuarij missam celebrat, concionem habet, & multa miracula facit. Sup. pag. 110 111. Eugenius Papa in Gallias venit. Bar.* *Conradus Rex coronato Aquisgrani filio mense Maio expeditionem in Palæstinam suscipit infæliciter. Sequitur Ludouicus Rex Francorum. Rob. Auct. Gembl. Otto Fris. Lisbona in Portugalia à Christianis capta. Dod.*	8 E	8	10
1148.	3, 4	10, 11	12, 13	3, 4	*Conradus & Ludouicus Reges multis infortunijs in Syria & Palæstina affliguntur. Redit in Græciam Conradus inglorius. Ludouicus adhuc per annum Hierosolymis moratur. Rob. &c.* *Eugenius Papa Remis Synodũ habet 11. Cal. Apr. Cameracũ conflagrat cum principali Ecclesia, cœnobio S. Auberti & S. Sepulchri. Rob. Auct. Gemb.*	9 D C	9	11
1149.	4, 5	11, 12	13, 14	4, 5	*Conradus & Ludouicus ab itinere Hierosolymorũ redeunt, infælicissimo successu. Eclipsis Lunæ 7. Cal. Apr. Sabbatho ante Palmas.*	10 B	10	12
1150.	5, 6	12, 13	14, 15	5, 6	*Theodericus Comes Flãdriæ redit ab Hierosolymis Auct. Afflig. ad Sig. Bellum Andennæ inter Henricum Episcopum Leodiensem, & Henricum Comitem Namurcensem. Auctarium Affl. ad Sig. melius quã anno 1555. vt Aegidius & Lambertus paruus. Sup pag. 112. 113. Nam eo anno Henricus Episcopus erat cum Imp. in Italia.*	11 A	11	13

RES GESTÆ.

Anni Christ.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Franc.	Epi Leod.	Res Gestæ	Cyclus Solis	Cyclus Lunæ	Indictiones
1151.	6 7	13 14	15 16	6 7	*Gratianus Decretorum opus proponit. Trit.* *Ludouicus Rex Franciæ Leonoram vxorem suam repudiat. Vnde & Aquitaniam amisit. nam ea nupsit Henrico Duci Normanniæ, qui paulo post etiā fuit Rex Angliæ. Auct. Affl. Tamen Robertus sequenti anno refert.*	12 G	12	14
1152.	7 8	14 † 1	16 17	7 8	*Conradus Romanorum Rex moritur 15. Febr. feria 6 proxima à capite ieiunij. Sufficitur nepos eius Fredericus Barbarossa 4. Martij feria 3. post Dominicam Oculi mei. Coronatur Aquisgrani Dominica, Lætare Otto Fris.*	13 F E	13	15
1153.	8 9 † 1	2	17 18	8 9	*Eclipsis Solis 7. Cal. Febr feria 2. Auct. Affl.* *Eugenius Papa moritur 8. Iulij. Succedit Anastasius 4. Bar. Moritur & S. Bernardus Abbas 20. Aug. Vita. Rob. &c.*	14 D	14	1
1154.	1 2 †	3	18 19	9 10	*Fredericus mense Octobri in Italiam cum exercitu abiit. Mediolanenses infestos bello persequitur. Otto Fris.* *Anastasius Papa moritur 2. Dec. Sequenti die eligitur Adrianus 4 natione Anglus. Bar.*	15 C	15	2
1155.	1	4	19 20	10 11	*Fredericus Rex pluscula Mediolanēsium oppida diruit. Otto Fris Henric. Episcopus Leodiensis eius tunc Comes ab eo impetrat redditum vnius Episcopatus tunc diruti. Sup Pag. 104. C. Inde Fredericus Romam veniens ab Adriano Papa coronatur Imperator 14. Cal. Iulij. Paulo post Spoletum, Veronam, Tridentum redit. vbi diploma dat Henrico Episcopo Leodiensi Sup pag 107. Denique in Bauariam reuertitur. Otto Fris.*	16 B	16	3
1156.	2	5	20 21	11 12	*Austria hactenus sub Bauaria comprehensa in Ducatū erigitur, & Henrico Imperatoris patruo datur. Chron. Aug.*	17 A G	17	4
1157.	3	6	21 22	12 13	*Theodericus Comes Flandriæ terram sanctam tertia expeditiōe commode sublevat. Auct. Afflig.* *Initium discordiæ inter Imperatorem & Papam, pro dignitate imperiali de qua vide Bar.*	18 F	18	5
1158.	4	7	22 23	13 14	*Vladislaus Bohemorū Dux creatur Rex ab Imperatore. qui mox in Italiā tendit. Mediolanum 25. Iulij obsidet, & 8. Septembris deditione capit. Pax inter Imp. & Papam sed non diu duratura. Radeu. Bar.* *Henricus Episcopus Leod. cum Imp, in Italiam abijt, pace suis ciuibus commendata. Sup. pag. 113. D.*	19 E	19	6
1159.	5 † 1	8	23 24	14 15	*Discordia inter Imperatorem & Adrianum Papam recrudescit. Adrianus moritur 1. Sept. morbo Anginæ. Succedit Alexander 3. legitimè creatus, Octauiano quodam, qui se Victorem 4. dicebat per vim schismaticè intruso. Bar.*	20 D	1	7
1160.	1 2	9	24 25	15 16	*Imperator Papiæ conciliabulo habito Octauianum Papam declarat. Contra Alexander à Regibus Galliæ, Angliæ. Hierosolymorum agnoscitur.*	21 C B	2	8

RES GESTÆ.

Anni Christ.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frāc.	Epi Leod.	RES GESTÆ.	Cyclus Solis.	Cyclus Lūæ.	Indictiones.
1161.	2 3	10	25 26	16 17	*Fredericus Imp. Mediolanum obsidere pergit. Samson Remorum Archiepiscopus obijt. succedit Philippus Belloüacensis Episcopus, frater Ludouici Francorum Regis. Petrus Lombardus, vulgo Magister Sententiarum fit Episcopus Parisiensis. Auct. Affl. ad Sig.*	22 A	3	9
1162.	3 4	11	26 27	17 18	*Mediolano tandem capto & euerso Fredericus in Germaniam redit mense Septembri. cum Ludouico Rege Francorum ad Ararim fluuium colloquitur, vt schismati finis imponeretur. frustra. Alexander Papa qui iam in Gallias aduenerat Turonensi Synodo Octauianum cum suis excommunicat. Auct. Gembl. Rob. Godefr. Bar S. Thomas fit Cantuariensis Archiep. Vita. Bar.*	23 G	4	10
1163.	4 5	12	27 28	18 19	*Corpora trium Regum in Diœcesi Mediolanensi inuenta, Raynaldus Coloniensis Archiepiscopus Coloniam infert. Auct. Gembl. Sed Dodech. Trit. & alij referunt ad superiorem annum. Godefridus ad sequētem & Aegidius pag 114 & 116 ea primum Henrico Episcopo Leodiensi data, sed per mortem eius quæ sequenti anno contigit, Rainaldo ascripta.*	24 F	5	11
1164.	5 6	13	28 29	19 20 †	*Octauianus seu Victor Antipapa moritur Lucæ 10. Cal. Maij, feria 4. post octauas Pascæ. Sufficitur Guido Cremensis dictus Pascalis, consecraturque ab Henrico Leodiensi Episcopo 6. Cal. Maij. die Dominico. Godefr. Bar. Henricus ipse Leodiensis Papatum tunc recusauit, donatus proinde à Pascali pallij dignitate. sed pridie nonas Sept. Papiæ moritur. Sup. Pag. 113. 114. Succedit Alexander 2. Pag. 117.*	25 E D	6	12
1165	6 7	14	29 30	1	*Alexander Papa è Gallijs Romam tendit, & ingreditur 11. Cal. Dec. Bar. Fredericus Imp. Natalem Christi Aquis celebrat Godefr.*	26 C	7	13
1166.	7 8	15	30 31	2	*Aquisgrani ossa Caroli Magni 352. annis ab eius morte de sepul. elata sunt 28. Ianuarij, per Raynaldum Archiepiscopum Coloniensem & Alexandrū Episcopum Leodiensem, præsente Imperatore cum vxore & multis Principibus. Sup. pag. 117. D. Godefr. Mol. quem hic vide.* *Imperator cum Reinaldo Archiep. Colon. in Italiam tēdit autumno. God.*	27 B	8	14
1167.	8 9	16	31 32	3 † 1	*Reinoldus Archiepiscopus Colon. cum Alexandro Leod. 4. Cal. Iunij feria 2. Pentecostes Romanos ad Tusculum cædit & fugat. Imperator Pascalem Antipapam Romæ in sede Petri collocat 24. Aug. die Lunæ. Inde pestis primo Alexandrum Leodiensem Episcopum. 9. Augusti, tum 14. eiusdē Rainoldum Coloniensem absumpsit. Succedit Radulphus. Pag. 117. Godefr.*	28 A	9	15
1168.	9 10	17	32 33	1 2	*Fredericus Imp. de Italia quæ contra eum conspirauerat, occulte fugit. Godefr. Bar.*	1 G F	10	1
1169.	10 11	18	33 34	2 3	*Fredericus Imp. filium suum quinquennem Henricum Aquisgrani in Regem eleuat die Assumptionis B. V. Godefr. Auctarium ad Sigeb.*	2 E	11	2
1170.	11 12	19	34 35	3 4	*Gerardus Comes de Loz, & Radulphus Leodiensis Episcopus bello & incendijs in se inuicem grassantur Sup. pag. 119. 120.* *Balduinus 4. Comes Hannoniæ moritur & Montibus in templo S. VValdetrudis sepelitur. Succedit Balduinus 5. Auct. Aquic. ad Sig.* *Martyrium S. Thomæ Cantuariensis 29. Dec. Vita. Bar. & Pag. 123.*	3 D	12	3

RES GESTÆ.

Anni Chrif.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frãc.	Epi Leod.	Res Gestæ	Cyclus Solis.	Cyclus Lũæ.	Indictiones.
1171.	12	20	35 36	4	*Christianus Archiepiscopus Moguntinus in Italiam contra Alexandrũ Papam mittitur, vbi fere per 5. annos degit. Auct. Aq. Godefr.* *Diploma Frederici Imp. datum Leodij Radulpho Episcopo pro Harstalio. Pag. 120. 121.*	4 C	13	4.
1172.	13	21	36 37	5	*Atrebati Robertus quidam Clericus de obiecta hæresi indicio candentis ferri purgare se volens, toto corpore vstulatus apparuit. Godefr.*	5 B A	14	5
1173.	14	22	37 38	6	*Circa hunc annum Lambertus presbyter Leodiensis contra concubinarios prædicabat. Sup Pag. 126 127 eleuatio corporis S Domitiani Huy 17. Cal. Iulij. Sup Pag 124. Molanus tamen ponit priore anno 6. Idus Iunij.* *Andreas Atrebatensis Episcopus moritur. Robertus Ariensis Præpositus loco eius eligitur. Auct. Aquic.*	6 G	15	6
1174.	15	23	38 39	7	*Petro Cameracensi Episcopo abdicante, Robertus electus Atrebatensis succedit qui hoc eodem anno à seruis Iacobi Auesnensis perimitur. Frumaldus fit Episcopus Atrebatensis. Auct. Aq Godefr.* *Fredericus Imp. Italiam iterum ingressus nouam Alexandriam obsidet: frustra. Ijdem.*	7 F	16	7
1175.	16	24	39 40	8		8 E	17	8
1176.	17	25	40 41	9	*Imp. Fredericus à Longobardis prælio superatur. Hinc de pace agi cœptum Godefr.*	9 D C	18	9
1177.	18	26	41 42	10	*Indictione 10. Pascali die 8 Cal. Maij. 24. Iulij die Dominico, pax inter Imp. & Pontificem confirmatur, schisma 18. annorum tandem tollitur. Godefr Auct. Aq. Philippus Comes Flandriæ circa Pentecosten Hierosolymam petit Auct Aq. Rob. Marcianensis Ecclesia dedicatur 24. Iulij, die Dominico ab VVilhelmo Remẽsi, Frumaldo Atrebatensi, Euerardo Tornacensi Episcopis Auct. Aquic.*	10 B	19	10
1178.	19	27	42 43	11	*Eclipsis Lunæ 3 Nonas Martij die Dominico, primâ noctis hora sequentis feriæ 2. Item Solis. Idib. Sept ante horam 6. Auct. Aquic.* *Andreæ Episcopo Cameracensi fine prioris anni mortuo, sufficitur Rogerus Archidiaconus. Philippus Comes Flandriæ Hierosolymis redit. Auct. Aq.*	11 A	1	11
1179.	20	28	43 44	12	*Concilium Lateranense sub Alexandro Papa 5. Martij. Ludouicus Rex Francorum filium suum Philippum Remis ab VVilelmo Archiepiscopo in Regem vngi curat festo omnium Sãctorum. Sequenti Dominica idem VVilelmus Synodum habet Episcoporum Belgicæ 2. Auct. Aquic. & Bar.*	12 G	2	12
1180.	21	29	44 45 † 1	13	*Nuptiæ Philippi filij Ludouici Regis Francorum cum Elizabetha filia Balduini Comitis Hannoniæ celebrantur Bapalmis in Artesia. Inde Ludouicus Rex iam per annum paralysi dissolutus moritur 14. Cal. Octob. feria 5. Philippus 2 filius eius succedit. Auct. Aquic. Annal. Pith.*	13 F E	3	13

Anni Chrif.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frãc.	Epi Leod.	RES GESTÆ.	Cyclus Solis.	Cyclus Lũæ.	Indictiones.
1181.	22 † 1	30	1 2	14	*Alexander Papa moritur 6. Cal. Sept. Succedit Lucius 3. coronatus 3. Cal. Sept. die Dominico. Bar.*	14 D	4	14
1182.	1 2	31	2 3	15	*Bellum inter Philippum Regem Francorum, & Philippum Comitẽ Flandriæ; quod tandem pacatur. Auct. Aquic.*	15 C	5	15
1183.	2 3	32	3 4	16	*Hæretici quidam Atrebati fine prioris anni deprehẽsi, initio huius incendio traduntur ab VVilelmo Archiepiscopo Remensi, & Philippo Comite Flandriæ, qui tunc Atrebati degebat. Frumaldus Episcopus Atrebatensis moritur, & Bernardus pœnitens in Cœnobio S. Bertini. Auct. Aquic. Ecclesia S. Lamberti Leodij comburitur. Pag. 128. 129. 130.*	16 B	6	1
1184.	3 4	33	4 5	17	*Lucius Papa Vrbe à Romanis exigitur venit in Longobardiam quo & Imperator aduenit. Auct. Aquic. Godefr.* *Petrus Cisterciensis Abbas consecratur Episcopus Atrebatensis. Bellum inter Philippum Comitem Flandriæ, & Balduinum Comitem Montensem. Auct. Aq.*	17 A G	7	2
1185.	4 5 †	34	5 6	18	*Comitatus Viromandensis & Ambianensis Regi Francorum à Comite Flandriæ redduntur. quo facto discordia eorum finita. Auct. Aquic. Rob.* *Lucius Papa moritur 7. Cal. Dec. Succedit Vrbanus 3. Bar. Auct. Aq.*	18 F	8	3
1186.	1	35	6 7	19	*Vrbanus Papa die Pentecostes 1. Iunij Volmarum consecrat in Archiepiscopum Treuirẽsem. Vnde nata inter Papam & Imp. discordia Auct. Aquic. & Godefr. Bellum inter Henricum Namurcensem & Ducem Louaniẽ. Pag. 130. Auct. Aq.*	19 E	9	4
1187.	2 † 1 †	36	7 8	20	*Henricus Virdunensis Episcopus Episcopatu resignato ob discordiam Imperatoris & Papæ Leodium venit. Sup. Pag. 131. A. & Godefr.* *Hierusalem à Saladino capta exactis Christianis. Armenij & Græci Christiani sepulchrum Domini multo auro redimunt. Auct. Aq. Tyr. God. &c. Vrbanus Papa moritur 20. Oct. Successor autẽ eius Gregorius 8. 16. Dec. Bar.*	20 D	10	5
1188.	1	37	8 9	21	*Clemens 3. fit Papa 6. Ianuarij. Bar. Imperator, Reges Francorum, & Anglorum, multique alij cruce signantur ad recuperandam terram sanctam. Balduinus Comes Montensis Comitatũ Namurcensem occupat. Auct. Aq &c.*	21 C B	11	6
1189.	2	38	9 10	22	*Fredericus Imp. relicta rerum summa Henrico filio suo, ad recuperatiõem terræ sanctæ per Hungariam proficiscitur & cum eo Radulphus Episcopus Leodiensis. Pag. 133. C. Ioannes Auesnensis cum multis Belgis tum etiam profectus est per mare, & Palestinam attingens, cum alijs Acon vrbem obsedit. Auct. Aquic.*	22 A	12	7
1190.	3	39 † 1	10 11	23	*Reges Francorum & Anglorum in Palestinam nauibus tendentes Messanæ in Sicilia hyemant. Philippus Comes Flandrorum in Italia Fredericus Imp. fluuio quodam minoris Armeniæ submergitur 10. Iunij, die Dominico. Filius eius Henricus ad Romanã iter pro coronatione se accingit. Auct. Aq. Bar,*	23 G	13	8

RES GESTÆ

Anni Chrſ.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frāc.	Epi Leod.	Res Gestæ	Cyclus Solis.	Cyclus Lūæ.	Indictiones.
1191.	4 † 1	1	11 12	23 24 †	*Clemens 3. Papa moritur 10. Apr. feria 4. Succedit Cælestinus 3. qui 14. eiuſdem, die Paſcæ coronatur, & ſequenti die Henricum in Imp. coronat Bar. Reges Francorum & Anglorum cum Comite Flandriæ obſidionem Acon vrgent. Radulphus Leodienſis Epiſcopus rediens à terra ſancta moritur 5. Auguſti. Succedit Albertus Louanienſis, ſed cum diſcordia. Pag. 134. &c.*	24 F	14	9
1192.	2	2	12 13	1 †	*Albertus Leod. Epiſcopus, Lothario quodam in ſedem ſuam intruſo, Romæ rit. conſecratur Remis 20. Sept. die Dominico vbi & cæditur 24. Nouemb. feria 3. Sup. Pag. 150. 171. 176. Balduinus Comes Hannoniæ Flandriam occupat, mortuo priore anno Philippo Comite in terra ſancta. Auct. Aq.*	25 ED	15	10
1193.	3	3	13 14		*Cæleſtinus Papa Lotharium & omnes Alberti interſectores excommunicat. Eligitur Epiſcopus Leodienſis Simon filius Ducis Limburgenſis ſeu Ardennenſis, ſed repugnant 4. Archidiaconi. Pag. 185. 186. Auct. Aq. Godefr.*	26 C	16	11
1194.	4	4	14 15		*Albertus de Cuyck Archidiaconus S. Lamberti Roma rediens Namurci in Leodienſem Epiſcopum eligitur, ita iubente Papa licet Simon Leodij ſederet. Pag. 186. C. Ren. Godefr.* *Lotharius ſedis Leodienſis inuaſor moritur. Godefr.*	27 B	17	12
1195.	5	5	15 16		*Albertus de Cuyck & Simon Romam eunt de ſua electione diſceptaturi. Ibi Simone mortuo. Albertus fit Epiſcopus. Pag. 187. Auct. Aq.*	28 A	18	13
1196.	6	6	16 17	1	*Albertus de Cuyck Coloniæ conſecratur Epiſcopus Leod. ab Aygulpho Archiepiſcopo, Dominica poſt Epiphaniam inde 21. Ianuarij Leodium venit. Ren & Sup. Pag. 187. 188.*	1 GF	19	14
1197.	7	7 †	17 18	2	*Henricus Imp. moritur in Apulia 28. Sept. Fredericus filius eius quadrimus ſuccedit in regno Siciliæ. De imperio orta diſſenſio. Godefr. Bar. & Sup. Pag. 189. B.*	2 E	1	15
1198.	7 † 1	Otto. 1	18 19	3	*Cæleſtinus Papa moritur 8 Ianuarij feria 5. Succedit Innocentius, & conſecratur 15. Febr. Dominica 1. quadrageſimæ. Rog.* *Otto & Philippus in Imp. ſchiſmate eliguntur. Otto etiam Aquiſgrani coronatur. hinc bellum. Godefr. Auct. Aq. Rog. Albertus Epiſcopus Leodienſis ſtabat à partibus Philippi. Pag. 189. D.*	3 D	2	1
1199.	2	1 2	19 20	4	*Conſtantia Imperatrix in Apulia moritur, relicto paruulo filio Frederico Godefr. Orta priore anno inter Ciues & Clericos Leodienſes diſſenſio, tandem pacatur. Ren. & Sup Pag. 194.*	4 C	3	2
1200.	3	2 3	20 21	5 † 1	*Pax inter Philippum Regem Franciæ, & Balduinum Comitem Flandriæ, qua ea Flandriæ pars, quæ modo Arteſia dicitur, Franco obtigit. Auct. Aq. Meyer.* *Albertus Epiſcopus Leodienſis moritur 1. Febr. Sufficitur Hugo de Petra ponte, præſente Leodij Ottone Rege. Pag. 196. Rener.*	5 BA	4	3

RES GESTÆ.

Anni Christ.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frãc.	Epi Leod.	Res Gestæ	Cyclus Solis.	Cyclus Lũa.	Indictiones.
1201.	4	3 4	21 22	2		6 G	5	4
1202.	5	4 5	22 23	3	*Monasterium Cisterciense Vallis S. Lamberti inchoatur ab Hugone Episcopo Leodiensi qui Coloniæ à Guidone Cardinali Legato Episcopus consecratur octaua Pascæ. Ren Pag. 197.* *Colloquuntur Traiecti ad Mosam Otto Rex, Adolfus Arch. Col. & Guido Legatus. Godefr.*	7 F	6	5
1203.	6	5 6	23 24	4	*Mortuo Theodorico Comite Hollandiæ, Ludouicus Comes Lossensis vnicam eius filiam desponsat, & prouinciã occupat. Sed mox ab Vilelmo vxoris patruo pellitur capta vxore. Ren. Godefr.* *Muri ciuitatis Leodiensis inchoati. Pag. 198. C. D. Ren.*	8 E	7	6
1204.	7	6 7	24 25	5	*Constantinopolis à Latinis capta 12. Apr. feria 2. post Dominicam Passionis, & Balduinus Comes Flandriæ Imperator electus. Godefr Meyer. Canonici S. Lamberti possessiones Ecclesiæ inter se diuidunt. Ren. Sup. Pag. 201. D. Albertus Comitatum suum Mchæ tradit S. Lamberto. Pag. 202.*	9 D C	8	7
1205.	8	7 8	25 26	6	*Adolphus Coloniensis Archiep Philippo Regi reconciliatus, eum Aquisgrani coronat in Epiphania Domini. Vnde à Moguntino & Cameracẽsi Episcopis delegatis à Papa excõmunicatus depositus est Brunone ei suffecto. Hinc graues tumultus. Godefr.*	10 B	9	8
1206.	9	8 9	26 27	7	*Nascitur filia Comiti Mohano, quæ spem Comitatus Episcopo Leodiensi præcidit. Ren. Pag 202. D.* *Otto Rex Germaniæ in Angliam ad Regem auunculum suum se confert, & accepta magna pecunia reuertitur. Godefr.*	11 A	10	9
1207.	10	9 10	27 28	8		12 G	11	10
1208.	11	10 11	28 29	9	*Philippus Rex Germaniæ occiditur 11. Cal. Iulij. Otto pacificè regnũ obtinet, ducta in vxorem Philippi mortui filiã. Godefr. Ren.*	13 F E	12	11
1209.	12	11 12	29 30	10	*Theodericus Præpositus SS. Apostolorum consecratur Archiepiscopus Coloniensis ab Hugone Leodiensi Dominica post Pentecosten. Otto Romam veniens à Papa consecratur 4 Oct. die Dominico. Godefr.*	14 D	13	12
1210.	13	12 13	30 31	11	*Innocentius Papa Ottonem Imp. excommunicat, quod Marcham Anconitanam Ecclesiæ reddere nollet, Apuliam insuper & Calabriam patrimonium S. Petri affectaret. Godefr.*	15 C	14	13

Anni Christ.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frãc.	Epi Leod.	RES GESTÆ.	Cyclus Solis.	Cyclus Lunæ.	Indictiones.
1211.	14	13 / 14	31 / 32	12	*Sifridus Mogũtiæ Archiepiscopus sententiam excõmunicationis à Papa in Ottonem Imp. latam denuntiat Godefr. Ren.*	16 B	15	14
1212.	15	14 / 15	33 / 33	13	*Albertus Comes de Moha moritur. Ren. Otto Imp. Moguntiæ conuentũ habet, vbi Dux Brabantiæ contra Leodium, conspirat. Mox etiam capit 3. Maij in Ascensione Domini, ac per 6. dies diripit. Vide Triumphum Step. vsque ad c 8 Fredericus Rex Siciliæ filius Henrici Imp. à Papa in Germaniam missus à multis Principibus recipitur. Godefr.*	17 A G	16	15
1213.	16	15 / 16	33 / 34	14	*Rex Franciæ Philippus inopinato in Flandriam irruit, sed à Ferrando Comite repellitur Victoria Steppensis de Duce Brabantiæ 13. Oct. die Dominico. Vide Triumphum à c. 9. ad 13. & Sup. Pag 215. ad 231.*	18 F	17	1
1214.	17	16 / 17	34 / 35	15	*Philippus Rex Franciæ pugnat contra Ottonem Imp. Ducem Brabantiæ, Comitem Flandriæ, &c, prope Tornacum, 27. Iulij die Dominico & vincit. Vita Philippi Godefr & Sup Pag. 235 236.* *Fredericus Rex Traiectum venit ad Mosam, 24. Aug die Dominico, & à Ducibus Brabantiæ & Ardennæ filios obsides accipit. Ren. Godefr.*	19 E	18	2
1215.	18	17 † 1	35 / 36	16	*Fredericus 2. Aquisgrani Rex Romanorum consecratur 25. Iulij & Cruce signatur. Mox etiã Coloniæ recipitur. Otto fugit in Saxoniam. Ren. Godefr. Concilium magnum Lateranense. Sup. pag. 237. 238.*	20 D	19	3
1216.	19 † 1	1 / 2	36 / 37	17	*Innocentius Papa moritur. 16. Cal. Aug. Succedit altero die Honorius 3. consecratus 24. Iulij die Dominico. Onuph. Godef. Ren. Hic anno Pontificatus sui primo ordinem S. Dominici confirmat. Mart. Pol.*	21 C B	1	4
1217.	1 / 2	2 / 3	37 / 38	18	*Andreas Rex Hungariæ, Lupoldus Dux Austriæ alijque expeditionem in terram sanctam suscipiunt, eodem tendit VVilelmus Comes Hollandiæ cum multis Belgis & Teutonibus per Oceanum. Vide Godefr.*	22 A	2	5
1218.	2 / 3	3 / 4	38 / 39	19	*Damiata in Aegipto à Christiano exercitu obsidetur: Godefr. Otto quondam Imp. moritur. Sup. Pag. 239. B. Alij ponunt anno seq.*	23 G	3	6
1219.	3 / 4	4 / 5	39 / 40	20	*Ierusalem muris nudatur à Coradino, qui de ea retinenda desperabat. Damiata tandem capitur Nonis Nouembr. Godefr.*	24 F	4	7
1220.	4 / 5	5 / 6	40 / 41	21	*Fredericus Romæ ab Honorio Papa in Imperatorem consecratur festo S. Cæciliæ die Dominico. Godefr. Vrsp. &c.*	25 E D	5	8

RES GESTÆ.

Anni Chris.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frāc.	Epi Leod.	Res Gestæ	Cyclus Solis.	Cyclus Lūæ.	Indictiones.
1221.	5 | 6	6 | 7	41 | 42	22	*Obijt Henricus Dux Limburgi prouectæ ætatis. Succedit in regimine Ardennæ filius VValerānus. Ren.* *Damiata à Saracenis recepta. Godefr. S. Dominicus moritur 6 Augusti feria 6. Vita. Ant.*	26 C	6	9
1222.	6 | 7	7 | 8	42 | 43	23	*Henricus 7. filius Frederici Imp. adhuc puer cōsecratur Rex Aquisgrani ab Engelberto Episcopo Colon. 8. Id. Maij Dominica ante Ascensionem Domini. Godefr. & Sup. Pag. 241. C.*	27 B	7	10
1223.	7 | 8	8 | 9	43 † 1	24	*Philippus Franciæ Rex moritur 14. Iulij. Succedit filius Ludouicus & 8. Id. Aug. die Dominico consecratur Remis à Guilhelmo Archiepiscopo Rigordus.* *Honorius Papa institutum S. Francisci confirmat 13. Cal. Dec. anno Pontificatus sui 8. Vrsp.*	28 A	8	11
1224.	8 | 9	9 | 10	1 | 2	25	*Magna caritas annonæ. Aquisgranum incendio fœdatum. Pag. 241. D.*	1 G F	9	12
1225.	9 | 10	10 | 11	2 | 3	26	*Pseudo Balduinus Flander emergit & detegitur. Godefr. Mey. &c. Mortua Gertrude vnica hærede Comitatus Mubani, Hugo Episcopus Leodiensis possessionem terræ init 14. Cal. Apr. feria 4. ante Pasca Floridum Sup. Pag. 242. A. Engelbertus Archiepiscopus Coloniensis occiditur 7. Id. Nouembr. Godefr. & Vita.*	2 E	10	13
1226.	10 | 11	11 | 12	3 4 †	27	*S. Franciscus moritur 4. Octob. die Dominico. Vita. Item Ludouicus Rex Franciæ 8. Nouemb. die Dominico. Succedit filius eius S. Ludouicus nondum 12. annorum, coronaturque Remis 1. Dominica Aduentus 29. Nouemb. Vita. Hugo Episcopus Leodiensis Archiepiscopatum Remensem oblatum recusat. Pag. 242. 243.*	3 D	11	14
1227.	11 † 1	12 | 13	1	28	*Honorius Papa moritur 13. Martij. Succedit Gregorius 9. coronatus 12. Cal. Apr. die Dominico. Onuph. Oppidum S. Trudonis S. Lamberto acquisitum. Pag. 244. D. 245. &c. Ferrandus Comes Flandriæ fine prioris anni post mortem Regis Franciæ carcere duodecennali solutus Aquisgrani in conuentu publico partem Hannoniæ ab Episcopo Leodiensi repetit frustra. Pag. 245. C. Gode.*	4 C	12	15
1228.	1 | 2	13 | 14	2	29	*Fredericus Imp. excommunicatus à Papa quod expeditionem in terram sanctam non susciperet tandem suscipit, & recuperata Hierusalem, factisque inducijs redit nec tamen absoluitur. Hinc nata magna discordia Guelforum & Gibellinorum. Godefr. Sigon.*	5 B A	13	1
1229.	2 | 3	14 | 15	3	29 30 † 1	*Hugo Episcopus Leodiensis ordinem Dominicanorum Leodij admittit 11. Apr. feria 4. post Palmas. Sequenti die feria 5. moritur Hoy & 16. Cal. Maij in crastino Pascæ sepelitur in æde D. Lamberti. Pag. 250. 251. Sufficitur Ioannes de Apia in crastino Ascensionis, quæ fuit 9. Cal. Iunij. Pag. 258. Fredericus Imp. rediens Hierosolyma in Papam insurgit. Godefr.*	6 G	14	2
1230.	3 | 4	15 | 16	4	1 | 2	*Fredericus Imp. mediante Lupoldo Duce Austriæ à Papa absoluitur. Godefr.*	7 F	15	3

Anni Chris.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frãc.	Epi Leod.	RES GESTÆ.	Cyclus Solis.	Cyclus Lũæ.	Indictiones.
1231.	4 … 5	16 … 17	5	2 … 3	*Ioannes Episcopus Leodiensis consecratur 9. Martij Dominica passionis. Otto Papæ Nuntius Leodium venit 7. Cal. Febr. Dominica Sexagesimæ, non septuagesimæ vt ibi legitur. Pag. 259. B.* *S. Antonius de Padua moritur 13 Iunij. Vita.*	8 E	16	4
1232.	5 … 6	17 … 18	6	3 … 4		9 D C	17	5
1233.	6 … 7	18 … 19	7	4 … 5	*Conradus quidam multos hæreticos in Teutonia igni addicit. Godefr.*	10 B	18	6
1234.	7 … 8	19 … 20	8	5 … 6	*Circa hunc annum Dominicani, Franciscani, & Scholares Leodij Monasteria sua absoluunt. Sup. Pag. 261. C.* *Rex Henricus contra Fredericum Imp. patrem suum, in Germania rebellat. Godefr.*	11 A	19	7
1235.	8 … 9	20 … 21	9	6 … 7	*Fredericus Imp in Germaniam venit ex Apulia; Vormatiæ 6. Non. Iulij carceri filium mancipat, tum nuptias cum sorore Regis Angliæ celebrat. Godefr.*	12 G	1	8
1236.	9 … 10	21 … 22	10	7 … 8	*Fredericus Imp. in Longobarbos rebelles mouet. God.*	13 F E	2	9
1237.	10 … 11	22 … 23	11	8 … 9		14 D	3	10
1238.	11 … 12	23 … 24	12	9 † 1	*Ioannes Episcopus Leodiensis moritur 2. Maij. Schisma inde pro successore. Guilelmus tamen Valentinus frater Comitis Flandriæ à Papa confirmatur. Pag. 263.*	15 C	4	11
1239.	12 … 13	24 … 25	13	1 2 †	*Gregorius Papa Fredericum Imp. excommunicat die Palmarum, ob varias causas. Eclipsis Solis 3. Iunij. Paris.* *Guilelmus Episcopus Leodiensis redeundo Roma moritur Viterbij fine Octobris. Vacat sedes per annum. Pag. 264. Paris.*	16 B	5	12
1240.	13 … 14	25 … 26	14	1	*Gregorius Pontifex Concilium pro pace Ecclesiæ conuocat. Probibet Imperator. Paris.* *Robertus Episcopus Lingonensis fit Leodiensis circa festum omnium SS. Pag. 265.*	17 A G	6	13

Anni Chris.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frāc.	Epi Leod.	RES GESTÆ.	Cyclus Solis.	Cyclus Lunæ.	Indictiones.
1241.	14 15 † 1 †	26 27	15	1	*Episcopi varij Romam mari ad Concilium contendentes, à Ducibus Imp. capiuntur. Gregorius Papa moritur 22. Augusti. Sufficitur Cælestinus 4. 9. Cal. Octobris & 7. Idus eiusdem moritur. Vacat sedes menses fere 21. Paris. Onuph.*	18 F	7	14
1242.	Vacat	27 28	16	2	*Robertus Episcopus Leodiensis templum Dominicanorum dedicat Idibus Augusti. Item Synodum habet. Pag. 266. C. D.*	19 E	8	15
1243.	Sedes. 1	28 29	17	3	*Tandem 24. Iunij Papa eligitur Innocentius 4. & 29. consecratur. Mox confirmat excommunicationem latam in Imp. Paris.*	20 D	9	1
1244.	1 2	29 30	18	4	*Innocentius Papa creatis 10. Cardinalibus in festo S. Trinitatis, Genuâ in Galliam fugit. Suldanus Babylonis vi Hierosolymam occupat. Paris.*	21 CB	10	2
1245.	2 3	30 *	19	5	*Concilium generale Lugduni 26. Iunij feria 2. inchoatur. In eo 16. Iulij Fredericus iterum excommunicatur & abdicatur.* *Generale Capitulū Cystercienfium. Paris. Forte in eo Robertus Episcopus Leodiensis obtinuit festum S. Lamberti ab ordine celebrari. Pag. 266.*	22 A	11	3
1246.	3 4	1	20	6 †	*Henricus Landtgrauius iussu Papæ creatur Imperator, & Aquisgrani coronatur. Vincit Conradum filium Frederici. Paris.* *Robertus Episcopus Leodiensis festiuitatem Corporis Christi petente S. Iuliana Leodiensi, per Diœcesim suam præcipit celebrari. Pag. 646. Inde moritur 16. Octobris. Pag. 268. Vacat sedes per annum. Pag. 275.*	23 G	12	4
1427.	4 5	1 † 1	21	1	*Henricus Lantgrauius prælio victus paulo post moritur 16. Febr. VVilelmus Comes Hollandiæ Rex Romanorum eligitur 30. Sept. & 10. Octob. Henricus Gueldrensis fit Episcopus Leodiensis. Sup. Pag. 275. 276. Paris.*	24 F	13	5
1248.	5 6	1 2	22	1 2	*Aquisgranum ab VVilelmo Rege Romanorum obsidetur mense Mayo, & tandem post 6. menses capitur. VVilelmus Aquis coronatur 1. Nouemb. die Dominico Sup. Pag. 276. B. C.* *S. Ludouicus Rex Franciæ Maßilia soluit cum exercitu in terram sanctā 25 Aug. Appellit in Cyprum 20. Sept. vbi hyemat. Paris.*	25 ED	14	6
1249.	6 7	2 3	23	2 3	*S. Ludouicus è Cypro soluit 13. Maij die Ascensionis Domini & 11. Iunij feria 6. Damiatan obsides, & capit. Pag. 276. C. Paris.*	26 C	15	7
1250.	7 8	3 4	[illegible]	3 4	*S. Ludouicus Rex 7 Febr. feria 2. ante Cineres Saracenos aggreditur ac vincit sequenti die vincitur. Paulo post frater eius Robertus, Comes Artesiæ iterum victus in Nilo submergitur. Inde S. Ludouicus capitur, & magno lytro, ac Damiata reddita dimissus, redit Ptolemaidem. Paris. & Pag. 276 D. Fredericus quondam imp. moritur 26. Decembris. Paris. & Pag. 277. A.*	27 B	16	8

Anni Christ.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frãc.	Epi Leod.	RES GESTÆ.	Cyclus Solis.	Cyclus Lunæ.	Indictiones.
1251.	8 9	5 6	25	4 5	*Innocentius Papa mortuo Frederico in Italiam redit, & die Veneris sancto Conradum Frederici filium cum suis excommunicat. Paris.*	28 A	17	9
1252.	9 10	6 7	26	5 6	*S. Ludouicus Franciæ Rex pacem init 15. annorum cum Soldano Aegipti. Paris. Blanca Regina Franciæ mater S. Ludouici moritur 1. Dec. Dominica 1. Aduentus. Paris. & Sup. Pag. 277. B. C. Hugo Cardinalis Leodij festiuitatem SS. Sacramenti diplomate sancit. Pag. 648. 651.*	1 G F	18	10
1253.	10 11	7 8	27	6 7	*Innocentius Papa, qui hactenus Perusij hæserat, tandem Romam redit. Henricus filius Frederici moritur arte Conradi fratris. Paris.* *Flandri ab Hollandis in Zelandia cæduntur ingenti strage. Dissensio inter Clerum & Ciues Leodienses. Pag. 280. C. 281. 286.*	2 E	19	11
1254.	11 12 †	8 9	28	7 8	*Conradus filius Frederici moritur mense Iunio: relicto filio Conradino sub tutela Manfredi fratris sui illegitimi. Paris. & Sup. Pag. 277. D.* *Innocentius Papa moritur 7. Decembris. Sufficitur Alexander 4. Paris. Diploma Petri Capucij Card. Leodij 2. Dec. Pag. 651. 652.* *Vilelmus Rex Rom. Frisios vincit 11. Maij feria 2. Pag. 287. D.*	3 D	1	12
1255.	1	9 10	29	8 9	*Sanctitrudonenses & Hoyenses rebelles ab Henrico Episcopo Leodiensi cæduntur. Item Leodienses ipsi cum suo Demagogo. Pag. 288. 289.* *VVilelmus de sancto Amore scribit contra Monachos mendicantes. Liber eius iussu Alexandri Papæ postmodum comburitur.*	4 C	2	13
1256.	2	10 †	30	9 10	*VVilelmus Rex Romanorũ à Frisijs cæditur 25. Ianuarij Pag. 290 C. Paris.* *Nouæ & iteratæ discordiæ inter Henricum Episcopum Leodiensem ac Ciues Ducemque Brabantiæ. Pag. 290. 291. Castrum Namurcense ab ipsis ciuibus & Comite Lutzeburgensi obsidetur. Pag. 292. A.*	5 B A	3	14
1257.	3	1	31	10 11	*Richardus Comes Cornubiæ frater Regis Angliæ in Regem Romanorum eligitur initio anni, & Aquisgrani coronatur 17. Maij die Ascensionis Christi. Pag. 292. A. Paris. Archiepiscopus Treuirensis & alij Alphonsum Hispaniæ Regem eligunt. Ann. Ster. Richardus Rex venit Hoyum 30. Decembr. die Dominico. Ioannes Presb. & Sup. Pag. 292. B.*	6 G	4	15
1258.	4	2	32	11 12	*Henricus Leodiensis electus ordinem Sacerdotalem & Episcopalem suscipit. Postulatur Abbas Stabulensis. Ioannes de Auesnis obsidionem castri Namurcensis soluere volens, idem castrum Comiti Luxẽburgensi in feudum concedit. Sup. Pag. 292.*	7 F	5	1
1259.	5	3	33	12 13	*Albertus Magnus fit Episcopus Ratisbonensis, sedetque biennio. Ann. Ster.*	8 E	6	2
1260.	6	4	34	13 14	*Flagellantes in Italia exorti. Stero.*	9 D C	7	3

RES GESTÆ.

Anni Chris.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frãc.	Epi Leod.	Res Gestæ	Cyclus Solis.	Cyclus Lũa.	Indictiones.
1261.	7 †. 1	5	35	14 15	*Albertus Magnus amore literarum Episcopatu se abdicat. Indixerat Alexander Papa concilium Viterbij habendum 6. Iulij pro subsidio Terræ sanctæ contra Tartaros. Sed 25. Maij moritur. Sufficitur Vrbanus 4. quondam Archidiaconus Leodiensis, S. Iulianæ familiaris, coronaturque 4. Sept. die Dominico. Stero, Onuph. Pag. 293. C.*	10 B	8	4
1262.	1 2	6	36	15 16	*Hugo Cardinalis de ordine Dominicanorum, qui Leodij festiuitatem SS. Sacramenti confirmauit, moritur 19. Martij. eius sunt Homiliæ in Biblia.*	11 A	9	5
1263.	2 3	7	37	16 17	*Vrbanus Papa Saracenos à Manfredo in patrimonium Ecclesiæ immissos fugat. Pag. 293 D.*	12 G	10	6
1264.	3 4 †	8	38	17 18	*Vrbanus Papa 4. festum Corporis Christi instituit. Lib. 3. Clem tit. 16. idque Euæ reclusæ Leodiensi significat. Sup. Pag. 655. 656. Paulo post moritur 2. Octobris. Vacat sedes menses 4. dies 4. Onuph. & Pag 294. B.*	13 FE	11	7
1265.	1	9	39	18 19	*Clemens 4. fit Papa 5. Febr. Onuph. & Pag. 294. C. vbi de eius vita plusc ula. Carolus Andegauus frater S. Ludouici Regis Franciæ Romam venit, regnum Siciliæ Manfredo ex voluntate Papæ erepturus Chron. Mon. Pad. & Pag. 294.*	14 D	12	8
1266.	2	10	40	19 20	*Carolus Andegauus Manfredum prælio ad Beneuentum vincit & occidit 3 Non Martij. Stero. Chron. Mon. Pad.*	15 C	13	9
1267.	3	11	41	20 21	*Carolus regno Siciliæ subacto Viterbium ad Papam redit, Tusciam pacat. Conradinus filius Conradi, nepos Frederici 2 quondam Imp in Italiam mouet contra Carolum Andegauum. Chr. Mon. Pad.*	16 B	14	10
1268.	4 †	12	42	21 22	*Conradinus Veronâ Romam venit. inde in Apuliam cum magno exercitu. vbi prælio victus & captus, paulo post Neapoli capite truncatur 29. Octob.-feria 2. Stero Pag. 296 C.* *Clemens Papa moritur 29. Nouembris. Vacat sedes annos 2. menses 9. diem 1. Onuphr.*	17 AG	15	11
1269.	Vacat	13	43	22 23	*Leodij castrum S. VValburgis astu à ciuibus capitur & diruitur. Inde nouum bellum ciuium cum Episcopo. quod mox pacatur. Pag. 296. 297.*	18 F	16	12
1270.	Sedes.	14	44 † 1	23 24	*S. Ludouicus expeditionem 2. in terram sanctam suscipit. In itinere Tunetum aggressus peste moritur 25. Aug. die Lunæ. Vita. Philippus filius regnat. Carolus Rex Siciliæ superueniens Tunetum capit. Sup. Pag 297. B.*	19 E	17	13

RES GESTÆ.

Anni Christ.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frãc.	Epi Leod.	Res Gestæ	Cyclus Solis.	Cyclus Lũæ.	Indictiones.
1271.	1	15 † Va	1 2	24 25	*Richardus Rex Romanorum; & frater Regis Angliæ moritur 2. Aprilis Appendix ad Paris Vacat regnum annos 2 m. 6.* *Theobaldus Archidiaconus Leodiensis eligitur Papa, 1. Septembr. Onuphr. Ann. Colm. erat tunc absens; si Chronico Tungrensi fides est, Leodij, Sup. P. 298. si alijs, in terra sancta.*	20 D	18	14
1272.	1 2	cat regnum	2 3	25 26	*Theobaldus Romam venit in quadragesima, vbi Papa consecratur, dictus Gregorius 10. Stero. hinc multi, inchoãt annos eius.*	21 C B	19	15
1273.	2 3	1	3 4	26 27	*Rudolfus Comes Haspurgensis vltimo Sept. in Regem Romanorum eligitur, & Aquisgrani vltimo Octob. coronatur. Ann. Colm. & Stero.*	22 A	1	1
1274.	3 4	1 2	4 5	27 * 1	*Concilium Lugdunense 1. Maij pro terra sancta, & contra Græcos. Ad quod euocatus S. Thomas Aquinas in itinere moritur 7. Martij, vt & S. Bonauentura 14. Iulij eidem Concilio præsidens. Vitæ. In eo etiam Henricus Ep. Leod. deponitur, suffecto Ioanne Enghiano Episcopo Tornacensi. Sup. a Pag. 298. ad 302.*	23 G	2	2
1275.	4 5	2 3	5 6	1 2	*Diplomata Rudolphi Regis data 4. Id. Sept. Ind. 3 anno 1275. Rudolphi Regis 2. Pag. 303. &c.* *Gregorius Papa & Rudolphus Rex Lausannæ colloquuntur. Ann. Colm.*	24 F	3	3
1276.	5 † 1 † 1	3 4	6 7	2 3	*Gregorius Papa moritur 10. Ianuarij succedit 21. eiusdem Innocentius 5. & moritur 22. Iunij. Sufficitur 11. Iulij Adrianus 5. Quo etiam 18. Aug mortuo, Ioannes 21 eligitur 13. Sept. & consecratur 20. eiusdem, die Dominico. Onuphr. & Pag. 309.* *Bellum Hoyensium contra Namurcenses. Pag. 308. D.*	25 E D	4	4
1277.	1 †	4 5	7 8	3 4	*Ioannes Papa 21. moritur 17. Maij. Succedit Nicolaus 3. 25. Nouemb. consecratus 25. Dec. Onuph.* *Comes Iuliacensis Aquisgranum temere intrans vindictam de quibusdam inimicis sumpturus, cum filijs occiditur 16. Martij. Pag. 309. C.*	26 C	5	5
1278.	1	5 6	8 9	4 5	*Ioannes Hocsemius nascitur medio Febr. Pag. 309. C. D.* *Rudolphus Rex Rom. Ottocarum Regem Bohemiæ prope Viennam prelio vincit & occidit, 26. Aug. Inde Austriam Stiriam, Carinthiam, Tyrolum pacifice obtinet, & filijs suis relinquit. Ann. Colm. Stero.*	27 B	6	6
1279.	2	6 7	9 10	5 6		28 A	7	7
1280.	3 †	7 8	10 11	6 7	*Eclipsis Lunæ 16. Cal. Apr. litera Dominicali F. nocte ante feriam 2.* *Albertus Magnus moritur Coloniæ. Ann. Colm.* *Nicolaus Papa moritur 16. Aug. Vacat sedes m. 6. d. 6. Onuph.*	1 G F	8	8

Anni Christ.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frãc.	Epi Leod.	RES GESTÆ.	Cyclus Solis.	Cyclus Lũæ.	Indictiones.
1281.	1	8	11	7 †	*Martinus 4. Papa eligitur 22. Febr. consecratur 23. Martij die Dominico Onuph & Pag. 313. B.* *Ioannes Enghiensis Episcopus Leod. indigna morte perit 24. Aug. Pag. 311. schisma in electione successoris. 313. B.*	2 E	9	9
1282.	2	9	12	1	*Vesperæ Siculæ quibus Franci omnes in Sicilia cæsi feria 2. Pascæ 30. Martij. Patet ex Epistola Martini Papæ apud Ster. & alijs.* *Ioannes Guidonis Episcopus Metensis, fit Leodiensis. & ciuitatem ingreditur 31. Oct. Pag. 313.*	3 D	10	10
1283.	3	10	13	1	*Petrus Aragonum Rex Carolũ Regem Siciliæ in campis Burdegalensibus pronocat cum 100. Equitibus vtrinque. Sed pacto non stat. Sup. Pag. 314. B. C. & Vita Philippi Regis Franc.*	4 C	11	11
1284.	4	11	14	2	*Carolus Rex Siciliæ moritur 7. Ianuarij non. die Dominico, vt Sup. Pag. 314. 315. sed die sabbathi; nisi sequenti anno contigerit.* *Henricus Gueldrensis quondam Leod. Episc. moritur Pag. 315. A.*	5 B A	12	12
1285.	4 † 1	12	15 16 † 1	3	*Martinus Papa moritur 28. Martij feria 4. Pascæ. Vita Philippi Regis Franc. Succedit 2. Apr. Honorius 4. consecratus 15. eiusdem, die Dominico Onuph & Pag. 315. A.* *Philippus Rex Franciæ moritur 5. Octob. Succedit filius Philippus Pulcher. Pag. 315. B. C.*	6 G	13	13
1286.	1	13	1	4		7 F	14	14
1287.	2 †	14	2	5	*Clerus Leodiensis hoc anno Leodium redit, vnde absfuerat per annum & menses 10. Ioannes Episcopus Leod. carceri mancipatur à nouerca. Pag. 317. B. C. 318 B.* *Honorius Papa moritur 3. Apr. Vacat sedes menses 10. d. 18. Onuph.*	8 E	15	15
1288.	1	15	3	6	*Prælium celebre apud Varonc inter Ducem Brabantiæ & Comitem Gelriæ pro Ducatu Limburgensi. Vicit Brabantus. Pag. 319.* *Nicolaus 4. fit Papa mense Febr. Pag. 321. B. Onuph.*	9 D C	16	1
1289.	2	16	4	7	*Nicolaus Papa Roma expellitur, quod Caroli filium in Regem Siciliæ consecrasset Romanis inuitis. Archiepiscopus Coloniensis captiuitate soluitur. Ann. Colm.*	10 B	17	2
1290.	3	17	5	8	*Soldanus Babyloniæ Hierusalem & Accon ac penè reliqua Christianorum loca in terra sancta expugnat. Nicolaus Papa in terræ sanctæ auxilium suis expensis 60. peditum millia mittit Ann. Colm. Tamen Pag. 322. A refertur ad annum seq.*	11 A	18	3

Anni Chrif.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frãc.	Epi Leod.	RES GESTÆ.	Cyclus Solis.	Cyclus Lũæ.	Indictiones.
1291.	4	18 † 1	6 7	9 10	*Brabantini Castrum Cornelij montis prope Leodium aggreßi in crastino Ascensionis cæduntur.* Pag. 321. C. D. *Rudolfus Rex Romanorum moritur* 15. *Iulij: Annal. Ster. & Colm.*	12 G	19	4
1292.	4 5 † Va	1	7 8	10 †	*Nicolaus* 4. *Papa moritur* 4. *Apr. Vacat sedes annos* 2. *m.* 3. *d.* 2. *Onuph. & Sup.* Pag. 321. *B.* *Adolphus Nassouius Rex Romanorum eligitur, & Aquisgrani coronatur festo Ioannis Bapt. Sup.* Pag. 322. *A. Ann. Colm.* *Ioannes Episcopus Leod. moritur* 14. *Oct. Discordia pro successore. Ibid.*	13 FE	1	5
1293.	cat sedes	1 2	8 9		*Duo electi Leodienses Romam vadunt, frustra, sede vacante. Sup.* Pag. 323. *A. B.*	14 D	2	6
1294.	1 *	2 3	9 10		*Diploma Adolphi Regis datum Guidoni electo Leodiensi.* Pag. 323. *C. D. Ioannes* 1. *Brabantiæ Dux moritur* 3. *Maij Succedit Ioannes* 2. Pag. 325. *& Ann. Colmarienses.* *Cælestinus* 5. *fit Papa* 7. *Iulij. Abdicat* 11. *Decemb. Sufficitur Bonifacius* 8. 24. *eiusdem. Onuph.* Pag. 324. 325. 326.	15 C	3	7
1295.	1	3 4	10 11		*Bonifacius Papa consecratur* 16. *Ianuarij die Dominico. Onuph.*	16 B	4	8
1296.	2	4 5	11 12	1	*Bonifacius Papa electionem VVilelmi & Guidonis in Episcopum Leodiensem cassat Et Episcopatum Hugoni Cabilonensi confert.* Pag. 327. *Inter hunc & Brabantiæ Ducem discordia orta de Traiecto* 328.	17 AG	5	9
1297.	3	5 6	12 13	2	*Graue bellum inter Guidonem Comitem Flandriæ & Philippum Regem Franciæ. Eduardus Rex Angliæ in Flandriam Comiti auxilio venit, veniebat & Adolphus Rex Rom. sed pecunia Gallica corruptus Agrippinam non transiuit. Ann. Colm. Meyr.* Pag. 329.	18 F	6	10
1298.	4	6 † 1	13 14	3	*Adolphus Nassouius Rex Romanorum* 2. *Iulij cæditur ab Alberto Austriaco & Albertus Rex Romanorum eligitur. Eberh. Ann. Colm. &* Pag. 329. *D. Bellum inter nobiles Auuanses & VVarouxios.* Pag. 331. 332.	19 E	7	11
1299.	5	1 2	14 15	4	*Seditio Hoyensis.* Pag. 333.	20 D	8	12
1300.	6	2 3	15 16	5	*Bonifacius Papa* 8. *annum secularem siue Iubilæum primus instituit ingenti omnium applausu & concursu. Ann. Colmarienses.*	21 CB	9	13

RES GESTÆ.

Epi Leod.	Reges Frãc.	Imp. Rom.	Pont. Rom.	Anni Chris.	Res Gestæ	Indictiones.	Cyclus Lũe.	Cyclus Solis.
6 *	16 17	3 4	7	1301.	*Hugo Leodienſis Epiſcopus Romæ apud Pontificem à Leodienſibus accuſatus, deponitur, & ad Archiepiſcopatum Bizuntinum transfertur. Adolphus de VValdege ab ipſo Pontifice ſuſficitur. Pag. 334. 336.*	14	10	22 A
1 †	17 18	4 5	8	1302.	*Adolphus Epiſcopus Leodij quædam præclarè gerit. Hocſ c. 27. Inde moritur 13. Decembris. Pag 340.* *Controuerſia inter Philippum Regem Franciæ & Papam, cuius literas habes Pag. 341. Ann. Colm. & Eberb.*	15	11	23 G
1	18 19	5 6	9 † 1	1303.	*Theobaldus Barrenſis eligitur Leodienſis Epiſcopus. Pag. 391. A. Bonifacius Papa Anagniæ a Ciuibus auro Regis Franciæ corruptis capitur, & dimiſſus paulo poſt moritur 11. Oct. Succedit 22. eiuſdem Benedictus 11. Onuph. Pag. 343*	1	12	24 F
1 2	19 20	6 7	1 †	1304.	*Benedictus Papa moritur 7. Iulij. Vacat ſedes menſes 10. dies 28. Sup. Pag. 343. G.* *Franciſcus Petrarcha naſcitur 20. Iulij. Vita. Volat.*	2	13	25 E D
2 3	20 21	7 8	1	1305.	*5. Iunij vigilia Pentecoſtes Clemens 5. in Papam eligitur qui Auenione in Gallia ſedem primus fixit. Pag 344. B. C. Onuph. Eberb.* *Pax inter Flandros & Francos. Pag. 345. B.*	3	14	26 C
3 4	21 22	8 9	1 2	1306.	*Iudæi omnes per Franciã die S. Magdalenæ capti, & expulſi. Pag. 345. C.*	4	15	27 B
4 5	22 23	9 10	2 3	1307.	*Templarij vna die & hora per Franciam capti, & accuſati Pag. 345. Diſcordia inter Ciues Leodienſes & Epiſcopum. Pag 349. D.*	5	16	28 A
5 6	23 24	10 †	3 4	1308.	*Theobaldus Epiſcopus Leod. obſidet & capit caſtrum Agimont Pag. 350. B. Ioannes Duns Scotus doctor ſubtilis moritur Coloniæ 8. Nou.* *Albertus Auſtrius Romanorum Rex à nepote ſuo cæditur 1. Maij. Stero. Alb. Argent. &c. Hocſemius tamen refert anno ſeq. Henricus Comes Lutzẽburgenſis ſuſficitur. Iidem. & Pag. 350.*	6	17	1 G F
6 7	24 25	1	4 5	1309.	*Henricus Rex Rom. Aquiſgrani coronatur 6. Ianuarij. Stero. Argent. Hypocritæ quidam Lollardi decipiunt nobiles mulieres. Multi temere & ſine Duce cruce ſignantur & diſſipantur. Pag 350. 351.*	7	18	2 E
7 8	25 26	2	5 6	1310.	*Rhodus & vicinæ inſulæ Turcis ereptæ ab equitibus Hoſpitalarijs S. Ioãnis in Hieruſalem. Vnde dicti equites Rhodij. Stero.* *Henricus Rex Rom. filiam & heredem Regis Bohemiæ dat Ioanni filio ſuo. Inde in Italiam tẽdens Mediolani coronatur; Brixiam capit. Hocſ c. 32. 352. Stero.*	8	19	3 D

RES GESTÆ.

Anni Christ.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frā.	Epi Leod.	RES GESTÆ.	Cyclus Solis.	Cyclus Lunæ.	Indictiones.
1311.	6 7	3	26 27	8 9	*Henricus Rex Brixia diruta Romam tendit impeditur à Roberto Rege Sicilia & Vrsinis. Pag. 353* *Concilium Viennense Generale 16. Octob inchoatur, pro recuperatione terræ sanctæ, item contra Templarios & Begardos. Stero.*	4 C	1	9
1312.	7 8	4	27 28	9 †	*Theobaldus Episcopus Leodiensis Romæ in exercitu Henrici Regis contra Vrsinos dimicans vulneratur, capitur, & 13. Maij moritur. Henricus in templo S. Ioannis Romæ à Legatis Papæ consecratur Imperator, 29. Iunij vt Stero & Onuph. vel 1. Aug. vt Argentin. Vide Pag. 354. Magna Leodij turbatio sede vacante. Pag. 356. 357.*	5 BA	2	10
1313.	8 9	5 †	28 29	1	*Adolphus à Marka fit Episcopus Leodiēsis à Clemente Papa 4. Apr. feria 4. ante Dominicam Palmarum. Venit Leodium in Natiuitate Domini. Pag. 364.* *Henricus Lutzenburgensis Imp. Rom. veneno moritur 14. Aug. Argent. Stero. Pag. 354. C.*	6 G	3	11
1314.	9 † Va-	1	29 30 †	1 2	*Clemens 5. Papa moritur 20. Martij, die Sabbathi. Vacat Sedes annos 2. m. 3. d. 17. Onuph. Fredericus Austriæ, & Ludouicus Bauariæ Duces schismate in Imperatores eliguntur. Ludouicus Aquisgrani, Fredericus Bonnæ coronantur. Pag 368. 369. Philippus Pulcher Rex Franciæ moritur 29. Nouemb. Vign. Pag. 366. D. Succedit Ludouicus filius.*	7 F	4	12
1315.	cat Sedes	1 2	1	2 3	*Magna discordia inter Episcopū Leodiensem & subditos. Hocs. c. 5 & 6.*	8 E	5	13
1316.	1	2 3	2 †	3 4	*Pax Fexensis inter Episcopum Leod. & subditos. Pag. 375.* *Ioannes 22. Papa creatur 7. Aug. & consecratur 5. Septembris die Dominico. Onuph. Ludouicus Rex Franciæ moritur mense Iunio. Succedit frater eius Philippus. Pag. 375. C.*	9 DC	6	14
1317.	1 2	3 4	1	4 5	*Ignis contra homicidas Leodij soli Episcopo concessus. Pag. 376. Septimus liber Clementinarum à Ioanne Papa editus. Stero.*	10 B	7	15
1318.	2 3	4 5	2	5 6	*Adolphus Episcopus Leod. Lutziburgensem terram vastat. Pag. 376. C.*	11 A	8	1
1319.	3 4	5 6	3	6 7	*Bellum inter Dionantenses & Bouinienses. Pag. 376. D.*	12 G	9	2
1320.	4 5	6 7	4	7 8		13 FE	10	3

RES GESTÆ.

Anni Christ.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frãc.	Epi Leod.	Res Gestæ	Cyclus Solis.	Cyclus Lũæ.	Indictiones.
1321.	5 … 6	7 … 8	5	8 … 9	*Comes Namurcensis Hasbaniam vastat 3. Aug. feria 2.* Pag. 377. C.	14 D	11	4
1322.	6 … 7	8 … 9	† 1	9 … 10	*Philippus Rex Franciæ moritur 3 Ianuarij. Succedit frater eius Carolus, coronatus 21. Feb. Dominica Quinquagesimæ. Meye. recte. licet Hocsemius* Pag. 368. *A. referat ad annum* 1320. *Iudæi omnes per Franciam iterum vna die capiuntur.* Pag. 378.	15 C	12	5
1323.	7 … 8	9 … 10	2	10 … 11	*Fredericus Dux Austriæ à Ludouico Bauaro Rege Rom. prælio vincitur & capitur 29. Sept.* Pag. 378. C. *Argent. Nicolaus Lyranus Scholia in Scripturam inchoat.*	16 B	13	6
1324.	8 … 9	10 … 11	3	11 … 12	*Adolphus Ep. Leod. Curias suas Hoyum transfert &c.* Pag. 380.	17 A G	14	7
1325.	9 … 10	11 … 12	4	12 … 13	*Hocsemius ad Papam contendit, vt Capitali pars Hoyum translata pro capitulo haberetur. Vide cap.* 12.	18 F	15	8
1326.	10 … 11	12 … 13	5	13 … 14	*Abbas S. Nicasij Remensis Leodienses ciues cum Clero conciliare nititur. Discordia inter Regem & Reginã Angliæ.* Pag. 384. 385.	19 E	16	9
1327.	11 … 12	13 … 14	6 †	14 … 15	*Ludouicus Rex Rom. in Italiam à Gibellinis euocatus, Mediolani die Epiphaniæ coronatur.* Pag. 385 C. D. *Sed Argentinensis ait id factum die Pentecostes anno regni eius* 13. *Ottomanus* 1. *Turcarum Rex moritur. Leuncl. Item Carolus Rex Franciæ circa Natale Christi.* Pag. 391. D. *Succedit Philippus Valesius.*	20 D	17	10
1328.	12 … 13	14 … 15	1	15 … 16	*Ludouicus Bauarus Romam inis, & 17. Ianuarij die Dominico à populo Imperator coronatur, 14. anno regni sui in Papæ absentis contemptum. Imo quendam fratrem minorem Antipapam fecit dictum Nicolaum; à quo etiam creati Cardinales. Argent.* Pag. 385. 386. *Leodienses ab Episcopo suo duobus prælijs vincuntur.* Pag. 395. 399.	21 C B	18	11
1329.	13 … 14	15 … 16	2	16 … 17		22 A	19	12
1330.	14 … 15	16 … 17	3	17 … 18	*Pax inter Adolphum Episcopum Leod. & Ciues. Canonici Hoyo Leodiũ reuertuntur.* Pag. 405. *& Ioannes Presb.* *Nicolaus Antipapa Ioanni Papæ se submittit. Ibidem & Ludouicus Imp. ex Italia in Bauariam redit. Ioannes Presb.*	23 G	1	13

Anni Chris.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frãc.	Epi Leod.	RES GESTÆ.	Cyclus Solis.	Cyclus Lũæ.	Indictiones.
1331.	15 16	17 18	4	18 19	*Petrus Andricas seditiosus cum suis Leodio proscribitur, Prid. Idus Maij feria 3. ante Pentecosten.* *Robertus Atrebatensis Namarcum è Francia & in Brabantiam fugit. Pag. 407. 408. Ioannes Presb.*	24 F	2	14
1332.	16 17	18 19	5	19 20	*Hannutum in Brabantia ab aduersarijs Ducis Episcopo Leodiensi iunctis combustum. Adolphus Episcopus Leodium post septennium intrat 6. Cal. Maij Dominica in Albis. Dux Brabantiæ Episcopatum institui in suis terris petit à Papâ frustra. a Pag. 409. 410. Ioannes Presb.*	25 ED	3	15
1333.	17 18	19 20	6	20 21	*Mechlinia ab Episcopo & Capitulo Leodiensi in feudum Comiti Flandriæ vendita. 14. Iulij.*	26 G	4	1
1334.	18 19 †	20 21	7	21 22	*Anni initium à Natali Christi deinceps incboant Leodienses. Pag. 415. Bellum inter Ducem Brabantiæ & Adolphum Leod. Episcopum cum confœderatis. Traiectum obsessum. Pax auctoritate Papæ & Regis Franciæ inita. Ioannes 22. Papa moritur 4. Dec. die Dominico Hocs. cap. 18.*	27 B	5	2
1335.	1	21 22	8	22 23	*Benedictus 12. consecratur Papa 15 Ianuarij die Dominico. Pax inter nobiles Leodienses Auuanses & VVaronxianos, 16. Maij. feria 3. Pag. 418. B. 427. D.*	28 A	6	3
1336.	2	22 23	9	23 24	*Ludouicus Comes Lossensis moritur 21. Iãuarij sine liberis. Cumque Adolphus Episcopus Leodiensis moneretur à Capitulo vt Comitatum eius de iure occuparet; dissimulauit. Vnde & à Papa reprehensus est. Pag. 429. 432.*	1 GF	7	4
1337.	3	23 24	10	24 25	*Eclipsis Lunæ 15. Febr. Item Solis 3. Martij Pag. 434. C. Adolphus Episcopus Leod. possessionem Comitatus Lossensis ficte init Vnde & à Papa litteras obiurgatorias accipit. Bellum gerit cũ Duce Brabantiæ. Pag. 434. 438.*	2 E	8	5
1338.	4	24 25	11	25 26	*Literæ Ludouici Bauari 1. Febr. anno regni eius 24 imperij 11. Adolphus Ep. Leod. exercitum contra Ducem Brabantiæ educit 3. Apr feria 6. ante Palmas. Magna disputatio Regis Bohemiæ cum Capitulo. Rex Angliæ in Brabantiam appellit mense Septembri, & fit Vicarius Imperij à Pag. 439. ad 449. Ludouicus Imp. denuntiatur excommunicatus. Pag. 449. 450.*	3 D	9	6
1339.	5	25 26	12	26 27	*Adolphus Episcopus Leodiensis stat à Rege Franciæ contra Anglum. Cameracum obsidetur frustra. Rex Angliæ cœpit se Regem etiam Frãciæ dicere a Pag. 450. ad 454.*	4 C	10	7
1340.	6	26 27	13	27 28	*Iterum Cameracum ab Anglis obsessum frustra. Rex Angliæ nauali prælio Francos vincit. A Pag. 455. ad 461.*	5 BA	11	8

RES GESTÆ.

Anni Christ.	Pont. Rom.	Imp. Rom.	Reges Frãc.	Epi Leod.	RES GESTÆ.	Cyclus Solis.	Cyclus Lũæ.	Indictiones.
1341.	7	27 28	14	28 29	*Induciæ inter Reges Franciæ & Angliæ à 24. Iunij ad 29. Aug. Altercatio inter Episcopum & Capitulum Leodiense. Pag. 462. 463.*	6 G	12	9
1342.	8 † 1	28 29	15	29 30	*Benedictus Papa 12. moritur 25. Apr. Sufficitur 7. Maij Clemens 6. antea Episcopus Atrebatensis, tum Rotomagensis, alumnus Ecclesiæ Leodiensis; & consecratur 19. Maij die Pentecostes. Onuph. Male ergo Hocsemius Pag. 463. D. habet 12. Maij, & corrigit se Pag. seq. in Vigilia Sacramenti.*	7 F	13	10
1343.	1 2	29 30	16	30 31	*Induciæ triennales inter Reges Angliæ & Franciæ. Processus contra Heinsbergium pro Comitatu Lossensi renouatur. Creatio 22. virûm. Discordia inter Episcopum Leod. & Hoyenses Ducemque Brabantiæ à Pag. 465. ad 474.*	8 E	14	11
1344.	2 3	30 31	17	31 32 †	*Baldus Iurisconsultus floret Bononiæ.* *Adolphus Episcopus Leodiensis moritur 3. Nouemb. Pag. 475.*	9 D C	15	12
1345.	3 4	31 32	18	1	*Engelbertus à Marcka per Papam in Episcopum Leodiensem eligitur 23. Febr. Leodium venit 12. Aprilis.* *Comes Hannoniæ à Frisijs interficitur 26. Sept. feria 2. Pag. 478 479.*	10 B	16	13
1346.	4 5	32 * 1	19	2	*Engelbertus Ep. Leod. 19. Iulij feria 4. Leodienses sibi rebelles inuadit infæliciter. Item Rex Franciæ Anglos 26. Aug. Vnde Eduardus Rex Angliæ Caletum obsidet.* *Carolus 4. filius Regis Bohemiæ creatur Rex Romanorum mense Iulio, viuente adhuc Ludouico sed excommunicato. a Pag. 480. ad 491.*	11 A	17	14
1347.	5 6	1 2	20	3	*Archiepiscopus Rauennas à Papa missus Leodium venit pro pace. frustra. postea tamen conuenit. Nicolaus quidam tyrannidem Romæ inuadit. Caletũ Regi Angliæ deditur. Ludouicus Bauarus veneno moritur. a Pag. 491. ad 509.* *Guilelmus Occam moritur 10. Apr. Auent.*	12 G	18	15
1348.	6 7	2 3	21	4	*Ludouicus Rex Neapolis ex Italia fugit cum vxore mense Ianuario ob aduentum Regis Hungariæ Trudonenses Episcopum Leodiensem pace facta recipiunt. Rex Vngariæ ex Italia recedit metu pestis à Pag. 509. ad 514.*	13 F E	19	1

Desinit Hocsemius.

ADDENDA AD DISPVTATIONEM HISTORICAM TOMI PRIMI.

IN prisca nostrate historia, nihil Francorum initijs obscurius, nihil instauratione Cathedræ Tungrensis intricatius. Nos quidem in Disputatione nostra historica, cap. 5. & 6. quidquid in tanta vetustatis caligine, auctorumq; paucitate tam eruere potuimus, edisseruimus; si quis meliora proferret, lubentes audituri. Nunc etiã, quod tempus & assidua lectio commentatioq; veluti per nebulam indicauit, addere consilium est. Tu Lector, boni consule. In Disputatione ergo historicâ. §. 78. pag. 40. lin. 7. post illa verba ; Fixere Domicilium. *Adde.* Quod quia maxime ad institutum pertinet, accuratius expendendum est. Imprimis, quomodo Franci VVandalos in Gallia tanta strage afficere potuerunt, nisi prius à Gallis ipsis admissi, & forte etiam in auxilium contra communem hostem aduocati? Nam hactenus vltra Rhenum incoluisse, satis supra vidimus. Rursum vnde Francis tantę ac tam subitæ vires, paulo ante ab hac ipsa VVandalorum aliorumue Barbarorum eluuie protritis, in prima Galliarum inuasione, vt ex Orosio constat? An vero Germani nostri inferiores seu Secũdi in tanto hoc Galliarum incendio otiosi residere potuerunt, nec in barbaros hosce sibi non minus *ad Rhenum* quam cæteris interioribus Gallis infestos arma conuerterunt? Imo iam ex Zosimo didicimus, *sumptis armis, & quouis adito pro salute sua discrimine, ciuitates suas à Barbaris imminentibus liberasse, eiectis Magistratibus Romanis, & sua quadã Rep. pro arbitratu constituta.* Scilicet omnino statuendum est, Germanos secundos in tanta rerum perturbatiõe cum Romana auxilia neque à Constantino Galliarum tyranno iam elumbi, neque ab Honorio ipso suppeterent, mentem oculosque in finitimos Francos intendisse; ac depositis antiquis inimicitijs in mutuam salutem conspirasse, armaque coniuncta in valentiorem infestioremque hostem conuertisse; eoque demum expulso propriam quandam Remp. iugo Romanorum excusso statuisse.

REGNI FRANCORVM IN BELGIO PRIMORDIA.

Oros. l. 7. cap. 38.

Zos. lib. 6.

Quod vt firmius etiam solidiusque stabiliatur, luculentum Procopij de primo hoc Francorum in Gallias introitu testimonium hic attexam, quod cum illo Zosimi comparatum in tantis harum historiarum tenebris facem allucebit non modicam. Sic igitur ille de bello Gothorum libro 1. *Franci Germani quondam vocitabantur. Quemadmodum autem Gallias inuaserint, explicabo.* Et paulo post: *In Gallijs pleraq; flumina sunt: sed Rhodanus imprimis & Rhenus hinc defluunt; diuersa tamen & contraria ab inuicem via labuntur. Rhodanus*

Procopij sentẽtia de prim[o] Francorum i[n] Gallias ingre[s]su lib. 1. de bel[lo] Goth.

danus siquidem in mare Tyrrhenum exit; Rhenus in Oceanum immittitur. Paludes praeterea hisce in locis non paucae; vbi primitus Germani gens Barbara habitabant, nec magni tunc primum momenti viri, qui nunc FRANCI *vocitantur. His finitimi* ARBORICHI *accolae erant; qui cum* CETERA GALLIA *atq; item Hispania iampridem Romanis parebant. Post hos* (Germanos scz, qui paludes Rheni incolebant, & postea Franci dicti sunt) *in orientem Solem Thoringi Barbari sunt, qui Caesaris Augusti permissu sedes has tenuere; & ab his Burgundiones haud procul ad Notum ventum vergentes inhabitant. Sueui deinceps & Alemanni gentes validae, liberi omnes iamdiu ea incolunt loca. Temporis vero processu VVisigothi vi in Romanum imperium facta, Hispanias omnes & Gallias vltra Rhodanum flumen suae ditioni subactas vectigalesq; redditas tenuere.* Haec primo Procopius de Arborichorum situ; pergit de eorundem moribus & noua rep. *Erant autem* (ait) ARBORICHI *Romanorum tunc milites; quos sibi Germani* (Franci) *cum obedientes facere & subditos vellent, vt qui finitimi essent, & pristinos vitae mores penitus immutassent, eorum agros assiduo populari, & hos copijs vniuersis inuadere. Arborichi vero cum & virtutem prae se, & erga Romanos beneuolentiam ferrent, viros fortes eo in bello se praestiterunt. Cumq; his vim inferre Germani* (Franci) *non possent, societatem vt secum saltem inirent, & mutua inter se facerent connubia, precabantur. Quas non inuiti conditiones Arborichi mox accepere. Erant namque vtriq; Christianae fidei sectatores. Sic itaq; vnum hi coeundo in populum, ad maximam potentiam euasere. Romanorum interea milites alij, qui in Galliae extremis erant, custodiae gratia constituti, cum neq; Romam redire iam possent, nec ad hostes vt Arrianos concedere vellent, sese cum signis & locum insuper quem pro Romanis seruabant, Arborichis Germanisq; dedidere; ac patrios mores continenter seruatos, suos transmisere ad posteros, adeo vt vel ad hanc meā aetatem pristinos seruare ritus non dedignentur. Descripto namque ex numero ad id ferme tempus hi demonstrantur, quo taxati antiquitus militabant; quandoquidem & suis productis nunc signis in aciem prodeunt, ac patrijs vtuntur perpetuo legibus, Romanumque habitum vt in caeteris alijs, ita & soccis nunc seruant.* Hactenus ex Procopio.

Franci & Arborichi in vnam remp. coalescunt.

Ex quibus haec certo colligere posse mihi videor. Primum Procopium de primo Frācorum in Gallias eoque firmo ingressu sermonem instituere, vt expresse ipse indicat. Deinde Francos antiquitus extra Rhenum sedes habuisse, in ijs paludibus, quae modo VVestphaliae, Transisalanae, & vicinarum prouinciarum nomine censentur; quod etiam in superioribus ostendi. Tertio Arborichos, Galliae populos fuisse, *qui cum* CETERA GALLIA *iampridem Romanis parerent*. Quarto eosdem è Gallis primos Frācorum imperium, aut societatem verius, admisisse. Quintò dēnique ad occidentem confines fuisse Francis adhuc trans Rhenum incolentibus; ideoque assiduis eorum incursionibus infestatos, ad Galliae possessionem totis viribus anhelantium. Quae omnia facilè opinionem Diuaei nostri dissoluunt, quâ pro ARBORICHIS, ABODRITOS legendum sciscit. Nam Abodritos certe, non in Gallia, sed in Germania sitos Saxonibus cōfines nimis constat, & ipse fatetur; neque Abodritorū vlla ante Caroli Magni

Quaenam certa ex hoc Procopij loco colligantur.

Diuaei opinio de Arborichis. Lib. de antiq. Belg. cap. 19.

aeuum

æuum apud priſcos ſcriptores eſt mentio: neque item, vt maxime hoc tempore fuiſſent, Romanis tam procul extra Rhenum poſiti parere potuerunt, nedum in eorum iam mores tranſiſſe, aut præſidio Romanorũ premi: neque denique à Francis Galliarum poſſeſsionem ineuntibus primi aut armis ſubigi aut connubiorum ſocietate conciliari; vt de Arborichis cenſet Procopius. Acutiſsimus Goropius Becanus Arborichorum nomine Tungros, Eburones Taxandros, & præcipue Brabantos ſuos intelligi contendit; hoc eſt Germaniæ ſecundæ ſeu Inferioris (vti tum Romani vocabant) incolas. Quæ quidem ſententia iam olim animo inſederat, antequam in Goropij Francica incidiſſemus. Neque enim Gallorum alij Francis ab Occidente propinquiores facile apparebant, & conſtabat illos continuis Francorum incurſionibus per ducentos pene annos impetitos; ad hæc à Germanis quidem oriundos, ſed per hæc tempora in Romanorum mores ac ritus, vti & iampridem in imperiũ, tranſlatos; denique Gallorum omnium primos in Francorum ditionem ſocietatemue traductos. Neque tamen Goropij etymon ex vernaculæ illius linguæ aucupio argute magis quam ſolide captatum magnopere moror. & ſi vocabuli vis attendẽda, placeret magis *Armorichos* cum Zoſimo, quam *Arborichos* legere. Armorichum enim tractum ceteraſque Britannis vicinas Gallorum prouincias iugum Romanum ſub Vandalorum irruptionem excuſsiſſe, ex eodem Zoſimo vidimus. Scio Armoricas ciuitates apud Cæſarem pro ea maxime Galliarum parte ſumi, quæ modo Britannia minor appellatur, & ea potiſsimum notione vocabulum iſtud prioribus purioribuſque ſæculis vſurpatum; poſterioribus tamen latius extenſum exiſtimo, ex præcedẽti Zoſimi & hoc ipſo Procopij loco. Nec ipſum verbi etymon id refugit, vel Cæſare Hirtioque teſtibus, qui Commentarijs ſuis, oras Oceano coniunctas Armoricas ex Gallorum conſuetudine dici, ſcribunt. Ioannes quoque Lelandus apud Ortelium, Armoricum idem antiquo Britannorum idiomate quod *ſupra* vel *ad mare* ſonare docet, vt vcz, *Ar*, *ad* vel *ſupra* ſignificet, *mor* mare. Quod etiamnum hodiernum Germanorum Flandrorumque *Moer* indicat, quo nihil aliud quam ingentes marium inſtar paludes denotari conſueuit. Vnde & argute Diuæus, Heuterus, alijque, Morinos ſeu ab illis paludibus, ſeu quaſi maritimos appellatos notant. Quin & huic opinioni non parũ ſuffragatur Conſtantius in vita S. Germani, dum Eocharich Regem Alemannorum in rebelles Armoricos ab Aetio & Romanis circa annum Chriſti 437 immiſſum ſcribit; nam facilius credã Alemannũ, hoſtem populi Romani ferociſsimum, in Galliarum limitanea potius, quam in ipſa imperij viſcera inductum. Fauet & in itinerario ſuo Rutilius, ita canẽs.

Cuius Aremoricas pater Exuperantius oras
Nunc poſtliminium pacis amore docet.
Leges reſtituit, libertatemq́; reducit
Et ſeruos famulis non ſinit eſſe ſuis.

Gorop. Li[b.] 3. Franc.

Arboricho[s] eoſdem eſſe [c]um Germanis Secundis ſeu In[ferioribus].

Arboric[hi] *Procopij* ſor[taſſe] *ſunt* Armor[i]chi *Zoſimi.*

Armoric[i] *ſeu* Armorichi *idẽ quo[d]* Oceano co[n]iuncti *ſeu* M[a]ritimi.

In veteri Belgio.

Apud Sur[ium] 31. Iul. lib. c. 5.

Rutilius N[u]matianus in [I]tin.

Erat Exuperantius ille Palladij iuuenis (de quo hic Rutilius) pater; Præfectus prætorio Galliarum, circa annum Christi 424. à militibus in ijsdem Gallijs interfectus, vt ex Prosperi Pithoeani Chronico discimus. Ait ergo Poeta anno eo quo hæc scribebat, Christi 417. Aremoricas oras Exuperantij opera ad pacem ex parte reduci cœptas, nec permissas seruire famulis suis, hoc est, quantum capio Francis, quorum plerisque hactenus Imperatores ipsi, alijque Romani vt famulis ac stipendiarijs vsi fuerant. Denique non nullum adfert huic coniecturæ momentum ipse etiam Sidonius, dum Littorium militiæ Gallicanæ Magistrum circa annum Christi 439. Aremoricis subactis inclytum, & ab ijsdem reducem, dum in Aquitaniam cum suis aduersus VVisigothos tendit, per Aruerniam transijsse canit. Nam si in Aremoricis illis in Britanniâ minore sitis cum exercitu degebat, cur in Aquitaniam Gothorum sedem per vicinos Nannetas Andegauosque ac Biturigas victorem exercitum non immittebat, sed ingenti eoque militibus graui circuitu per Aruerniam in Aquitaniam secundam mouebat? Quod si Aremoricos hic pro Belgis Germanisque secundis capimus, facile est intelligere è Belgio Tolosam ductanti Aruernos in itinere traijciẽdos. Et sane circa annos Christi 434 437. Galliam vlteriorem (seu Septentrionalem) cum Bagaudis Duce Tibatone à Romanis defecisse testantur huius temporis Scriptores fidißimi Saluianus & Prosper à Pithoeo editus. His igitur coniecturis inductus existimo Belgas nostros Germanosque secundos ad Oceanum Britannicum adiacentes Armorichos etiã appellatos, & eo intellectu subinde huius ætatis authoribus vsurpatos, ac Zosimo Procopioque hisce locis vsurpari. Quod vt maxime dubium adeoque etiam falsum esset, tamen hunc Procopij locum de Germanis secundis semper accipiendum, allata superius argumenta peruincerent, siue *Arborichos* siue *Armorichos* legere lubeat: nec nominis obscuritas tam claræ historiæ potest officere. Ab anno igitur Christi 410. Eburones Tungrosque nostros ac finitimos populos iugo Romanorum ex Zosimi Procopijque sententia eximamus, quod iam per annos 466. tolerauerant, ac veluti liberos suique iuris deinceps consideremus. Nam licet quo tempore libertatem recuperarunt, eodem in Francorum celebrius potentiusque nomen transire cœpisse videantur, id societate tamen & connubijs, non, vt vulgaris canit opinio, armis effectum ex Procopio intelligimus.

Sidon. in Panegyr. Auiti.

Nec placet hic legere, Arecomicos, *quia Arecomici pacatè sub Gothis in ipsa Aquitania degebant, à quibus Litorius victus & captus est.*

Huic quoque sententiæ suffragatur Turonensis, cum de Francorum in Gallias immigratione ita scribit: *Tradunt multi Francos de Pãnonia fuisse digressos. Et primum quidem litora Rheni amnis incoluisse: dehinc* TRANSACTO RHENO THORINGIAM TRANSMEASSE; IBIQVE *iuxta Pagos vel Ciuitates Reges crinitos super se creauisse de prima, & vt ita dicã nobiliori suorũ familia.* Ait ecce Francos cùm primo Rhenum ad Gallias inhabitandas traijcerent, *Thoringiam transmeasse*: hoc est, Regiones suas transrhenanas (quas hactenus incoluerant, postmodum THORINGIÆ nomine celebratas) dese-

Gregorij Turonensis senten ia lib. 2. hist. Franc. c. 9.

ruisse,

ruiſſe, ac trans illas, ac Rhenum, in Gallias immigraſſe; *ibique* (in Gallia nimirum, non in Thoringia, quam iam tranſmeabant, ſeu vltra quam tranſibant) Reges ſibi nouos creauiſſe. Ergo non vi ſiue armis in primam Galliarum prouinciam (quæ Germania vtique ſecunda fuit, vt pote maxime finitima) irrupere Franci; ſed pace ac ſocietate cum incolis initâ, rerum ſuarum domicilium tranſtulerunt. Quomodo enim varijs in pagis ac ciuitatibus Reges ſibi nouos tam facile creauiſſent, niſi prius in vnâ cum ijs Remp. coaluiſſent? Cur item Reges illos *Crinitos* eſſe & vocari voluiſſent, niſi vt in Belgarum noſtrorum, quos Galliæ *Comatæ* accenſos fuiſſe ex Plinio alijſque conſtat, mores tranſire viderentur, eoque firmiorem ſibi eorum amicitiam ſocietatemque ſtabilirent? Quam porro conſilium hoc vtrique genti vtile, adeoque etiam neceſſarium fuerit, facile peruidebit, qui & Francos ab VVandalis alijſue Barbaris in Gallias irrumpentibus paulo ante afflictos, aut etiam, vt loquitur Oroſius, protritos meminerit; & Germanos Secundos, Belgaſque ad Oceanum Britannicum adiacentes, non eos fuiſſe conſiderauerit, qui tantam Barbarorum inundationem ſuis ipſi viribus comprimere poſſent. Atque hæc ſunt regni Francorum in Gallijs exordia, in Belgio hoc noſtro, quâ maximè Rhenum attingit, conſtituta; prorſus vt Belgis Francorum nomē magis debitum videas, quam ijs ipſis, qui modo Franci dicuntur. Et ſane tres primos Francorum Reges, *Faramundum*, *Chlogionem*, *Merouæum*, adeoque etiam primis ante exilium annis *Childericum*, in hâc Germaniâ Inferiore viciniſque regionibus regnaſſe, ſequentia fidem faciunt.

Plin. l. 4. c. 17.

Cur Belgæ cum Francis coaluerint.

Tres primi Reges Franci in Belgio regnarunt.

Quod vero ad Francorum Religionem attinet (quoniam & ea maxime ad inſtitutum facit) nequaquam audiendus eſt Procopius, dum Francos etiam ipſos, vt & Arborichos, Chriſtianæ ſidei ſectatores appellat. Nam illos certe ante Remigij ætatem paganos fuiſſe, Saluianus & Gregorius Turonenſis, fidi inprimis Scriptores, & omnis inſuper antiquitas prodidere: etſi Chriſtiano cultui infeſtos non fuiſſe, euincat inita cum Chriſtianis Belgis ſocietas; & Remigij ac Genoueſæ geſta perhibeant. Fuere tamen Tungri per hæc tempora, vt & magna Galliarum pars, Arriana hæreſi infecti; vt vita S. Euergiſli teſtatur. imo in priſtinam idololatriam reuoluti ſunt, eadem vita teſte. Quæ cauſa etiam fuerit, cur eo ſe Euergiſlus ipſe Colonienſis Archiepiſcopus per hæc tempora contulerit, tum Paſtoris Superioris ſolicitudine, tum patriæ amore. Vbi cū plebem reducere conaretur, à quibuſdam ſeu latronibus lucrum aliquod ex eius cæde ſperantibus, ſeu idololatris hæreticiſue Religionem eius minime ferentibus interemptus eſt. Qua etiam in hiſtoria, cum Epiſcopi cuiuſdam Tungrenſis mentio fiat, etſi perexigua, plane innuitur Epiſcopos per hæc tempora Tungris redditos fuiſſe, vt ſequenti capite fuſius. Nunc ad regni Francici in Gallia progreſſum redeamus.

Francos primò fuiſſe paganos.

Salu. l. 4. Greg. l. 2. hiſt. c. 10.

Apud Sur. & Mol. 24. Octob.

Francis igitur circa annum Chriſti 410. in Germania inferiore ſocietatis iure ſtabilitis; ſucceſſere continua Romanorum bella, &c. vt ſ. 79.

Pag.

Pag. 4. lin. 3. transmeasse: *Adde*, An loquitur ergo, &c. *& mox lin. 6.* traijciendus est: *ita subde:* Thoringiam igitur hanc forte nonnemo posset accipere. quam sub Romanis &c. *Rursum lin. 23. post* Cisrhenanam, *subde*: facilius aliquis intelligat, quam Germanicam *&c. Item linea 29.* deduci sciam, *subiunge*: conijcere tamē aliquis posset antiquius esse, & à Thoringia forte deriuari, quasi la Thoringia *&c.*

Pagina autem 42. lin. 8. post irruerunt: *subde consequenter*: His ergo permotus aliquis, vt dixi, non inepte forte statueret, Chlogionem in Rhenanam Thoringiam (postea Lotharingiam) transmeasse. Verum cum id plane nouum sit in historia; superius insinuaui Turonensis mentem, etsi subobscuram, nullam aliam hic esse, quam Francos primo ripam Rheni dextram seu Oriētalem incoluisse, quæ Thoringia eius æuo erat. Deinde traiecto Rheno, *Thoringiam transmeasse*, hoc est, non in Thoringiam Cisrhenanam transiuisse, sed Thoringia, quam primum incoluerant, simul ac Rheno transmeatis, in Gallias gradum fecisse. Ea enim terra quæ à dextro Rheni latere circa Nouesium, in Saxoniam vsque protenditur, Thoringia trāsmigrātibus Frācis dicta est: quæ cum Rheno cōfinis esset, nihil mirum si ad illam vsque Aetius Attilam insecutus sit, donec ille imperij limitem Rhenum excessisset. Cumque Remigius testamentum suum longe post Thoringos à Chlodouæo Rege subactos ediderit, imo etiam postquam Theodoricus Chlodouæi filius, Metensis siue Austrasiæ Rex è Thoringiæ Regibus vnum Badericum occidisset; facile potuit bona in Thoringia obtinere; quæ etiam Austria seu Orientalis ab eo vocari potuerit, quod Francis ad Orientem contermina esset, aut quod ad Austrasiæ regnum attineret, adhuc tum quidem, vti videtur, tributaria; sed paulo post extincto vltimo Rege Hermenfrido, plane sub iugum missa: In qua etiam, Eisleben, Lutheri patriam, S. Remigij fundum esse, scribit ad me Brouuerus noster. Aegidij denique Harigerique testimonia, tanti nobis esse non debent, vt antiquitatem omnem conuellāt. Francos autem adhuc trans Rhenum incolentes à Thoringis in Galliá cōpulsos existimo, quo tēpore VVandali alijq; Barbari Gallias inuadebāt; & regiones illas transrhenanas à Francis hactenus cultas & nominatas, à nouis deinceps incolis Thoringiæ nomine celebratas, & allatus Gregorij locus indicat, & sequens probat historia. Chlogio igitur *Dispargum* castrum habitauerit in Gallia quidem cis Rhenum sitū, seu illud *Asciburgium* fuerit, seu aliud; *in termino* tamen *Thoringorum*, id est non longe à Rheno Thoringorum & Belgarum termino constitutum.

Terra trans Rhenum proxime sita primò Francia; postea Francis in Galliam migrātibus Thoringia à nouis inuasoribus dicta est ab anno Christi circiter 410.

Ita suadet locus Gregorij Tur. l. 3. hist. Franc. c. 7. & Orosius l. 7. c. 40. dum ait Francos protritos ab l'Vandalis seu eorum socijs in Gallias irrumpentibus.

Hic porro, cum vltra Germaniam secundam progredi statuisset, inuitantibus maxime eum bellis in Italia ac Romano imperio ciuilibus; ad Regnum in vlteriorem Galliam producendum animos conuertit, &c. vt §. 81. & seq.

Pag. 43. lin. 31. post verba abunde testantur *dele sequentia hac*: & vero conuincit Pastoris ab hac vrbe supra centum annos absentia.

Pag.

Pag. 44. dele totum §. 85. qui alio loco supra repositus est.

AD CAP. 6.

Caput sextum Disputationis, ab initio ita lege:

GAlliæ Belgicæ, qua maxime Septentriones aspicit, Episcopatus tot Barbarorũ eluuionibus defecisse, & nascente Francorũ idololatrarũ imperio neglectos esse passim existimãt. Et eorũ instauratione ad tẽpora studiumque S. Remigij diserte referunt pene omnes nostrates Ecclesiæ. Idem de Tungrensi hac nostra speciatim confirmat Harigerus; etsi annum particulatim non exprimat, ad Remigij ætatem indefinite referens. Synodum Aurelianensem primam assignat Aegidius; sed, vt solet, ariolando. Mihi quidem tempus nullum commodius allucet, quam quod proxime Chlodouæi Regis baptisma secutũ est; pace scilicet Gallicanis Ecclesijs sub nouo hoc Cõstantino restitutâ. Contigit id, si Hincmaro fides, anno regni Chlodouæi 15. circa Pasca; qui ex inita à nobis Chronologia, in Christi 496. incidit. *Belgici Episcopatus plerique à S. Remigio restituti circa annum Christi 498.*

Atque vt à Tornacensi Cathedra primum incipiam, eam his temporibus instauratam, ne dubitare quidem possumus. Nam constat *S. Medardum*, Tornacensium proximè post S. Eleutherium Pontificem, paulo ante mortem Regis Lotharij senioris vita functum 8. Iunij. Ergo, ex instituta à nobis temporũ ratione, anno Christi 561. Præfuit autem à morte S. Eleutherij annos totos 15. Cœperit ergo anno 546. quo & Eleutherius decesserit. Iam S. Eleutherium 46. annos sedisse omnibus in confesso est, ac per consequens anno Christi 500. plus minus Episcopatum iniuisse. Adde tres alios, qui Theodoro Eleutherij decessori assignantur, plane in annum Christi 498. relaberis, biennio post Chlodouæi baptismum; quo spatio S. Remigius facile omnia ad Sedis huius ac vicinarum instaurationem necessaria parasse potuerit. Cur vero diutius distulisset? *Tornatensis.* *Apud Suriũ & Mol. 8. Iunij.*

Hunc eundem calculum non male Atrebatibus aptaueris. Si Chronico Cameracensi, à sexcentis pene annis scripto, fides est, *S. Vedastum* ijs à S. Remigio datum Episcopum, Chlodouæo adhuc viuo ac fauente fatendum est, hoc est, ante annum exeuntem 511. quo Regem eum fato cessisse alibi demonstro. Imo Remigius ipse in testamento suo, *Ecclesiæ Atrebatensi Vedastum Episcopum se consecrasse, & ex dono Chlodouæi villas duas in alimonijs Clericorum deputasse* scribit, *Orcos & Sabucetum*: plane innuens id viuo adhuc eo Principe factum. Quæ etiam fortasse causa est, cur *Vedastus* in eiusdem testamenti fine, Episcoporum omnium primus, vt antiquissimus, subscripsisse reperiatur, etiam ante *Lupum* Suessionẽsem, qui Synodo Aurelianensi primæ, viuo etiam Chlodouæo habitę, subscriptus inuenitur. Neque alia vero similior ratio afferri potest, cur S. Remigius Atrebatibus adhuc afflictis, non Cameracensibus etsi florentibus, destinarit Antistitem, quam quod in ea Episcoporum restitutione Cameracũ adhuc Ragnacharij idololatræ tyrãnide premeretur, non item Atrebatũ. Ragnachariũ autẽ à Chlodouæo interfectũ, ex Gregorio Turonẽsi & *Atrebatensis.* *Apud Flod. lib. 1. c. 18.* *Turon. l. 2. c. 42. Aim. l. 1. 23.*

S. Vedasti exordia.

Aimoino scimus. Reuocemus igitur *S. Vedasti* exordium, non vt vulgaris habet opinio, ab anno 531. sed ab hoc de quo agimus 498. quo Theodorum Neruijs obtigisse certò iam vidimus. Sedit 40. annos. ergo mors eius in annum 538. incurrerit. Duobus eius successoribus *Dominico* & *Vedulpho* annos paulo plures quam vni Vedasto concedamus, puta 48. Nam *Vedulphum* certe diutius sedisse satis euincit instituta ab ipso Sedis huius ad Cameracenos translatio. Ita *S. Gaugerici* initium in annum Christi circiter 586. incurrere videbimus, vt sic conformiter ad Sigeberti Chronicon circa annum Christi 594. florere posset. Nam ante id tempus Gaugerici initia minime promouenda tria concludunt, ex ipsius vita desumpta. Primum, Magnericus Treuirensis Episcopus ei adhuc puero tonsuram & postmodum etiam Diaconatum contulisse dicitur; atqui Præsulem eum Treuiris ante annum Christi 563. non præfuisse, ex Nicetij decessoris eius vitâ certum est. Alterum & præcipuum est, Gaugericum à Childeberto Rege (vtique Sigeberti Austrasij filio) Cameracensem Episcopũ nominatum. quod ante annum Christi 585. quo Childebertus Suessionẽsis regni possessionem iniuit (vt refert Turonensis) fieri non potuisse constat. Nam Cameracum ad regnum illud attinuisse vel sola topographia docet. Tertium, quo tempore Gaugericus Cameracensis Episcopatus possessionem iniuit, *VValdo* quidam eius loci Comes fuisse dicitur. Atqui hic ille esse videtur, quem Gregorius Turonensis l. 7. *VVaddonem* vocat, vultque ad Brunichildem Childeberti Regis matrem transfugisse anno eiusdem Regis 10. qui est Christi 585. Apte ergo Gaugerici initium anno sequenti 586. sub *VValdone* seu *VVaddone* statuitur. Nec tardius differri potest: Cõstat enim ex eius vita eũ ab Igidio Remensi Archiepiscopo consecratũ: Igidium autem Gregorius Turonensis depositum scribit Nouembri anni Childeberti Regis 15. qui est Christi 590. Ita intelligimus Atrebatensium Episcoporum & Tornacensium exordia non male coniungi, & ab anno 496. apte deduci. Idem fortassis erueremus in Episcopis Morinorum, si plures nobis illorum reliquiæ suppeterent. Nec tamen quæ supersunt illius ac Remensis Ecclesiæ monumẽta alium à D. Remigio Sedis huius instauratorem agnoscunt.

S. Gaugerici primordia. Ex Vita apud Sur. 11. Aug.

Greg. Turon. l. 9. c. 33. & alibi.

Turon. l. 7. c. 43. & supra sæpius.

Lib. 10. c. 15.

Quidni igitur & *Agrippinensem Tungrensemq́;* Sedes, Belgicæ Septentrionalis reliquas, ijsdem causis temporibusque concidisse, & rursum eiusdem D. Remigij ope reuixisse statuamus? De *Tungrensi* certe (vt dixi) idem asserit Harigerus. De *Agrippinensi* magna admodũ & valida suspicio est. In antiquioribus probatioribusque eius Ecclesiæ Catalogis M. S. ac vno præsertim Cæsarij Heisterbacensis ante annos pene 400. scripto, ab *S. Euergislo* ad *S. Chunibertum* non nisi tres intermedij censentur Episcopi, *Solanus* quartus, *Simeneus* quintus, & 6. *Remedius*. Nam *Aquilinum* antea quartum à S. Materno sedisse dixerat, itaque cum Solano itidem quarto vnum facere censendus est. Desijsse videtur *Euergislus* circa annum Christi 430. vel 440. Sanctus autem Chunibertus, qui 40. annos præfuisse

An Colonienses Episcopi interrupti.

Vita Chun.

pasßim

pasſim dicitur, cœpiſſe circa annum 614. Interuallum annorum 174. Quis credat tantum temporis tribus tantum Pontificibus occupatum? Commodius omnino diceremus Antiſtitum eorum ſeriem interciſam, quæ deinde S. Remigij auctoritate reſtituta ſit. Si quæris, quid iuris Rhemorum ſeu Belgicæ Secundæ Archiepiſcopis in Germaniæ Inferioris Eccleſias, quibus Metropolitani iure Colonienſem Epiſcopum præfuiſſe ſupra vidimus: Reſponderi poterit, D. Remigium baptizato Chlodouæo Francorum Rege, in gentis eius Apoſtolum ac veluti quendam Patriarcham euaſiſſe: Cumque ardentiſsimo Chriſtianæ Religionis Zelo teneretur, quâ pollebat auctoritate bene vſum, ad fidem in Aquilonari Belgica poſtliminio reſtaurandam totum incubuiſſe, prorſus vt in Germaniæ etiam Secundæ Sedes mentis aciem auctoritatemque protendere potuerit.

Verum vt quod hic ſentio, de Agrippinenſi ſede primum aperiam; mendoſiſsimos eſſe & mancos priorum Epiſcoporum huius Eccleſiæ Catalogos, præterquam quod multi huius æui aduertant, fidiſsimi inſuper Francicarum rerum ea ætate Scriptores, Fortunatus & Gregorius Turonenſis euincunt; quorum ille *Charentinum* Agrippinenſem Epiſcopum circa annum Chriſti 570. celebrat; hic *Ebregiſilum* itidem Colonienſem florentem inducit ad annum Childeberti 15. qui eſt Chriſti 590. Vnde ſi diuulſi corporis membra in priſtinam compagem reuocanda ſunt, ego quidem in tanta vetuſtatis caligine *Materno ſecundo* (cuius eſt certa mentio in concilio Arelatenſi I. anno Chriſti 314.) *Euphratem* hæreticum ſubnecterem; Euphrati *S. Seuerinum*, huic *Euergiſlum*, tum *Aquilinum*, *Solanum* (ſeu diuerſi illi ſint, ſeu vnus idemque) inde *Simeneum*, *Remedium*, *Charentinum*, *Ebregiſilum*, *Chunibertum*, &c. Nam *Remedium Charentino* præponendum indicant vetuſtiſsima Leodienſis Eccleſiæ Diptycha, quæ illum immediatè ante S. *Medardum* nominant, Nouiomenſem Epiſcopum, mortuum (vt paulo ante notaui) anno Chriſti 561. Continuone vero an interrupte hi ſibi ſucceſſerint Antiſtites non conſtat quidem; ſed ſicut *Charentinum Ebregiſilumq́;* extra Catalogos reſtituimus, ita plures adhuc latere poſſunt; & pauci iſti ſuperſtites interuallum illud non incommode forſan expleuerint. Temerarium igitur eſſet & vanum, ex incerto hoc certum illud inferre, Agrippinenſem Sedem à ſancto primum Remigio reſtitutam. Et Treuirenſis Metenſiſque Ciuitates vicinæ, nec minora à Barbaris paſſæ, ſuorum tamen Præſulum Catalogos nuſquam hiantes nobis exhibent aut interruptos.

Non videri interruptos.

Fortun. l. poem. 17. Turon. l. 10. c. 15.

Ordo priorum Epiſcoporum Colonienſium.

Vetuſtiſsima Leodienſis Eccleſiæ Diptycha.

TVNGRENSEM vero noſtram hanc Sedem, quo minus à S. Remigio inſtauratam admittamus, maior etiam difficultas inpedit. Omnis quæ de temporum ratione inſtituitur diſputatio, ad certum aliquem annum ac veluti terminum immobilem affigenda; ex quo temporum tam antecedentium quam ſequentium veritas eruatur. Vno enim deprehenſo temporis interuallo, ceterorum cognitio eſt expeditiſsima. Primus igi-

Tungrenſem ſedem non videri tamdiu vacaſſe, quod exiſtimant.

Nullius, ante Domitianũ, Tungrensis Episcopi ætas certa.

tur titulus, & certum in Tungrensium Antistitum Chronographia munimentum, occurrit DOMITIANI Huensium patroni ætas. Nam cum circa annum Christi 535. sedisse infra demonstrabo. Ab anno 498. (circa quem alios Belgarum nostratium Episcopatus restitutos opinamur) ad 535. anni 37. computantur. Tantillo spatio nouem vt minimum Tungrenses Episcopos arctare cogeremur, si eorum instaurationem ab eo capite arcesseremus. Sũt illi, *Agricolaus, Vrsicinus, Designatus, Resignatus, Sulpitius, Quirillus, Eucherius, Falco, & Eucharius.* Celebratur & quidam ante omnes illos *Candidus*, qui in illa interruptione Episcopalia munia obierit. Quis credat 9. vel 10. Episcopos vix 37. annos explesse, quorum vni soli *Agricolao* Meyerus & alij 19. annos asignent? Placet igitur Tungrensis Sedis instaurationem ad superiora tempora promouere, & quidem intra annos Christi 410. & 420. his argumentis. *Primo*, quia eo circiter tempore Francos cum Arborichis (Armorichisue) seu Germanis secundis in vnã Remp. coaluisse, supra ex Procopio statuimus. Erant autem Arborichi Christiani, ex eodem scriptore, & vitâ S. Euergisli, etsi ex parte Arriana hæresi infecti. Cur igitur Ecclesiam hanc suam in tanta pace Tungri nõ instaurassent, iam inde à primâ Hunnorum VVandalorumque eluuione Pontifice viduatam? Tantum vero abest, vt Franci, quatumuis adhuc idololatræ, id impedire voluisse videantur, vt potius Belgis noua sibi societate iunctis in talibus semper auxilio fuerint, prudenti consilio à Clementia & amore hausto, quæ virtutes nouum imperium auspicantibus vtiles omnino sunt ac necessariæ. Satisque id ex Genouefæ Parisiensis, ac Remigij vita constat: prorsus vt hæc occasio vnica Procopio fuisse videri posit, Francos primo illo suo in Gallias ingressu Christianos appellandi. *Secundo*, S. Euergislus Coloniensis Archiepiscopus S. Seuerini successor, cum Tungros visitaret (quando & martyrio coronatus est) Christianos in ijs, ac Clerũ, adeoque etiam Episcopũ reperisse narratur. quod post annũ Christi 430. aut quã maxime sero 440. cõtingere nõ potuisse, ex annis Episcopatus eius facile suspicari licet. Ergo iam tum, & antea restitutus erat Tungris Episcopus. Nec obstat quod hic à plerisque credatur fuisse *Candidus*, vice Episcopi, seu Chorepiscopus. Nam præterquam quod hoc incertum est, quidni simpliciter Episcopus haberi posit, qui Episcopalia munia obijsse dicitur, nullo alio viuente Episcopo? & cur eo mortuo, alius immediate suffectus non fuisset? *Tertio*, ab anno 420. ad 530. (circa quem DOMITIANVM cœpisse mox videbimus) anni sunt 110. Si decem illi censeãtur Episcopi, singulis vndecim tantum asignandi erunt Episcopatus anni, aut quanto plures vni, tanto alteri pauciores. Quo quid vero similius? Præsertim cum vix tot, aut non plures certe Episcopi numerentur in alijs minime interruptis Sedibus, vt Treuirensi, Metensique; adeoque etiam in ipsa Principe Romana, cuius tamẽ Pontifices parum longæuos fuisse constat, vt pote prouectiori æta-

Quot Episcopi ante Domitianum sederint, post S. Seruatium.

Restitutio Sedis Tungrensis ab anno circiter 410. aut 420 reuocanda.

Franci licet adhuc infideles, in Christianos tamen proni.

Vita S. Euergisli apud Sur. 24. Octob.

te ad

te ad Ecclesiæ illius gubernacula semper assumi solitos. Ita Tungrensis Ecclesia non 114. annos Pastore caruerit (vt existimant) sed 37. duntaxat, quot ab anno Christi 383. seu morte *Seruatij*, ad 420. interfluunt. Nisi forte adhuc lubeat hanc illius instaurationem ad anteriorem annum 410. reuocare, quando recrudescente VVandalorum incursione *totus hic tractus Armorichus* (vt ait Zosimus) *ceteraq; Gallorum prouinciæ, eiectis magistratibus Romanis, suam quandam Remp. pro arbitratu constituerunt* quod æquè placet. Ita ne 30. quidem annos Pontifice Tungri caruissent. & si singulis illis 10. Episcopis æquales singulæ annorũ partes obtigissent, 12. dumtaxat singulis obtigissent; si impares, tanto vni plures, quanto alteri pauciores, vt dixi. Quæ annorum partitio tantum abest, vt nimis extensa videri possit, vt mihi etiam angustior & nimis arctata videatur, illis præsertim temporibus, quibus passim longæuiores Episcopi proferuntur.

Forte Tungris redditus Episcopi, cum Faramundus regnare cœpit; & Exuperantius oras Armoricas ad pacem traxit. Quod ex Prospero Pith. & Rutilij Itiner. circa annum Christi 417. factum videtur.

Non omittendum porro hic illud, denos hos Antistites, vt & proximos decem eorum successores Traiecti ad Mosam plerumque resedisse; siue Seruatij exemplo, iussuue, qui idem moriens fecisse perhibetur; seu quod Tungrensis ciuitas lacera misere iaceret. Probat hoc inter cetera vetustatis monumenta, Concilium Aruenense, de quo mox; vbi Domitianus Tungrẽsis seu Traiectensis Episcopus dicitur. Et hæsit inibi Episcoporum domicilium, vsque ad annum Christi 709. quo illud Hubertum Leodium transtulisse infra docebimus. Qui tamen Traiecti sedere Pontifices. non tam Traiectenses à domicilio, quam ab antiquissimæ Sedis titulo Tungrenses appellati sunt. Quin & Leodienses primos 23. eundem titulum vsurpasse, docent antiqua Imperatorum Pontificumque diplomata quamtumuis fixum Leodij rerum suarum domiciliũ statuissent. Prorsus vt Tungrorum ciuitas, quam prima acceperat Pontificalis Cathedræ dignitatem, vel inter ipsas murorum ruinas inconcusse retinuisse, & Episcopi ipsi Ecclesiæ suæ possessionem non Leodij Traiectiue, sed Tungris in Ecclesia D. Virginis Mariæ possessionem iniuisse videantur (vt Nicolaus diligens scriptor annotauit) donec *Henricus* I. Leodiensis Episcopus à Summo Pontifice & Imperatore circa annũ Christi 1080. obtineret, vt Episcopatus hic deinceps non Tungrensis, sed Leodiensis simpliciter appellaretur, vt M. S. Codex antiquus Canonicorum Regularium Tungrensium fidem facit, & approbant insequentia omnia diplomata, quæ Episcopos Leodienses dumtaxat indigitant. Vnde etiam Anselmum deceptum intelligas, dum in Præfatione sua *Monulphum* sedẽ Episcopij Traiectum transtulisse scribit: cum decessorem eius Domitianum Traiecti resedisse ex Synodo Aruernensi euincatur; & tot insuper eius successores, Tungrenses indifferenter & Traiectenses Leodiensesue nominatos constet. Atque hæc de nouem illis aut decem Episcopis, quos ab anno Christi circiter 420. aut 410. ad 530. sedisse putamus.

Tungrenses Episcopos Traiecti resedisse.

Nicolaus in vita S. Lamberti c. 4.

Domitiani ætas.

Sequitur DOMITIANVS celebrior ac notior. Is Concilio Aruernensi subscripsit in hanc sententiam: *Domitianus in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ Tongrorum, quod est Traiectum.* Habita dicitur ea Synodus ipso textus exordio: *sexto Idus Nouembris, post Consulatum Paulini iunioris.* In antiquioribus autem probatioribusque Fastis, Paulini iunioris Consulatus cum quarto Iustiniani Aug. comparatur, anno Christi 534. Vnde quum illum in Aurelianensi Concilio cum anno 26. Childeberti Parisiorum Regis coniunctum legis, scias esse mendum, vt ad me Parisijs scribit R. P. Iacobus Sirmondus, qui vulgata Concilia hæc cum M.S. contulit. Alia enim lectio notat annũ Childeberti 20. vt facile videas XXIII. pro XXVI. legendũ. Itaque Aurelianense Conciliũ 3. anno Childeberti 23. Christi 534. habitũ fuerit, Paulino iuniore Consule. Et post Consulatum eius anno sequenti 535. Aruernense; cui *Domitianus* noster interfuit. Apte ergo Pontificis huius initium ab anno Christi circiter 531. arcessendum statuimus. Rursum in Synodo Aurelianensi 5. habita anno eiusdem Childeberti Regis 38. seu Christi 549. *Domitianus Tungrensis* subscriptus legitur. Ad eum igitur annum attigerit. Iterum in Concilio Parisiensi, quod primum dicitur in Tomis Conciliorum, Baronio autem secundum est, *Domitianus quidam peccator* inter Episcopos reperitur; vt & in Turonico secundo, *15. Cal. Decembris* habito, *anno Chariberti Regis sexto*, qui est Christi 567. Hunc Molanus Tungrensem nostrum esse putat, Baronius Catalaunensem. Sed quis credat Tungrensem Episcopum Turonicæ Synodo, cui soli prouinciæ illius suffraganei subscripsisse reperiuntur, interfuisse? Catalaunensis autem Ecclesia tametsi vnum inter Pastores suos eius nominis agnoscat, longe tamen antiquiorem facit, & qui inter primos antiquissimæ illius Sedis clauum tenuerit. Aimoinus historiæ Francorum libro 3. c. 2. in pragmatico Childeberti, Domitiani Carnotensis mentionem facit. Sed mendum aut lacunam inibi latere, Elenchus Episcoporum Carnotensium fidem facit, qui nullum huius nominis agnoscit. Imo Concilia huius æui Chalactericum, seu Caletricum Carnotensem Episcopum ingerunt, qui & huic eidem pragmatico subscripsisse reperitur. Ego igitur Domitianum hunc peccatorem, Andegauensem Episcopum esse plane credo, S. Albini successorem; tum ex Catalogo Pontificum eius vrbis; tum vero ex Fortunato l. 11. car. 24. vbi ait se ab Domitiano Antistite ad Albini festa per vastum amnem (Ligerim intellige) tractum aut deductum. & libro 3. carm. 4. inter Episcopos Euphronij Turonensis comprouinciales, Domitianum vnum accenset. Nihil igitur ad Domitiani Tungrensis ætatem, sicut nec ad nomen, Concilia illa faciũt. & citius desijsse, circa annum Christi 558. ex certis insequentium Episcoporum ætatibus mox euincam.

Baronius Anno Christi 559.

Mol. in Nat. 7. Maij. Bar. anno Christi 570.

Domitianus Andegauensis Episcopus alius à Tungrẽsi hoc nostro.

S. Monulphi ætas.

Domitianum proxime excepit *Monulphus*, sedis eius per 39. totos annos Episcopus, ex antiquissimis Traiectensis Ecclesiæ monumentis. Huius exordium cum anno Christi labente 558. componimus, vt mox ex certo

S. Amandi

S. Amandi initio declarabitur. Ergo mors eius in annum 597. incurret. Apte profectò ad Gregorium Turonensem, qui de Gloria Confess. cap. 72. miracula ad S. Seruatij sepulchrum fieri solita scribens, circa annum (vt ex eius ætate colligitur) 590. Monulphi tanquam prouectioris Episcopi meminit, etsi adhuc viui. *Gondulpho* Monulphi successori annos 7. asignat eadem Traiectensis Ecclesia; obierit ergo anno Christi 604. Inde *S. Perpetuo* Dionantensium tutelari annos 13. attribuunt. Ita corpore solutus fuerit anno circiter 617. Sequitur *Ebregisus* insititius à me prima editione putatus, ex male statuta Tungrensis sedis instauratione, quam ad Chlodouæi baptismum, vulgatam opinionem secutus, reuocaueram. Nunc errore deterso, perstare video, etsi quæ de eo refert Aegidius ex S. Euergisli Coloniensis vita desumpta credam, nec quidquam eius Episcopi certum aduertam præter nomen, & sepulturã in Trumonia Leodiensis Episcopij villa, vt Harigerus & Anselmus attestantur. Annos ei Aegidius 14. asignat; qui numerus non improbabilis si admittitur, Ebregisi mortem in annum Christi 631. conferet. *Ioannes* ergo *Agnus* huius successor, si sex annos, vt volunt, sederit, anno Christi 637. naturæ concesserit.

Gondulpi ætas. Et S. Perpetui.

Ebregisi qui obscurus est.

Ioannis Agni.

Ioannem *S. Amandus* immediate consequitur; cuius inauguratio certa, præcedentium etiam Antistitum Chronographiam vacillare non sinit, intra certa quædam interualla conclusam ac terminatam. Ea contigit paulo post baptizatum ab eo Sigebertum Dagoberti filium, cum puer 40. dierum respondit *Amen*, vt in vita S. Amandi legitur. Sigebertum autem natum sub finem anni octaui Regis Dagoberti, testatur Appendix ad Gregorium Turonensem, & Aimoinus. Iam ex initã temporum ratione, annus octauus Dagoberti concurrit cum Christi 636. Baptizatus igitur fuerit Sigebertus circa finem eiusdem anni, aut (vt summum) initium 637. Ergo Amandi consecratio, quæ paulo post hunc baptismum contigisse dicitur, exeunte anno 637. peracta fuerit. Quod aptissime cõfirmant vetera Cœnobij Elnonensis, seu S. Amandi monumenta, quæ ordinationem eius celebrant 7. Calendas Nouembris. Non enim dubiũ quin ea ordinatio die dominico pro more celebrata sit; qui recte in 7. Cal. Nouembris, seu 26. Octobris incurrit eo Christi anno 637. Præfuit porro S. Amandus triennium solidum; Inde Cleri contumaciam non ferens, Pastoris onus S. Landoaldo Archipresbytero tanquam vicario suo reliquit, per nouem insequentes annos integros. Ergo ab anno 641. ad 649. Tandem solitudinis amore, oneris Pontificij pertæsus, à Martino primo Papa Episcopatu prorsus abeundi facultatem petijt. Extat Martini epistola petitionem abnegãtis; data paulò post, *&c. vt habes §. 99. quæ hic subde vsq; ad finem capitis huius sexti, & disputationis.*

CERTVM S. AMANDI *initium.*

App. c. 59. Aim. l. 4. c. 20.

Apud Mol. 6. Febr.

Ita vides, Candide lector, quantopere in his tam abstrusis, tam vetustis laborandum sit; vt non mireris si curis secundis ac tertijs semper aliquid castigandum aut addendum occurrat. Quæ ergo in Tabulis habes priori opinioni conformia, omnia ad

secundam

Solutio secundæ difficultatis.

secundam hanc accuratiorem emenda.

Rursum paginâ 25. totum §. 43. ita lege. Nihilo minus inuoluta est quæ secundo loco mouetur de *Auctoris* ætate difficultas. In probatis quidem ac vetustioribus Episcoporum Metensium Catalogis, *Auctor* quidam, 13. eius Sedis Antistes numeratur; ita tamen, vt cum ad Attilæ tempora referatur, sub Siricio nihilominus Papâ ac Valentiniano Imp. naturæ concessisse dicatur, id est ante annum Christi 392. quo Valentinianum 2. cæsum constat. Quomodo ergo *Auctor* ad annum Christi 451. quo Attila Galliam peruasit, peruenire potuit, præsertim cum 49. tantum annos sedisse, imo sub Iulio 1. Papa, circa annum Christi 340. cœpisse ibidem asseratur? Vides hallucinationem. Et profecto nemo paulo in hisce versatior non videt. Catalogos plerosque omnes antiquarum Sedium in censendis primorum suorum Antistitum ætatibus, ordine, ac numero, in incertum ferri; & pleraque Poetarum fabulis, quam priscorum moribus similiora repetere. Nullaque est paulo vetustior Ecclesia, quæ originem suam iam inde à D. Petro arcessere non conetur. Tantus est antiquitatis amor. Hinc maximum historiæ chaos inductum, & nescio quod vacuum ducentorum pene annorum interuallum, cui scilicet explendo tāto breuior Episcoporum numerus non sufficiat. Plane in Gregorij Turonensis sententiam concedo, maiori Galliarum parti Episcopos circa imperium Decij, seu annum Christi 250. primum Româ transmissos. Quod si in hac Metensium Ecclesia conceditur; facile intelligemus *Victores* duos, 5. & 6. sedis huius Antistites, in Seruatij tempora & Concilij Agrippinensis incurrisse, vt ipse Synodi textus euincit: *Auctorem* vero à *Victoribus* illis septimum commodè ad Attilæ irruptionem, seu annum Christi 451. referri: Et commodius denique qui *Auctorem* octauus sequitur, *Grammatium*, Aruernensi Synodo circa annum Christi 535. subscribere potuisse, annis post Attilam plusquam 80. Quod si stat, vt stare puto; stabit quidem Auctoris captiuitas tantopere decantata; sed Seruatius noster eum videre non potuerit; & si in reditu Romano ad aliquē Episcoporum Metensium diuerterit, ad alterum *Victorum*, aut proximū certe successorem diuertere debuerit.

Priores antiquorum sediū Episcopi valde inuoluti.

Turon l. 1. c. 30. & l. 10. c. 31. Plerisque Galliarum Ecclesijs dati primum Episcopi circa annum Christi 250.

Addenda ad Annotationem Chronologicam.

§. 2. lin. 12. post verba: Christi 400. componit. *Adde:* Est Sethi Caluisij in Chronico. Eandemque se tueri mihi olim Parisijs dixit *R. P. Iacobus Sirmondus*; vt & *P. Ioannes Deckerius* literis nuper ad me è Stiriâ missis.

§. 6. lin. antepen. loco verborum horum: recoli 21. Nouembris aut circiter, neque enim præcise memini: *repone hæc tantum:* 26. Nouembris.

§. 9. lin. 2. ita lege: circa 26. Nouembris: à morte Martini III. quindecim circiter diebus inchoato.

§. 10. lin. 11. ab illis verbis, Nec Paulinus iste &c. *vsq. ad illa linea 20.* toto

subse-

ſubſequitur *omnia dele, & hæc ſubſtitue* Rurſum in Concilij Aurelianenſis 3. fine, annus Childeberti huius 26. cum Paulini iunioris conſulatu iungitur. Putat Baronius hunc Paulinum iuniorem alium eſſe ab illo qui in faſtis Collega Iuſtiniani Auguſti quartum, notatur. Quod & ego nuper credidi, cum viderem Paulinum illum faſtorum non anno Childeberti 26. ſed 23. conſulatum geſsiſſe, anno ſcz Chriſti 534. Sed cum in antiquioribus probatioribuſque faſtis Paulinū hunc Iuniorem expreſſe dici, nec alium exinde notari aduerterim; plane cogor vnicum Paulinū agnoſcere, cuius conſulatus cum anno illo Chriſti 534. componatur. Annus ergo Childeberti 26. mendoſus eſt, & alia lectio notat 20. ſed credo XXVI. pro XXIII. male in textum irrepſiſſe, niſi in numerum Conſulatus Paulini mendum ipſum incurrerit. Quidam enim faſti ſex vel 7. eius conſulatus notant, ſiue poſt conſulatum. *De Paulini iunioris conſulatu.*

Inter §. 18. & 19. poſt verba: expertus ſum *hunc inſere*. Fateor tamen ingenue Theodorici huius exordium non æque mihi certum videri, ac finem. Primò, quia vna lectio Aimoini habet eum regnaſſe annos 21. nulla 23. aut 24. Secundo, quia antiquus & diligens ſcriptor Belga, *Folcuinus* M. S. in Chronico ſuo Lobienſi notat, Pipinum Herſtallenſem prælio Textricij in Veromanduis ſuperaſſe Theodoricum Regem cum Berthario Maiore domus, *poſt annum regni illius 18.* Prælium autem id commiſſum circa Iunium anni Chriſti 687. ſatis conſtat ex hiſtorijs, & annis Pipini viginti ſeptem cum medio, ac eiuſdem morte, quæ in Decembrem anni Chriſti 714. certo incurrit. Debet igitur annus Theodorici octauus decimus exire ante Iunium anni Chriſti 687. Quod apte conuenit, ſi 21. regni illius annus (non 23. aut 24) ante Iunium anni 690. terminetur. Tertio, in vita *S. Ansberti*, qui S. Audoëno in Sede Rothomagenſi proxime ſucceſsit, annus Theodorici decimus tertius cum anno Chriſti 682. Indictione 10. & Ansberti Epiſcopi quinto comparatur; quæ ſane optime cohærebunt, ſi annus 21. Theodorici ante æſtatē anni Chriſti 690. euolutus ſtatuatur. Turbat non nihil quintus annus Ansberti. Si enim verus eſt, initium illius in annum Chriſti 677. confert, & eodem Audoënum exceſsiſſe, vita eiuſdem bene notat. Sed profecto dies mortis, qui dominicus inibi dicitur, plane exceſſum Audoeni anno 676. affigit: vt & alius character, ibidem cap. 22. & 23. quo S. Audoëni corpus, cum in ſepulchro primo annis tribus menſibus 9. quieuiſſet, tranſlatum dicitur, *die Aſcenſionis Domini, 3. Nonas Maij.* Licet enim id neque anno Chriſti 680. neque 681. præciſe conueniat, nulla tamen ratione ad annum 681. accedit, quo Aſcenſio Chriſti in 23. Maij ſeu 10. Cal. Iunij incurrit: Anno autem 680. proxime conuenit, quo illa 3. Maij celebrata eſt, & 5. (non 3.) nonas eiuſdem. Qui lapſus paruus (vt vides) ac facilis eſt. Audoenus ergo anno 676. non 677. exceſſerit, & Ansbertus ei non continuo ſuccedere potuerit. Philiberti etiam exilium non ad initium anni 9. ſed octaui tantum pertigerit. Ita Theodorici exordium ab anno Chriſti, *Ini ia Theodorici & fratri eius Childerici ac Lotharij incerta.*

non 667. ſed 669. biennio ſcilicet ſerius, ducendum eſſet. Cumque Childericus ante eum tres totos annos ſolus in Francia regnauerit; circa Paſca anni 666. in regnum à Francis admiſſus fuiſſet; vt ex vita S. Leodegarij colligitur. Lotharius igitur frater & deceſſor huius circa initium eiuſdem anni 666. aut finem 665. abſumptus fuerit: & ſi 4. tantum annos à morte patris imperauerit, vt paſsim volunt, plane circa initium anni 662. vel finem 661. cœperit. Itaque hunc etiam annum pater eius Chlodouæus attigerit; & annos 18. ſi non completos, ſaltem labentes rerum potitus fuerit, vt ſciſcit Appendix ad Turonenſem. Quod ſi S. Eligij mors, quæ in exordia Lotharij incurriſſe dicitur, certo aliquo charactere notaretur; aut ſi Lotharius à morte patris non iv. vt paſsim ſtatuunt ſed vi. annos regnum tenuiſſet, ſicut Iperius M. S. in Chronico ex cœnobij ſui Bertiniani diplomatibus refert; facile horum omnium veritas erueretur.

Childebertum vero &c. vt §. 19.

Tabulas igitur Chronologicas, vt dixi, ad hanc ſententiam, ſi tibi arrideat, Candide Lector, apta & caſtiga; & quos errores notaueris, benigne interpretare. Homines ſumus & res obſcuriſsima eſt.

Aegidius Bouchier Atrebas
Soc. Ieſu.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pag. *6*. D. prodigaliter. *lege* prodigialiter

Pag. 8. C. quid. *lege*. quod.

Pag. 29. D. pignore. *lege*. pignora.

Pag. 36. D. poiſtibus. *lege*. poſtibus.

Pag. 41. A. Trecentas *lege* mille trecentas

Pag. 42. B. ſumno. *lege*. ſomno

Pag. 169. B. impetratum. *lege*. Imperatum.

Pag. 315. B. & Cathaleuniam. *adde*. obtinuiſſet

Pag. 354. D. coram. *lege*. coronam

Pag. 356. C. præpoſitus, *lege*, præpoſitum.

Pag. 395. A. fugienda *lege*. fugiendo

Pag. 510. B. eum *videtur deeſſe* percuſſit *vel ſimile quid, quamuis nec ipſe codex autographus hebeat.*

Pag. 653. A. Henrico primo *lege*. tertiò

Pag. 855. D. egrendi. *lege*. regendi.